BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
3C
16

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
2
18 P
8

12
12
b
33

JOHANNIS DOLÆI
ENCYCLOPÆDIA,
MEDICINÆ
THEORETICO-PRACTICÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS DOLÆI

MED. DOCT.

Consiliari, ac Archiatri Hasso-Casselani S.R.I.
Curiosorum Collegæ,

ENCYCLOPÆDIA,

MEDICINÆ THEORETICO-PRACTICÆ,

Quà

TAM VETERVM, QVAM RECENTIORVM,
Paracelsistarum, nempe, Helmontianorum, Willisianorum,
Sylvianorum, Cartesianorum, de Causis, & Curationibus
Morborum sententiæ exhibentur,

Addita simul Authoris de his opinione; vnà cum Medicamentis Galeno-Chymicis vtplurimum ab ipso Authore experentiâ comprobatis.

EDITIO NOVISSIMA.

BIBLIOTECA ROMANA VITTORIO EMANUELE

BIBL. SS. IO. & PA. DE URB.

VENETIIS, M.DC.LXXXX.
Apud Io: Iacobum Hertz.
SVPERIORVM PERMISSV, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſsimo Domino, Patrono Colendiſsimo

D. HILARIO SPINELLI

Nobili Patauino, & Antenoreæ Vniuerſitatis Principi Lectori S.P.

NEſciò an magis debeam; an cupiam Tibi Optimo, & inter ſaculi ornamenta præcipuo Spinelli Illuſtriſsime meum addictiſsimum Obſequium referre. Tot ego inuitor, aut potius cogor tuæ virtutis & Nobilitatis argumentis, vt me eſſe hominem non intelligam, niſi ſentiam tuam pulcherrimam benignitatem, &

Digitized by Google

hanc ſecretam quam tibi voueo propenſionem, in quamdam veluti lucem, & lineamenta non iam producam. Sanè ſi tantò eſt turpius cultum non ferre, quanto plenior eſt cauſa referendi, nolo ego in tanta te venerantium amplitudine, aut eſſe piger, vt inuidus, aut eſſe rudis, vt propemodum barbarus videar in ceſſando. Quare ſumere ipſa parum, ſed voto maximum hunc de Io: Dolæi Encyclopædia inſcriptum librum, quem & tu Vnus commendabis legendo, & cunctis commendabis patrocinando, non enim ille ſecuriorem quam te Aſſertorem, nec cæteri maiorem tecum quam inde medicam Annonam poterunt adinuenire: Alia fortaſſe, & ea maiora deberi tibi facile poſſe ſcio, ſed iſta in primis placuit conſecrare ſapientia quia illa in te ſperabunda, vt in ſuum ſinum, & familiam concurrunt & cum tuam luculentiſsimam Bibliothecam, tuumque liberaliſsimum Animum, fouendis ſtudijs, & ſeneſcentibus litteris inſpiciant adapertum, te Patauinæ Vniuerſitatis Lectorem iam quadragenarium & Principem meritiſsimum videntur quodammodo ſingulariter deſiderare, vt tuis decoribus ornes, tuis protectionibus erigas, & tuearis. Beneuerte tu poſtea, quod reliquum eſt, hoc qualecumque holocauſtum te reuerentis, & mox natiuâ, & ideo benigna tua facilitate adauge hanc mihi magnam, & in tua Obſequia ſtudioſiſsimam Voluntatem. Vale.

Humill. Deuotiſs. Addictiſs. Seruus
Michael Hertz.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QVamuis id felicitatis faſtigium me attigiſſe, *Lector Benevole*, minimè opiner, vt Medicinæ & Naturæ opera in hàc Encyclopediâ meâ ad palatum Tuum delineauerim, haud enim me latet, nulli vnquam ſcripto, ſummâ licet diligentiâ limato, eam contigiſſe felicitatem, vt cum ſtatuâ *Mineruæ*, inimitabili *Phidiæ* manu exculptam, extra obtrectandi ſtudium in ſumma Apollinis arce locaretur, nihilominus cum *Narciſſo* hactenus venatum iui. Non enim ſcientias in ſonte limpido verum in *Democriti* puteo demerſam veritatem eruere adnixus ſum. In ipſo ergò operis limine cauſa mea oranda, aut, vt veriùs loquar, vineta mea mihimet cædenda *ſunt*.

Encyclopædiam Medicinæ noſtræ ſanè medicina egentis, non vanæ gloriolæ aucupio, ſed inſolatium proximi, & in ſubſidium eorum, quibus ob varia impedimenta, libros non legendos, ſed lectitandos habere licet, ante aliquot annos ſuaſu quorundam *Amicorum*, quibus refragari ſaluo amicitiæ fœdere non poteram, meditabar. Nec mora! ſtrenuus operi tanto accingor; nocturnâ & diurnâ diligentiâ, quantum temporis à praxi alijſque negotiolis ſuffurari licebat, impendo, infudo, inuigilo: Varios variarum ſectarum Auctores agilis peruolito apis, & inſtituto neceſſaria decerpo; & iam ſpes erat me, vt *Cyri* milites, *mare*, *mare* expeditionis laborioſæ, dulcem finem mox viſurum. Sede ecce! Terrenum Numen meum id eſt, POTENTISSIMVS ac SERENISSIMVS PRINCEPS ac DOMINVS, DOMINVS CAROLVS, HASSIÆ LANDGRAVIVS, PRINCEPS HERSFEDIÆ, COMES IN CATTEMELIBOCO &c. &c. Dominus meus Clementiſſimus, Hanouiâ gratioſiſſimis literis nihil minùs cogitantem euocat; indeque dum familiam ad *Caſſelanas* oras transferre, bibliothecam turbare, rurſus ipſam inſtruere, tum & SERENISSIMÆ AVLÆ humilimè quotidie inſeruire cogor, pæne haſtam ſpei abieciſſem, niſi & promiſſum meum publicum, & *Amicorum* litteræ & *inimicorum* calumniæ, quin imò, quod primo loco ponendum erat, *Typographi*, cui iam fidem dederam, inſtans ſolicitatio aliud imperaſſent mihi, cui iam ſumma votorum hæc ſolùm eſt, PRINCIPI CLEMENTISSIMO ſeruitia humillima approbare. Itaque pilori modo ſaxum hoc Siſypheum voluere occipio, ſed quaſi Deorum fata violenti Tribuni inſtar intercedere vellent, cùm vix dum initium feciſsem CLEM. PRINCIPEM ad celeberrimam illam & glorioſiſſimam feliciſſimam que Chriſtianorum expeditionem contra viperinam *Muhammedis* progeniem *Viennam* obſidione graui prementem, deuoto obſequio comitari iubeor.

Vix dum reducem inſtantiſſimæ querelæ *Typographi*, & tantùm non exprobrationes excipiunt, qui diu à multis deſiderati operis abſolutionem flagitabat, ita vt ne quidem vltimam lineam admitteret, vnde nolens volens, partum eijcere veriùs, quàm edere cogor. Certè dum leuidenſia mea & ſucciſiuis à negotijs aulicis & practicis libris horis elaborata reſpicio, aduerto quòd exilis ingenii anguſta mediocritas tenues admodum pariat fruges.

Diu enim, vt dixi, circa huius operis editionem dubituandus hæſi, identidemque prono ad curſum impetui frænum inieci, multotiens & habenam dedi laxam, ſed ad id ad quod inuitabant amico Cantu eruditæ Sirenes, Nihilominus me terrebat præ-

Digitized by Google

ceps vorago, atque tum satiùs esse duxi sequi commune prouerbium, imò veriuerbium: *Qui bene latuit, bene vixit*: ne paterer triste naufragium. Mox iterum pestiferum & plusquam exitiale habui Imperatoris *Licinij* propositum, quod literas Reipublicæ pestes vocaret, & abolenda censeret literarum studia; Hæc certè non tantùm in Tuum, sed potissimum in meum vsum ita in hac indigesta mole corrasi, vt gloriari possem, si hic suspensa esset hedera. Quantum enim mihi possibile fuit amplà verborum serie relicta in compendium omnia contraxi, in gratiam eorum, quibus *Authores* illos peruoluendi otium non suppetit, & quid demum de vnius cuiusque affectus causa & curatione statuendum sit, meis rationibus non semper decidere volui, sed suspensam relinquo sæpe & in vnius vel alterius viri, aliquando autem in neutram inclino partem, nàm secundùm illud *Senecæ*: *Non me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero, multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid & meo vindico. Nam Illi quoque non venta, sed quærenda nobis reliquerunt.* Meum iterum facio hoc *Senecæ*: *Non ergo sequor priores? Facio*: *Sed permitto mihi & inuenire aliquid & mutare, & relinquere. Non seruio illis: sed assentior.*

Nam vniuersale illud *Scholasticorum Hypotheticorum, & id genus Philosophorum* diluuium *cimmerijs* non intricauit vmbris, in quibus infandum trepidaui, veluti pueri, quĩ lamiam cæcis in tenebris metuunt. Quare rationis facem arripui, & en! Experientiæ coruscabat vna Sol, cuius lumine omnes naturæ interstinguebantur species, mentisque clarescebant ideæ. Non enim noua spargo principia, quamuis ad rem meliùs explicandam nouis vtar verbis, quæ sunt *Microcosmetor*, *Cardimelech*, *Gasteranax & Spiritus plasticus*, *seu Ianitor veteri*, *&c.* Vt ergo principia mea non tantum tanquam supposita, sed & probata Tibi obtrudam, nonnulla hac in præfatione addere libet; plurima enim (fateor) sunt, de quibus suspicor, id enim malo, quàm ad occultarum qualitatum turpe confugere asylum; tum etiam nostra quiuis ad æquam tantum examinis lancem transferat. Nam probabilia non infallibilia offero.

Duas autem esse in homine, animas, vnam immortalem, alteram mortalem, euincunt argumenta sequentia.

Quòd mens, spiritus ille immortalis, immaterialis, & à materia planè independens, huic terrenæ fæci, & materiæ sublunari sine medio incorporeo cohabitare non non possit. Quænam enim est proportio inter elementa, & spiritum hunc incorporeum, vt sibi mutuo iungi possint? Quæ ratio etiam *Philosophis* persuasit, vt excogitarent vinculum quoddam, quod communiter statuitur esse ignis connatus. Verùm nulla est inter ignem connatum animę sensitiuæ instrumentum, vtut corpus sit subtilissimum, analogia, aut amicitia, quę diuersissimas hasce naturas coniungere queat. Quare necessariò conquirendum vinculum quoddam, quod habeat respectum quidem ad materiam, sed tamen quodammodo appropinquet essentiæ suæ naturà Menti, spiritui illi immortali. Nullum autem aptius excogitari potest, quàm forma, seu anima rerum sublunarium nobilissima, quæ est anima sensitiua. Hæc est materialis, & tamen incorporea, quà ratione in spiritus immortalis confinio ponitur.

Qnòd in homine detur perpetua ἀγωνία & lucta: in quod quilibet homo in affectibus domandis experitur. Fit enim, vt affectus bruto impetu nonnunquam ruant in ea, quæ neque intra honestatis neque vtilitatis carceres continentur, quos Mens fræno rationis coercere studet, diuturnà interdum & ancipiti pugnà, & superiore non rarò affectuum pertinacia. Hinc Poeta: *Video meliora proboque, deteriora sequor.*

Cùm itaque Mens & Caro seu spiritus immortalis & corpus sese mutuò oppugnent, & expugnent, caro, quatenus opponitur animæ intellectuali, erit omninò ἔμψυχος non ἄψυχος quoniam si ἄψυχος esset, nihil posset operari, cum omnium operationum principium & causa sit anima. Sensitiuam autem esse animam, quæ

car-

Digitized by Google

carneam aduersus animam intellectualem mouet, ex eo evincitur, quia nulli alij animæ concupiscentia attribui potest, quæ est aries ille, quo mens oppugnatur.

Vt autem pateat ὡς ἐπαρὸν, quænam sit istius luctæ & certaminis origo, sciendum, hominem primum ità conditum esse, vt quæ præter animam sensitiuam insita est à Deo anima immortalis pleno dominio super omnem animam sensitiuam, quod ex dominio hominis in bestias datum est, gubernaret totius compositi actiones, nullibi refragante anima sensitiua. Per lapsum autem Protoplastorum animam sensitiuam, quæ cum materia per generationem traducitur, tanquam effrænem equum, animæ immortalis, quæ à Deo infunditur (quippe quæ ingenerabilis est) pleno dominio emancipatam esse. Quemadmodum enim homini traditum est plenum dominium in omnes bestias, isto autem dominio homo per lapsum ita excidit, vt quidem κτῆσιν adhuc habeat, χρῆσιν verò difficulter exerceat, nec semper feliciter, quod quotidiana confirmat experientia; ita quoque anima immortalis corpori infunditur, vt dominetur animæ sensitiuæ, quæ brutorum animæ conformis est. Dominari enim debemus peccato & concupiscentiis. Constitisse autem imaginem Dei in *absoluto*, primæui hominis supra animam sensitiuam omnem, (vt clarum est ex dominio in omnes bestias, præcipuè autem supra propriam) imperio, si non totaliter, attamen magnam partem colligitur firmiter ex renouationis opere.

Notandum autem per πνεῦμα hoc loco intelligi calidum innatum, monente *Sennerto Conf. & Dißenf. Chym. c. Arist. cap.* 10. Inde *Marsil. Ficinus in Argumento in Alcibiaden Platonis* inquit: *Homo est anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens. Plato in Timæo; Deus mentem quidem animæ, animam vero corpori dedit.*

Quòd facultates (quæ à Medicis dicuntur) planè sint materiales, & propterea reipsa à mente distinguantur. Quid enim negotii esset illi spiraculo vehenti diuinos radios cum culina? Istę autem facultates necesse est conueniant in vno quodam principio communi, ita vt attrahere, retinere, expellere, recipere, mouere, coquere sanguinem, fibras, carnem, pilos, & non à diuersis & singulis emanet animabus & principijs, aliàs earum daretur infinitus numerus, sed ab vnica; quemadmodum id in brutis ab vnica euenire sensitiuà, nemo est, qui serè ambigat. Cùm verò facultates animæ humanæ, excepto intellectu & voluntate, apprimè & per omnia conueniant cum brutorum facultatibus in generatione, nutritione, vità, sensibus, locomotiuà, &c. (quod ex actionibus humanis & brutorum collatis manifestum) ijs autem peragendis in brutis sufficiat anima sensitiua, quid quæso cogit, vt in homine ijs præficiamus mentem & animam intellectualem, exclusà sensitiuà, cum inter intellectum, & facultates materiales longissima sit distantia? Sicuti enim sensitiua suas actiones à materia abstrahere non potest, ita contra intellectus à materia abstractus eidem inuolui nequit.

Naturalissimum est viuentibus gignere aliud simile. Gignit igitur & homo hominem, saltem secundùm vitam, & animam sentientem, si non secundùm animam immaterialem, quæ vti incorruptibilis, ita & ingenerabilis est. Homo enim non generat imperfectius, quàm plantæ aut boues.

Credimus orthodoxà fide, nos visuros Deum in carne nostra. Caro autem per morbos, & ætatum decursum sæpissimè absumitur, & restauratur quotidie alimentis, ita vt homo sexagenarius centies carnem mutasse possit. Quæritur itaque, quænam caro, an prima quæ in natiuitate, vel infantia, vel in iuuenture, vel senectute adfuit, vel etiam ante vitæ terminum per tabem enanuit, in vita æternà sit præsto futura? Omnis certè non potest, aliàs non tantùm immensa, sed & informia corpora essent in vità æterna futura, non respondente ossium compage circumfundendæ carni. Ossa enim non simul ac caro absumuntur, ergo non toties restaurantur. Si verò

rò carnem iuuenilem vitâ æterna donaueris, detur ratio, quare excludatur senilis, & alia atque alia. Necesse est igitur per carnem intelligere potissimùm corporis ψυχικοῦ partem animam scil. sensitiuam quacunque carnis portione amictam. (Si enim non curamus in hoc vita carnem perire veterem, suffici ex alimentis nouam; certè in æterna vita minùs angemur, hanc carnem nos comitari, illam verò, quam aliquando portauimus, abesse.) Siquidem oportet corpus animale (ψυχικὸν) incorruptibile & immortale induere spirituale (πνευματικὸν) incorruptibile & immortale.

Ex opere creationis non obscure colligitur anima alia præter immortalem. Nam antequam Deus sufflaret in nares ipsius hominis halitum vitæ, iam dicitur homo factus de puluere terræ, *Genes.* II. 7.

Pathemata & affectus animi, qui nobis cum brutis communes sunt, non possunt proficisci ab *intellectu & anima immortali*, quomodo enim ageretur stimulis Veneris, dolore, &c. *Multo minùs à corpore* ἀψύχῳ cuius actiones nullæ dantur. Relinquitur ergò, affectus prouenire à copore ἐμψύχῳ quod an alia quàm sensitiua anima informatum esse possit, non video. Solent autem eam, quando de affectibus sermo est, animum vocare, non animam, vnde affectus animi, non animæ, vocantur.

Quòd demortuorum capilli crescant, & figura externa vel in toto corpore, vel in solis ossibus diu conseruetur, animam adesse & formam internam arguit. Mens cum corpore non sepelitur, sed redit ad Deum, qui dedit illam, *Eccles.* XII. 7. Ignobilior autem quàm sensitiua Homini non fuit, aut corpus fabrefecit (nisi quis vegetantem quoque à sensitiua diuersam statuere voluerit, cum quo non pugnauero, quanquam malim retinere solam sensitiuam, quia scriptura non plurium partium mentionem facit, vt & argumento tertio patet.)

Dantur affectus, ex. gr. delirium, melancholia, mania &c. in quibus totum corpus athleticè valet cum omnibus actionibus, ita vt etiam externas, easque maximas iniurias sine vllo sanitatis intertrimento, insigni cum viuacitate toleret; vt in talibus nil præter phantasiam, quam quidam rationem etiam brutis competentem nominare non verentur, læsam esse asserere possis. Animam autem immortalem ita affici non posse, neque v.gr. à venenis furorem inducentibus aliquid pati, ab omnibus conceditur, Ergo concluditur: Pati aliam animam, & hanc esse sensitiuam vltro verum est.

Ex nefario hominum cum brutis congressu aliquid generari posse, experientiâ (proh facinus!) constat. Ast intellectualem animam cum brutorum anima sensitiua misceri posse, nemo sanus dixerit. Debent enim causæ sociæ conuenire genere & gradu essentiæ. Gradus autem Entis sunt: viuere, sentire, intelligere. Quia ergo in hoc facinore bruta ratione animæ sensitiuæ cum homine miscentur, homo misceri cum brutis non posset, si sensitiua anima careret.

Qui incubo aut succubo generantur, habent quidem animam sensitiuam, sed destituuntur Anima immortali, seu Mente. Viuit *Limburgi* Ciuis spectati filius 10. annorum, qui à primo ortu ne scintillulam quidem intellectus prodidit, quid ei contingere possit, tempus docebit. Forsan & huc pertinet, quod Nebucadnezari dicitur ablatum cor humanum, id est intellectus, propter quem homo est homo, & concessum brutale, id est, relicta anima sensitiua sola *Daniel.* IV. 13. 31. Vt hinc conijcere liceat, quandoque salua sensitiuâ, separari mentem.

Tandem hac ratione cadunt intricatissimæ de humanæ animæ origine controuersiæ. Vtrimque enim & pro infusione, & pro traduce tam firmis argumentis pugnatur, vt ipse *Augustinus* eorum robore deterritus, maluerit τὸ ἐπέχειν obseruare, dum *Ep.* 157. scribit: *Non periculum est, si origo animæ lateat, modo redemptio clareat.* Nec alia certè ratione conciliationem earum sperare licet, quàm hoc modo. Si enim argumenta quæ pro traduce adferuntur, de animæ sensitiuæ generatione intelligantur, &

quæ

quæ contra generabilitatem animæ disputantur, de Mente concedantur, salua res est. Simile iudicium sit de diuisibilitate Animæ humanæ, quæ Menti à materiæ commercio liberæ non competit, bene autem sensitiuæ, quæ ad diuisionem materiæ secatur, vnde Curtorum Chirurgia egregium lumen accipit. Nec Deus πατὴρ τῶν πνευμάτων (qui opponitur Patribus carnis nostræ, *Hebr.* XII. 9.) peccat, dum puram animam & spiritum illum perfectum corpori immittit, vt ei sit instar lucis, ducis, & œconomi, id enim naturæ humanæ & speciei conseruatio postulat. Quod si Mens peruersitatem animæ sensitiuæ se quoque inquinare passa fuerit, consentiendo nempe in concupiscentias eius, & eas non impediendo, Deus omninò extra culpam est, quemadmodum Illi nulla culpa imputari potest, quòd præter vniuersi conseruationem Solem oriri sinit super Bonos & Malos, & pluit super Iustos & Iniustos, nec non concurrit generaliter ad omnium hominum actiones, illisque vires largitur, licet ad scelera infinita applicentur.

Et hanc animam brutalem statuit quoque celeberrimus *VVillisius* in elegantissimo suo Tractatu *de animâ brutorum*, quæ iuxta Ipsum merè vitalis ac sensitiua est, à Rationali discriminans eique subordinans, hominem proinde animal Ἀνθρωπον & quasi multiplicem Geryonem effinxit. Qui prælaudatus *VVillisius* dicit, vnam animę portionem vitalem in sanguine consistere, eiusque incendium quoddam esse, alteramque sensitiuam tantummodo esse spirituum animalium aggeriem, vbique in cerebro, & neruoso genere diffusam, ac toti corpori coextensam, de quibus omnibus vide ipsum illum instar omnium celeberrimum *VVillisium de Anima brutorum*. Confer etiam clarissimum *Maiouu* dicentem p.m. 330. *de spiritib. animalib.* Obiter hic aduertendum est, quòd dum particulas Nitro-aereas spiritus animales esse statuo, non hoc ita intelligi vellem, quasi existimarem, spiritum Nitro-aereum ipsam animam sensitiuam esse, quippe putandum est, Animam à spiritibus animalibus quid planè diuersum esse, eamque in materia magis adhuc subtili æthereaque consistere. Particulas verò Nitro-aereas, id est, spiritus animales præcipuum eius instrumentum esse. Enimverò circa animam sensitiuam nihil aliud intellectu assequi possum, quam auram aliquam diuiniorem in prima creatione sensu donatam toti mundo coextensam esse, cuius particula in subiecto ritè disposito contenta, functiones tales edit; quales in animalium corporibus fieri cernimus & admiramur. Materiam eam spirituosam extra animatorum corpora existentem, neque sentire, nec quicquam agere, sed planè sopitam inertemque iacere putandum est, haud multò secus ac animæ sensitiuæ contingit, dum animal somno sepultum sit.

Cl. *Gaßendus*, insignis Philosophus arbitratur, sensitiuam brutorum Animam flammulam quandam esse, seu tenuissimi ignis speciem, quæ animali vitam impertit, ac omnes eius partes actuat ac perficit; Adeò vt Anima tamdiu viuat, quamdiu hęc flammula viget, moriatur autem, dum perit & extinguitur. Cum quo *Honoratus Fabri* consentit, dicitque, Animam brutorum esse *Ignem purum*.

Carteſius verò existimat, Anima brutorum esse sanguinem, asseritque sanguinem in corde calefactum, & in spiritum attenuatum brutorum Animam constituere, & à solo eius motu, varios illorum motus proficisci, sicque eorum vitam in continuo sanguinis motu consistere. *Helmontius* habet Archèum ideasque.

Omnes ergò Philosophi animam hanc sensitiuam quidem admittunt, sed plures huic nulla vel pauca attributa concedunt, & ferè nihil præter motum attribuunt, negant enim per hanc animam sensitiuam sensum & appetitum in homine fieri, hinc & bestias planè sensibus & appetitu carere; istasque non aliter ac per sanguinem & spiritus regi volunt. Verùm Carteſiana philosophandi ratio ex figura, motu aliisque affectionibus corporum ducta, quod per corpuscula & minutissimas partes naturæ artificium,

ficium, varietatem rerum, motus & effectus potiùs quàm per formas substantiales; aut qualitates, quæ non sunt adeò intellectu faciles, explicare moliuntur, planè non est reprehendenda, sed potiùs approbanda. Siquidem vbi elementorum aliorumque corporum vitæ expertium vires sunt velut oculis subijciendæ, hoc philosophandi genus minimè repudiandum venit; Sed vbi ad viuentium & animalium functiones & structuram ventum est, tum sanè illę rationes Cartesianæ ex Mechanicà desumptæ, & similitudines ex machinis deductæ ferè nos deserunt, & ad principia plerumque Metaphysica, quæque nec sensu, nec imaginatione consequimur, sed solo intellectum attingimus, vel inuiti confugere cogimur. Hinc concludere non dubitamus, actiones illas brutorum, quàm proximè sæpe ad rationales accedentes, non à sola conformatione, situ, motu, figura & similibus corporis aut materiæ attributis dependere, sed insuper requiri *Mirocosmetorem*, harum operationum authorem, qui in brutis solùm dominatur, in hominibus verò, tanquam in creaturis nobilissimis, vbi Anima rationalis coniuncta est, necessariò functiones fiunt nobiliores. Ecquis enim credat, illam bestiarum dubitationem, & inter obiecta in diuersum trahentia largam nonnunquam ancipitemque hæsitationem, vnius tandem præ cæteris electionem, eiusdemque deinceps constantem persecutionem, illam insuper inuentionem, quà quædam bestiarum tam astutè machinationes suas instituunt absque Rectore perfici posse videntur, & illa per intellectum & ex sui clarè distincteque sibi propositi intuitu, operari, vti patet ex notissima vulpis astutia, familiari canum sagacitate, &c.

Et quæso, quàm quis statuere vellet causam naturalem constructionis eius organicæ in brutis, à qua illa sunt & diriguntur, an seipsas formant partes corporis huius, an motus, locus, &c. à se existunt, à se agunt, à se desinunt? Annon verisimilius est, ex actionibus illis brutorum, quod Deus O. M. statim in creatione bruti animam brutalem dederit, vt per eam ope spirituum operationes peragantur, in Hominem verò Rationalem & immortalem infuderit, cui altera sensitiua ad mandatum omnia perficere debeat, hinc si Anima vult, statim Microcosmetor ope spirituum animalium sibi propius adstantium exequitur. Microcosmetorem ergò consistere dicimus in aura quadam diuiniore, in prima creatione sensu donata, toti mundo coextensa, Rectorem enim hunc nostrum à spiritibus animalibus quid planè diuersum esse, ex dictis iam liquet, spiritus tamen animales præcipuum eius instrumentum sunt.

Formauit itaque Deus hominem de limo terræ per euolutionem ideæ humanæ, quæ in chao continebatur. Neque enim sua formà fuit destitutus limus; Et inspirauit Deus illi spiraculum vitarum, hoc & *vtramque vitam* adesse iussit, Microcosmetorem „ scil. & rationalem animam. Hinc dicit *Marcus Marci* p. m. 62. Et quidem animam „ rationalem esse veram hominis formam non videtur dubitandum, siquidem per hanc constituitur in esse hominis, sicuti Leo in esse leonis per animam suæ speciei propriam per quam enim sentit, videt, audit, dolet, per eandem suos actus reflexè cognoscit, & eosdem à se discernit, scit se sentire, videre, audire, dolere. Neque verò Iudicem ignorare decet partes, inter quas discrimen posuit. At vero, pergit ille, anima sensitiua in homine non minorem vim habet, quam in quouis alio animali: nihil ergo prohibet, quo minus homo per eam sentiat, videat, audiat, doleat & si anima rationalis abesset, animal per eam constituerentur non minus perfectum ac simia aut canis. Homo per animam rationalem subsistens non afficietur per illam sensationem seu passionem, quę recipitur in animà sensitiuà; prout hæc non attingit intellectionem aut volitionem eiusdem.

Altero, capite lib. *Phil. rest.* pergit prælaudatus Author: Dicendum tamen, ad essentiam hominis non solum Animam rationalem, sed etiam sensitiuam pertinere neque ex sola anima rationali materiæ vnita constitui posse hominem; Verùm vt anima rationalis inesse possit, requiri subiectum ab anima sensitiua iam constitutum.

Ra-

Ratio, quia anima rationalis non potest esse idea corporis humani, prout anima sensitiua. Nam si dicatur eminenter continere formam corporis humani, cùm longe perfectior sit quàm anima sensitiua, illius effectus formalis erit chaos, potestate magis varium, quàm chaos vniuersi. Si verò idea sit formalis, longe deficiet à perfectione animæ sensitiuæ. Confirmatur anima per creationem producta, à solo Deo incorporatur, non ergo in potestate animæ est vnio eiusdem cum corpore, ac proinde nullas ideas eidem tribuit, neque per illam vnionem animæ, corpus sensibile aut vegetabile, imò neque rationale seu homo effici potest. Siquidem rationale supponit corpus per animam sensitiuam iam constitutum, tanquam suum proprium subiectum. Ità ergò anima rationalis suo accessu ad animam sensitiuam per ideam humanam iam limitatam hominem perficit. Et sicut anima sensitiua non percipit ea, quæ fiunt in subiecto; ità neque anima rationalis illas motiones, quæ insunt animæ sensitiuæ vitaliter cognoscit, sed solùm per illas determinatur ad notitiam & vitam propriam; prout anima sensitiua per ideas subiecto impressas, ità vt nulla motio, nulla omninò sensatio sit in illa, quin eodem momento resultet in anima rationali. Reliqua & quidem nostræ sententiæ valde conuenientia apud ipsum videas Authorem.

Quod verò Vice-Reges in visceribus principalioribus constituerimus, non per id volumus plures animas sensitiuas designare, sed solùm intelligimus portionem quandam subtilissimæ materiæ accedentis ad naturam Microcosmetoris, & congeriem quasi spirituum animalium in nobiliori tali viscere residentium, inde sæpe plures functiones horum viscerum vidimus, quas certè non motui soli adscribendas esse existimandum. Ast hæc accuratiùs in aliud, Deo volente, conijciemus volumen.

Hisce positis quilibet perspicere potest, me vnicum scopum, veritatem nempe, præfixum habere ipsamque omnibus authoritatibus præferre, in quo exemplum *Aristotelis* sequor, qui Platonicam reiecturus sententiam ait *Præstat, atque adeo oportet etiam ità veritati nos esse addictos, vt præ illa vel nostra ipsorummet decreta enertere non dubitamus.* Non enim mihi consilium fuit, me vlli Philosophorum sectæ addicere, aut aduersarium profiteri, sed tantùm Medicas ad sententias amplectendas aut reijciendas adhortari, prout rationibus luculentis inde deductis constiterit; quippe non opportunum iudico, aliorum opinionum propugnationi admodum insudare, quæ experimentis aut rationibus hactenus determinari non posse videntur. Si quando alijs aduersari induxi, eà moderatione & humanitate vsus sum, quæ viri bene meritis iure debentur. Honestè de personis loqui amo, de rebus liberè. Nec mihi æquum videtur aut cuiuspiam famà erroribus patrocinium præstare, aut patroni culpam veritati imputare. Non singulis hæc oggero, sed quibus hæc scripta sunt, candidis; quæ enim scribuntur, non plus habent virium, quàm ab ijs, à quibus lecta & intellecta, accipiunt. Plura experimentorum, plurima meditationum in hunc Tractatum tanquam apiarum conieci, in quo quæ in Authoribus naturali scatent pulchritudine, ea ipsorum stylo texui, ne nostra inconcinnitate deformarentur; sæpe ex eorum mentibus conceptibus formaui, sæpe etiam verba non sententias commutaui.

Hoc nomine tamen infelicem me queror, quod festinantes *Typothetæ*, vt fit, plurima, imò innumera, operi sphalmata adsperserint, & sic sensum vbiuis obscurarint, cui malo distantia & absentia mea repagulum denegauit.

Obnixè itaque Te, *Benevole Lector*, rogatum volumus, vt æquiore animo omnia excipias, corrigas & in meliorem partem interpreteris. Vale & nobis, conatibusque nostri faue.

No-

Nobiliſſime, Ampliſſime & Experientiſſime Domine Doctor, Fautor plurimum colendæ.

AVdio, Te Encyclopediæ Tuæ colophonem impoſuiſſe, & meritò Tibi gratulor, quod opus hoc à multis diu quæſitum tandem ad finem deduxeris. Nolo iam in laudes & encomia laborum tuorum excurrere, cum Vino vendibili non opus ſit ſuſpenſa hedera. Res ipſa loquitur & fama ſtare neſcia ad inuidiam vſque percrebuit, Virtutes Tuas Principum & Magnatum promeruiſſe gratiam. Vſque adeò patet Tibi Sapientiæ Sacrarium, binis cæteroquin obſeratum repagulis, nec alijs clauibus, quam induſtriæ & pietatis aperiendum. Perge cæpto tramite & induſtriam amicis pariter ac inimicis proba. Multi fortè inuidebunt, ita enim ~~mos~~ fert huius ſæculi, vt rectè faciendo alijs reddamur exoſi, ſæpiùs etiam illis, qui ſtant à latere. Verum bono eſto animo, Vir Experientiſsime, dabit Deus his quoque finem; vbique auita hæc maledicorum regnat conſuetudo, vt, quod non capiunt, carpant, & quod attingant, calumnientur. Deus Te ſeruet! Vale! Dabam Marpurgi d. 5. Martij Anno 1684.

Nominis Tui Cultor indefeſſus.
IOHANN. IACOB. *Waldſchmiedt*
Archiater Haſſiacus & Profeſſor Medicinæ Primarius.

Ιατρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος Hipp. περὶ ἐυχυμ.

MOrborum cauſas omnes, methodumque medendi.
Noſſe DEO ſimilem prædisat id Medicum.
Diſcite Dogmatici normam methodumque DOLÆI,
Sic Medici Celebres Iſotheique eritis.

Ioh. Michael Febr. D. Phyſ.
Suinfurt. Ordin. S. R. I. Academ.
N. Cur. Præſes, d. Argonauta.

B. C. D.

VIta breuis, longa eſt Ars, eſt Occaſio præceps,
Iudicium haut facile, Experientia plena pericli!
Hæc ſunt diua SENIS diurni oracula Coi.
Tu virtute Tua facies, Celebrande DOLEÆ,
Ars breuis, & vita vt ſit longa, occaſio tuta,
Iudicium ſolidum, experientia caſſa pericli.
Vah labor Herculeus! Docet ENCYCLOPÆDIA docta.
TE ſudaſſe ſatis, nec non alſiſſe, tuliſſe
Plurima, Theſaurum & conquiſiſſe ſupremum,
Quo morbi fugiunt, quo vitam rite tuemur.
Iliās in nuce erit liber hic: Hinc plurima fama
TE manet, ac deinceps poteris volitare per ora
Doctorum aſtra ſuper. SIC COELO PENNA BEABIT!

Ampliſs. atque Excellentiſs. DD.
IOH. DOLÆO.
Conſiliario & Archiatro Haſſiaco celeberrimo Fautori & Amico Suauiſſimo, de doctiſſimo labore congratulatur
GEORGIVS FRANCVS
Med. & Ph. D. P. P. Vniverſ. Heidelb.
Pro Cancellar. Fac. Med. Decan.
Archiater Treuirenſ. & Badenſ.

Nobiliſsimo Medico & Mellitiſsimo Amico.
Dn. Dolæo, &c.

MICHAEL ETTMVLLERVS
Prof. Publ. S. P. D.

QVod natu m eſt, cecidit: miracula da mihi mundi?
Res mutant dominum, ſemper, vbique ſuum
Non datur æternum; niſi quod ſcribendo paratur,
Hinc probo conſilium, *Suauis Amice*, Tuum.
Itur ad aſtra Deum ſic: nam manet atque manebit
Semper, ſi ſemel id cœperit eſſe Tuum.

E Muſæo Lipſiæ, die
Martij 1683.

Aliud.

SIc documenta damus doctrinæ ſacra probatæ,
Quid valeant humeri; iudicet vt Sapiens.
Gratulor ex animo DEVS in hæc cæpta ſecundet,
Sit nomen magnum, clare Dolæe Tuum.
En Tibi! nunc Momo rumpantur vt ilia fœdo,
Liuidus vt ſubito ſtet ſtupefactus homo.

Londini ipſis Calendis
Octobr. 1683.

Cum voto exoptatiſſimæ felicitatis ſcripſit
Thom. Sidenhamm M.D.

Σὺμ τῷ Θεῷ

ENCYCLOPÆDIÆ MEDICINÆ, THEORETICO-PRACTICÆ

LIBER PRIMVS.

Continens morbos, & Affectus Capitis:

CAPVT PRIMVM.

De doloribus capitis, seu Cephalalgia.

§. 1. DIuinæ particula auræ prædita illa omnium Creaturarum nobilissima HOMO, optimo sanè iure totius mundi compendium, & elegantissima allusione *Microcosmus* audit, inde vt omnes aliæ res sub Sole existentes, sic & morbi accuratiùs explicari non possunt, quàm si hominem, partium humanarum situm, & nobilitatem præ oculis habemus. Nonne enim quæso! qui Regnum lustrant, ante omnia metropolim intuentur. Et quidem ipsissimæ illæ voces, quæ in *rubro* sunt *Caput Primum*, nobis erunt velut statua Mercurialis, quippe viam, & modum tractandi nobis ostensuræ; à capite enim totius Microcosmi præcipuo membro, & verè Metropoli principium capimus, idque eò, magis quia vt iuxta illud *Vatis Mantuani*: A Ioue principium Musæ, sic à capite filum exordiendum. Caput enim olim *sacrum* existimatum est, & per illud tanquam per ipsum Iouem iurari solitum; quod si præter hæc respiciamus ipsam morbi grauitatem, & violentiam, vel morbi frequentiam in vulgus decantatissimam, imprimis hæc atrociſſima bellua videtur oppugnanda. Iuxta enim illud *Willisij*, vix vlla alia corporis pars doloribus ita opportuna est, ac hæc, vsque adeò, vt in prouerbij consuetudinem venerit, admirandæ, & rarioris ἰυξίας signum esse, si alicui caput nunquam doluerit. Cui rei ratio hæc suffragatur, quia ob plures neruosas partes, quibus caput instructum est, facilius illæ partes lædi solent; adsunt enim ipsi nerui, fibræ nerueosæ, atq; membranæ, vt sunt duæ meninges, cerebrum cingentes, neruorum tunicæ, pericranium, perioſtia, musculorum panniculus carnosus, quæ partes maximè sensiles existunt: Sic, & in cerebro simul plurima generantur excrementa, quæ si increscant, nec debito tempore excludantur, non potest non fieri, quin neruosæ hæ fibrillæ ab his improportionatis excrementorum particulis irritentur, & crispentur, & sic caput doloribus afficiatur. Quemadmodum verò, & ipsum caput partes habet, & *inferiores*, *su-*

periores: Sic & hic ordinem naturæ ductorem,& doctorem sequemur.Cùm enim malum *Cephalalgiæ* hospitiũ sumpserit in meningibus; hinc plures auctores excellentissimi quibus eadem, quæ nobis mens & Methodi ratio est, inter affectus capitis, prima acie dolorem hunc, cui nunc altaria nostra fumant,locare assolent: Sub quo comprehendunt *Cephalalgiam,Cephalæam, & Hemicraniam.*

DEFINITIO, & DIVISIO.

§. 2. Quia verò *Definitio* est fax totius rei, hinc ante omnia illa præmittenda. Est autem ille dolor laborioſus sensus ipsius capitis à solutione continui dependens. Hęc definitio est,cui succenturianda *diuisio*. Non autem vniformis est ille dolor, sed subinde *exteriùs*, subinde *interiùs* oritur. Si *exteriùs*, quando scilicet vitium non in ipsa penetralia descendit, sed tantùm intercus est,tunc capilli vt folia tempore autumnali decidunt, nec dolor est tam immanis, quæ non accidunt, si dolor interius exiſtat, tunc enim immanior est dolor, quia membranæ cerebrum cingentes, & vestientes admodum sunt sensiles. Quòd si verò dolor vetustus sit, sæpius redeat, diù perseueret, totumque caput occupet, aut maiorem eius partem,tunc *nostri Cephalæam* dicunt; alteram verò capitis partem, si tantùm occupet, *Hemicraniam*. Dolor capitis ex leui aliqua causa, ex febris scil. occasione ortus, aut Solis radiis, aut strenua potatione, aliaque causa externa, *Cephalalgia* nuncupatur. De qua vltima causa eleganter Flaccus ait lib. 2. Sermonum Satyr.2. *Corpus onustum hesternis vitijs animum quoque prægranat vnà, atque affigit humo diuinæ particulam auræ.*

Subdiuiditur autem Cephalalgia in schola Galenica, in Cephalalgiam *pituitosam,bilioſam, sanguineam, & melancholicam*. De quibus inferiùs, vbi causis litabimus,agendi erit locus.

PARS AFFECTA.

§. 3. Pro subiecto alii venditant ipsam cerebri substantiam, alii cerebri ventriculos, nonnulli pericranium, pauci peostium, aliqui spiritus animales,quidam. stomachum belli huius sedem statuunt, indeque probant, quia cerebri meningibus laborantibus stomachus doleat. Nostro calculo sunt partes capitis neruosæ, illæ enim exquisito sunt præditæ sensu, atque hinc sunt illæ lachrymæ, quod fibrillarum illarum, in quibus Spiritus animales hospitantur contractione, & crispatione dolores sentiantur; Quo enim particulæ illæ in partibus istis latentes sunt acutiores, eò dolores exurgunt grauiores. Imprimis in venis tenuibus, & subtilibus, quæ constant tenuibus filamentis, quia melius à spiritibus inflantur, & tensi tenentur, & etiam facilius à materia acri mouentur, & vellicantur. Cur verò & credamus & dicamus cum *Willisio*, & *Vvedellio*, *Medicinæ nostræ luminibus*, partem affectam non ipsam cerebri substantiam nominandam, ad id ideò permouemur, quia fibris sensibilibus destituta est; quod & nostra ipsius experientiâ comprobamus, vidimus enim hisce oculis nostris exemplum in milite, cuius cerebri substantiam instrumento Chirurgus hinc inde rimabatur, absque vlla tamen patientis tristi sensatione; cùm econtra, prout satis constat, neruo vel membranis neruosis punctis vel vulneratis, insignes dolores, & motus spasmodici inordinati oriantur. Accedit & hæc ratio, quod sola discissione nerui, sensus & motus abolitio necessariò, & in continenti subsequatur, vnde prono quasi alueo fluit, dolores in hisce partibus neruosis cieri; cum è contrario in partibus neruis carentibus, & minus iis instructis, licet venis & arteriis abundè pollentibus, minus dolor percipiatur, ceu exemplo pulmonum, hepatis lienis (in quibus tantum dolor obtusus percipitur (cognoscere licet.

SIGNA.

§. 4. Signa ex parte affecta pendentia nunc etiam breuiter & quasi per indicem contemplanda, doctura quippe,num pars πατοπαθικῶς, vel δευτεροπαθικῶς laboret: Ex quo multæ res maximi momenti in cura decidi possunt, nonnulla etiam imminentem, nonnulla præsentem produnt do-

dolorem. Ex doloris vel continuitate, vel interpolatione, non neglectis dispositionis hæreditariæ indicijs, multa colliges. Vnde verò iste consensus partis illius affectæ cum capite dependeat, viscerum propriæ edocebuut actiones læsæ, quò alludit *Crato L. 4.* (cui tamen ex asse non adscribimus) inquiens: *Dolores capitis plerumque per consensum ventriculi oriuntur, & tunc dolet fere pars anterior quando vero uteri consensu, tunc dolet posterior.*

Dolor capitis aliquando est *acutus*, *tensiuus*, *granatiuus*, *breuis*, & *longior*, prout excrementa seri, & sanguinis sulphurea, salina, acria, acida existunt, & quo impetus illorum humorum vel articulorum ad cerebrum fortior, & validior est. Dolor hic capitis, ceu diximus, aliquando *tensiuus* est, nonnunquam *fixus* vel *terebrans*, à particulis magis salinis fibris nerueis impactis, interdum est *pulsatiuus*, à nimio efferuescente sanguine, per arterias carotides violentiùs ad caput ruente, aliquando est *punctorius*, à particulis acutis in membranaceis infixis. Si is fit à copia sanguinis, tibi indicabunt victus ratio, temperamentum, ætas, cœli status, vernum tempus, & reliqua, quæ sanguinem augere possunt. Dolor hic existit sæpius *periodicus*, vnde nonnulli patiuntur hunc dolorem capitis singulis diebus recurrentem, & per quasdam horas durantem, vide de hoc *Ephem. Germ. Ann. 1675. & 76. Obs. 173.*

Pars etiam hominum, bis vel semel per mensem trimestre, semestre, annum, recurrentem hunc dolorem experitur, cuius rei exemplis iam parcemus.

CAVSA.

§ 5. Hæc signa in genere suere; nunc ad ipsa morbi penetralia, Causam scilicet, ex lege Methodi nostræ gradus est faciendus. Hic verò quot sunt celebra, tot sunt crabrones.

Causa Cephalalgiæ *Veterum* opinione consistit aliquando in *frigida pituitosaque materia*, vnde dolor grauans nascitur, vehementem dolorem, & subitò innadentem cum signis caloris *bilioso humori* in solidum acceptum ferunt, postulant quoque reos *sanguineos*, *adustos humores vaporesque* sursum in caput ascendentes (*sic illi putant, sed credat Iudæus Apella, non ego*) doloremque hunc intentissimum parientes, prout hoc volumina *Veterum* quibus nec Indici Elephanti essent ferendi satis, & ad nauseam ostendunt.

§. 6. Videamus hac relicta, aliam sectam, quæ sanè laureolam in mustaceo se acquisiuisse iactat, nempe Paracelsica cohors, quæ *accidentalem sanguinis digestionem*, modò ad *Tartari in ventriculo resolutionem*, modò ad *obstructionem*, confugit, indeq; causam huius affectus deducit.

§. 7. Celeberrimus Tachenius principijs suis innixus nouo inuentionis acumine per salium species *Acidi*, & *Alkali* causam huius affectus explicare satagit, nempe dolorem hunc exoriri putans, si vel nimium AlKali sanguini immixtum sit, & sic eum efferuescere faciat, vel si nimium acidi adsit, indeque sanguinis coagulatio existat.

§. 8. Intercedit velut violentus Tribunus Helmontius, & neque Mirmilloni, neque retiario ex arena cedit, sed velut miles glorioſus, qui vt ille Pyrgopolinices aliorum *legiones difflauisse se putat spiritu, quasi ventus folia aut panniculam tectoriam* ille verò hoc in affectu ad stomachi ac lienis Duumuiratum confugit, contingit enim, inquit, de febribus p.m.90. in arteria stomachi, quid vini spiritus sua se focians importunitate, alimento arteriæ spermatico dierum cursu susciter indelebiles vertigines, & Cephalalgias perennes.

§. 9. Sed huic lumen obstruxit Vuillisius Anglicus putans dolorem capitis vbiuis circa partes capitis nerueas excitari, & rationem formalem in eo consistere probans; quod spiritus animales ab inuicem ex quacunque causa distracti, & fugati corpora continentia conuelli, & corrugari faciant, & sic sensionem molestam cieant, additque esse aliquod improportionatum in ipsos spiritus animales aut in corpora eos continentia irruens, quod fibrarum poros subeant, & spiritus anima-

les in confusiones adigat, indeque dolorem capitis in *Accidentalem* seu *Occasionalem*, & *Habitualem* diuidit, quorum occasionalis facile oritur à vini potu, crapula, insolatione, exercitio nimio.

In febribus quoque Cephalalgiam facilè oriri statuit, quatenus in ijs sanguis nimium efferuescens membranas quas perlabitur, valde inflat, & distendit, nec serum & vapores, innocentia iudicat quippe quæ in membrana irruere, fibras dein nerueas vellicare ac irritare possunt; dolor vero capitis habitualis constanter, & crebrò molestus, ipsi dicitur partis affectę mala aut debilis constitutio, inde propterea facilior & promptior materiæ morbificæ in illa parte debili accumulatio. Ad Habitualem prælaudatus vir celeberrimus, & refert Hęreditariam Cephalalgiam, quæ in liberos à parentibus transfertur, additque rationem, à mala scil. conformatione integumentorum capitis cerebrique, quæ tunc sunt solito iustius crassiora & densiora, indeque inepta, per quæ humores aut vapores transeant, vnde inhibito transitu horum humorum aut vaporum vitiosorum necessariò meninges, pericranium aliæque partes sensiles aut inflantur, aut vellicantur, indeque dolorem capitis excitant intensissimum. Materiam morbificam ex cuius affluxu capitis dolor oritur nobilissimus Autor putat, vel sanguinem vel serum, uel succum nutritium, vel nerueum esse; quatenus nempe si humores à crasi sua degeneres & fæculentijs, vel sulphureis, vel salinis, acribus, acidis, biliosis imbuti sunt, & sic fibras nerueas, vellicant, & dolorem vel fixum, vel terebrantem, vel pulsatorium, vel punctorium vel grauatiuum breuem, vel longiorem efficiant. Quia dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Videatur ipse Autor experientissimus, qui rem more solito, h.e. eleganter demonstrat.

§. 10. Exoritur nouum lumen Æsculapius ille Lugdunensis *Syluius*, qui causam mali cum alijs statuit, *continui solutionem*, ortam ab humore halituue, acribus fibras nerueas vellicantibus, siue ille sit succus pancreaticus, siue bilis, siue à binorum horum humornm commixtione eleuati halitus, siue serum, siue sanguis, quæ omnia apta nata sunt, hunc dolorem excitandi.

§. 11. Restat nunc, vt & votum subtilissimi *Aristotelis Picardi*, *Cartesii* dico, in hoc Collegio audiamus, qui in figuris exorbitantibus & sanguinis crasin vitiantibus huius mali causam more solito quærit, culpans spiritus cum rore arterioso biliosiore & viscosiore acres vehementius commotos, dum scil. acres hi spiritus per arterias propelluntur ad caput & cerebri filamenta meningesque inordinatè vellicant, rodunt, scindunt punguntque, inde poros quos perrumpere studeant, magnitudine & figura minus respondente offendunt, sicque rimas faciendo continuum soluunt, indeque dolores capitis necessariò excitant, omnem enim dolorem ab obstructione oriri dicunt. De doloris capitis periodici causis vide ipsum *Cartesium libro de Homine cum Notis de la Forge*, prolixè differentem; Summa eò redit, quod ad hunc dolorem excitandum cuiusuis humoris acrimonia, salsitudo, asperitasque sufficiat, suppositа semper materia subtili dolor nempe punctorius à sale, lancinas ab acido, grauans à pituita insipida, distēdens à flatibus, pulsans à particulis pungentibus super arteriam extrauasatis oriri dicitur.

§. 12. Sed ne ego ἀσυμβολος sim, nunc & meam opinionem pace tamen rectius sentientium proferre animus est; sensationis ergo huius tristis causam immediatam esse puto cum reliquis *continui solutionem*; Mediatas vero, vel acre, vel salsum, vel austerum, vel sulphureum sanguineæ massæ, spiritibusque animalibus inexistentia, & ad neruosas siue membranaceas partes, quasi extra suam sphæram delata, ibidemque has partes sensiles vellicantia, & atrocissimum hunc capitis dolorem inferentia. Quod si res accuratius consideretur, lis magis in vocibus, quàm re ipsa videtur consistere, qua in re ego quidē facilis ero per me licet siue appellaueris recrementa, siue particulas biliosas, siue acutas, siue sulphu-

reas

reas, oleosas, tenaces, siue valdè volatiles, siue salinas, siue scorias nitro sulphureas, siue tartareo-nitroso-sulphureas, siue salia sylueſtria. Certum enim est, quo per hæc spiritus animales ab inuicem disjuncti & discordes continua sibi annexa corpora simul conuelli & corrugari faciat, quo fit, ut ingratam quandam affectionem excitent. Particulæ enim hæ acres, salsæ, sulphureæ & acidæ, vndecunque aduenerint, vel rodunt, vel spiculis suis cum tempore magis magisque fibrillis impactæ illas diuellunt, & rimas faciunt, imò aliquando fit in febribus, ut nimio sanguinis motu vndecunque orto, & in meninges vel fibrillas ad caput impetuosius facto, iis quibus cedere nescientibus, vnde tristis hæc sensatio è vestigio exsurgit; pari modo sanguis in copia aggestus, sibi aliquando impedimento est, & ab adueniente à tergo sanguine propulsus, viam vi facit, & per cuniculos rimasque, seu *diæreſi*, seu *anaſtomoſi*, seu *rhexi* extra illas in vicinas partes diffunditur, cuius rei veritas ideo est antiqua ut eam deprehenderit Hippocrates, qui sæuissimum (ait,) capitis dolorem hemorragia narium solvit. Plures ergò hujus affectus sunt causæ, iuxta Logicorum illud tritissimum; Vnius rei plures possunt esse causæ. Legimus in *Ephemeridibus noſtris Germanicis An. 1. Obſ. 69.* Quod in cerebro alicuius grauatiuum ossis frontis dolorem patientis vncia octo seri slaui in ventriculis cerebri anterioribus repertæ fuerit. Sic & Excellentissimus Graaf in iisdem prælaudatis Ephemeridibus sub pia meninge tali morbo defuncti magnam aquæ limpidæ quantitatem, & arterias carotides indurates inuenit. Vermes quoque hunc posse excitare dolorem ex jam dictis Ephemeridibus in Anno 10. Obs. 50. notum est. De Hemicrania ita iudico, quod cum sanguine ascendente particulæ acres & vitiosæ quæcunque per arterias carotides & iugulares ad cerebellum non sine præcedente Orgasmo deferantur, cùm verò arteriæ iam dictæ in duos ramos distinctæ sint, & modò per has, modò per illas facilior aditus sit, tunc quadrata porta materia peccans ruit. Nec vllus dubito, quin, vbi prædominantur oleosæ & acres particulæ, siue illæ hospitentur in hypochondriis, siue ibidem præcipitentur, siue in aliis visceribus resideant, vel detonatione, vel efferuescentiâ nimia facta ad capitis membranas rapiantur, & si inueniant minutissimos, angustos improportio natosque poros & tubulos, quos ingredi haud valent, vi rimas facere conentur, & tunc dolorem excitent. Dolor frequentiùs circa occiput est, quia ibi plurimæ inueniuntur arteriæ, atque ideò multum materiæ peccantis excernant. Dolor ferè semper ad ceruicem descendit, quia materia in occipite extrauasata per quartum cerebri ventriculum ad medullam spinalem suâ grauitate descendit. Dolor est remittens, quia omnis sanguis non eodem modo est dispositus, ita vt iam appellat acris, mox cesset. Hæc de causis, quæ tamen, si quis in specie hanc vel illam in ius vocare velit, hoc opus hic labor est, cuius difficultatem etiam celeberrimus *Vvillisius* agnouit, ita putans Cap. 1. de Cephalalgia statim ab initio, quod causarum huius affectus series tam perplexæ ac intricatæ sint, vt non statim ad veram morbi huius labyrinthei diagnosin, ac therapeiam peruenire possimus: eadem difficultas oritur circa prognosin, quam iam sumus inspecturi

PROGNOSIS.

§. 13. Verus, & inueteratus dolor ex frigida (sic multi loquuntur,) materia ortus difficilimè curatur & maximè in senibus. Dolor verò capitis continuò excrucians, somnumque auferens periculo haud vacat & verè Hannibal est ante portas. Quod si dolor continuus sit, & periodicus, atque immanis, necnon vertiginem, aliosq; affectus comites habeat, tunc minatur, & surditatem, & cæcitatem, & phrenitidem, & Epilepsiam, & Apoplexiam, Paralysin, Spasmum, &c. Magno dolore capitis si distensio neruorum concurrat, summum indicatur periculum. Sic quæ Cephalalgia cum lue venerea, vel passione hypochondriaca coniuncta, & crebriùs ægrotantes afficit, illa difficilis curatu est,

si non planè incurabilis. Eadem spes tristis est, quando oritur ab euasato bilioso sero prope meninges, vel à sanguine irrupto apostemate vulgò dicto, facto: Vel quãdo est à duritie ossea arteriarum carotidum, vt Regnerus de Graaf obseruauit, vt illa, quæ oritur à vermibus, quam tamen curatam fuisse testãtur Ephemerides Germaniæ, expulso nempe animalculo per aures: nec vllam admittit curationem, quæ ortum habet à calculis in cerebro, & prope meninges, genitis, testibus *Ephemeridibus Anno* VI 11. *Obs* 48. Quicunque sani dolore capitis repente corripiuntur, & statim mutescunt, & stertunt, in septem diebus moriuntur, nisi febris eos apprehenderit, teste venerando nostro Sene *L. 6. Aphor.* 51. Cum caput parte aliqua vel circum circa dolet, & pus vel aqua, vel sanguis è naribus, ore aut auribus exit, scire licet malum solui, testante *nostro Coo S.6.* aph. 10. Si æstas sicca, & aquilonia fuerit, autumnus verò pluuiosus, & austrinus, dolores capitis hyeme fiunt, itidem teste expertissimo nostro Hipp. L. 3. aph. 13. Dolor quoq; capitis, qui principium morbi non fuit, certum est indicium futuræ crisis per vomitum, aut sanguinis fluxum è naribus, contraq; eum dolorem curatio molienda non est, ne prohibeatur sanguinis eruptio, quæ naturæ prouidentia instituitur, morbumq; aut soluet, aut duntaxat, (ceu fit in naui rebus in procella eiectis,) leuabit. Tuta, & curatu facilis est Cephalalgia, quæ vini potui, crapulæ, insolationi, exercitio immodico natales suos debet, & illa quæ nondum altas egit radices, & haud habitualis facta. Omnes liquores in cerebrum euasati, in maxima quãtitate vt, & corrosiui facti lethalẽ inferre solẽt capitis dolorẽ.

Dolor capitis in febre acuta, cum vrina tenui ac alba periculosus est, denotat enim (prout vulgus rationatur,) materiæ vitiosæ raptum ad cerebri meninges, ad partes scilicet illas sensiles: Quorum febricantium vrinæ sunt perturbatæ, quales sunt iumentorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit, *teste Hipp.* 4. Aphor. 70. Si dolor capitis è bile oriatur, vel à sale volatili in phrenetidem; si à melancholia in maniam, si à pituita vel sanguine in Apoplexiam æger incidere posset.

CVRATIO.

§. 14 Victus ratio quomodo instituenda sit, is ex dictis facilè eligere potest, qui causarum rationem probè obseruauerit, quippe, quæ causis somitem subministrant cane peius, & angue fugienda sunt.

Aer ergo sit temperatus, tenuis, atque purus, vel arte, vel mutatione soli, vitandus è contra aer intẽsissima frigiditate cerebrum offendens, etiam nimis calidus fugiendus, & valet hic illud, quod parens Phaetonti filio dicebat: *Medio tutissimus ibis* Omnis enim subita mutatio periculosa est. Nocet, & capite nudo noctu sub luna, vel decumbere, vel ambulare.

Cibus sit optimi succi, & facilis concoctionis, vt sunt carnes auium montananarum, gallinarum, caponum, vitulinæ, &c. aslæ carnes sunt in quibusdam constitutionibus elixis meliores, oua sorbilia, hordacea, & auenacea prosunt, abstinendum verò esse præcipimus, imprimis à salsis, acribus, neruis admodum inimicis, fumo induratis, flatulentis, fructibus hortensibus, oleribus, raphano, apio, sinapi, allio, & aliis, qui cerebro vt plurimum nocere reperta sunt, quorum Catalogo, & adscribenda sunt lacticinia, lac enim præbere caput dolentibus, iam dudum vetuit, Diuinus noster senex Hippocrates.

Potus sit vinum tenue, parum quoq; vini bibendum, aliquando tamen haustus concedatur vini, cum Cephalicis commixtus: In causa calidiore acidulæ Donningsteinenses, & Spadenses, quæ sanguinis instrumenta deputatoria calidiora attemperant, & scorias abstergunt, atque hinc salia syluestria, scoriæ scil. tartareo nitroso-sulphureæ, liquore hoc mitigantur, & excretioni per renes destinantur.

Ligna sassafras, guajac. rad. pœon. potui ordinario ritè induntur. Vitetur summopere cereuisia, in qua lolium fuit decoctũ.

Motus Exercitium q; sint moderata, motus enim nimii, quibus tenuiores aut calidiores sanguinis partículæ ab interioribus

bus ad extremas partes auocantur, viscera genuino suo fermento priuant, omnesque corporis partes, variis cruditatibus cumulant, vt cerebro neruosoque generi liquorem non nisi vitiosum suppeditent, vnde facilè partes illæ sensiles vellicantur.

Somnus, & Vigiliæ sint mediocria, & elato coopertoque capite quiescat æger, sub vmbra iuglandis quiescere cephalalgiam inducit.

Excreta deniq; atq; *retenta*, vt sudores critici suppressi, sternutationes sufflaminatæ, venus immoderata, suppressiones mensium, vel etiam lochiorum, hæmorrhoidum, nimiæque eorundem profusiones, (quæ calorem natiuum, & munera coctionum turbant, massam sanguineam variis particulis sibi incongruis accumulant, innumerisque morbis, ac symptomatibus ansam præbent) hic non minus Cephalalgiam producere valent, indeque in Catalogum vitandorum referenda.

Inter *Animi pathemata* numeranda veniunt, ira, terror, aliaque id genus, vtpote quæ spiritus animales ferocientes reddunt, nervisque negotium facessunt, dolores capitis facilè infligunt: Quæ quoq; efferuescentiam sanguinis excitant nimiam, vnde in his arterias temporales pulsantes sentire, & videre possumus.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 15. Hæc cura fuit *Diætetica*, cui nunc iungenda *pharmaceutica*, prout verò classes variæ extant, & authorum, & opinionum, sic, & idem filum hic obseruabimus, quod in sequentibus. *Veteres, & moderni* eorum *Absolæ* hunc affectum sequentibus medicaminum generibus aggressi sunt, habita videlicet ratione *frigidæ* Cephalalgiæ, à frigida pituita ortæ, & calidę ex bile oriundæ, *sanguineæ* ex sanguine, *melancholicæ*, ex adusto humore, cui methodo periculo eorũ, insistemus. In prima acie stant *Præparantia*: Perplures enim dies materiam mali cõcoquendam esse, anteq; eradicetur, putant, idq; sequentibus medicamentis efficere satagunt; Syrup. de hyssopo, de rad. acori, de betonica, de stœchadæ, oxymel. scyll. beton. maioran. salu. decoct. lign. guai. cum reliquis Cephal. In causa calidiore, syr. de ros. de duab. radic. nymphææ, papau. rhead. Post hæc vtũtur *Euacuantibus*, aiunt enim prodesse laborantibus hoc malo, nõ semel, sed bis, aut ter purgatione vti, eò quod pedetentim purgando humores concocti, facilius medicamentis obediant, crassi enim, & tenues humores subitæ purgationi non cedunt, potius igitur eligunt pilulas quam electuaria, putantes illas plenius, meliusque à partibus distantibus attrahere, quam electuaria, sunt ergò pilulæ ipsi solennes, ex. gr. pilulæ de agarico, aloephanginæ, cochiæ, Arabicæ, fœtidæ; Inter Electuaria Indum, diacathol. hiera, agaric. trochisc. turbith.

Potiones purgantes, decocta nempe ex sol. senn. cum radic. acori, betonicæ foliis, rorism. aliisq; cephalicis miscent. Ob eundem scopum clysteres ex decocto betonicæ, maioranæ, floribus meliloti, addito melle rosato, saleque commendant. Si corpus plethoricum sit, tunc admittunt venæ sectionem alioqui in crassis, viscidis, multumq; frigidis humoribus illam nec id hactenus malè prohibent, si dolor in posteriore capitis parte hæreat, venam frontis, si in aliis partibus, aliam ridicule eligunt venam secandam.

Nunc reuertimur ad ea, quæ inter ipsorum stratagemata, sunt *Auertentia*, scil. quod hostem auersione impugnent, quæ sunt *Clysteres*, lotiones crurum, & pedum ex aqua calente. *Sanguisugæ*, venis eminentibus circa locum affectum applicatæ, *venæsectio* quoque, *suppositoria* fortia, *ligaturæ*, nec non *frictiones* validæ, *fomentationes*, *sternutatoria*, *Errhina*, *Apophlegmatismi*, *gargarismi*, quæ omnia ex ipsorum opinione, cui hic inuigilamus, reuellunt, & auertunt. Postmodum Medicamenta *corroborantia* intemperiemq; relictam, *emendantia* in aciem velut triarias producunt, quæ ventriculo vacuo, & ieiuno exhibenda sunt, alioqui enim vapores, vti illi aiunt facilè ex infernis partibus assurgunt; ipsa sunt Diacuminum, Theriaca, Mithridatium cum aqua betonicæ exhibenda, Diacorum, Aromaticum rosatum, Diamuscũ

dulce,& amarum,conser.majoran.anthos, betonicæ, &c. Decoctum ligni guaiaci, cum floribus card. bened. plurimum valere dicunt, tam in Cephalæa,quam Hemicrania: Cubebæ,Moscus,Ambra N.M.cinnamom. conueniunt solo sexui masculino. Lotiones capitis ex lixiuio,in quo folia betonicæ, maioranæ, & flores chamomillæ infusa fuerint, maximè prodesse dicunt. Irrigationes capitis ex decocto foliorum lauri,florum betonicæ, maior. &c. magni quoque vsus iudicant.Balnea Piperina mirificè capitis doloribus auxiliari experientiâ comprobatum aiunt, scribentes etiam orbiculum odoriferum ex Cinnamomo, caryophyllis, stœchade, foliis Maioran. N.M. quandoque leuamen attulisse.Ceratum ex Euphorbio,in antiquis capitis doloribus applicatum hisce quotidianum est,& dies me deficeret,cuncta ipsorum medicamenta, tantum in hoc affectu ipsis solennia hic apponere. Breuibus ergo omnium primo ventris regionem primam *Clystere* expurgant. Hinc *incidentibus*, vel *præparantibus* medicamentis, si materia macilenta viscosaq; fuerit, vtuntur. Postea humores è corpore eliminant, & à capite auertunt, si corpus Plethoricum, venæsectionem celebrant, quibus peractis caput roborant, reliquiasque consumunt, nec topica negligunt, eò quod, quò contumaciora fuerint mala, eò etiam hæc vel illa fortiora, & validiora adhibent, iuxta tritum illud,duro nodo, durus quoque cuneus quærendus est, inter alia etiam ad crudelissimum cauterium actuale & potentiale, tanquam ad sacram anchoram confugiunt, si à vibratione radiorum solarium,dolorem hunc quis contraxerit, ex oleo rosaceo,& aceto, necnon aqua rosacea faciunt mixturam, in qua madefacta lintea capiti dolenti applicant, summo cum effectu prædicato, & mille alia vnguenta,olea,emplastra,cataplasmata,sacculos,& nescio quæ plaustra talium rerum, vetustas quandoque dormitans, excogitauit; In tollenda Cephalæa inueterata temerario ausu temporum venas inurebant,*teste Mercuriali* l.3.c.10.

§.16. *Paracelsa cohors* paulo fausiiori fidere curam huius affectus aggressa est, quæ Cephalalgiæ à nimia sanguinis copia ortæ;authore magistro suo *Paracelso*, per venæ sectionem medetur, nec author seil. vestigia secuta,V.S. etiam frontis respuit: Cephalalgiam etiam curari dicit, quem dixi magister,per frigida & narcotica,humida vel topica, vel interna, vt sunt liq. *Coralliorum*,rosæ, semperuiuum, margaritæ,lolium,&c. rationem addens, quia spiritus volatiles, & ferocientes, sanguinem exagitantes,narcoticorum vi,quasi vinculis iniectis sopiantur,& quies concilietur, laudat etiam oleum Camphoræ, ad guttas 6. cum totidem guttis olei musci,in Cereuisiæ, vel alio liquore conueniente, propinandum. Aliorum,vt sic loquar, *Reformatorum Chimicorum* remedia sunt, oleum Antimonii alchesto suo non destitutum: oleo ligni sancti inCephalalgiis contumaciss imis & inueteratis ab ipsis, magna vis tribuitur. Olei quoque succini intus, & extus vertici inprimis quotidie guttæ aliquot instillatæ, mirificè ex ipsorum placito cerebrum roborant,doloresq; dissipant, eundem effectum habent oleum anthos fęniculi,hyssopi,maioranæ, naribns præsertim inditum. Olei olibani rectificati, guttulas aliquot,manè assumptas,in vehiculo conueniente prodesse deprehenderunt. Omnia medicamina chymicis in hoc affectu solennia,hic describere esset tędiosum.

§.17. *Helmontius* ille notissimus incapitis Cephalalgia, cibum recenter assumptum,eam mox sedare,in stomacho dicit, adeoque medicamenta non tam ex pharmacopolio,quam ex canistro arcessit, cæterum in Cephalalgia eàdem methodo procedens, qua in aliis cephalicis affectibus vsus fuit.

§.18. *Excellenti Vvillisio* sunt curationis huius affectus bini scopi præcipui. (1.) Vt morbi fomes præripiatur. (2.) Vt causa coniuncta eradicetur, & funditus extirpetur. Morbi fomes ei consistit in acidis salsis, sulphureis alijsque tum sanguinis,tum seri,tum liquoris neruosi recrementis, mediante sanguine,ut plurimum ad caput delatis

latis,causis quoque annumerat vapores, & effluuia è viscеribus, in sanguinem susceptа: Quæ omnia ita corrigit: Vt (1.) sanguinis inordinationes tollantur, & præcaueantur, te phlebotomia, vel in brachio, vel in vena iugulari instituendà, vt & per oxyrrhodina & epithemata capiti applicanda,Iulapia,emulsiones aut decocta, quæ sanguinis feruorem, aut æstum compescunt,aluus quoque non sit,nisi lubrica. Ad sanguinem melius figendum, & refrigerandum aquas destillatas, decocta, electuaria, pulueres, ac præcipuè crystallum minerale in vsum adhibet. Si Cephalalgia à colluuie serosa existat, ad seri huius vitiosi fluxionem inhibendam Clysteres in auxilium vocat,dein ad serum extrauasatum resorbendum, venæ sectionem, præsertim in calidioribus naturis,tentat. Contra in frigidis,vesicatoria iuxta aures, vel verticem applicata, magni ipsi sunt vsus; tandem ad serositates superfluas extra corpus eliminandas conducunt lenia cathartica,diuretica & diaphoretica,quorum formulas, ne de charta in papyrum aliquid scribamus, & sic plagii insimulemur,apud ipsum Authorem inuenire licet, vnde sint proxinetico mihi soluendo, necessario mutuari licebit, quibus omnibus indistinctè,nil nisi calculum album adiicerem, nisi, vt sic loquar, hyperbolicas doses præscripsisset. Et quia authorem omnem diligentiam pro explicando, & curando hoc morbo, singulari studio, apud alios practicos vix inuento, hinc ex tam diuite thesauro, & quasi cornucopia, hos hortos nostros rigabimus. Præscribere ergò solet decoctum foliorum siccatorum, modò salicis, modò betonicæ, verbenæ, roriſmar. in aqua fontana factum, & tincturæ baccarum Cossè,bis in die ad sex vncias propinatæ vires mirificè deprædicat.

Cephalalgiæ à viscеribus oriri visæ appropriata splanchnica adhibere solet. e.g. Si Cephalalgia ex stomachi vitio descendat,tunc præcipit stomachica,exemp.cauſ. Elixir proprietatis Paracelsi, Helmontii, vitrioli,Mynsinchti, pulu. stomachal. Birckmanni,&c. Si à liene tunc chalybeata,si ab vtero,tũc hysterica,reliquis cephalicis, magno cum effectu admiscere solet. Quãdo verò post variolas,morbillos febresque illa remanet(vti alias ordinariò fit)& sanguis fit vappidus,& dyscrasiam scorbuticã contrahit, tunc præmissa leni catharsi antiscorbutica, & chalybeata commendat.

In vniuersali Cephalalgia remedia omnia Cephalica, quæ spiritus animales corroborant,corporaque hominis quæcunque sensitiua, & motiua demulcent, prodesse scribit,e.g. Tincturam Corallior. ad guttas 20. Antimonij, & Spiritum arm. cum succino vel corallijs impregnatum, & Spirit. C.C. succinatum in vehiculo appropriato propinandum; nec millepedum vsus negligendus,quippe quorũ succus expressus, & aqua destillata, & puluis ex ijs paratus, egregium præstant vsum. Præscribere itidem solet emplastra corroborantia, item sinapismos vesicatoriaq; applicare. Embrocationem aut immersionem capitis in aquam frigidam sæpius iuuare dicit, quo remedio *Seren. Dn. Elector Palatinus* CAROLVS LVDOVICVS, nunc ad superos delatus, & cœlo adscriptus,Dn. meus Clementissimus, dum viueret, feliciter vsus est. Emphasin quoque non spernendam tribuit hic noster saliuationi; ac arterio, alijsque quæ nunc accuratiùs referre, instituti ratio non permittit.

§ 19. Oraculum *Sylui* sæpe Delphicum nunc consulendum est, qui ad humorem vaporemque acrem (vt doloris causam) mitigandum, vtitur lenientibus, demulcentibus, & temperantibus medicamentis, præsertim verò his vltimi generis in febribus, vbi acrimonia bilis abundat,addens anodyna, & narcotica. Ad capitis dolorem, & pulsationem vigiliasque abigenda iubet assumi mixturam sequentem:

℞. *Aq. Plantag.*
Lactuc. ℥
Acetos. an. ℥ i.
Cinnamom. ℥ ß.
Spir. salis dulc. ℥ ß.
Syr. diacodii ℥ j. M.

Inter externa epithemata vel linimenta suadet sequẽtia. Primò Epithema sequens:

℞. *Aq.*

℞. *Aq. betonic.* ℥ ij.
Rosac. ℥ j.
Acet. Calendul. ℥ ij.
Opii thebaic. ℈ ß. *M.*

Dein lenitiuum sequens vnguentum:

℞. *Vnguent. popul.* ℥ ij.
Opii thebaic. ℈ ß.
Ol. rosac. Coct. ℥ ß. *M.*
quo inungatur tempora.

§. 20. Restat vt, & *Cartesium*, & huius sequaces, qui parum abest, qui cum nobis vexilla jungant, videamus. Nostra ergo hæc methodus est, in Cephalalgia curanda; primò in Cephalalgia *biliosa*, vel vbi particulæ acres, oleosæ, salia sylvestria vel scorię salinosulphureę abundant, vt in febribus aliisque creaturis solenne est, quæ ipsæ haud dubiè sunt causæ solutionis continui, & insequentis tristis sensationis, in hoc casu adhibemus, & adhibenda suademus venæsectionem, aliaque ad intemperiem sanguinis alterandam temperandamque facientia, & ad particulas illas nitro-sulphureas membranis sensibilibus infixas excutiendas. *Purgantia*, quædam ex illis hisce particulis, quædam aliis extirpandis aptiora sunt, quæ diuersitas non quærenda in qualitate occulta, sed in ipsa diuersitate constitutionis. *Si bilis* vel particulæ illæ sulphureæ in sanguine scateant, quia cum valdè sint volatiles, facilè sequuntur motum cujuslibet purgantis: Pituitosi vero viscidi, & tenaces humores, cum non ita sint mobiles, &, ut sic loquar, domicilium fecerint in sanguine, inde fortiora requirunt, in biliosa ergò (vt cum vulgo loquamur,) conducit ab initio, sequens lene purgans.

℞. *Aq. Endiviæ.*
Cichor. an. q. s.
Rhabarb. flau. ℥ ij.
Sal. Tart. ℥ j. *M. f. purgans.*

Hoc nihil prius vel antiquius esse debet. Secundò feruor, & acrimonia sanguinis à particulis efferis excitata, optimè temperatur per aquosa, quo enim copiosior aqua, eò minor acrimonia reperitur, huic fini conducunt, & *acida* quæ præcipitando salia acria, intemperiem hanc biliosam corrigunt, ad quam rem formula sequens præscribatur.

℞. *Aq. betonicæ* ℥ ij.
Cichor.
Endiv.
Acetosell. an. ℥ iij.
Sir. rub. Idei.
Berberum an. ℥ i.
Spir. vitriol. q. s. ad
gratam aciditatem.

Quando simul somnus proscriptus est à scoriis his acribus, sanguinem ipsasque cerebri meninges pungentibus; optimè reducitur per oleosas emulsiones, quæ simul sistunt motum Spirituum animalium sanguinis, iusto celeriorem. E. g.

℞. *Aq. verben.*
Beccabung.
Trifol. fibr. ana ℥ iij.
Roris vitriol. ℈ i j.
Tinctur. rosar. ℥ ij.
Syr. perlar. ℥ ij. *M.*

Hæc de *biliosa* dicta sint, nunc verò ad eam, quàm *pituitosam* dicunt, peragendum erit, in ea verò materia peccans, non ita acris, sed sanguis crassius ac tenax reperitur, indeq; dolor non potest esse, nisi grauatiuus, mentis quoque simul stupor, ob eundē sanguinem crassum, ex quo etiam craffi generantur spiritus animales, non lucidi, deprehēditur, & spiritus sunt pauciores, & flaccidiores, omnesque motus tardiores, ventriculus quoq; læsus deprehenditur, vti in memet Cephalalgia laborāte obseruaui, indeq; iuxta illud experto Roberto facilius credi potest, cujus capitis consensum quoq; cum ventriculo in rustico vidi, qui cerebro læsus, magis de ventriculi, quàm capitis dolore conquerebatur, & ratio hæc est, quia spiritus animales in fugam conuersi in sufficienti copia, haud ad illum (ventriculum) influentes, necessariò tonum illius frangunt; ęgrotis quoque in hac specie est perpetua in somnum propensio, quippe poris cerebri ab humore pituitoso viscidoque impletis, spiritus animales, non sufficiant ad poros cerebri apertos seruandos, & inflandos: In hoc casu ergo obstructio tubulorum cerebri,

bri, & meningum à materia illa crassa, pituitosaque haud dubiè inducta, reseruanda est, dein humor ille crassus euacuandus; qua in re *felicem* tibi *successum* promittere poteris, per medicamenta, *tum interna, tum externa*, sed vt illa integris, & non fractis viribus ad locum affectum, poros scilicet cerebri peruenire possint, habeant oportet, partes rigidas, quæ non facilè in suo motu ab aliis ex transuerso accurrentibus inflectantur, donec ad ipsam palmam, & metam optatam peruenerint, vt sunt communia illa ligna, guajacum, sassafras, radic. Chinæ, sarsaparilla, cortices tamarisci, fraxini, &c. quæ per obstantem hostium turbulentorum turbam, sacra sua vi, & rigiditate perrumpere, incidere, attenuare, & particulas rigidas flexiles reddere possunt, vnde reliquæ particulæ sub jugum naturæ ordinarium redactæ refluere, & tandem ex corpore eliminari possunt, in quem finem commendata velimus, decocta lignorum prælaudatorũ in omnibus huius monetæ affectibus frigidis viscidis ac pituitosis; hisce decoctis geminum est quod sequitur *vinum medicatum*.

℞. *Herb. betonicæ*,
Cerd. bened.
Maioran.
Salu.
Rorismarin. ana m. j.
Flor. anthos
Spicæ ana p. j.
Lign. guaiac.
Sassafras ana ʒj.
Sem. anis. ʒij.
Acid. Tartar. ʒß
M. dentur incisa ad chartam, quibus affunde mensuram vini Rhenani.

Huic os humeroſq; simile est magnum *Maximi Vuedelii*

℞. *Radic. pæon.* ʒ j.
Helen. ʒ ß.
Fol. Betonicæ
Melis.
Salu. rorismar. ana m. j.
Flor. Cheiri.
Lil. conuall.
Anthos ana p. ij.
Primul. veris p. j.
Staechad. Arab. ʒ ij.
Lign. aloes ʒ j. *vel visc. q.*
Cinnamomi ʒ j. ß.
insecantur sacculo, & incoq.

Hostem ita exormatum fractis viribus eius, & iniectis manicis ad internecionem delere potest tale vel simile purgans.

℞. *Extr. phlegmagog.* ʒ ß.
Resin. Gialapp. gr. viij. *vel* ʒ.
Tartar. vitriolat. gr. vij.
Sal. succin. volat. gr. iij.
Ol. maioran.
Succin. ana gr. j.
M. f. pilulæ 13.
Vel
℞. *Resin. Ialapp.*
Scamon ana gr. vi.
Sal. succini volat. gr. iij.
Gummi Galban.
Ammoniaci ana ʒ ß.
Ol. myrrh. gr. iij. *M. f.*
Pilulæ pro vna vice.

Pilulæ Cephalicæ *Doct. Crantzii*, (quæ sunt Extr. Panchymagog,) his in locis solennes sunt, Infusiones ex foliis Sennæ, agarico, addito resoluente alcali quodam non sunt contemnendi vsus. Deinde alterantia omnia salia *volatilia*, cephalica aromatica solent curam concludere, potus herbæ theè inprimis proficui vsus erit; in quacunq; causa huius mali inprimis ad tollendam obstructionem tubulorum pororumque cerebri conueniunt omnia aromatica, & sale volatili constantia, neruina scilicet, quippe, & ipsa blando suauiq; popysmate partes sensiles simul demulcent, vt exinde anodyna, doloriſque egregiè lenitiua vis concilietur, vt sunt sal volatile succini, ejusque tinctura, liquor CC. succinatus, balsamus neruinus *Nob. Domini Doctoris Scheferi*, sal volatile cephalicum *nostrum*, tinctura antimonij *nostra*, liquores *aliorum* cephalici, *Cinnabarina* non sunt negligenda, potusq; herbæ Theè ceu iam dictum, & medicamenta sunt in diuturniore, & periodico capitis dolore sæpius mutanda; quod ritè notãdum, causa enim hujus affectus, sæpius numeris Platonicis

est

est obscurior, & tamen ex circumstantijs ritè consideratis, hoc vel illud adesse in causa præsumitur. Tandem harum sulphurearum vel viscidarum scoriarum, seu sanguinis vitiosi regeneratio est summoperè impedienda; tela enim præuisa minus nocent, quippe de his particulis nouiter renatis idem verum est, quod de Diabolo semel eiecto dicitur, eum scilicet septem peiores secum rapere, indeq; maiores turbas quam antea excitare, quare inprimis attendendum est ad fermentationes quasuis, quæ vel fiunt sub ventriculo vel in corde, quæ ideò statim compescendæ sunt. Præ alijs in omnibus capitis doloribus, tũ simplici tũ maligno, prodest succus cancr.c. succo verbenæ expressus.

Optimum etiam remedium hic paratur ex vitriolo Vngarico, quod dissoluatur primùm in aq. pura, decantarionem ad dimidium euapora, paratur in cella ad crystallisationem qui crystalli, quia ex vitriolo parantur, de natura salis participant, & ideò incidunt, sed quia multas particulas Veneris sibi habent immixtas, ideo leniter adstringunt, & hinc poros arteriarum nimium apertos iterum quodammodo occludunt, & angustiores reddunt. Hi crystalli sumantur mane, & vesperi ieiuno vẽtriculo ad ʒ ß. Camphora, & oleum eius optimè destruit, hinc etiam conducit in Cephalalgia.

In Venereis scorbuticisque doloribus, qui noctu ingrauescere solent, prosunt, præter iam dicta, sequentia:

℞. *Spir. lign. Guaiac.*
Tart. Saßafr. ana ʒ i.
Tinct. Antimonii ʒ i.
Antim. Diaphor. gr. xx.
Decoct. lign. saßafr. ʒ ij. *M.*
Pro aliquot vicibus exhibendum.

Pro mulieribus eadem affectione correptis, & simul hystericæ passioni subiectis seq.

℞. *Elix. propr. Par.* ʒ ij.
Spir. salis armon. succin.
Cochlear: ana ʒ i.
Tinct. Castor.
Succini ana ʒ i.
M. dosis à ʒ ß. *ana* ʒ i. in vehiculo idoneo.

Si malum à stomacho debilitato trahat suum ortum, tunc conueniunt stomachica, pulu. stomachal. Birckmann. piper. deglutitum, &c.

Quod si verò Cephalalgia ex ebrietate, à vino sc. siue acido illo *volatili* in furorẽ verso, conueniunt salia volatilia CC. &c. Curant, & eum solia hederæ, brassica, & ruta pulsibus applicata. Si dolor capitis ab euasatione seri, vulgo defluxionibus, conueniunt pilulæ de succino Crat.

Sic etiam potentissimè infringit hoc volatile vitiosum Spiritus vitrioli Cephal. ad guttas 20. vel plures in Iulapio, vel aqua fontana exhibitus. Quarum, & virium sunt *emulsiones*: oleosa enim omnia acidum inebriatiuum corrigunt, atq; emẽdant. Externè conueniunt peculiariter folia verbenæ, hederæ brassica, & ruta pulsui & capiti applicata. Summa remedia in quouis dolore capitis sunt acidulæ, vel Donningsteinenses vel Spadenses, vel Sualbacenses; ad quas tanquam ad anchorã sacram confugiunt ægroti, plures quoque magno cum commodo bibunt, tempore veris, succum betulæ. Errhina, masticatoria, & omnia antiepileptica hic prosunt.

§. 20. Hæc dicta sufficiant *pro internis*, nunc sequuntur *Externa medicamina*, quibus nonnunquam, inprimis in delicatulis, hunc hostem coercere debemns, conueniunt, & hic omnia aromatica, quæ per poros capitis intrare, & sic in tubulis cerebri factam obstructionem tollere possunt, vt sunt Spir. C.C. Sunto formulæ in iuniorum gratiam:

℞. *Aq. betonicæ*
Maior. ana ʒ iij.
Spir. Cephal. ʒ ß.
CC. ʒ ß. *M.*

Lintea hac mixtura madefacta capiti applicentur. In causa calidiore conducunt sequentia:

℞. *Aq. verben.*
Endiu. ʒ
Lactuc. ana ʒ ij.
Boris Vitrioli ʒ ß. *M.*

Vel

Vel

℞. *Aq. flor. Perſic.*
Sambuc.
Verben.
Polii montan. ana ℥ j.
Nitri anodyn. 3 j. *M.*

Vel

℞. *Aq. Aneth.*
roſ.
puleg.
Acet. roſar. ana ℥ j.
Opij in acet. ſolut. 3 ß.
Camphoræ gr. ij. M. f. Epithema.

Commune, ſed maximè proficuum ſeq. euporiſton conuenit, R. mic. pan. Silig. bacc. Iunip. ſal. cond. ana q. v. Vel ſacculus poteſt fieri ex milio, ſale, verbena, lign. rhod. &c.

Sed cum hæc Ephitemata ſæpius nocuiſſe, per experimenta habeamus, quare cautius mercari diſcendum eſt, ne præcludatur particulis illis acribus per poros exitus, ex quo fluit, melius conferre illa, quę in forma ſicca applicantur, vt ſunt cucuphę, ex aromaticis paratæ, vel ſola verbena capiti impoſita, cui herbæ, ex hiſtoriis Romanis, *Terentio* in *Andr. Cicer. in 6. Verr.* notiſſimæ, *Foreſtus* tantam adſcribit vim, vt etiam ſub puluinari poſita, hunc capitis dolorem compeſcat; ex qua ſacra herba, & paratur emplaſtrum inſigne, *quæ* quoque cum fermento acerrimo, & oleo roſato ſubigitur, & ſic externè applicata: inſignem præſtat vim, ineſt enim & huic fermento aciditas quædam, qua mediante ſalia volatilia acria præcipitantur. Externè concinnè applicantur olea deſtillata ſuccini, lauendulæ, anthos, maioranæ, quæ ſe facilè potis inſinuare poſſunt, & vim ſuam exerere, ſed non omnibus conueniunt. Inter hæc & annumerari poſſunt varia vnguēta, & mixturę ſomni ferę, quibus aliis facilè palmā prępripiet hęc ſequēs

℞. *Vng. papol.* ℥
alabaſtr. ana ℥ ß.
requi Nicolai, ℥ j.
pulu. ſem. aneth.
papau. alb.
byoſcyam. ana ℈ ij.
ol. N. M. expr. 3 ß. *Croci or.* ℈ ß
opii diſſol. ℈ ij.
ol. ſem. byoſcyam papau. alb.
exp. ana ℈ j. *M.*

M. F. mixtura temporibus in forma emplaſtri applicanda, ſed cauendum ne adhibeatur tempore criſis.

Vel ℞. *Ol. violac.* ℥ iij.
aceti ℥ j.
Opii & croci ana gr. iij.

Vnge hoc tempora & frontem. Succus ☉. ſi tempore æſtiuo miſceatur cum ſucco verbenæ, qui & prodeſt in dolore maligno; Emplaſtra varia, de betonica, cephalica, hinc inde facilè inuenies, interq; illud *Cratonis* optimum exiſtit, reliquorum formulas huc apponere, methodi ratio haud admittit. Veſicatoria, ſaliuationes, hirudines circa aures, V. ſectiones, arteriotomiæ, frictiones, cucurbitulas, pro circumſtantiarum ratione, non contemnimus, nec quoque cauterium cum inuſtione noxæ in deſperatis caſibus, vbi quis omnia ferre malit, quàm ita crudeliter affligi, quia & trepani vſu curati ſunt, ſed hoc debet fieri in deſperato capitis dolore.

Quia communes cauſæ ſunt Cephalalgiæ, cephalææ & Hemicraneę, curatio eius planè eadem eſt, cauſarum varietatem duntaxat attende. Pedibus etiam applicetur ſequens inprimis in febribus malignis & aliis capitis doloribus:

℞. *fol. rutæ rec. M.* ij.
rad. raphan. ℥ vj. iij.
ferment acerrim.
acet. rut. q. ſ. f. a. pulment.

Amuleta interdum proſunt ex radic. plantag. & rhodia, ſi iuſto tempore colligantur. Lotio pedum ſæpè in aliis iuuat, quatenus fibrillæ neruoſæ blando poppyſmate demulcentur.

Cuminum contuſum & capiti applicatum prodeſt. Narib. & temporib. illinatur balſamus apoplecticus cum oleo ſuccini & cinanomi permixtus. Illiti balſami ſulphuris & ſuccini conferunt, & narib. quædam ſubtilia admoueantur, & quędam fœtida vt ſpir. ſal. armon. caſtoreum &c. In Cephalalgia pituitoſa conferunt & charę

bi-

bibulæ oleis ſtillatitijs madefactæ, vt oleo ſuccini, lauendulæ, & caryophyllorum, ac capiti calidè impoſitæ. Foreſtus collum circumflectit verbena viridi aut exſiccata, idque vt ille ait, optimo cum ſucceſſu.

Hirudinum applicatio circa aures nonnunquam profuit.

Inter externa in forma ſicca applicari poſſunt herb. verben. rad. zedoar. rhod. ſem. papau. nucl. perſic. flores ejuſdem, ſem. hyoſcyam. flor. chamomil. &c.

Vel ℞. *ol. papav. expr.*
nucl. perſic. expr. ana ℥ j.
ſucci inſpiſſat verben. ℥ j. ℈
C. ſ. q. cera f. linimentum, quo illinatur vertex, & tempora

Sacculus poteſt fieri ex milio, ſale verbena rad. rhod.

CAPVT II.

De Affectibus Capitis, rationem turbantibus.

DE PHRENITIDE, & DELIRIO.

§. 1. HActenus in præcedentibus iis doloribus capitis, quantà fieri potuit breuitate & neruoſitate litauimus, qui verſantur vt plurimum in & circa meninges, pericranium, & cerebri neruoſas membranas, accedamus nunc & deſcendamus ad eos morbos, qui circa ſedem *phantaſiæ*, atque *memoriæ* intra *globoſam* ſcil. cerebri *compagem*, ſeu mauis in ipſo cerebro, cerebello neruoſoque genere atrociam ſuam exercent, quas inter primas tenet *noſter affectus Phrenitis dictus* Celſo *dementia*, Auicennæ *criſis*, id eſt, *apoſtema cerebri*, nonnullis *mentis læſio*, Definiri, ſeu potius rudi Minerua deſcribi ſolet; quod ſit vel cerebri vel membranarum inflammatio, febrem acutam, delirium mentiſque alienationem inducens, ut plurimum ab accenſione ſpirituum animalium, & ipſorum Regis excandeſcentia dependens.

Hoc inſanię genus eſt monſtrum admodum horrendum periculoſumque, adeò ut haud immeritò aprum Erymantheum vocites, cum ſæpè in ea parte generetur hic morbus, in qua Rex noſter reſidet. Fuit hæc *deſcriptio*, nunc & de diuiſione aliquid monendum, vulgò verò diuidunt in Phrenitidem *non veram*, & *veram*: *Non veram*, mentis alienationem ſine *cerebri apoſtemate* eſſe aſſerunt, & ſequi ut plurimum febrem *bilioſam* dictam, in qua febris ſpecie ſitis adeſt magna, ita vt linguam præ nimia ſiccitate aſperam habeant ægri; vera verò vulgò dicitur, quæ conjunctum habet apoſtema; in non vera, deliria, non ſunt ita furibunda, nec ita perpetuò affligunt, quàm in hac vera, cui equidem rei nos certè non ita nudè & crudè aſſurgere poſſimus, pro vt id emunctæ naris lector ex ſubſequentibus haurire poterit. Notandum verò hic quod hęc mitior delirij ſpecies fiat, maximè in febribus hora criſeos, eamque etiam nonnunquam præcedat, & tempore exacerbationis & paroxyſmi intentius & vehementius excitetur, quàm hora ac die quietis. Veri phreniticis nunquam mentis ſunt compotes, memoriaque quaſi oſtraciſmo eijcitur, vt non duntaxat rerum quotidianarum, ſed & naturæ iuſſuum obliuiſcantur, prout viuis coloribus talem miſerrimum iuuenem paraphreniticum dipinxit *Foreſtus l.* 10. *Obſ.* 3.

PARS AFFECTA.

§. 2. Succedit diſquiſitio ſerior de parte *affecta*; qua in re & veteres in varias ſententiarum auias ruunt, & utut in vna morbi circumferentia ferè conueniant, in centro tamen notabiliter diſcrepant, alij quippè ſubſtantiam cerebri: alij meninges, alij ventriculos cerebri, pro parte affecta nominant.

Helmontius his non ex aſſe annuens, hanc *dementem Idea* circa *præcordia* eſſe ſtatuit, qui cũ ſequacium turba diaphragma in carnoſa ſua parte inflammatum eſſe, ſpirituſque animales tunc eò ferri rapidius, & ſic hoc genus delirij excitari, credit.

Vuilliſius, in hoc labyrintho aliud filum Ariadneum ſecutus, globoſam cerebri compagem, uti pro phantaſiæ, atque

que memoriæ sede habetur, sic pro parte affecta agnoscit.

Sylvius ferè eandem quam agnoscit *Willisius* sedem phrenitidis putat.

Nostra hæc est sententia, turbas istas non tantum in cerebro, sed etiam in cerebello sede nostri Regis, præprimis in *globosa* cerebri parte, & vbicunque spiritus animales peruagantur, cieri putamus prout id latius & accuratius, vbi de causa agemus, deducere licebit.

SIGNA.

§. 3. Qui vero hostis hic possit cognosci nunc obstendendum: Febris autem adesse solet continua atque arida, ob spiritus animales à scorijs salino-sulphureis sine præcedente orgasmo in cerebri compagem præcipitatis, irritatos, ex qua & ipsa causa sunt & vigiliæ molestæ, & somnus difficilis, ab his enim particulis heterogeneis cerebro sussusis spiritus animales irritantur, & quasi ad excubias singulis momentis vocantur, vnde sæpissimè ægri turbantur, è lectoque subitò interrupta quiete exiliunt, quatenus spiritus animales furiosi nunc in hanc vel illam ruunt partem vel musculum. Respiratio in hoc affectu fit ex interuallis rarius, aliquando ea est magna, & ex imo pectore deprompta, quando scil. spiritus animales irritati, ad diaphragma vel mitius, vel impetuosius influunt; oculorum & faciei adest rubedo, ob particulas nimis volatiles sursum quasi ad caminum delatas, ex alterutro oculorum sæpe etiam fluit lachryma, oculorum venæ & arteriæ sanguine turgere conspiciuntur, ob eiusdem æstum & copiam; squalida & insolita est corporis siccitas, quasi sole exusti. Oculi ægris torui sunt, ob nimium spirituum animalium affluxum, ac inde dependentem fibrarum inflationem, & musculi contractionem. Pulsus frequens, celer & magnus est, fitis intensa, lingua & aspera.

Adest delirium, mentisque alienatio, ita vt nihil prudenter respondeant interrogati, imò ob abolitam memoriam non sint memores, ceu seruus ille Plautinus, eorum quæ dicunt aut faciunt, inde verba non aliter ac arena sine calce cohærentia, sine ordine sensuque proferunt, varia & contraria sibi imaginantur, inde modò plorant, modò cantant, modò vociferantur, *prout spiritus animales incidunt in globosam cerebri compagem & ductore, quem credimus, & verbo, præsente nota iuxta illud Horatij signato* nominamus Microcosmetorem, *in hos vel illos meatus porosque cerebri transeunt, & Ideas iam dudum factas peruerso illarum motu iterum, incongruè tamen formant, ita enim fiunt perceptiones in mente, falso mentis conceptu.* Ægri quoque ferociter velut Hercules furens in omnem audaciam procliues sunt, vti de ebriis *Flaccus* ait; morbus eos in prœlia trudit inermes, variaque nugantur, floccos, quisquilias & festucas digitis colligunt, manusque tremunt. Vrina in hoc affecto esse solet flammea atque tenuis, sæpe alba, non quidem ob raptum bilis ad cerebrum, vti veterum chorus falsò supponit, sed quia scoriæ supra descriptæ, sulphureæ scil. non ritè fero incoquuntur aut assimilantur, sed in sanguine remanent, & cum eo ad cerebrum transferuntur vnde non potest non fieri, quin tinctura & tinctore absente vrina reddatur *alba*, quæ quidem maioris est perniciei nota, consentiente etiam *Helmontio* dicente, *vrina clara non tincta prædicat futurum delirium*. Febris ergò cum delirio continuo est signum pathognomonicum *phrenitidis*, sed cum hoc grano salis, si nempe delirium sit *continuum*; delirium enim simplex nos appellamus, quod durante febre percipitur, & eà cessante, etiam euanescit, si verò terminos excedat, & diutius duret cum delirio intensiore, tunc infallibili coniectura concludere licet, subesse *phrenitidem* quod & certius est, quando semper medicamenta potumq; communem auidius, & quasi Tantalus sitiens ingurgitent ægri, & vrinam habeant suppressam, spiritibus animalibus scil. ita perturbatis, vt officio suo ianitorio defungi obliuiscantur.

Trans-

Transeundum nunc ad id, quod vel palmarium, vel inter palmaria est in hoc morbo, nempe ad *causam*, ex cuius accurata cognitione *cura* procul dubio dependet.

Veteres verò quibus ratione temporis prioritas debetur, modò ex *sanguine exuperante*, & in cerebrum violentius effuso modò à bile *efferata*, & inflammationem insignem in cerebro, vel eius meningibus excitante, modò à *bile aduſta* vel in cerebrum, vel in diaphragma delata, huius affectus causam deducunt, si à tali sanguine euasato fit, tunc ægrotantes cum risu insanire, minus delirare & febricitare dicunt; si verò *a bile aduſta* oriatur hoc malum, tunc valdè ægros furere statuunt; vt vinculis iniectis detineri debeant.

Quibus vero totum cerebrum vel à quouis humore inflammatum dicunt, ratiocinationem ex asse perire, quibus autem anterior tantum cerebri pars inflammatione laboret, eos in imaginando magis, quam in ratiocinando aberrare; quibus verò postica tantùm pars est affecta, illis memoriam maximè labefactari putant. Qui veteres, prout nescio quid monstri tribuunt *vaporibus* in aliis causis, sic & hic culpant vapores aridos ad cerebri arcem delatos, & spiritus animales perturbantes.

Hactenus Veterum placita vidimus, pergendum nunc ad *Paracelsum*. Is verò in castigandis huius affectus causis varius est, vt meritò dicas, quo teneam nodo mutantem *Protea* vultus, causam proximam esse statuit; *Mercurium siccum trino calore ſublimatum*, *lib. 2. de Orig. morb. ex primi trib. ſubſt. c. 4.* Qui *Mercurius* iuxta ipsum eleuatus primò quidem calore virtutis *digestiuæ*, deinde calore *exercitij*, & tertiò calore *astrorum*. Sicut enim calori solis plures res accendi possunt, ita Mercurij spiritus, vel cum sulphure, vel seorsim facile accenditur, sicut vinum in magna quantitate sumptum *Mercurium* ignis instar exaltat. *Phrenitis* igitur Paracelso est, & morbus *Mercurialis* in liquoribus existens, & quidem *ſublimatio* quæ fit à calore interno & externo. *Lib. 10. §.* Etiam morbum hunc & alias insaniæ species generari dicit, ex oppilatione spiritus vitæ, qui ad cerebrum transit obstruitur, hinc enim in cerebro putrefactionem & exulcerationem oriri contendit. *l. v. 3. porum. de orig. morb. ex Tartar.* Extra cerebrum in regione ventriculi generari *Tartarum*, ex quo phrenesis, *Mania* oriantur, Sic & Lib. 2. §. 2. de *morb.* vermem qui piam & duram transfoderat matrem, phrenesin excitasse memorat.

Accedat *Helmontius* noster, per ignem Philosophus, ad ignem hunc, qui de febr. n. 13. p. m. 98. *Scoriam* quandam ad præcordiales venas ferri dicit, indeque delirium oriri statuit, addens, delirii & amentiæ sagittatorem habitare in præcordiis, & ad partes suas *Hippocratem* obtorto quasi collo rapit ita loquentem, *cui vena in hypochondrio fortiter pulſat, is mox mente alienatur*, hinc in scholis (pergit Helmontius,) passio vocatur hæc hypochondriaca, adiungens non rara esse deliria ridicula & ferocia, quæ iuxta veneni sortem varient.

Vvilisius Anglorum illud Medicorum decus delirium excitari statuit, dum spiritus animales aut nimis irritentur, aut in confusionem agantur, & huc illuc intra globosam cerebri compagem, vbi phantasiæ & memoria sedem putat, tumultuosè ferantur, indeque phantasmata varia excitentur, & notiones confusæ oriantur, & dum in nostro cerebro, ex Vuillisianorum vrna spiritus omnes simul exiliunt, & mœstro perciti cogitationes multiplices variasque cient, & hinc fluit quod modò in hæc modo in illa organa delati, vel loquelam absurdam, vel gestus alios incongruos excitare necessariò debeant, furorem hunc primitias suas nonnisi aliquando in sanguine, aliquando vel in spiritibus animalibus exteris in neruoso genere consitis; ait à *sanguine* hunc affectum generari, probat per febres ardentes, in quibus ille nimium effer-

ferueſcit, in qua efferueſcentia præternaturali particulæ heterogeneæ ſylueſtres mediante ſpumoſa ſanguinis rarefactione cerebri poros ſubeunt, ſpirituſque exagitant, & tumultuari faciunt. Probat quoq; per *ebrietatem* delirium inferentem, vbi id genus particulæ, & quidem indomitæ cerebro ingeruntur, & hunc affectum triſtem excitant. Nec prædictus *nobiliſſimus Author* à cauſarum claſſe excludit *miaſmata maligna*, (vti videmus in variolis, morbillis, febribus malignis, peſte,) ad poros cerebri delata, quæ itidem ſpiritus animales tumultuari faciunt, & phreneſin inducunt, eandem ob rationem jam dictam idem probat, *ſolanum*, *mandragoram*, aliaſque *plantas venenoſas*, & *venena* alia facilè hunc affectum deterrimum efficere poſſe. Vti vero *celeberrimus Vvilifius* hactenus probavit à *ſpirituum animalium impetuoſo impetu* hunc affectum generari, ſic & è contrario eundem deſcendere à *ſpirituum animalium penuria*, idque hoc argumento evincere conatur, quod agonizantes, item qui longis vigilijs, hæmorrhagijs, inedia macerantur. Præter has cauſas etiam caſus eſt, ubi malum hoc oritur *ſanguine inſonte*, quando ſcil. ſpiritus animales excubias agentes duntaxat inordinationem in ſeſe, ex quacumque cauſa externa patiuntur, quod probat per hyſtericos, alioſque ſpaſmodicos affectus motuſque. Sed hoc ſpicilegium nobis ſufficiat loco meſſis vberrimę, quę in ipſius authoris agro reperitur.

§. 8. Nunc & *Syluij* pharetra erit paucißimis excutienda, qui cauſam hujus mali à *bile acriore volatilioreque* deducit, vel ſimili humore *ſale volatili* & acri conſtante, partique ſpirituoſæ ſeſe admiſcente, atque ipſis ſpiritibus animalibus negotium faceſſente, A quibus lædi modò *imaginationem* modò *memoriam* modò *phantaſiam*, & ita delirium excitari poſſe affirmat, ceu latius ex ipſo authore videre licet.

§. 9. *Nobiliſſimus des Cartes*, & qui ei aſſurgunt per breuem furorem delirium explicant, quo durante homines abſurda mente voluunt, lingua loquuntur aguntque. Aliquando ergo hunc affectum oriri putant à *ſanguine* nimis *feruido*, & acutis alijſque peſſimi furfuris particulis reſerto, cerebrique porulos, eiuſdemque membranas ingrediente & quandoque accendente, indeque *inflammationem* deducunt, quam fieri dicunt, quoties corpuſcula triangularia incidunt in poros rotundos, & tunc quilibet porus ita formatus tria iuxta ſe relinquit ſpatiola propter trinam ſuperficiem, ad quæ replenda *materia* quædam *ſubtilis*, quam *Carteſius* fingit, copioſius influit, à cuius influxu partes, humoreſque commouentur, & turbantur, inde oriri hanc *inflammationem* contendunt, nec dubitant etiam cum alijs *mixtione*, *& motu* ſpiritus animales peccare, inprimis ſi ſint ſubtiliores, magiſque agitati, tunc enim (ſic illi aiunt) Ideas alias efformant, & *glandula pinealis* officio ſuo haud fungi poteſt, quia ei ſpiritus animales non obediunt: ſed vt milites fugitiui, & immorigeri nullo mandato parent, ſed huc illuc diſcurrunt aufugiuntque; anima enim iudicat ſecundùm motus allatos; igitur in perturbatione ſpirituum animalium nulli certi ac ordinarij adferuntur motus, ergò nullæ ordinariæ cogitationes adeſſe poſſunt. *Materiam* illam *ſubtilem* multum conferre, *Carteſiani* inde probant quòd homines maximè, vti & *canes* tempore æſtiuo, inprimis verò diebus canicularibus tunc temporis ſubtili hac materia copioſius influente, hoc morbo infeſtãtur, & sãguis & ſpiritus animales ceu fomes tunc facilius accendantur, unde non poteſt non fieri, quin motus eorum peruertatur.

§. 10. Hæc aliorum, iſta noſtra eſt ſententia, quam ita explicamus: Quemadmodum Imperatoris illud monſtrũ *Nero* furibũdo ardore Romanas ędes accendit, indeq; maximas turbas excitauit, ſic & hic noſter ſupra memoratus *Micro-Coſmetor* ſit Coſmetorger, hoc eſt Rex iræ, ſpiritus animales accendit, eoſdẽ turbatos huc & illuc agit, qui ira ob furorẽ Domini diſperſi hos, vel illos cerebri poros aperiunt, & quà data porta ruunt, hincq; deliria orta credimus.

Pannus vero ruber, qui hunc Regem

velut boues in furorem agit, est sanguis nimis efferuescens, & scorijs sulphureis refertus; ad sacram huius *Regis* dixerim an *Tyranni* aulam delatus, vti conspicimus quotidie in *febribus*, in quibus Spiritus simul existunt acres, quamdiu enim spiritus, hi cōstant partibus oleosis, paucis acribus & aquosis harmonicè conspirantibus, tamdiù manent pacifici, neque mutationes fiunt; quamprimum verò in spiritibus prædominantur præter naturam acres particulæ, è vestigio excessus sequuntur, qui etiam Regem nostrum *Cosmetorgen*, in globosa parte cerebri tanquam in metropoli sua residentem offendunt, adque iram commouent. Duos enim phreneticos aperuimus, vbi ne minimam quidem vel sanguinis, vel alius humoris bilioſi euasationem, vel inflammationem meningum, vel *Apostema* offendere licuit, & è contrario alios vidimus, quibus sordida in cerebro fuere vulnera: attamen absque vllo deliri o ad Libitinæ regna transiuere. Quare planè non dubitamus quascumuis *scorias* sulphureas, acres, salinas, acutas, aliasque, vel in febribus tum intermittentibus, tum continuis & malignis ortas, vel à vino nimio, alijsque *cardiacis* calidioribus intempestiuè vsurpatis, & sanguini spiritibusque illatas, vel à quouis veneno allatas duntaxat, *Regem* nostrum ob hæc incongrua irritare posse; quippe hæc ei, vt iuxta illud *Horatii*, *sordida mappa corrugant nares*, quo ipso spiritus ancillantes cerebri claustra rumpunt, & in cerebri poros hinc inde tamquam pœnam metuentes fugam sumunt, sic aliquādo quoq; spiritus animales tantum peccant ob Regis sustenì superbiam, qui tunc tanquam *Pyrgopolinices* Plautinus quasi ventis panniculam tectoriam spiritus animales abigit. Herbas venenosas posse hunc morbum excitare ex plurimis constat exemplis. Sic & nos vidimus circa *Limburgum* in pago *Lindheim* dicto, Patrem familias cum filio & duabus puellis ab esu cicutarię, quam loco cerefolij comederant, tam deliros factos, vt nihil potuerint loqui nisi absurda, saltabantque & per domum discurrebant & mirè gesticulabantur, haud dubiè nostro *Imperatore*, cum militibus suis spiritibus animalibus, ob particulas venenosas, in furorem verso.

Cur verò in agonizantibus alijsque debilitatis, & senio & viribus fractis hominibus malum hoc oriatur, eius rei ratio hæc est, quòd Rex noster nihil non moliatur milites suos, hoc est, spiritus animales, ad stationes suas ablegandos; cum verò spiritus animales, imperio quantum licet parituri, partes remotas ferè dereliquerint, adhuc vltimam suam in cerebro exerunt vim & sic confusi facti, & virium suarum debilitatarum haud ignari, & iam vltima adesse videntes extremum tentant in extrauagando, inde poros aperiunt insolitos, deliriaq; excitant, quod & obseruare licet in gangręna, in membro quodam externo delirium acciente. Spiritus enim animales, tunc temporis fugam tentant, quia plures eorum iam internecioni dati sunt, & receptaculum cerebrum quęrunt, in quo confusi & perturbati continentur, perinde ac milites præsidiarij, qui vallo extremo per vim hostilem pulsi, ad ipsum munimentum se se nullo ordine, nullo imperio recipiunt, vnde non potest non fieri, quin & catarractas fortè obstantes vel fudes pręustas perrumpant, & cuncta turbent. Hic notandum venit, quòd febris nō producat deliriū, sed simul producatur ab eadem causa.

Iudicium hic non laborat, quamuis anima absurda & absona effecta in corpore producat. Nam cum phreneticus de iurgijs loquitur, iudicium ipsi non laborat, nam reuera animæ tales ideę repræsentantur, vt de iurgijs necessariò cogitare debeat, sed tantùm in hoc errat, quòd putat ipsas ideas sibi repręsentari à causa externa præsente.

Oculi quoq; sæpe leui in affectu lachrymantur, quia ob sanguinis & seri motum nimium plus seri ad glandulas lachrymales defertur; quàm commodè ab ijs reuehi per vasa sua possit, quare tum necessariò extra corpus propelli debet sub forma lachrymarum, & quod oculi lachrymantur tantum est huic morbo accidentale.

Sæpe & tremor obseruatur, quia tum ob

mo-

motum sanguinis & spiritum nimium valuulis vis fit, & quodammodo motitantur, & hinc spiritus ab vno musculo in alium fortius influunt.

Hic adest oris ariditas, quæ à duabus dependet causis, cùm serum & omnes partes aqueæ sanguinis per habitum corporis vel per alias vias magna copia extra corpus protruduntur, ita vt lympha non fluat ad os & gulam eam humectandam, quod tum in nobis sensum ariditatis, & hinc sitim efficit, quæ sitis potu potest restringi.

Si verò oris ariditas producitur cum glãdulæ saliuales sunt obstructæ, ita vt nihil vel parum saliuæ secretæ ad os mittatur, sitis potu non tollitur, sed augetur, quia obstructionem auget, sed tum est obstructio reseranda.

PROGNOSIS.

§. 11. Hæc causa fuit, nunc lampada habet *Prognosis*. Acutissimus periculosissimusque est affectus, breuique intra septem scil. dies occidit, nisi promptè succurratur, præsertim verò phrenitis illa est pessimi moris, vbi vrinæ albæ sunt & perspicuæ, teste *Hippocrate* l. 4. aph. 72. continuæ vigiliæ, atque dementia diutius persistens sæpè exitialia in hoc affectu signa sunt. Vbi delirium somnus sedat, res salua erit. Vomitus biliosus & virulentus nigerrimusque pessima est hedera & tristis prodromus mortis, eos enim cellerrimè mori testatur *diuinus Ceus noster*. Desipientiæ autem, quæ cum risu fiunt, minus periculosę sunt, quæ verò cum studio & audacia, periculosiores sunt. Phrenitis quæ cum hectica vel corpore sicco & calidiore coniuncta est, vix vel nullam recipit curationem, quia spiritus animales in tali corpore existunt acriores. Ex viribus quoque maius vel minus periculum metuendum est. Si phrenesis sæpius remittat, ac plura habeat interualla, id melius est, ac si sit continua. Iuuenes etiam facilius hoc morbo leuantur quàm senes, perinde vt hi sępius infestantur ac senes, habent enim iuuenes sanguinem calidiorem & feruidiorem, ideoq; ipsorum *Microcosmetor* est ferocior & planè ei accidit, quod alibi de se *Horatius* ait: *Nõ ego hæc tulissem calidus iuuentæ consule Planco*. Sunt quoque milites eius spiritus scil. animales ita dispositi, vt sicut & ipse *Rex* iis crabrones facillimè irritentur, vt meritò & hic sibi locum vindicet tritum prouerbium: *Qualis Rex, talis grex*: Senes habent Microcosmetorem placidiorem & spiritus animales non ita irascibiles. Alui excreta si sint subalba, malum est, quia obstructionem in ductu choledocho indicat, quare bilis non ad intestina, ad fæces tingendas, sed potius ad regium solium mouetur.

Rubra quoque deiectio mala est, quia propter nimium æstum & calorem omnia magis adusta significat, vel propter sanginem sibi admixtum. Floccos, & festucas in hoc affectu carpere, est sæpe initium stultitiæ & fatuitatis.

Vrina quando pallet, & clarescit malum signum, non quòd bilis rapiatur ad caput, vti vulgus credit, sed quòd pori renum sint obstructi, ita vt humor tingens eos permeare nequeat.

Horror & rigor pessima hedera sunt, quia defectum spirituum & obstructionem neruorum denotant. Huc quoque spectant aphorismi Hipp. 5. 6. aph. 11. hæmorrhoides enim prosunt quia euacuant, nam euacuatio prodest. Item 3. aph. 30. itidem 7. 12. quia morbus magnus superuenit magno. Si à vino aliisque cardiacis calidioribus oriatur malum, & in febri per sudorem aut vrinam crisis ritè facta fuerit, non ita periculosæ aleæ res est, sed facilę curari potest. Si verò spiritus animales (eorum licet incendio cessante) indolem vitiosam contrahant, & inde cerebri meatus & pori peruertantur, desipientia non rarò perpetua succedit, id nobiscum obseruante *Thoma Willisio* celeberrimo.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Hæc quæ diximus ad hostem in suo latibulo explorandum faciunt, illa verò quæ sequuntur ad eum fugandum, vti enim in reliquis, sic & in hoc morbo curando, *victus ratio* ante omnia obseruanda est, quę consistit *in sex rebus non naturalibus*, filiis medicorum ita vulgò dictis.

1. Aere, qui sit temperatus & purus ad frigidum inclinans; vitetur contra calidior & siccior, *materia* enim *subtilis* ad mentem *Cartesii* tunc temporis hominum ad hoc malum vergentium spiritus animales irritare potest, sub *cane* enim & tunc regnante aere calidiore fiunt sæpissimè phrenitides, in afflictis etiam absit varietas picturarum, ne Cosmetorges obsendatur:

Succedit 2. *cibus*, quem præscribimus humectantē, refrigerantemque, quales sunt cremor ptisanæ, hordeum excorticatum & coctum, lactuca, endiuia, spinachia, & id genus alia, quæ iusculis incoquantur & ægro exhibeantur, moderatus quoque ex aurea mediocritate ciborum obseruetur vsus. Vti enim immodica copia malum auget, sic inedia nimia vires plurimum prosternit, & spiritus animales ad fugam cogit. Morbo declinante offerri possunt pisces saxatiles, truttæ, percæ, &c. vitentur omnia acria calida aromata, quæ Cosmetorgen ad iram commouent & sanguinem spirituque animales accendunt.

Potus sit aqua hordeacea spiritu vitrioli acuata, prosunt quoque varij iulepi ex aquis destillatis & syrupis acidis, vt & decocta tamarindorum, vel acidulæ Doningsteinenses nitrosæ. Omnia spirituosa calidioraque, siue sit vinum generosum, siue spiritus vini, siue aliæ aquæ cordiales, calidiores angue peius fugienda sunt, dici enim haud potest, quā valdè his *Cosmetorges noster* irascatur.

Sequitur nunc 3. *Motus*, qui sit moderatus: nimius & inordinatus summoperè vitandus, ac potius quies imperanda: *Frictiones* partium infernarum ad spiritus animales leniendos, eo præsertim tempore quo symptomata magis erunt propitia, sunt instituendæ.

4. Somnus maximoperè conciliandus & procurandus est, mirificè enim *hoc Cosmetorges* placatur, & vti alibi *Horatius*: *mactata hac venit lenior hostia*. Spiritus quoque animales conciliato somno suo *Regi* obedientes fiunt, & concordes, quo non secuto, medicamentis tum internè sumptis narcoticis, tum externè applicatis, topicis scil. anodynis adhibitis, *is* excitandus est, vnde certò fluit *vigilias* velut causas iræ satellitum vitandas esse.

5. Excrementa alui & vesicæ sint naturæ congrua, aliàs crebrò sollicitanda: ægri etiam sunt monendi & matula oblata rogandi, vt vrinam reddant, cum *Cosmetorges* à spiritibus animalibus quasi derelictus non possit illos ablegare ad stationes suas, nempè musculos vesicæ solicitandos.

6. Animi pathemata sunto gratissima, amicissimi itaque homines & in quos maximè propensus est æger, aduocandi sunt, quippè hi vt cythara *Dauidis* pessimum hunc hostem placant. Animi perturbationes verò vehementiores quæcunque, inprimis *Ira*, &c. vt marinos nauta scopulos fugit, fugiendæ sunt, & facili marte colligi ratio potest, quòd his *Microcosmetor noster* prouocetur, & vltioni inhiat, vnde in spiritus suos debacchatur. Amor etiam hic vitandus est summoperè, quippe de *amore* valet illud *Poetæ*, *quid non mortalia pectora cogit*. Nos duos nouimus Iuuenes, qui amore puellarum ardentes, cum spe exciderant & non, *Cecidit in cassas præda petita suos*, in phrenitidem, Aphrodisiam ita dictam inciderunt, & se Reges esse miseri putabāt, & de talibus vide quoq; *Ephem. nostr. An.* VI. & VII. *Obs.* 54

Pergamus nunc ex lege methodi nostræ ad curam ex pharmaceutica desumptam, & quidem ad mentem *Veterum*, qui ob metum inflammationis & subsequentis apostematis statim ab initio ad venæ sectionem confugiunt, deinde & aluum clysteribus laxum seruant, eodemque tempore humores & sanguinem ad caput ruentia arcere tentant *repellentibus* ita dictis medicamentis, quę ipsis sunt oxyrrhodinū ex aqua rosacea, aceto & oleo rosato, hæc & id genus alia frigida panno excepta frigidè collo, sincipiti, capitique admouere sepiusque repetere præcipiunt.

In eundem finem & *embrocationes* Veteres instituunt ex decocto scil. sem. pa pau. alb. hyosc. yam. ff. nymphææ, violarum, rosarum, & ex succo plantaginis, lactucæ, sem-

emperuiui, &c. petitas quoque laneas in hiſce alijſque liquoribus infundunt, ſincipitique admouent, ſibi perſuadentes hæc vapores humoreſque calidiores arcere, incraſſare & refrigerare. Vnguenta alabaſtrin. popul. quoque temporibus applicanda ſuadent. *Cucurbitulas* cum *ſcarificatione*, ſi aliquam ob cauſam venæſectio prætermiſſa fuerit, partibus nempe capiti ſubiectis, viciniſque, vt humoris impetus ſiſtatur, (ſic illi loquuntur) applicare iubent. Dein vt ſanguinis feruor nonnihil temperetur, *ſerapium* conueniens quod ſomnum etiam allicere poteſt, adhibent. Sedatis aliquomodo humoribus & opiatis, cogitationes eò dirigunt, vt reliquiæ acres in humoribus latentes, quæ remanent, *purgantibus* educantur, quæ purgantia in cauſa *bilioſa* & ſanguinea ipſis ſunt elect. de ſucc. roſar. diaprunum ſol. ſyl. roſ. pil. aureæ, trochiſci de rhabarbaro, caſſia recenter extracta, manna, rhabarbarum in aqua endiuiæ infuſum. In cauſa verò melancholica vbi atra bilis ipſis abundare dicitur, paulo fortioribus purgantibus vtuntur, extracto ſcil. hellebori, & foliorum ſennæ &c.

Poſtea *frictionibus* partiumque extremarum *ligaturis*, nec non lotionibus eoſdem humores à capite auertere conantur. *Auertentia* ſunt etiam venæſectio, clyſteres, ſanguiſugæ fronti temporibuſque applicatę. Lotiones quoq; pedum manuumque ex decocto lactucę, violarum, plantaginis, &c. inſtituunt. Cerebrum dein roborant *roborantibus* ipſis dictis. Illa ſunt diamargariton frigidum, ſyrupus granatorum, conſerua violarum, flor. nymph. bugloſſ. &c. Balnea aquæ dulcis & *irrigationes* capitis ex violis, lactuca, florib. nymphææ haud negligunt. Pulmonem arietis, aut eiuſdem hepar, aut catulum, aut caponem, aut gallinam aliaque animalia exentarata per medium diſciſſa & adhuc calentia capiti raſo applicant imponuntque. Sitim maximè hoc in affectu moleſtam & ferè Tantaleam ſedant ſuccoribium ad vnciam vnam & plures cum decocto conuenienti ęgro exhibito. Somnumque anodynis & opiatis conciliant; nimium verò horum vſum, ne in lethargum tranſeat hic affectus, reijciunt. Si quoque vrina ſupprimatur, diureticis & facculis appropriatis ſuper pubem applicatis eam prouocant, & vires vbi vis reſpiciunt. Omnia verò remedia *veterum Practicorum* hic apponere res eſt Herculei laboris, & non noſtri, qui breuitate nos addiximus.

Sequitur nunc curatio ex *Paracelſi* formula deſumpta, quę conſiſtit communiter in his tribus, vt primò ſublimatio Mercurij auferatur, ſecundò obſtructio tollatur; & tertiò ſpiritus animales fracti roborentur reſtaurenturque. Primò ſcopo ſatisfaciunt non duntaxat refrigerantia, ſed & anodyna, quæ vi ſua ſtupefactiua ſpiritus ferocientes deliniunt & coagulant. *Laudanum* ergò inuętum ſcil. ſuum à granis trib. ad 5. exhibitum magni facit, quo & Principem Germanum hoc morbo afflictum ad ſanitatem mentis & corporis reſtitutum fertur, alij ex ipſius tamen ſecta laudanum minerale ſeu metallicum, alij laudanum ſine opio ex ſulphure vitrioli alteri præferunt. Secundò ſcopo ſatisfaciunt ex ipſius authoris authoritate ſpiritus vitrioli, impri mis philoſophicus arcanum vitrioli, extr. hellebori, ſal vrinæ, ſpiritus nitri. El. antimon. Parac. &c. Ad confortationem cerebri, vt tertio loco poſitæ indicationi ſatisfiat, commendat *Paracelſus:* aquam ſeu liquorem *viridem*, tincturam cœruleam argenti, ſeu tincturam lunæ, eſſentiam topazij, ſaphiri, ſmaragdi, oleum ſuccini, &c. Aliorum Chymicorum antiphrenetica præcipua (omnia enim quis referre poterit? medicamenta ſunt tinctura vera auri abſq; cortoſiuis parata menſtruis, à guttis tribus ad ſex cotidie exhibita, tinctura coralliorum, oleum & ſal margaritarum, item ſpiritus camphoræ in aqua roſacea exhibitus magiſterium tartari in aqua hirundinum, cum caſtoreo exhibitum, & plura alia qu apud authores Chymicos legi merentur.

Sequitur *Helmontius* qui delirij remedium non capiti applicandum putat, qui delirij, & amentiarum ſagittatorem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

habitare in præcordijs credit, siquidem id semper esset ad posterius, ad tela vibrata, non autem ad sagittatorem medelam applicuisse, eadem stultitia, qua canis quidam lapides iactos non iaculatorem mordere solet; suadet ergò hoc in morbo immersionem ægri in aquam frigidam, & quod securius, sulphur vitrioli philosoph. narcoticum soporificum, vt in omnibus mentis alienationibus, sic & in hac phrenitide summoperè extollit.

VVillisius medicinæ, vt sic dixerim, Monarcha, in phrenitidis therapeia duo præcipuè respicienda esse præcipit, febrem scil. & tumorem. Sanguinis ergò incendium siue efferuescentia à quacunque etiam causa orta confestim sistenda, & sedanda est, spiritus quoque animales excandescentes demulcendi, & extinguendi. Eapropter statim venæsectionem celebrādam, & si vires permittant, (nihil enim sanguinis flammam magis diminuit, quam dicta venæsectio) crebrius illam repetendam esse censet: quæ autem iuxta authorem instituenda vel in brachio, vel in manu, vel in crure, vel in fronte; nec *ille* reijcit arteriotomiam, hirudines, cucurbitulasque, commendans, & clysterum vsum inprimis ad præcauendos materiæ febrilis è viscеribus in caput raptus, & affluxus. Inter *purgantia*, vomitoria, & chathartica fortiora, quippe vires prosternentia proscribit, *lenitiua*, & *minorantia* pro re nata concedens. Cataplasmatum ex ruta, verbena, radice bryoniæ, florib. papau. errat. cum sapone pedibus applicatorum vires deprædicat, nec minores adscribit vires lulapijs, & decoctis refrigerantibus, ad æstum sanguinis sistendum. Quod si prædicta nihil efficiant ad *hypnoticorum*, & *narcoticorum* vsum moderatum tamen confugiendum censet, ast cautè cum his mercandum esse præcipit, ne materia morbifica cerebro iam suffusa, magis, & intimius illi infigatur, sæpius tamen cum fructu exhibuisse refert, *laudanum suum liquidum* cum sale tartari, & succo cydoniorum paratum, vel per se, vel in conuenienti liquore dosique.

Hunc in finem, & applicare iubet externa epithemata *soporifera* temporibus sincipitique ad somnum procurandum; prout eidem scopo inseruiunt *agni aut veruecis* pulmones calentes, vel columbæ, vel pulli discissi capitique impositi; conueniunt quoque *sedum maius* cum lacte muliebri confusum sincipitique applicatum, quod cataplasma admodum conducere scribit. Hæc tamen omnia hac lege atque omine tentanda sunt, vt virium conseruandarum ratio habeatur, cæteroquin enim, prout ex ipso veritatis tripode ait author, laterem lauabis atque oleum, & operam perdes, si ægrum scil. spiritibus animalibus omnibus defraudaueris, indeq; in te quadret illud tritum: *tollere sic vt morbos*, sed quomodo? *tollit, & ægros*.

Ad vires ergo conseruandas *tincturam coralliorum* ad guttas 20. bis vel ter in die in mixtura appropriata cardiaca scilicet exhibendam putat.

Syluius Lugdunensis ille Hippocrates ad bilem acriorem, vt plurimum delirium excitantem, sanguinisque consistentiam naturalem infirmantem, vitæque fundamenta quandoque destruentem, & labefactantem corrigendam vtitur sequenti præsertim mixtura, quam ex ipsius authoris fonte depromere, & hic apponere libuit:

℞. *Diascord. Fracastor.* ʒ ii.
Confect. Hiacinth. ʒ i.
Syr. papau. alb. ʒ i.
Aq. plantaginis ʒ ii.
fœnicul. ʒ i. *M.*

quam mixturam cochleatim, & per interualla breuia vsurpandum vult. In hoc casu quoque venam secandam esse præcipit.

Diætetica quoque remedia acriori temperandæ bili conuenientia ad partes vocat, & commendat *serum* ad frigiditatem blandam vergentem, alimenta subpinguia hordacea, amygdalina, vel emulsiones ex ipsis paratas, quia hæc particulas bilis acrioris obtundunt, leniuntq; Eundem habere effectū *gelatinam* ex carnibus iunioribus inquit, ob eandem rationem, quia bilis acrimoniam demulcet, obtundique; cereuisiam tenuem ex hordeo præsertim coctā

ptisa-

ptisanasque ex eodem, & radice glycirrhyzæ, passulis minoribus, & maioribus excorticatis paratas admodum deprædicat, quorum iam dictorum ope temperatur, & corrigitur materia peccans; bilis nempe acrimonia, quietem quoque tum corpori, tum animo dictatoriè imperat; hilaritatem etiam & mœrorem, sed leuem, multum hoc in affectu conferre autumat.

Carteſius, & eius Pullis ad deliria mitiganda, furores leniendos, sanguinem tumultuantem, spirituſque animales excandescentes; à particulis inprimis malè figuratis & accedente simul *materia ſubtili* excitatos, *opiata* commendant, quippe quæ hos spiritus animales furentes simul ad quietem compellunt, viſco quasi neruos obstruunt & conglutinant, acresque particulas, quæ neruorum fibras, ac ramulos ita discindunt, vt fibræ quæ antea instar chordarum erant tensæ, resiliant ac in cincinnatos quosdam globulos aut circulos conuoluantur, demulcent, qui prædicti globuli neruorum viis obiecti allabentes spiritus intercludunt, adeò ut ad partes corporis ferri, & munera sua ordinaria obire nequeant. Prædicti Carteſiani, & *præcipitantia*, quæ ab alijs *refrigeranti a* vulgò dicuntur, magnisaciunt, ex.gr. nitrum perlatum, quod in aqua dissolutum summè prodest, quia spiritus & sanguinem figit & simul deobstruit; acetum destillatum, antimonium diaphoreticum, omniaque ponderosa & grauia, ut sunt margaritæ, corallia, testacea quæcunque, omnia martiata, creta, bolus, quæ omnia obicem spiritibus animalibus ponunt, & sanguinis motum retardant, quò minus hi possunt excurrere, in quem finem, & quæ diximus *opiata* maximoperè suadet.

Nostrum si rogites votum, hoc tale erit in curatione præter Diæteticam curam ex præcedentibus colligendam. Omni opera & studio annitendum est, ut *Cosmetorges ira percitus deliniatur; dein spiritus animales ab ipso ad fugam quaſi miſſi, atque furore ita perciti, vt inſtar rebellium ſint*, iterum compescantur. Quibus binis scopis satisfacit venæ & arteriæ sectio, vel in brachio, vel in fronte, vel melius in temporibus instituta, quia sanguis motu & subtilitate peccat, quà arteriotomia lanionem aliquem Dizenſem *phreniticum* sine vllo alio remedio feliciter curauimus; vulnere arteriæ per emplastrum commune ex pilis leporinis & albumine ouorum paratum, vel per nostrum liquorem stypticum obligato, mirum dictu, quantum militantes spiritus animales quasi commeatu prohibiti, & rebellibus extinctis Domino supplices fiant, & ad priora obsequia sese faciles sistant. Inter reliqua *chirurgica* pro renata, haud neligenda volumus sequentia: nempe hirudines, cucurbitulas scarificatas, quibus vt diximus ferocientes spiritus animales subduci possunt.

Infuſionem variorum liquorum in venas hominum, imprimis opiatorum, essentiæ scil: anodynę *Zuelferi*, &c. & transfusionem sanguinis vel humani, vel vitulini, vel agnini in venas ægrorum magni facimus, his enim quasi donatiuo seu annona placantur spiritus animales. *Veſicatoria* quoque non displicent, cum per hæc particulæ acres vt plurimum Cosmetorgen & spiritus animales offendētes euocentur, eliminenturq; in quem finem & *fricliones* & *ligaturæ* extremarum partium, *balnea* pedumq; *lotiones* adhiberi possunt. Ita Iuuenem ex amoris œstro phreneticum, & ita aridum vt vix ossibus hæreret, *balneo aquæ dulcis* restitutum Ephemerides nostræ memorant.

Hæc sunt Chirurgica. Paucis nunc videamus illa, quæ ex Gazophylacio pharmaceutico depromi solent. *Clyſteres* ergò *refrigerantes*, emolientes & laxantes, quia in omnibus morbis acutis fortiora purgantia nocent, quatenus motum sanguinis, & spiritum adaugent,) vulgò ita dicti, injiciendi sunt, dein si particulæ inprimis sulphureæ abundent, quæ non facilè obediunt catharticis fortioribus quibus & ipsis *Cosmetorges* magis magisque irritatur, & spiritus animales efferantur. *Mitiora lenientia* eligenda esse author esse, nempe hęc, decoctum tamarindorū, hordei

cum paſſulis & radicibus acetoſæ, additio ſaporis gratia, vel ſyrupo papaueris erratici, vel berberum, vel acetoſellæ,&c. quæ omnia id efficiunt, vt cum *Cæſare* ſæpè gloriari liceat, *veni, vidi, vici*. Ad *Coſmetorgen* ira quaſi excandeſcentem demulcendum, ſpirituumq; animalium furorem ſedandum conducunt etiam *aquea & acida* hæc enim ſerum reſtaurant, cuius inopia quaſi nauſeabundus Rex noſter redditur. Sunt verò illa aqua endiuiæ, plantaginis, acetoſæ, ſerum lactis, Iulapia varia,&c.

Inter *acida* excellunt ſuccus citri,granatorum acidorum,acetoſæ;ſpiritus minerales acidi, vitrioli; Clyſſus mineralis antimonij,phlegma vitrioli; tinctura roſarum, 4. florum cordialium,&c.

Nitroſa quoque, quæ & ipſa nomen habent inter *acida*,æſtum inprimis ſanguinis temperant, & *Ducem* cum militibus placant,ne hi palabundi fiant,verbi cauſa,nitrum antimoniatum,perlatum,&c.Acidulæ Donningſteinenſes,&c.

Terrea quoque in eundem finem adhibenda,quia *præcipitando* fugant hoſtes *Regi noſtro*, inimicos,quibus ipſe,vt olim viſo Clyto Alexander temulentus,ad iram proſilit, & hæc ſunt *Corallia*, perlæ, *lapides quinque pretioſi*, conchæ, vnicornu & ferè omnia ponderoſa. In iuniorum & eorum, qui iuxta prouerbium ſine cortice natare nondum poſſunt, gratiam, ſequentes in ſcenam formulas producimus:

℞ *Aq.Endiu.*
Acetoſell.ana ℥ iij.
Plantaginis ℥ i. ß.
Spir.nitri gr.xxx.
Syr.papau.err. ℥ j. *M.f. Iulepus.*

Vel ℞ *Sem.4 frig.maj.ana* ℥ j.
Papau.alb. ℥ i. ß.
C.Aq.Endiu.
Prunell.lactuc.ana q.v.
F.Emulſio addenda in fine corall.præpar. ℥ j.

Decoctum cynosbati à quibusdam laudatur.

Vel ℞ *Lap.prunell.* ℥ i ß. (*vel nitri antimon.*) *C.C.uſti.* ℥ ß. *M.*

Huius pulueris indatur aliquid ſero lactis, vel potui ordinario. Proſunt & tinctura roſar. violar. eſſentia anagallid. comp. minera Saturni,&c.

Hiſce verò nobilioribus medicamentis præter ſpem fruſtrà tentatis ad *opiata* tanquam ad anchoram ſacram confugiendum, quæ vix, vt verè dixerim, ne vix quidem feſellerunt, quippe *Coſmetorgen* inordinato imperio peccantem admitiora conſilia compellunt, viribus defectam naturam reficiunt, & eadem opera conſumptam placida quiete refocillant, vel lympham ferocientem, vel maſſam ſanguineam nimium efferuecentem placant, ſpiritus quoque animales concitatiores ad quietem, & ad prius iugum reducunt. In ſpecie verò de opiatis monela, quoad Phrenitidem ex febre ortam, hæc adijcienda fuit, quod febre adhuc rerum potiente illa non ita certa ſint, neque deſtinatum Medico ſcopum exactè ferant, vtut opportunè in declinatione morbi adhibita, præclaras effectus edant, obſeruante nobiſcum expertiſſimo *Sydenham* in libello *Æſculapii bibliotheca dignissimo de Febribus*, &c. & hoſtem ad fugam vrgentem, citius ad internecionem delegant, quod verò antea, ceu diximus, prodeſſe non poſſint, rationes videas apud prædictum *Sydenham de Febribus*, p. m.56. Eundem vidimus effectum in fœmina quadam. *Limburgenſi*, quæ iam declinante febre maligna menſuram quadrantem uini generoſi ebiberat,inq;hanc phrenitidem inciderat, quam ſequentia mixtura opiata, ſæpius attamen per interualla ad tria cochlearia exhibita,feliciter priſtinæ reſtituimus menti.

℞. *Aq. betonicæ*,
borraginis,ana ℥ i ß.
Tinct.roſar. ℥ vi.
Laudan. opiat.inc.gr.v.
Confect.Hyacinth. ℥ j.
Syr.acetoſ.citri ℥ vj.
Spir.ſalis armoniac.gr.i.
M. D.

Sed hæc narcotica minimè ſunt adhibenda, cùm putamus uires eſſe fractas, & inſtare criſin, vel à minima doſi ſemper eſt incipiendum, vt videamus, quid ſan-

sanguis ferre possit, sic potest incipi à sequenti somnifero.

℞. *Syr. papau.* ℥ iij.
Laudan. opiat. gr. j. M.

Postea semper ad maiorem dosim adscendi potest.

Eidem scopo satisfaciunt *puluis absorbens Nobilissimi VVedelij*, in Opiologia elegantissima descriptus: tinctura anodyna *Zuelferi* à ℥ j. *ad* ℥ i. ß. exhibita: *laudanum cydoniatum Hoffmanni*, *theriaca cælestis nostra*, aliæque emulsiones somniferæ dictæ, & id genus alia medicamenta soporifera non contemnendam habent vim Cosmetorgen excandescentem compescendi, & leniendi.

Inter specifica referimus puluerem nostrum *Praunon*, à nobis ità dictum, quia is *Cosmetorgen* nostrum mirificè placat, & verum dicimus, mira hoc puluere in affectu hoc præstitimus, & quidem reiterata eius exhibitione; quem iunioribus lubentes communicare volumus.

℞. *Specif. cephal. D. Michael.* ℥ j.
Laudan. Cydoniat. Hofm. ℈ ß.
Nitri antimoniat. ℥ ß.
Ocul. ☋. præpar.
Magister. Lunæ.
Succin. ana ℈ ß
fol. auri num. ij.
M. f. puluis subtilissimus.
Dosis est ana ℈ ß. *ad* ℈ j. ℥ ß

Conuenit, & muscus terrestris. Ad obstructiones tollendas in cerebro, & meningibus, & mixturam sanguinis legitimam restituendam, sudoriferum antifebrile seq. vel simile exhiberi potest.

℞. *Card. bened. gr.* xv.
Laudan. opiat. gr. j.
Spir. nitri dulc. gr. vj.
Aq. Card. bened. ℥ ij.
Syr. papau. ℥ iij. *M.*
Vel ℞. *Bezoard. min.* ℈ ß.
Aq. Card. ben. ℥ iij. *M.*

Vel potest exhiberi puluis, qui miras operationes præstitit.

℞. *Lap. prunell. gr.* xv.
Campbor. gr. iij.
Laudan. opiat. gr. ß. *M. f. Puluis.*

Hæc fuere *interna*. *Externa* nunc haud quoque negligenda esse volumus, inter quæ epithemata *refrigerantia* & *præcipitantia* ex aqua & aceto rosaceo parata, vel ex seminibus papaueris albi, lactucæ, nucleis persicorum cum aqua rosarum, papaueris, nymphææ lactucæ, endiuiæ, fronti & sincipiti applicanda suademus. Quem effectum & habent varia vnguenta somnifera, inprimis mixtura nostra somnifera, temporibus instar emplastri applicata. Imponi possunt iuxta V Villisium varia animalia iam dicta, columbæ, pulli, catuli, &c. Nos pro arcano habemus *hirundines*, viuos & discissos capitique raso applicatos, quorum victima *Cosmetorges* ita percitus valdè lenitur, & spiritus animales ad inducias reuocantur, quia ex his hirundinibus viuis calor & uapor blandus & subtilis exhalat, qui maximè amicus est nostris poris, & conuenientissimus est ad obstructiones in illis facilè tollendas. Cataplasmata ex herbis recent. portulacæ, semperuiu. flor. rosar. nymph. camomill, & melilot. parata prosunt. Plantis pedum & applicentur fermentum, & ruta, testibus & adhiberi possunt epithemata. Bartholett. in method. de difficil. respir. l. 5. maximè commendat carnem cucurbitæ contusam, capiti abraso ad positam mirè infrigerare, & se hoc medicamento desperatam phrenitidem curasse testatur.

Ad symptomata & aliquando cura dirigenda est. Vt ergò vrina promoueatur, si æger obliuiscantur, pectem & perinæum inungi potest oleo scorpionum, & sale aliquo fixo, vt acrimonia illa vesica stimuletur ad excretionem v. g.

℞. *Ol. scorpion.* ℥ iij.
Sem. dauc. Cret. ℥ j. *M.*

Si æstus sit intensus, conducet sequens puluis refrigerans, & tamen non obstruens.

℞. *Nitri perlat.* ℈ ß.
Campbor. gr. ij.
Bezoard. min. gr. v.
Spiritus nitri etiam conuenit.

℞. *Seri lactis* ℔ ij. *in quo chalybs sit extinct. adde syr. acetos. citri vel alius* ℥ j. ß.

vel

vel claretum tamarindinatum. Vel ordinario potui instilletur mixtur. simpl. vel bezoard. ad 30. gut.

Sequens oxyrrhodinum, vt leuis excitetur somnus, optimum est.

℞. *Aq. rosar.* ℥ x.
Succ. lactuc. ℥ ij.
Opij ℥ ß.
Crosi ℈ j. M. *f. Epithem.*

Vel ℞. *Sperm. ranar.* ℥ vj.
Succ. ☿ *flav.* ℥ iij.
Opii acet. corr. ℥ ß
Camphor.
Crosi ana gr. vj. *M.*

Pro linimento capitis, sequens:

℞. *Vng. popul.* ℥ ß
Laudan. op. gr. vj. *vel opij gr.* xij.
Camphor. ℈ ß
Ol papau. alb aa ſ. f. Liniment.

Vel carnem cucurbitæ contusam applices fronti, vel succos lactuc. portulac. solani, &c. imponas.

CAPVT III.

De Affectibus capitis rationem turbantibus.

DE MELANCHOLIA.

IN præcedenti capite egimus de *Cosmetorge* nimis furiente, & spiritibus animalibus per eum irritatis, pergendum nunc ad *Melancholiam*, per quam *Microcosmetor* desipiens, & tristis ex causis mox dicendis factus, spiritus suos ministros à communi indole desciscentes, & quandoque omnibus viribus exutos dumtaxat ad pauca munia obeunda, adhibet.

DEFINITIO.

§. 1. Definitur verò vulgò is morbus, *quod sit delirium quoddam, vel desipientia sine febre, & furore ex melancholico humore natum*. Ità ex aliorum calculo definitio est formata, cui nos quidem calculum adiicimus, sed eam talem ponimus, maioris lucis ergo, quod nempe sit *delirium* sine febre & furore, ex *Microcosmetorgis* desipientia & tristitia, spiritus animales segnius, quam alias ipsi solemne est, regentis, ortum.

In hoc enim affectu si quis rationem formalem accuratius explicatam dare velit, ita perturbatur *Microcosmetor*, vt sæpè sibi imaginetur à ratione abhorrentia, cum metu tamen & tristitia: oblitus quippe hic regens muneris sui cum sit, non potest esse quin spiritus animales in minori copia ad munia peragenda influant, & tale sit regimen in microcosmo quale in regno aliquo est tempore *Anarchiæ*, vnde & viscera spiritibus defraudata fermento priuantur, quo destituta officium facere nequeant, inde corpus pituità, acidà, viscidà, tenacique repletur; dein non numerosi spiritus animales pituitæ huic viscidæ quasi visco agglutinati & retenti indies magis magisque, & sensim sine sensu absumuntur, quibus defraudatus æger miserè vitam suam agere cogitur. Vt pressius pedem admoueamus, & genus nostræ definitionis apertius exhibeamus, hoc in morbo varia deprehenduntur deliria, & vix vllam hominis metamorphosin (vt cum VVillisio loquar) antiquitas fabulosa excogitauit, quam aliqui in seipsis non admiserunt, & extant vndecunque varia id genus deliria, de quibus inferius pluribus agendi locus erit, cum de signis loquemur.

§. 2. Fuit hæc explicatio ipsius definiti, & definitionis, transeundum nunc ad diuisionem & placet hunc morbum diuidere in *Melancholiam Cephalicam*, & *hypochondriacam*. *Cephalicam* dicimus, in qua Microcosmetor per se, & sine vitio hypochondriorum tristis redditur, & in ipsius arcæ turbæ fiunt. *Hypochondriacam* verò dicimus, quando malum sibi imperium rapuit circa partes inferiores abdominis, *hypochondria*, scilicet.

EFFECTA.

§. 3. Succedit pars affecta, (si aliorum filum sequeremur, nobis verò ex meliore luto Titan præcordia finxit, indeque cum potius sit causarum distinctio, effectus verò & pars affecta sint eadem, nos coniunctim ea tractabimus,) quæ iuxta ueteres est *ipsum cerebrum*, lædituir autem *id*, vti dicunt, quatenus est

pars

pars singularis, è cerebro enim omnes principes animæ facultates deducunt, & principem facultatem cerebri nempe *imaginandi*, non *cogitandi*, aut *memorandi*, hic lædi volunt. Diuin. Hippocr. asserit 6. Epid. sect. 8. t. 58. hoc in affectu *animam* distinctè & quasi à corpore siue cerebro affici. Cerebrum iuxta aliorum opinionem subinde læditur per *εβεντιαμ*, tumque signa nulla præcordiorum, hypochondriorum, alteriusque partis læsæ apparere addunt, tum quoque contingere asserunt, melancholicorum symptomata esse mitiora atque in facie liuedinem apparere. Si per consensum cerebrum lædatur, & vel à liene, vel hypochondrijs, vt dicunt, vel ab vtero, quando ibidem humor atrabilarius generetur, tunc apparere signa partibus istis affectis utero vulgo adscripta, aiunt quippe in puerperis ob lochia suppressa, vel in virginibus, ob menstrua retenta sanguinem inquinari & fixiorem fieri, inque dyscrasiam atrabilariam eum conuerti, indeque hunc affectum excitari. Inde veteres culpant lienem, nobis tamen magis productum est morbosum quam causa. Magnus VVilisius *cor*, & *cerebrum* simul hic affici sibi persuasum habet. Nonnulli pro subiecto ipsam *animam corpoream* accusant. *Helmontius* extra cerebrum in præcordijs & circa os stomachi morbum hunc residere suspicatur. Nos vt paucis & quasi indice rem attingamus, pro sede huius morbi principaliore cognoscimus *metropolin*, vbi scil. noster *Microcosmetor* residet & imperium suum exercet, *globosam scil. partem illam cerebri* in qua *Rege* tristi facto non potest fieri, quin reliquæ partes omnes patiantur, mox hypochondria, mox lien, iecur, pancreas, mesenterium, uterus, vtpote suis spoliata fermentis, & sunt loca diuersa causarum latentium.

SIGNA.

§. 4. Sed qui hostem hunc cognoscere licebit? hoc iam ex professo docebimus signis explicandis, quæ sunt inprimis metus & tristitia. Omnes enim melancholici sunt valdè tristes & meticulosi, quod & celeberrimus *Vuillisius*, vt supra audiuimus, cordis passioni adscribit, reuera enim ideò cor compati debet, quia *Microcosmetor* tristis spiritus animales, milites suos incolasque cerebri, desides & quasi somnolentos ad cor tanquam ad excubias sine effectu ablegat, idque haud irradiare & inflare valentes, spiritus enim animales, qui aliàs naturaliter, & in statu sano debent esse læti, viuidi, transperantes, subtiles & lucidi, hic verò in melancholicis, spiritus hi sunt tristes, opaci & emortui quasi, & non aliter terrorem incutiunt, quam nocturnæ tenebræ, quæ timoris terroriſque etiam apud audaciores sunt causę & c. Vnde illud Germanorum *die Nacht ist keines Menschen freund.* Spiritus è contra lętus, sapientiæ ipsius testimonio Prouerb. 17. 22. &c. ætatem efficit floridam, spiritus verò arescere facit ossa vitam præcipitans morte properata. Ægri nostro affectu correpti tædio quoque vitę afficiuntur, terrificis intentisque animi cogitationibus infestantur, artuum mirę conuulsiones corporisque totius epilepticæ concussiones obseruantur, etiamque absque vllo ordine verba profundere incipiunt & quidem inania; frequenter etiam in lachrymas prorumpunt, solitudinibusque gaudent, easdemque rursus damnant, decipi quoque se semper insidiasque sibi strui miseri putant, panemque omnem intoxicatum aliquando credunt, somnus ipsis breuis est, & breuior luscinię somno, & varijs turbulentis insomnijs perturbantur, quæ falsò plures ex Medicorum catalogo vaporibus ex liene in sonte assurgentibus adscribunt, cum potius spiritibus extra sphæram suam constitutis adscribendum esse, cum doctioribus putemus. Hæc fuere generalia signa, nunc ad specialiora vocamur. Nonnulli Melancholici semper rident Democritea stultitia, alij semper lachrymantur, quasi per Pythagoream *μετεμψύχωσι* Heraclíti anima in eos transuolasset; multi se vates esse sibi imaginantur & augurantur de rebus futuris, multi sese potentes Reges vel Principes esse contendunt, & fortè dum

cu-

culum portant, *sceptrum* sese habere imaginantur, pars se in nouam speciem transformari credunt, vnde alij cuculorum, alij gallorum, alij luporum, canum, aliorumque, animalium voces gestusque imitantur, multi fictilia vasa se esse autumant eaque ratione ne ab occurrentibus lędantur, cedunt, alij se corpus vitreum gestare imaginantur, & ne asperius compressi in partes dissiliant verentur, plures se vita defunctos putarunt sepulchro statim inferri postulantes, multi in hac vel illa olla aut cista cacodæmonem se videre putant, vt sæpè à dæmone obsessi ab ignaro plebe habeantur ægri. Alij quamuis mortem pertimescant, hanc tamen alij exoptant, & quando eam sibi conscisc unt, uti tria talia exempla nobis nota sunt, & mirum id non esse exinde cognosces, quod *Cosmetorges* aliquando à se ipso vindictam poscat, & tanquam Aiax in proprium gladium incumbat, spiritibus animalibus ad sui internecionem ad fędissimam hanc rem conuocatis, ceu in sacris paginis *Saul* armigerum aduocasse legitur. Quidam se capite, alij omnibus membris, brachiis, pedibus, &c. destitui putant, & sibi ipsi apparent ita, vt apud Virgilium Deiphobus quem Æneas videbat.

Lacerum crudeliter ora manusque ambas populataque tempora, raptis auribus, & truncas inhonesto vulnere nates: Pars etiam cibum recusat, nihil vitæ superesse existimans, multi latrones & præfectos adesse, qui ad vincula deducere velint suspicantur, pro vt hoc elegantissimo exemplo probare liceret ex celeberrimo *Barclato* in Argenidis *l.* 1. *cap.* 13: (vbi Heraleontem, quem lapsæ mentis error notissimum aulæ effecerat, quasi Poliarchus esset, fugisse & è fuga retractum esse memorat) nisi ille magis luderet, quam nera diceret; plures ne terra eos absorbeat, verentur. Nonnulli aut bello, aut contentionibus, aut altercationibus, aut studijs aut precationibus, alijsque vitæ institutis, quibus addicti fuere semper, occupati sunt vt & hic valeat illud Poetæ.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator.

Enumerat miles vulnera, pastor oues.

Ijsdemque vigilantibus accidit quod alijs somniantibus. Sed vt breuis, sim verissimum est illud *Willisij*, diuersimoda melancholicorum deliria recensere, esse opus vti prodigij plenum, ita pensi ferè infiniti.

§. 5. Ad aliud considerationis hemisphærium nunc procedendum, ad *ea usum* scilicet.

CAVSA.

Pro causa autem admirandi huius affectus *Veteres* intemperiem cerebri frigidam siccamq; siue illa naturaliter in eo existat; siue aliunde acciderit, ab humore vt plurimum melancholico, atra scil. bile, quam in vasis mesenterij hospitari & commorari autumant, unde vapores ad caput ascendere instar nebulæ & obfuscare spiritus animales, inde cerebrum reddi tenebris simile credunt. Sanguinem quoque aduri asserunt, ex qua adustione vti ex ligno madido concremato vapores hos melancholicos ad mentis sedem assurgere, uti in febrium delirijs solemne est, fingunt. Sed cum obscuris hisce cerebrosis & cerberosis Doctoribus nullam meliorem & saniorem admittentibus rationem, prælia nunc non miscebimus, cum error vel manibus palpari possit, iam satis sit detectus ab celeberrimo Helmontio, qui ferè ad eos idem dicit; quod *Appius* cœcus ad Senatores. *Quomodo vobis mentes, recte quæ stare solebant antehac, ingenti se flexere ruina.* Nec nostri instituti ratio permittit, cū cuilibet sectæ suā relinquamus opinionem & vnicuique sui voti usum-fructum; precamur tamen Deum, verum illum Æsculapium, ut ipsis sanam mentem in sano corpore largiatur. E diuerticulo in viam. Inter causas remotas hi quoque cum alijs tristitiam, mœrorem, solitudines, vigilias, menstruorum, hæmorrhoidumque retentiones p.n. referunt unde vapores malignos ad mentem ascendere putant, & mirum quod Galenica illa

co-

cohors in verba magistri sui jurans, nil præter vapores caput ferire autumet, aliaque phantasmata insomniis haud assimilia illa produci contendat. Et sic nuper quidam glorioſus, & pompoſus Medicus ex tali grege Galenico nobis præſentibus generoſo cuidam viro, vnde insomnia terrifica ſingulis nocturnis horis ſibi obuenientia ortum habeant interroganti reſponſum dedit, vaporibus *ex liene* ad caput aſcendentibus id adſcribendum eſſe; alius adſtans quaſi alter coquus Plautinus negauit, & id inſolitum acceptum ferendum putauit vaporibus, & halitibus ex *ventriculo* aſſurgentibus; qui certè juxta illud Horatii fumū ex fulgore dare laborarunt. Sed cum his minutijs haud tempus teramus, potius ad rhombum accedamus. Suſpiſcātur quoque prædicti Galenici in cauſa eſſe, veſicæ, lienis, iecoris, renum, & aliorum viſcerum malam diſpoſitionem, in quibus ſanguinem melancholicum nimia copia generari acriter contendunt.

§. 6. Perſpecta paucis (pluribus enim non libet) Galenica ſecta de cauſis diſſerente, nunc videamus alios, qui propius ſcopum feriunt, *Paracelſitas* ſcil. qui ſecus ac Galenici ſecere, hunc humorem melancholicum deſcribunt frigiditate, & ſiccitate elementari, ſed inſigni aciditate, & acrimonia liquori ſalis armoniaci volatili non diſſimili, vique fermentandi ac diſſoluendi etiam ſolidiſſima corpora, ciboſque conficiendi appetitumque excitandi, præditum eſſe, aiunt, qui etiam hunc liquorem, tragicam hanc ſcenam vt plurimum excitantem, nō ſolis lienis peccantis cancellis circumſcribunt, ſed eum per totum corpus eſſe diffuſum, aſſerunt, qui dum cerebrum inuadit, quo ipſo tunc ſpiritus animales vel ignei, vel terreſtres, vel fixi, vel ſuliginoſi exiſtunt,) varia inde deliria producit. A *ſublimatione* quoque *Mercurij* hunc morbum aliquando oriri aſſerunt. *Aſtralem* etiam hunc dicunt affectum, non tam ex *ente influentiæ*, vt aiunt, quàm ex *ente naturæ*, & *veneni*. Alijs ex ijſdem ſubſellijs, neſcio quem ſuccum terreſtrem, quemque Tartarum in ſanguine hoſpitātem, & cerebrum; eiuſque incolis infeſtum fingunt.

§. 7. Ad Helmontium decus illud medicinæ pergimus, qui morbi causā extra cerebrum, vti iam dictum, in præcordijs eſſe, & expandi circa os ſtomachi credit, proinde venena, quæ vim habent dislocandī imaginationem, non afficere primariò cerebrum, ſed dūtaxat præcordia, & ſtomachum, probat; etenim quicquid ſtomachus concipit, id ipſum planè tranſmutatur, atque prorſus in aliam eſſentiam migrat, priuſquam inde tantillum ad cerebrum pertingat, inde Nob. Author, nec pilulas cephalicas è capite aliquid elicere vult, & ſin quædam caput feriant, alterent, iuuētq; ratione præcordiorum hæc contingere aſſerit. Vapores craſſos, ſuliginoſos acreſque, quos induxere *ſcholæ*, tanquam inſontes reijcit, & exorbitatione ſcil. animæ ſenſitiuæ amentias facere putans, quapropter animæ diuerſorium ſtabilit in centro ſcil. corporis, ſiue medio in parenchymate viſceris, in quo potius quieſcere animam putat, ut cum omnibus reliquis membris loqui poſſit, quàm in cerebro, prout omnes ſopores ipſi ſunt expreſſæ dementiæ, quæ quoque ex excrementitijs velut febrilibus ſordibus oriri vult. Impuritatum namque collegia (ſic ille ſanè ſat catachreſticè loquitur,) ſtatum monarchicum quàm primum invadunt, exoticam ergò phantaſiā imprimunt ſordes invitæ animæ ſenſitiuæ, *in demente Idea* p. m. 173. §. 32. quæ apparent in opio, hyoſciamo, &c. quæq; impuritatum colluuies, obſidens animam sēſitiuam in ſuo viſcere originali ſopit actū intellectionis mētis, non potens in ita obſeſſam liberè lucere. Pergit N. Author in eadem pag. ſeq. Comperi namq; pluries „ aiens, deliros præſenſiſſe, dimiſſas infernè „ imagines intellectuales, turbidas ſurſum, „ atq; primùm infirmari circa memoriam: „ adeoq; & hinc collegi, vim intellectiuam „ procul à capite ſitā. Non ſecus atq; partes „ è corde remotæ vitalis irrorationis defe- „ ctum omnium primæ ſentiunt. In delirijs „ ideò obſeruaui primum vacillare me- „ moriam rerū olim conceptarum, dein ſu

eius

„ eius vicem suboriri importunam vnius
„ rei & continuatam recordationem, quæ
„ se habet per modum repetiti somni,
„ cum inuersione molestissima & labore
„ somni, quem laborem mox vigiliæ sequũ-
„ tur, dum sc. præcedentes imagines som-
„ niales cerebri memoriam labefactarunt:
„ subit tum ex præcordijs vigilans quod-
„ dam somnium cum expresso delirio.
„ Neque enim, pergit author, delirium
„ fit cum cessatione intellectuali, prout
„ apoplexia, sopore, syncope, &c. sed
„ est confusa, indesinens idearum in præ-
„ cordijs formatarum propagatio sursum
„ vibrata. Cumque in sanitate alioqui
„ non fiat conceptus absque Ideis, neces-
„ sariò & in delirio suæ sunt amentes
„ Ideæ. Paulò inferius eleganter pergit;
dicens, à metu, agonia, inuidia, ambitione, auaritia; alijsque consimilibus perturbationibus, facilè dementias fieri, quæ Ideæ maniacæ ex perturbationibus ortæ, habent in spiritu præcordiorum sua incentiua repetitionum, periodorum, accessuum & exacerbationum interualla, vel etiam continuationum fomenta indesinentia; & aliaverba ponderosa ad causam huius explicandam apprimè conducentia, annectit, quæ tamen multis sphingis ænigmata haud immeritò videbuntur; ad ipsum ergò fontem curiosum lectorem remittere placet, qui si volupe erit, legat dementem Ideam hominis certè non dementis fœtum & admirabitur.

§. 8. Ad *Willisium* medicinæ illud magnum lumen pergimus, qui hoc in affectu spirituum animalium culpat indispositionem, quos naturaliter transparentes, subtiles, lucidosque supponit, in *Melancholia* verò hos obscuros, opacos, tenebricosos esse, adeoque rerum imagines velut vmbra aut tenebris obductas repræsentare autumat, quos etiam liquoribus Chymicis comparare solet, & se habere instar spiritus acidi è sale, aceto, & similibus destillati, spiritusque animales huiusmodi indolem acetosam, cum salis fluidi dominio in affectibus hisce melancholicis habere suspicatur. Nam in quantum tales spiritus animales ob particulas salinas veluti aculeati sunt, dum è cerebri meditullio scaturiunt, tractus & expansionis suæ orbitas haud obseruant, verum spatiola sibi noua vt insolita intra globosam cerebri substantiam densissimè excauant. Hinc cogitationes, meditationesque melancholicæ, (quas dein melancholici habuere,) ac nouæ incongruæ, & plerumque absurdæ animæ obijciuntur. Huius affectus causas procatarcticas putat Nob. Autor, partim spirituum animalium indolem acetosam, partim sanguinis dyscrasiam atrabilariam. Et quia Author planè ex tripode hactenus rem tractasse videtur, non possum, quin curiosum lectorem, qui ipsa morbi penetralia desiderat, ad eum remittam.

§. 9. Et *Syluius* nunc salutandus, hic verò expressè dicit, hunc morbum ne mentis quidem functionibus parcere, quin potius præter *apprehensionis simplicis* confusionem, ingenij operationes turbare, memoriam tollere, mentemque eò vsque dementare, vt animus continuè impellatur, & moueatur ad mœstitiam & metum, & quidem cum aliquo delirio, eoque nunc leuiori, nunc grauiori, quod tunc *melancholicum* dici solet, eam verò vocat *melancholiam hypochondriacam*, quando delirium cum metu coniunctum, vt diutius tegi nequeat, verum foràs, & quidem palam erumpat, & passionem hypochondriacam à melancholia gradibus duntaxat differre ait, ratione vehementiæ maioris aut minoris. Culpat ergò hic *vitiosam efferuescentiam* (quam ferè vbiuis *fundum calamitatis* & *turbinem* in corpore humano, vt Cicero Catilinam, putat) imprimis existente succo pancreatico acido austerioreque cum pituita viscida mixto, spiritus animales perturbante.

Renatus ille verè renatus *des Cartes* eiusque Asseclæ dicunt, quòd nihil æquabilius inter homines distributum sit, quàm ipsa mens, sed propter organa diuersimodè dispositam esse, operationesque exercere diuersas, multa igitur animæ adscribi, quæ deberent istius organis indispositis

sitis imputari, quod enim alius præ alio feliciori gaudeat ingenio vel memoria, & multi tribuunt animæ, cum tamen organorum dispositioni meliori ac debiliori adscribendum sit. Quod probant per infantes, quibus est anima eadem & planè non mutata ac senibus, sed quia in infantibus organa illa sint indisposita, & molliora, & mucilaginosa; propter talem cerebri & neruorum mollitiem impressiones factæ non possunt cerebro ita inhærere, vnde Ideæ haud distinctè possunt percipi, & ad glandulam pinealem deferri, donec organa facta fortiora, quo facto infantes incipiunt ratiocinari, & distinctius cogitare. Sic propter eadem organa labefactata, in senibus ingenium, memoriam, visumque lædi imminuique & iterum eos infantes fieri, percipimus, & non hoc fit, quòd anima vel mens labascat, quę immutabilis est, sed quia in his organa (cerebrum puto,) exsiccantur vt impressiones ritè fieri non possint, & inde *mens* de illis non distinctè iudicare valeat, vnde illud Procarticum, si senex haberet oculum iuuenis, tunc videret vt iuuenis, quoniam verò in senectute oculi partes exsiccantur & immutantur, hinc visus necessario imminuitur. Quamdiu igitur, vt propius ad rem accedamus, *machinæ nostræ* partes secundum naturæ leges manent dispositæ, & filamenta leuiter ac molliter pulsentur, tamdiu iuxta leges naturæ actiones fiunt, quando verò filamenta sunt læsa, & fortius pulsantur, tunc incipit delirium, quemadmodum cythara suauem producit harmoniam, si omnes suas fides ritè habeat dispositas, & ex lege artis tensas, si vero vna non sit rectè disposita vel tensa, cessat illa harmonia. Remotè quoque suum symbolum addere aiunt *intemperiem sanguinis crassam, viscidam* & fęculentam, à vitioso quodam *acido* ortam, ex quo sanguine spiritus animales fiunt tenebricosi: ad varias enim cogitationes requiruntur spiritus animales variè dispositi. Si enim sunt nimis subtiles, *iudicium* valdè labefactatur, si ordine haud moueantur, varia exinde oriuntur deliria, & cum risu, saltatione, Venere, alijsque blandis cogitationibus. Si verò spiritus animales crassiores sint, tunc tardius melancholici incedunt, & semel incedentes in vestigia cerebri, & ab illis reflexi eandem menti repręsentant imaginem, vnde quoque putant sibi semper rem semel conceptam esse præsentem, vnde melancholici sibi aliquando imaginantur, se videre Diabolum in hoc vel illo loco, & hoc fit, quando spiritus animales sunt valdè crassi segniusque mouentur, hinc incidentes in vestigia impressa olim de Diabolo, cum ægri eum viderint vel depictum, cum cornibus tauri, pectore leonis, cauda, & variè à vestigijs illis ad mentem reflectunt, vnde propter celeritatem cogitationis mens hæc omnia percipit, & vnam format Ideam. Eandem rationem esse in febricitantibus contendunt, existimantibus quippe, aliquando oculis subuolitare muscas, & nescio quæ animalcula; spiritus enim animales tunc ita determinantur, vt antea factum, cum animalcula hæc essent præsentia, & sic menti eandem repręsentant ideam, & quemadmodum multa in insomnijs menti repræsentantur, à spiritibus animalibus incidentibus in vestigia antea impressa, ita etiam in melancholicis fit, qui sunt vigiles somniantibus similes.

§. 10. Restat vt & nostra nunc addatur Crisis, nos verò medio tutissimi inter prædictas opiniones ibimus. Verissimum tamen est & hic nostrum *Microsmetorem Regem* phantasiæ, atque memoriæ præsidentem, & ceu diximus in globosa cerebri compage residentem tristem, & hinc meticulosum ideò factum, quia iam sentit aliquoties scintillas ex acido enascente vitioso surgentes; vnde & spiritus animales tanquam milites ob ignauiam sui Rectoris etiam torpidi, crassi & quasi à Domino relicti, hos vel illos (pro lubitu meatus cerebri inprimis verò patentiores quasi in forum prorepunt, quos etiam semel ingressi ob grauitatem suam non facilè deserere, & quasi inde auolare queunt, sed in hoc luto cohęrere coguntur, vnde

non

non potest non fieri, quin Idea vna eademque semper obuersetur. Eleganter quoque & quasi sole clarius meridiano exinde apparet, cur & in hoc malo tristitia & metus concurrat, vt enim pulli à gallina, vel serui à Domino Rectore derelicti in perpetuo metu sunt, sic & eadem est ratio spirituum, postquam Rex ipsam curam non gerit, sed negligit. Cum itaque reliqua viscera spiritus hi maximè necessarij non vti debent ex imperio influa nt, necessariò fit, vt viscera fermento suo volatili destituantur, & loco huius aliud exoticum *acidum* sc. sylueſtre nanciscantur, quod acidum vitiosum mox in liene, mox in ventriculo, mox in mesenterio, mox in pancreate, alijsque partibus hypochondriorum, vel in tubulo aliquo hospitatur & augetur, & dum nec *Rex*, nec subditi officium faciunt, non aliter ac domi hæreses non extirpantur desidiâ Principis, augeri solet auctum. Plures nostrates hæc viscera pro parte affecta agnoscunt, & insuper in his causam morbi huius latere acriter contendunt, cum tamen superabundantia acidi sit potius productum morbosum. Fatemur lienem in hoc affectu non esse ab omni labe immunem, quia spiritus animales per nertios ipsius quibus scatet, influere debent, sed cũ hi sint à Microcosmetore derelicti, & imperium excusserint fermentum lienis corrumpitur. Melancholiæ quoque causa esse potest peruersa de re aliqua imaginatio, & hinc peruersum iudicium, cum anima putat, se causas extra corpus percipere, quæ intra corpus consistunt, vt cum pauper sibi imaginatur, se esse Regem, reuera in se percipit Ideam Regis, sed est mala applicatio, quod ideò se putat esse Regem: quod oritur, quia cum menti antea bene esset, per particularem motum spirituum idea Regis imprimitur, iudicat & percipit reuerà se Regem videre, cum iam in statu corporis morboso etiam talis motus oriatur spirituum etiam indicat se vel Regem videre, vel Regem esse, qui motus peculiaris spirituum potest fieri, cum de re aliqua valde simus solliciti, & eam semper ob oculos ponamus. Ea attentio singularem spirituum vndulationem in cerebro, regio illo solio, excitat, & hinc in omnes neruos producit, à qua ἀταξία spirituum fermentationes in sanguine alterantur & deprauantur, & ab isto sanguine iterum spiritus peioris notæ producuntur, hinc & cogitationes in peius ruunt.

Omnia Phænomena huius affectus ritè explicari possunt, per spiritus animales, qui naturaliter & in sano corpore sunt lucidi, & viuidi, & irradiantes omnes corporis partes, si verò sunt segnes, torpidi, & à Rege suo non benè gubernati, & in naturam accidam degeneres, haud totam cerebri compagem vti prius irradiantes, & citò permeantes, sed in meditullio scaturientes impetu suo in poros & meatus tantum proximiores, quasi exeutiant, feruntur, vnde melancholici tristes incedunt, aliaque absurda & sibi contraria imaginantur & loquuntur. Cum enim semel hi spiritus torpidi in meatum cerebri pertingunt, ibidem propter crassitiem huic inhærere solent, ideò non facilè idea hæc semel concepta deleri potest, sed sæpè dies noctesque idem obiectum animo volutant ægri, de rebus alijs quæ interdum longè maioris momenti, planè nihil soliciti sunt. Microcosmetor enim in phrenitide Rex iræ est, hic nimis mitis & ignauus haud reuocare valet spiritus extra sphæram suam egressos, qui quoq; imperio iam obsequi nequeunt, vnde si quis aliquam ideam v. g. se Regem, Principem, gallum, leonem, canem, &c. esse semel concepit, necessariò & gestus imitari debet, quia toti sunt spiritus in efformanda illa re, quam semel sibi finxerunt, & dum illi canem sibi obiecerunt, statim & in vicinia & effectus caninos deprehendunt, v.g. latratus; quæ symptomata ex philtro assumpto obserua. ui. Eadem est ratio reliquorum. Sed è fluctibus ad portum.

PROGNOSIS.

§. 11. Ad alterum Hemisphęrium nunc

transi-

transeundum est, ad *prognosin* scilicet. Est autem hic affectus vt plurimum chronicus & curatu difficillimus, meritòque dicitur flagellum & opprobrium Medicorum, cum plurima & generosa eludat remedia: viscera enim vt pote officina fermenti cõficiendi ob spirituum animalium torporem & ignauiam ferè defraudantur omni suo fermento naturali, ad quod restituendum longum temporis spatium requiritur, quod non tam facilè, ac *asparagi coquuntur*, effici potest. *Microcosmetor* noster quoq; aliquando sibi impias manus infert, & inde facilè mors sequi potest. Sic & ille aliquando spirituum animalium tanquam satellitum maiorem partem poris cerebri iam infixam desperabundus videt, & paucos reliquos violentiùs à se abdicat & in furorem spiritus conijcit, vnde oritur epilepsia vel conuulsio; nonnunquam hoc in affectu spiritibus planè via interdicitur, eoque ipso *Microcosmetorem* interimunt, vnde oritur *Apoplexia*, si verò duntaxat vnica intercludatur spiritus via ad exteriora membra, oritur paralysis, prout hoc facilè contingere potest. Aliquando diutius protracta melancholia, nõ rarò in *μάφωσιν* transit, cũ spiritus animales omnes meatus iam occuparint, & ex iis nec se iterum extricare valeant. Interdum etiam hic morbus in maniam transit & quidem Microcosmetore planè excãdescente, & prout incendiarij assolent, spirituum animalium gregem inflammante, vndè à talibus incensi spiritus vestigia crebrò impressa insolita percurrunt, inde hęc omnia symptomata maniacis solẽnia fiunt. Vernum tempus aliquid ad melancholiam facit, quatenus nouas fermentationes in sanguine excitat. Autumnus quoque melancholiam efficit, quia æstate spiritus sanguinis auolauit, & autumno magis ideò crassescit ob deficientes spiritus & frigus incipiens. Res ferè eodem modo se habet cum melancholici plus vini biberunt; cum sanguis à vino spirituosus est, sunt valde hilares, sed cum spiritus absumpti sunt, & soli relinquuntur, iterum melancholici fiunt.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Nunc hoc agendum & ad curam pergendum & quidem *Diæteticam*, quæ consistit in *victus ratione*. Primò *Aer* sit lucidus, atque temperatus, à quo spiritus animales redduntur lucidi, viuidi, vnde & homines sub tali aere hilares fiunt, cum è contra sub aere crasso, nebuloso, ac pluuioso solito reddantur tristiores & lassitudinem quamdam percipiant, *materia*, enim *subtilis* aere existente lucido maiori copia influit, à qua *materia subtili* Microcosmetor nutritur, sustentatur & viuax redditur, indeq; spiritus animales recreantur, eadem enim est ratio Microcosmetoris & spirituum animalium, qui cum aer sit crassus, fiunt crassi, minusque prompti ad offerendum has vel illas amenti ideas, ad quas actiones requiruntur spiritus lucidi, viuidi, & volatiles seu mobiles. Crassiores verò hi spiritus in cerebro simul fixam occupantes sedem, non facilè ob crassitiem suam aliam influere viam, nec imperio Regis sui obedire queunt. Atque hinc illæ lachrymæ, quòd semper melancholici cogitent vt plurimum de vno, & chorda eadem oberrent loquentes, spiritus enim illi crassi eandem sibi seruant sedem & ideam. Sic tota die obseruamus eos, qui habitant in aere subtiliore & calidiore, rarò fieri melancholicos, vti videmus in Gallis qui rarissimè obseruantur melancholici, Bœoti verò sub crasso habitantes aere sunt tardioris & obtusi ingenij, vndo illud, *Poetæ: Bœotum crasso iurares aere natum*, i. e. hominem obtruncatæ rationis. Sæpius quoque in nobis Germanis, qui versamur in aere frigidiore, & crassiore, id obseruamus, indeque faciliùs, quàm aliæ nationes in aere calidiore & subtiliore habitantes infestamur. *Cibus & potus* sit boni succi, & temperatus, vt sunt caro gallinarum, ouium, vitulina, iuscula carnis bouillæ, oua sorbilia, & id genus alia concoctu facilia alimenta, è contra vitandus durus, fœculentusq; vt sunt carnes & pisces sales conditi fumoq; durati, & omnia ferè leguminum genera, sic & carnes anserinæ, suillę, leporinę, cerninę, &c. quę omnia ad-

modum nocere possunt, qualis enim chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales spiritus animales, ex chylo ergo tali vitioso fit sanguis viscidior & crassior, ex quo sanguine dein spiritus animales non possunt generari satis lucidi, ad officiumq; peragendum prompti. Cereuisia crassa, fœculenta, ac non satis cocta & fermentata angue peius fugienda, nec vinis fortioribus nimis indulgendum, cuius vis nimis in *Microcosmetorem* fertur, quod vel vnico hoc exemplo probari potest, dum infelices talis farinæ homines, vbi largior Bacchus suffusus est, de suo iugulo citius cogitent, indeq; facilè Maniaci fiant. E contra pro potu ordinario varia decocta appropriata, inprimis acidulæ Suualbacenses conducunt, quippè quibus blandè excitatur *Microcosmetor*, & spiritus ad officium suum (ope reliquorum hęrentibus auxiliũ ferentium) ritè peragendum inducuntur, indeq; illi extra sphæram suam cõuersi ad officia obeunda blandiùs reuocantur.

Quo ad *somnum* & *vigilias*, illa moderata sint; somnus enim nimius spiritus animales profundiùs meatibus cerebri infigit torpidioresque reddit; eadem quoque est ratio *vigiliarum*, nimis enim protractæ, pauciores adhuc restantes spiritus circa Microcosmetorẽ & fatigãt, & dissipant.

Motus sit temperatus præsertim à cœna, motus enim immoderatus spiritus volatiles & mobiles planè dissipat. Sic & quies sit moderata, nimia enim spiritus animales iam cerebro infixos non retrahere & ad officia pristina haud reuocare valet.

Inter *animi pathemata*, gaudio hilaritatique maximè studendum. Confabulosi ergò conuentus, Musica, Venatus, aliaque exercitia iucunda prosunt, è contra verò curæ, mœrores, tristitia, maximoperè vitentur. Microcosmetor enim iam ad tristitiam proclinans vergensque, tantum hisce ad hanc inuitatur, quantum per priora reuocatur, perinde vt spiritus animales per hæc à nobis dissuasa perturbantur & circa globosam cerebri partem consistunt, ibidemque cerebri compagem, excauant, indeque sæpè vnici sabri tristissimi affectus existunt.

Inter *excreta & retenta* aluus lubrica seruetur, vt quidquid ad intestina confluit educatur, ne morà simplicique tepore & quidem inprimis vijs putrefactionum fermentum contrahat, si non natura seruari potest, arte procuranda. Menses, lochia, hæmorrhoides solemnes, naturæ respondeant, obstructiones enim horum maximè offendunt, nostrum *Microcosmetorem* spirituque animales valdè inquinant, vnde non potest non fieri, quin varia phantasmata tristia in cerebro excitentur.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Præmissa cura Diætetica *Pharmaceuticam* secundùm legem methodi nostræ videamus, quippè melior est spes salutis, si hæ duæ simul ad auxilium vocentur. Prima in acie *veteres, Galenici* vulgò dicti, qui si melancholia sit *vniuersalis* in omnibus scilicet venis corporis, secare præcipiunt venam *Medianam* ipsis vocitatam, & quidem sinistri brachij, vel si lien solum à melancholico humore obstructus sit, secant venam inferiorem cubiti quam *lienariam* vocant, & vbi hæmorrhoides solemnes erant, venas hæmorrhoidales circa anum aperiunt; vbi verò ex mensium obstructione mulierculæ hoc laborant affectu, statim menses per venęsectionem in pede institutam, perque alia medicamina hæminagoga prouocant: cerebro verò solo hoc vitioso melancholico seu atrabilario humore imbuto, maximè vbi corpus sit plethoricum, incidunt *Iecorariam* dictam dextri cubiti, vel *Cephalicam* sinistri cubiti. Dein vtuntur *præparantibus*, vt sunt rad. cichor. borrag. cappar. fœnic. herb. pulegij, cent. min. passul. &c.

Postmodum *euacuantibus*, clysteribus scil. & apozematibus, ac pilulis vtuntur, ad concoquendum & educendum humorem *præparantia* cum *purgantibus* miscent. Ex gr. seq. Apozema in Iuniorum gratiam periculo ipsorũ Galenicorũ hic apponamus.

℞. *Herb. Meliss.*
betonic.
borrag.
lupul. hyssop.

ca-

capill. Veneris ana p. j.
Radic. cichor.
borrag.
fœnic.
Cortic. cappar. ana ʒ iij.
citri.
Fol. senn. s. ft.
Epithym. ana ʒ iij.
Sem. anis.
dauci.
fœnic. ana ʒ ij.
Laßul. min. ʒ j.
Contus. & concis. coq. in ℔ iiij.
aq. expreß. ac colat. add.
succ. pomor. acid.
dulc.
malor. punicor. ana ℔ ß.
succi fumar.
borrag.
ros. ana ʒ vj.
char. alb. ℔ ß. coq. & clarific.
c. alb. ou. & fiat Apozema, cuius manè & vesperi exhibeantur singulis vicibus ʒ iii. ad ʒ iiij.

Inter fortiora purgantia, ipsis sunt *melanagoga* dicta, vt sunt, extr. helleb. nigr. & diasenn. mass. pil. Indar. de lapide Lazul. inter quæ seq. commendant infusum.

℞. *Hellebor. nigr. ppt. ʒ j.*
fol. senn. s. ft. ʒ ß.
sem. anis. ℈ i.
cinnamomi. ℈ ß.
macer. in seri caprin. ℥ vj. & dein ebulliant, & colaturæ add.
Elect. diasennæ ʒ ß. M.
Vel ℞. *Elect. lenitiu.*
diacathol. ana ʒ ß.

Dissolu. in aqua fumariæ, & tepidum mane 6. horis ante prandium exhibeatur.

Et cum humorem istum melancholicum) quem instar picis liquidæ tenacem credunt) non facilè vna vice educi posse contendant, inde purgantia sæpè repetunt interiectis tamen aliquot diebus *roborantibus*, per quæ cerebrum & spiritus animales recreare satagunt. In hunc finem commendat seq. & similia.

℞. *Conserū. bugloss.*
meliss.
fumar. ana ʒ ß.
Spech. Diamosch. dulc.
de Gem.
Diamarg. frig. ana ʒ ß.
corall. rubr. ppt. ℈ j.

C. syr. è prunis s. Electuarium molle, de quo capiat æger 2. horis ante prandium magnitudine castaneæ. Prodesse quoque dicunt in hunc scilicet scopum, si imprimis absit æstus, Theriacam *Andromachi* in aqua fumariæ & alius destillatæ solutam ad ʒ i. *Cucurbitulas* quoque, *ligaturas*, *frictiones*, *cauteria* & id genus externa varia ad materiæ peccantis auersionem suadent, ne in his recensendis tempus, cuius solius auaritia honesta est, iuxta illud *Senecæ*, inutiliter teramus, cum non mihi *si centum, linguæ sint oraque centum*, omnes libros hac materia scatentes numerare valerem.

§. 14. *Paracelsus* magno secreto tum *præseruando* tum *curando* hoc morbo, *flores Antimonij* manè bis, ter, quaterque pro re nata in parua tamen quantitate Theriacæ exhibendos mirum quantum deprædicat, tincturasque ex metallis & potissimum ex Luna & Marte, vt & tincturas ex smaragdo sapphyro, corallis, &c. quæ & ipso collo appensa iuuare credit *Paracelsus*. Sed nolo hic scrinia Paracelsistarum auariùs compilare, sed potius pauca hæc dicta eligere remedia, quæ ex ipsorum opinione reliqua multis parasangis antecellunt.

§. 15. *Helmontius*, quia malum hoc in stomacho & circa eum hospitari autumat, ipsum affectum etiam curari *stomachicis* credit, non cephalicis, sic, vt argumentum in contrarium de helleboro oppositum subruat, tribuit helleboro vim peculiarem pro amente cerebro; non quod qualitas toxica, atq; nocua ad caput pertingat sed in stomacho virus exerat, siquidem existente helleboro intra stomachum, illoque dein reiecto cõtractioni superueniat quales è torminibus, quod ipso argumento est, vim illam non in caput sed in membra ferri.

Subleuat ergò ex ipsius crisi, amentias helleborus niger, quòd ille præ cæteris vomitorijs vulgò cognitis, veterum præcordiorum febres, atq; lienem exoneret, & sic

malum ſedibus pellat. Hoc quaſi in tranſcurſu fatendum, vt alibi ſic; & in hoc diſcurſu mentem ſuam valde premere *Helmontium*, adeò vt ſæpe idem accidat lectori, quod *Appioni* Grammatico, qui *Homeri* manes ab inferis euocare voluit, percunctaturus, *qua patria quibuſque parentibus* eſſet genitus.

§. 16. *Villiſius*, more ſolito perelegantèr hunc pertractat morbum, ex cuius latifundiis tantũ ſuccum,& medullam ſuccincta breuitate exprimere laborabimus.

Tres ille indicationes habet primarias, *Curatoriam* ſcilicet, quæ morbum immediatè, eiusque cauſam coniunctam ſpectat: *Præſeruatoriam*, quæ cauſas procatarcticas, & euidentes reſpicit: *Vitalem*, quæ circa vires conſeruandas occupatur.

Quo ad *primam*, ſpiritus animales fixiores aut deiecti volatiliſentur, corroborenturque, vt poſtea liberiùs expanſi totum cerebrum pro imaginationis, iudicij aliarumque principum facultatum actibus, irradient, & præcordia ita vegetè actuent, vt ſanguis vbertim accenſus, exinde ſine remora aut reſtagnatione in totum corpus proijciatur, quorum ſpirituum medela monitis, & artificioſis inuẽtis circa rationem vitæ optimè perficitur: animus quoque ante omnia liberandus eſt è veſano amore peccante, mœrore, odio, timore &c. Melancholicos etiam nõ ſolos relinquendos eſſe, vult, ſed quibus negotia ſeriora cordi ſunt, ad negotia leuiora ineunda permittantur, ſin vero ægri illuſionibus phantaſticis ſeducti de ſe ipſis prodigioſa quædam imaginentur, & firmiter credant, mens ab iſtis per inuenta artificioſa abducenda eſt, cuiuſmodi curationum plurimos caſus,& exempla in libris practicis hinc inde proſtare, ſcribit.

Melancholiam recentem aliquãdo mera animi,& ſpirituum animalium diſciplina,& inſtitutione curari, memorat quem dixi author. Diuturnam, verò vbi ſpiritus animales indolem acetoſam, & ſanguis dyſcraſiã atrabilariam iam contraxerint, atque cerebri pori,& meatus iam malè conformati fuerint, difficilius, ait ſanari. In omni tamen melancholiâ à quacunque cauſa orta V. S. conducere hac ratione commotus, autumat, quia ſanguini aduſto & effœto per vices detracto, ſemper in locum eius melior,& ſpirituoſior ſuccedit, quem detrahere licet vel ex brachio, vel ex pede, vel ex venæ ſaluatellæ, ſi ſcilicet melãcholico prę aljs hanc eligere placeat.

Vaſorum hęmorrhoidalium frequẽtem apertionem (quæ ſponte ſuccedens, notante venerando noſtro ſene Hippocrate non rarò morbum hunc ſoluit) maximoperè hic proficuam eſſe, ipſe ſibi perſuadet.

Quod *Euacuationem* concernit, eam ab initio, quatenus morbi fomitem à primis viis ſubducit, atque aliorum remediorum impedimentum ſummouet, felici cum effectu inſtitui credit: Fortiora tamen vix admittens ob rationem notiſſimam, quia *Hæc* morbi cauſam nempe ſanguinis dyſcraſiam minimè tollũt, ſed potius augẽt, & ſpiritus animales iam deiectos amplius proſternunt. Helleborum ea propter præſcripſiſſe Veteres, ait, quia iſta tempeſtate vix alia purgantia innotuere. Admittit, & Nobiliſſimus author à principio morbi *Vomitoria*, prout, & alijs morbis cephalicis, quippe ventriculi viſcoſa ſaburra, quę animum valdè ſæpè aggrauat his euacuatur, quà expurgata liberius ſe,& alacrius expãdere poſſunt. Continentur etiam ſępiſſimè in cyſti fellea, ductu Pancreatio, aliiſque glãdulis meſẽterij particulę heterogeneæ, quæ hiſce, ne in caput transferantur, ritè eliminantur.

Ex. gr. Oxymel. ſimpl. ℥ jß
ſcyl. ℥ j.
Syr. de peto ℥ ij.
M. D.

Vel decoctũ cort. med. ſamb. c. ſalis vitrioli ℥ j. detur. Robuſtis,& quadratis exhibet infuſum croci metallorum, item tartarum emeticum Mynſ.& ſulphur antimonij.

Inter cathartica ſequens apozema magnificit, ad aliquot dies aſſumendum.

℞. *Rad. polypod. q.* ℥. ß.
Epithym. ℥. ij.
Fol. ſenn ſ. ß, ℥. ß.
Tamarind. ℥. v).

Se-

Semin. coriand. ℥ iij.
Santal. citr. ℥ ij.
Coq. in aq. fontan. ℥ xiv. *ad* ℥ x.
addend.
Agarici ℥ ij.
Rhabarb. ℥ ij. ß.
Colaturæ clarificatæ. add.
Syr. de pomis purgant. ℥ ij.

M. huius apozematis ℥ iiij. accipiat æger, repetendo intra 3. vel 4. dies semel.

Inter pilulas commendat. pil. tartar. Quercetani, vel de succino Ciatonis ℥ ß. resin. ialap. gr. vj. tartar. vitriolat. ℥ ß. ammoniac. solat. in aq. de quib. sumat melancholicus 4. vel 5. cubitum iturus. Inter pulueres alijs præfert illum diasennæ, diaturbith. c. rhabarb. & optimè abusum purgantium reprehendit & arguit, qui solemnis erat Veteribus, qui ad melancholiam curandam nihil agendum aliud statuunt, quàm vt humorem atrabilarium expurgent. VVillisius verò in reliquis medicamentis maius curationis negotium ponit; vidit enim à purgantibus melancholicos semper malè se habere, & vix vnquam aliquod leuamen inde percipere, cum ille in sanguinis & spirituum dyscrasijs, atque mala cerebri conformatione causam huius mali ponat, remedia *alterantia* & *corroborantia* pro remedijs primi census habet, & cathartica illorum gratia nonnunquam intercalat.

Alterantia *Ipsius* sunt sequentia, quorum tantum meliora nobis visa summo digito tangamus.

℞. *Conserv. fl. tunicæ*
borraginis ana ℥ ij. ß.
Cort. myrobal. cond. ℥ vj.
Corall. præparat. ℥ j. ß.
Margarit. ℥ ß.
Ebor.
Oc. ul. ℔. ana ℥ j.
Confect. de hyacintho ℥ ij.
Syr. è corall. vel pap. v. err. q. s. f.
Electuarium.

de quo sumat patiens manè & vespere ℥ ij. superbibat iulapij sequentis, vel aquæ alicuius destillatæ appropriatæ dosin.

℞. *Aq. flor. paralys.*
Ceras. nigr. ana ℥ ij.
Meliß. ℥ jv.
Sachari ℥ vj. M *f. Iulapium.*

Inter alterantia & refert prælaudatus noster *acidulas ferratas*, quia maximo melancholicis hæ aquæ esse solent solatio; copiosè enim epotæ sanguinis tincturam salino-sulphuream eluunt, eiusque mala fermenta destruunt; & viscerum sordes abstergunt, obstructionesque referant; præterea quoque astrictione suâ tum viscera debilia aut laxa nimis corroborant, tum vasorum in cerebrum dehiscentium ora occludunt, quo minus in ipsum vna cum succo nerueo materiæ extraneæ aditus patescat. Atq; ob hanc rationem, nempe viscera corroborando & ductus ἀσυγκρίτου obseruando, *vitriolica* ferri præparata in melancholia, etiamque in vertigine vtiliter exhiberi solent, quæ ipsissima verba authoris hìc apponere placuit, propter bellas rationes, quas reddit de vsu acidularum vitriolicarum quibus aliquando substituit chalybeata remedia. Exempli causa ponatur limaturę chalybis vncia vna in vitro cum succi aurant. ℥ ij. stet per diem subinde agitando, dein affunde aquam pomorum, & vini albi ana ℔ j. vel pomacei tenuis ℔ ij. sumat huius medicaminis ℥ iij. bis in die. Ipsi quoque & solemnis est sequens *pulvis Martialis*.

℞. *Vitriol. martis.*
Crem. tartar.
Oc. ul. ℔ ana ℥ j.

M. f. pulvis diuidendus in 9. partes æquales, sumatur pars 1. singulis horis matutinis in aqua destillata conuenienti.

Serum lactis, si ventriculo haud noceat, per plures dies copiosè epotum pari ratione ac acidulæ, videlicet sanguinis atrabilarij particulas salsas & sulphureas eluendo & educendo, sæpè cum effectu exhiberi expertus scribit, quod serum lactis caprini cum epithymo infuso aut incocto, ab ipso quoque laudatur.

Elegans habet iusculum author ex decocto pulli c. rad. polypodij, chærefol. fœniculi, ruscì, solijs ceterach. ling. ceru. quo vtatur æger manè cum vitrioli

Martis gr. 6. ad x. itidem salis absynth. crem. tart. ana ℈j.

Herbarum tum spleneticarum, tum antiscorbuticarum succos expressos & destillatos ad sanguinis dyscrasiam atrabilariam corrigendam mirè conferre autumat.

Balneum aquæ dulcis, tempore æstiuo ad sordes cutis poris impactas abstergendas, & transpirationem insensilem promouendam egregiè prodesse ait.

Quando ægri somnum haud capessunt, vel longis vigilijs quasi emaciantur, indeque deterius valent, ad hypnotica blandiora confugiendum esse sibi persuadet V Willis; in horum catalogum refert decoctum florum paralyseos, foliorum lactucę, vel aquas destillatas papaueris rhæad. aut syrupum eiusdem. Porrò emulsiones ex seminibus papau. alb. syrupum de meconio, aliaque benigna & spiritus demulcentia conuenire putat.

§. 17. Hactenus pluribus *Willisii* opinionem retulimus, nunc & ad *Syluium* pergendum est. Ille verò ad humorem acidiorem temperandum & corrigendum laudat aromatica omnia, & *sale* tum *fixo*, tum *volatili* prædita, cum quibus *acidum* solet concentrari, ac infringi. Eundem effectum & præstant *spirituosa*, inprimis *aromaticis* iuncta, quod & faciunt *subpinguia*, & quidem volatili & aromatica pinguedine prædita, conuenire & hic *aquea*, emulsiones scil. putat, quæ omnia austerum humorem vt plurimum hoc in affectu peccantem efficaciter atque blandè corrigunt, emendantque. Hisce & viribus æmula sunt salia volatilia, & inter alia *spiritus salis armoniaci*, reliquis aromaticis associatus; inprimis *ipsius* sal volatile oleosum. Humorem hunc tam acidiorem, quàm austeriorem, spiritibus negotium facessentem, aliquomodo correctum, atque ex parte saltem emendatum redundantem, minuunt ac educunt hydragoga, vt sunt *ebuli* & *sambuci* radices atque eorum cortex, folia floresque sem: cartham. mechoacann. atque ialappæ radices, gummi guttæ. Ad Diæteticam Authoris curam ex ipsius pharetra quærendam curiosum Lectorem remittimus.

§. 16. *Cartesius eiusque sequaces* ad sanguinem crassum & fæculentum, spiritus animales similes reddentem, incidendum, attenuandum, ac volatilisandum, acidumque quodcunque vitiosum obtundendum, vt spiritus animales generentur subtiliores, & ad debitas operationes aptiores reddantur, *alterantia* exhibent, quæ constant vt plurimum sale volatili copioso, vt sunt omnia spirituosa; phænomena enim huius morbi cum dependeant vt plurimum à statu fixitatis, conglomeratæ verò particulæ spirituosorum defricatione hebetescunt, ea propter destillant succos betonicæ, cochlear. beccabungæ, alsines, & id genus alia. Et cum sæpè glutinosum & viscidum peccet, præscribunt vsum *acidularum*, quę participant de Marte, vitriolo, & salibus, quorum beneficio optimè corrigitur glutinosa sanguinis intemperies; illæ enim Partes metallicæ omnes corporis meandros & tubulos angustissimos queunt perrepere, atque humores viscidos ductus multos obstruentes resoluere.

Ad hoc acidum sanguinis corrigendum & destruendum mirum quantum iuuant *Martialia*, inprimis vitriolum Martis. Si enim Martialia intra corpus sumantur, acidum vitiosum agit in illa, sicque tertium fit, & acidum absorbetur. Ad mucum v. in primis vijs sæpius latentem, & parietibus vt plurimum ventriculi adhærentem, fermentationemque impedientem, exterminandum, magnificiunt *Cartesiani vomitoria*, quæ concutiendo mucum illum facili Marte abradunt & eijciunt. Palmam alijs præripere putant antimonialia, tartarum nempe emeticum Mynſ. à gr. 2. ad 4. Laudant & sulphur *antimonii*, cuius præparationem habet *Willisius*. Inter reliqua purgantia extractum hellebori nigri ad ℈j. exhibendum præscribunt; pro confortando cerebro & poris ipsius nimis laxatis emendandis & paululum astringendis magnificiunt tincturam lapidis Lazuli, coralliorum, Lunæ;

& alia

& alia eius sortis, quæ omnia & singula huc referre tædiosum esset.

§. 19. Nostram nunc videamus methodum hunc curandi morbum, quam breui pomærio comprehendamus. (1.) Rex noster Microcosmetor ab imminēte hoste, aculeatis armis potissimum munito, tristis factus iterum excitetur. (2.) inde spiritus animales Regis ad exemplum torpidi facti, & poris cerebri ab alijs ideis iam occupatis infixi, eliminentur. In curatione prodest, si vena aliqua inferior incidatur & sanguis crassus educatur.

Postea acidum viscidum Regem nostrum tristem reddens & spiritibus animalibus negotium facessens ante omnia corrigendum censemus, vt ita Rex excitetur ad pristina munia obeunda, quod obtinere possumus ex alcalibus tum fixis, tum volatilibus; & hìc alcalia volatilia longè præstant fixis, cum & acido absorbendo & eius spiculis obtundendis congruant. Hinc tanto leuamini sunt melancholicis salia volatilia, quæ simul corrigunt sanguinem crassum & fœculentum. Sed cum acidorum particulæ modò gladiolis, modò nouaculis, modò acui & aculeis assimilentur, inde varia antacida esse debent, quare hæc hoc in affectu sæpius mutanda veniunt. Ad acidum hoc viscidum, quod aliquando sibi rapuit imperium circa hypochondria; mesenterium lienem, &c. mortificandum, commendamus *myrrham*, & ex ea paratam *tincturam salutis*, quæ omnem corruptiuum acorem tollit, & balsamica vi quamcunque putredinem arcet; quibus ad amussim viribus æmulum esse *Elixir polychreston nostrum* autumamus, ex myrrha, aloè, crocco, cum spir. vini tartarisato, & ol. tartari per deliquium paratum, certè mille experimentis nobilitatum medicamen. Alcalia fixa & terrea quatenus acidum peregrinum, hostem sc. extra munimenta adhuc existentem, arcent & interimunt, proficua erunt, vt sunt oculi cancri, margaritæ, CC. vst. coralia. Viribus conspicuum est medicamen vitri olum Martis. Esto formula sequens pro acido hoc hoste arcendo.

℞. *Cremor. tartari* ʒ j.
Vitriol. Martis.
ocul. cancr. alcolisat. ana ʒ j.
Margarit. ʒß.
M. f. pulus noster absorbens.

Sequentia remedia eodem sunt genio prædita, & paulò fortiora, vt Elix. propr. Par. Tinctur. Castorei, succini, &c. Esto formula.

℞. *Spir. salis armoniac.* ʒ ß.
Carminat. ʒ ß.
Tinct. castorei.
Cinam. ana ʒ j.
Martis ʒ ß.
M. D. ad vitrum & exhibeatur ad guttas 20:

Tinctura Martis ritè parari solet cum succo pomorum Borsdorfianorum, & detur in vehiculo idoneo, aqua destillata, &c.

Non possumus nobis temperare, quin hic reprehendamus hodiernos plures Practicos syrupis suis apertiuis alijsque dulcibus acidum peccans deleturos & correcturos, cum potius suis vulgò commentis dulcibus homines lædant, quæ si perpenderent delicatuli, tum eiusmodi omitterent, cum sanguinem dulcem non reddant talium vsu, sed potius exasperent eius acrimoniam acidumque adaugeant. Omnem in hoc casu probationis paginam absoluit *Pisonis* in Brasilia obseruatio, qua succum ex quo saccharum concrescit extrauasatum intra breue temporis spatium accescere tradit. Prosunt verò hìc omnia acida volatilia. Inter spiritus acidos volatiles *Tachenius* numerat etiam spiritum vini alcolisatum, qui conficitur cum spir. vini vulgari per vesicam, sine vlla additione vel cinerum clauellatorum, vel salis communis, sicut nonnullis fieri solet. Spiritus vini tartarisatus sequenti modo paratus est optimus: Expone aeri frigidissimo vinum generosum in vase idoneo vt congeletur, foramen fiat cum baculo in gelu, & sunde liquorem non condensatum in aliud vas, liquor segregatus congeletur, quod repete toties, vsq; dum aer non

amplius reſiduſi condenſare valet, puriſſimum tunc habebis ſpiritum vini tartariſatum, qui mirandos edit effectus hoc in morbo, alijſque. Saccharum certè tantum à vera dulcedine abeſt, vt ipſum diſſoluat antimonium, cum quo ſi commiſceatur triduana & leni deſtillatione, oleum antimonij ſaccharatum, hoc eſt ſpiritum acidum combuſtis partibus non inutilem prolicit. Sic & nos habemus proceſſum Tincturæ corallorum ſaccharatæ, vbi ſolent ſaccharo calcinari corallia, verùm tædet diutius notis immorari.

Hoſtis Regis noſtri ita viribus fractus planè eijciendus eſt, & cum ille ſæpius tyrannidem ſuam exerceat in ventriculo, inteſtinis, ductu pancreatico, alijsque locis illum ope Emeticorum eijcere poſſumus, vt ſunt Tartarus Emeticus, vinum emeticum noſtrum.

℞. *Antimon.* ʒ. ß.
Caſſ. lign. ʒ iij.
Rhabarb. el. ʒ. ij. ß.
Calam. arom. ʒ j.
Zinzib.
Galang. ana ʒ i ß.
Caryophil. ℈. i.
Cinnamomi ʒ ß. ʒ
Sacchar. alb. ʒ. j.
Vini Rhenani ʒ. xvi. *Doſis* ʒ. ij. *da* ʒ. ß.

Antimonialia enim in hoc morbo præ alijs commendamus, quia humores valdè diſſoluunt & fluxiles reddunt, atque curationem quaſi politicam efficiunt, dum ſcilicet humores valdè tingunt & corrumpunt, vt excreta appareant ſub colore viridi: vnde æger videns illa colorata, credit iam omnem vitioſam materiam è corpore eſſe deturbatam, & ſic ceſſat in ægro illa phantaſia, & phantaſmata, quibus melancholici plerumq; obnoxij ſunt, planè deſinunt. Fortiora quoq; debent hæc eſſe medicamenta emetica & cathartica, aliàs partes ſenſiles ad talem ſpaſmodicam contractionem irritari haud poſſe nobis perſuaſũ eſt: ſic etiam mucus ille glutinoſus parietibus vẽtriculi ſæpius adhærens melius excutitur. In hunc finẽ ſequens exhiberi poteſt.

℞. *Succ. cort. med. ſambuc.* ʒ j. ß.
Sal. Vitrioli ℈. ß.
Syr. fumar. ʒ. j. M.

Inter ſpecifica habetur extractum hellebori ad ʒ ß. exhibitum, imprimis cum ſpiritu vitrioli correctum. Cui diſplicet hoc extractum, in illius locum ſubſtitui poteſt mitius extractum nempe diacitri ad ℈ iv. ſeu infuſum fol. ſennæ & rhabarb. cum ſale tart. vel decoct. paſtul. c. fol. ſenn. lib. j. ß. pro aliquot vicibus, vel ſequentes pilul. quæ tamen non adeò conueniunt in naturis ſiccioribus.

℞. *Extr. diacathol.* ʒ ß.
Mag. Lunæ ℈ ß. *M. f. pilulæ,*
Veſperi aſſumendæ.

Magno quoque cum effectu interponimus Clyſmata varia ex carminatiuis, aciditate temperantibus, parata, quæ ſimul aluum lubricant ac mucum illum fluxilem reddunt. In antimonio ſpecifica latet vis contra melancholiam, & nil tam melancholiam purgat, quàm antimonium. Infuſis & vinis medicatis vti poſſumus. Purgantia optimè infunduntur in ſero lactis, ſeu aq. eiuſdem, itidem cum aqua pomorum, addito rore maiali & deſtillato. Exhibitis his purgantibus procedendum eſt ad *alterantia* ſpecifica; quæ Microcoſmetorem ſopitũ excitant, & ſimul ſpiritus animales ignauos ad officium ſuum impellere queunt, in hunc finem volatilibus ſupra laudatis admiſcere ſolemus Martialia.

℞. *Spir. ſal. armon. ſuccinat.* ʒ ß,
Carminat. ʒ ij.
Tinctur. Caſtor.
Cinnamomiana ℈ j.
Martis ʒ ß.
Aqua fumar.
Cent. min. ana ʒ. ij.
Syr. cinnamom. ʒ ß.
M. D. ad Vitrum.

Eſſentia fumariæ, itidem ſuccus eiuſdem herbæ, c. ſero lactis per aliquot dies aſſumi poteſt; nam fumaria non diuturnam ſuſtinet coctionem, ob ſal volatile, quod in ſe continet.

Tinctura tartari antimoniata, eſſentia chalybis, tinctura tartari ſimplex, &c.

alijs

alijs alterantibus palmam præripiunt.

Conducunt & varia destillata ex succis serum lactis, & id genus alia, imprimis acidulæ Martiales, quæ possunt parari ex chalybe & clysso, vide de his *Schræderum*. Præ alijs commendamus *Schuualbacenses*, mirum enim quantum hæ iuuare possunt, prout multiplici experientia confirmati testari possumus. Corrigunt enim acidum peccans & viscidum tenax induunt, Microcosmetoris perturbationes placant & compescunt, fermentationumque vitia emendant, & promptum sæpè ac tantum non præsentaneum existunt remedium. Vix namq; amplius dubitat aliquis, statum nostrum vt salubrem & fluidum, ita & morbosum, & langueſcentem ex sanguinis fermentatione, partim immediatè, partim mediatè dependere. Pro opio camphora præstat, quia magis subtilis est. & citius auolat. Si suspicio adsit de philtro exhibito, præmisso vomitorio exhibeatur puluis secundinæ c. theriaca, item magister cranij hum. & Electuarium Hartmanni. Inter Chirurgica commendamus hic cum expertissimo Ettmullero variorum liquorum volatilium, aliorumque infusionem. Sed cum id susè præ laudatus vir retulerit in *Disp. de Chirurgia infusoria*, cuius lectionem lectori curioso suademus, malumus eò ipsum remittere, quàm in transcribendo tempus terere. Quibus hoc insuper exemplum subijcimus, quod tincturam Martis per vices infuderimus in venas rustici Lindensis, maximè melancholici, egregio cum effectu. Perpauci tamen, si vlli (quos quidem ego noui) curiositate illa ducti fuerint, vel accuratiùs hisce insistunt, verùm ob contumeliã aliorum non audent ea experiri. Sed non allubescit diutius hisce immorari.

Apertionem hæmorrhoidalium venarum, & arteriarum temporum, item cauteria non sine fructu magno sæpius instituimus; sanguini enim vitioso semper à chylo suppeditatur melior-Sed hìc semper respiciendum est ad vires, aliasque circumstantias, quas Medicus præsens ritè attendat oportet.

CAPVT IV.

De Affectibus Capitis rationem turbantibus

DE MANIA.

DEFINITIO.

§. 1. Mania (Latinis furor, seu *insania*) vulgò describi solet, quòd sit calida affectio in substantia cerebri suborta, sine febri, quia læditur imaginatio & ratiocinatio, sæpè illæsa manente memoria. Nobis libet sequenti modo describere, quòd Mania hæc sit delirium cum maxima feritate alienationeq; mentis, sine febre, à Microcosmetoris (imò verè Cosmetorgis) excandescentia horribili & spirituum animalium planè igneam indolem induentium extrauagatione, motuq; irregulari dependens. Cognati affectus sunt *phrenitis*, *melancholia*, *& mania*. In his omnibus afficitur Cosmetorges & turbatur ratiocinatio.

DIFFERENTIA.

§. 2. Differunt tamen, quòd phrenitis semper adiunctam habeat ardentem febrem, at melancholia à mania solùm in hoc differt, quòd in vtroque affectu turbetur ratiocinatio & æger absurda sibi imaginetur, loquatur, & faciat. Attamen qui mania laborant, iracundia, ferocitate, rixis, clamoribus, ac horrendo aspectu, longè sunt turbulentiores, quàm melancholici. Hinc alij Maniam, intensam esse melãcholiam, definiunt, describuntq; Differt & in eo melancholia, quòd hæc cum metu & tristitia eueniat, hic verò affectus cum audacia, furore, & sine febre accidit, facilè tamen hic in alterum & vice versa sæpè commutatur. Nam Cosmetorges noster tristis & furiosus factus, & ad deteriora perculsus furorem & flammam accersit; facile enim fumus hic flammam concipere potest. Spiritus enim animales in melãcholia fumo quasi obfuscari dicuntur, Mania istis apertum ignem injicere videtur, in ipsis Maniacis rabiosa mordendi ac dilacerandi libido, qualis in canibus & lupis deprehenditur, vnde & dicitur hic affectus, *Cynanthropia & Lycantropia*, *Dæmonium caninum & lupinum*. Nec mirum est quòd in alios

fæuiant, cùm experientiâ constet, huius mali seruos nec sibi ipsis parcere, sed sibi violentas manus inferre.

PARS AFFECTA.

§. 3. Pars affecta secundùm veteres est cerebrum, quod probant ex principalibus functionibus oblæsis, & sic cerebrum, vel per se vel per consensũ, hic laborare posse contendunt. Alij ipsam animam pro subiecto habent. *Cartesius* enim substantias duas, realissimè tamen distinctas, in homine agnoscit, vnam scilicet *immaterialem, & organicam* alteram, quæ tamen substantiæ firmissimam copulam, & nexum inter se habent, vt anima imperante spiritus animales omnes actiones motusque absoluant, & has hic affici credit.

Willisius pro subiecto agnoscit spiritus animales à propria, & gemina indole sua desciscentes, *Aquæ Stygiæ* æmulos, *cerebrum*, & pro parte affecta agnoscit. *Nos vero circa sedem nostri Microcosmetoris, omnesque poros cerebri in quibus ideæ formari, spirituſque hospitari solent, mali officinam quærimus.*

SIGNA.

§. 4. Ægri hoc correpti morbo aliquando instar ferarum quasi furere videntur, ita vt inter Maniacum, & brutum rapax nulla appareat differentia, obuios enim immaniter inuadunt, eosque, vti duo illi Moniaci apud Matth. c. 8. vers. 28. 29. vulnerant, imò nec parentibus mordendo vel lædendo parcunt, mox iterum se mansuetos gerunt, intractabiles tamen sunt cum multiloquio, saltant, cantant, agitantque mirè corpus, semper apparent aspectu torvo & vultu tribunitio, intrepido & inuerecundo. Commune autem symptoma perpetuò omnes Maniacos comitatur, videlicet perpetuæ vigiliæ, & omnibus adest stupendum corporis robur, & vis ferè Herculea, quam impunè non provocaueris; maximum quoque frigus; ieiunia, verbera, ac vulnera absque sensibili noxa perferre possunt, iurant, vociferantur, & varios gestus in dies faciunt, crines sibi sæpè euellunt, vestes lacerant, senestras seriniaque perfringunt; fortes enim sunt, & vigilias ferunt intensas, de magnis multisque rebus, rixis, contentionibus, igne, dies, nocteſque blaterant fabulanturque. Proni sunt, & interdum nunc in risum hilaritatemque, nunc in mœrorem, nunc in timorem inanium rerum labuntur. Subito temerarii, iracundi, clamosi, & minaces fiunt, vincula cum catenis rumpunt, muros & fores effringunt, incredibili enim pollent robore, etiamsi dies, nocteſque insomnes trahant, ob spirituum animalium omnia membra irradiantium igneam vim, quæ valdè adiuuatur à rectore suo incendiario facto, vnde & intensissimum frigus, quamuis nudi sint, haud sentiunt, quod & annotauit Helmontius in tractatu suo, *Demens idea* dicto, hisce verbis: Est singulare Maniaco, quod vtcunque nudus cubet, humi, vel in marmore pernoctet, seruerissimo *Boreæ* flatu non glacietur, vel *artus commoriantur sibi*; *Maniacus non sentit frigus, nec scit sentire*, quia iuxta quosdam, mens cum internis nimis fit occupata, externa minora non attendat, neque frigori externo auscultet, ita vt non tanti faciat quietem sibi illarum neruearum. Sic & ieiunia, verbera aliaque incommoda adhuc minus sentiunt. Nonnunquam verò ita seriò rem agunt, vt amicos, atque adstantes aut verberibus, aut morsibus, aut aliis iniurijs lædant, moreſque quasi ferinos exprimant. Toruos, intrepidos, attentosque habent oculos, & semper aliquid mali meditantur, quia spiritus ignei ferocius per meatus cerebri Cosmetorgi offerunt vestigia, vel simulacra antea oblata, hinc iudicat ille, ac si essent præsentia. Tantum etiam subinde insaniunt, ne sibi ipsis conuitia dicant, tumque vinculis detinendi sunt. Dolor capitis aliquando, & vigiliæ immodicæ semper hic vrgent ob spiritus animales igneos cerebrum totum irradiantes. Præcedunt plerumq; insaniã iracundia, metus, amor, ambitio, curæ, studia, &c. juxta *Helmontium* dicentem, à metu, agonia, ira, inuidia, ambitione, amore, studio, cura, pudore, alijsque dementiæ fiunt. In venerem pro-

ni aliquando sunt; nec non ipsis curæ sunt res extraneæ, nihil ad se pertinentes. Sed tædiosiora hęc sunt, quàm vt ijs pluribus litare debeamus, præsertim cum mille testes, experientia quotidiè affatim exemplorum suggerat.

CAVSA.

§. 5. Perspecta iam methodo cognoscendi hunc morbum, perspiciamus & causam huius ferini affectus, Causæ maniæ sunt Veteribus Galenicis scilicet, vitiosi humores, adusta videlicet melancholia, bilis flaua, retorrida, & sanguis adustus inq; naturam melancholiæ trasmutatus. Ipsis hic effectus aliquando oritur ex calida cerebri intemperie, quòd si in causa sit præassata bilis flaua, tunc ferina excitari deliramenta aiunt, ita vt ægri fiant temerarij, & adeò fortes, vt violento corporis impetu formidabiles reddantur: Si verò generetur hic affectus ex copia feruentis sanguinis adusti, in vtramq; bilem mutati, ad caput cum impetu ruentis, tunc plerumq; cum risu atque cantu immodico ęgri insanire, ex ipsorũ obseruatione solẽt.

§. 6. Videamus porrò, quid *Paracelso* de morbi hujus causis, & natura videatur. Hic verò c. 2. *de morbis amentium*, Maniam ex *tribus primis principiis* oriri vult. & *lib.* 10. §. de cap. aduerſ. intern. §. 3. Maniam phrenesin, & insaniæ species *ex oppilatione suæ partis* oriri contendit, per calidum vel frigidum resolutum, aut coagulatum, & alibi *lib.* 1. *de virib. membr.* c. 3. spiritus vitæ quo pertingere nequit, ibi morbus gignitur, si nempe oppilatur ibi oritur putrefactio & exulceratio, moritur enim in illo loco. Item *alibi* c. 2. *de morb.* Maniam in duas species dirimit; vnam quæ proficiscitur *ex defillatione*, quando nimirum in capite manet vapor; alteram, quæ prouenit ex *sublimatione*, quãdo in capite coagulatur. Ibidem quoq; memorat, non posse satis intelligi, quænam maniç *minera* atq; fomes sit originalis verùm causam putat, in quacunq; corporis parte latentem esse *Mercurium in calcem reuerberatum, & in aquam fortissimam solutum*, qui spiritui vitæ permiscetur, illumque inflammat. Tantam verò inquit, esse, aquæ istius fortis subtilitatem, vt in fundo non commoretur, sed ad summa fastigia tendat, quamprimum autem ad cerebrum peruenerit, insaniam inde produci, vti fusius *Petræus*, Pullus Paracelsicus, in *Nosologia Harmonica Dogmatica & Hermetica* hæc deducit.

§. 7. *Helmontius* celebris, omnem amentiam oriri ab efflorescentibus ideis conceptualibus peregrinis autumat, quæ efferuescunt, non secus ac stigma cerasi, alijque næui materni quotannis virent vel rubent cum arborum fructibus, sic & ideæ maniacæ perturbationibus ortę habent (vt ille loquitur) in spiritu prærdiorum sua incentiua repetitionum, periodiorum que interualla, in amentijs hypochondriacis esse venenum quoddam vel furiosum, vel cum ioco delirans.

Si fingere licet cum Helmontio, quid quæso non licebit, cur non rusticum fingimus ex insanæ ebrietatis malo omnes has turbas commouentem, spirituſque turbantem.

§. 8. Votum nunc erit examinandum VVillisij, qui de causa huius morbi agens Maniam generari putat, in quantum ipsi spiritus animales ab indole miti & benigna, nempe spiritu salino, in aliam acerrimam, puta *salis fluidi*, ac *sulphuris arsenicalis* participem, degenerant, qui spiritus & sanguine deprauato, & nitro-sulphureo taliter vitiosi generantur. Existimat quoque fermenta venenosa *sanguini* vel *succo nerueo* insinuata facilè hunc affectum generare, quod probat à canis rabidi morsu, aut venenorum assumptione, id genus deliria excitari. Audaciam maniacorum deducit Nob. Author, quòd nempe spiritus animales efferi admodum existant, & animam ultra corporis ambitum efferant. Robur immensum explicat per id, quòd in sanguine ac succo nerueo maniacorum particulæ nitro-sulphureæ aut aliàs acerrimæ velut stygiæ contineantur, vnde spiritus animales vi elasticà siue explosiuà stupenda, & longè suprà naturalem, immani pollent

Fu-

Frigus intensum æstumque, vigilias, ieiunia, verbera ægros absque noxa sensibili, ob spiritus robustos & fixatos & anolare nescientes, perferre ratiocinatur.

§. 9. *Syluiani* hìc accusant spiritus animales excandescentes, à vitiosa efferuescentia vt plurimum ita factos, & omnium Maniacorum affectuum symptomata probant per causam remoram, pancreaticum succum stagnantem, & vitio corruptum, cuius rei penetralia clariùs aperit ipse Syluius eorum antesignanus, in Praxi, cap. de Mania.

§. 10. Renatus eiusque sectatores admirandam hanc animæ passionem in motu spirituum animalium feruidorum irregulari consistere contendunt; anima enim iuxta illos tamdiu manet tranquilla, quamdiu motus in corpore fiunt placidi & sine tumultu; tranquillitas enim animi secundum hos consistit in blanda sanguinis fermentatione, quamdiu enim illa durat, spiritus in cerebro retinentur in æquilibrio quamprimum verò sanguini tali impetuosus incutitur motus à fermento aliquo sylueſtri in sanguine latente, vti in melancholicis, spiritus animales ita cum impetu in cerebrum mouentur, vt non auscultent animæ imperio sicuti enim blandus & lenis benè temperatorum spirituum motus, blandas, iucundas, lenes & prudentes solet excitare cogitationes: ita è contra feruidi & pungentes spiritus vehementiùs & nimis moti, solent hominem, non secus ac si stimulis esset concitatus, reddere ferocem, iracundum, audacem, impudentem, &c. Tali modo supponunt dispositos esse spiritus animales Maniacorum. Remotè sanguis crassus, fermentabilis tamen (fortissimum enim Carteſiani supponunt in massa sanguinea Maniacorum fermentum) & à quacumque causa occasionali, ira sc. terrore, &c. impetuosius motus, ab ipsis culpatur. Attamen à causa sc. externa aliqua passiones in anima excitante, fermentum quoddam, ex irregularibus constans particulis, cum impetu versus cerebrum sæpissimè abripitur, & arteriolarum poros plexus choroidei plus solito aperit; dein ab harum particularum heterogenearum affluxu spirituum animalium placidorum motus aufertur, quos spiritus ita accensos per totum cerebrum, magis tamen circa *glandulam pinealem*, vagari supponunt, qui fulminis instar in cerebrum & musculos influentes, glandulam mentis imperio planè subducunt, quæ ab emenis illis spiritibus elusa, omnique in corpus imperio defraudata, attentionum suarum habenam amplius dirigere nescit, vnde tot incompositos gestus, pugnas, rixas, clamores, &c. deducunt.

§. 11. Ad nostrum nunc pensum accedamus; fatemur Carteſium phœnomena huius affectus optimè explicuisse *de animæ passionibus*, quomodo sc. ira fiat, quando nimirum homo graui contumelia afficitur, cum mens circa illud vestigium detineatur, spiritus, motu sensorij communis; ex certâ agitatione orto, per neruorum tubulos in cuncta corporis membra, ad vindictam inseruientia, impelluntur; sic spiritus illos sanguinis & humorum circulantium iam dum à fermento peregrino motorum motus reddere celeriores. Lubet tamen nobis sequenti modo explicare.

Ad quam rem Archimedis nobis subueniat circinus, vt cum Graduistis primarum qualitatum limites commensuremus, nos eadem fidelià vtrumque parietem & Hippocraticis *qualitatibus* & *Democraticis* salibus confricabimus; qui pro diuerso figurarum acumine vel hebetatione diuersimodè agunt. Hoc in affectu ergò Microcosmetor nobis est quasi incendiarius, qui spiritus animales hominis accendit, qui ita accensi instar vulpium Samsonicarum (lib. Iudic. c. 15. v. 4. 5. 6.) percurrunt omnes fossulas cerebri, & quascumque ideas, inprimis illas, quæ de audacia, furore, incendiis, rixis, &c. ante hac concepte fuere, efformant; cum impetu quoq; ruunt in omnes partes corporis, quas vehementer irradiant, vnde maniaci sunt valde robusti, & quodcunque frigus aliaque incommoda perferre pos-

sunt

sunt. Inter causas remotas, tanquam spiritibus suis accensis pabulum ministrantes, autumamus esse sanguinem, multis particulis fixis & irregularibus constantem, cui si fermentum aliquod *acidum volatile* accedit, facilè Microcosmetor igneſcit. Spiritus in cerebro in æquilibrio consistere debêt, quam primum autem vel à sanguine tali, vel à fermento aliquo syluestri, & bilioso sulphureo in sanguine latente, impetuosus ipsis incutitur motus, tum accensio Microcosmetoris & spirituum animalium accedit. Res aliæ externę facilè homines in hunc morbum coniicere possunt, & quidem venena aliaque. Sic legitur in *Ephemeridibus*, Germ. Ann. III. quòd rusticus quidam sub arbore recubans, à somno expergefactus, per annum dimidium Maniacus redditus fuerit, sed assumpta tabaci vncia, & concitato vehementissimo sternutamento prodiit eruca nigra longa atque pilosa, qua reddita rusticus perfectæ restitutus sanitati fuit. Sic quoque post variolas malignas superatas, maniam ortam fuisse testantur itidem Ephemerides. Sic & experientiss. Dn. *Ettmullerus*, Prof. Lipsiæ celeberrimus, miram annotauit historiam *in disp. de morsu viperæ*, quòd sc. in oppido vicino Torgauia, mulier maniaca, & quidem vt putabatur *ex philtro*, lictorem in custodiam se abducentẽ, mordendo prope axillas, in similem coniecit calamitatẽ, vt postero die similiter, ac ipsa fureret, muliere melius se habente. Sic nos morsum ex iracundia alterius maniam & insanabile vulnus rustico Hadamarensi conciliasse nouimus. Bilis enim, vt supra dictum est, furoris sæpius hominum causa est, vbi nimium redundarit, prout & ait Philosophus Medico (Democritus Hippocrati) si velocior nimirum, & ex ira bilis acrimonia spiritibus animalibus accedat. Obseruesenim iratos homines certo vix loco manere, incalescere, seccuti, & si dentibus mordeant, venenati quid partibus adfricare, vt ex superiore historia liquet. Sic ex metu, & concepta animo vindicta affectus hic oriri potest. Ita ex fide Poetica *Orestes* apud *Euripidem*, propter interfectam matrem, *furiosus* factus est, donec ad aram *Dianæ* expiaret scelus, & Empedocles ex superbia furore percitus, & in Ætnæ voraginem prosilijt, iuxta illud Horatij: *Deus immortalis haberi, dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam insiluit.* Omnia Phenomena nostri affectus, facilĩ Marte explicari possunt, ex iam dictis. Hæc causa fuit ex multiplici opinione, nunc videamus alterum Hemisphærium, *Prognosin* nimirum.

PROGNOSIS.

§. 12. Frequens est iuuenibus, ac mediæ ætatis hominibus hoc malum, nec tamen senes ab hoc affectu planè immunes esse totà die videmus. Bigam talium maniacorum senum nos nouimus, ciuem, scil. Dizensem & Hanouiensem van R. sexagenarios, sed siccioris, & macerrimæ constitutionis texturæque, vt quasi sine extis & haruspice diuinari possit, spiritus animales in ipsis ardere, & igneſcere. Desipientiæ, iuxta Hippocratem nostrum Sect. 6. aphor. 53. quæ cum risu fiunt, minus periculosæ sunt ijs, quæ cum studio accidunt; eoque periculosiores sunt, quò maior concurrit temeritas. Vbi iam radices egerint altas, malum vix curari potest; in cerebri enim vestigia olim impressa, sed postea sublata, & quasi concremata, minimè restitui possunt; nam plicas firmiter cerebro impressas explicare non hominis est, vt in charta, vel corio cum acicula leuiter imago alicuius rei est impressa, tractu temporis & motu chartæ, imago penitus obliteratur; verùm si acus altiùs adacta fuerit, & foramina effecerit nunquam imago delebitur.

Appetitus prostratus, vlceraque in facie, ano, pedibusque enata, malum omen habent. Vbi verò delirium somnus sedarit, id bonum Hippocrat. sect. 2. aphorism. 2. pronuntiat; similiter quoque si insanis vertices, & hæmorrhoides superueniunt, fit solutio morbi,

sect

sect. 6. aphorism 21. vigiliæ diutius protractæ malum denuntiant. Facilè hic affectus in stultitiam, & melancholiam ad tempus quidem transit, donec noua incentiua fermenta Microcosmetorem & spiritus animales accendunt, & hoc fit duobus modis, vel ab anima, vel corpore, quia tandem anima res licèt ingratissimas, & tædiosissimas imò horrendas assuescit, & illas cum minori affectu contemplatur, à corpore, quædam mania præcipuè constat à fermento quodam, quod & tandem consumitur, totaliter verò ita consumi nequit, quin reliquiæ in partibus solidis adhuc relinquantur, quæ iterum à causa aliqua externa possunt inactum deduci, & sic tum mania redit, vel quia anima has res consuescit, & sic sæpè hic affectus recurrere solet, & si inueteratus vel hæreditarius, aut morsu canis aliusque animalis rabidi inductus, vix radicitus vnquam extirpatur ac sanatur, ob rationem superius dictam, semel enim extinctis vestigijs cerebri, spiritibusque seruidis & aquæ stygiæ similibus redditis, atque à genuina indole sua desciscentibus rarò ad priorem reduci possunt, de quibus pluribus egimus in superioribus, inprimis vbi de causa huius miserrimi affectus egimus.

CVRA DIÆTETICA.

§. 13. Cura Diætetica nunc sequitur, consistit ea inobseruata quotidiani victus ratione, (1.) *Aer* sit temperatus ad frigidum, humidumque non nihil vergens, vitetur imprimis, nimis calidus impurus & vernalis, vnde magnus *Hipp.* s. 3. aph. 20. ait, *verè* fiunt insaniæ, furores, & morbi melancholici, quo tempore sc. fabæ florent, iuxta versiculum: *cum faba floresçit stultorum insania crescit*. Omni quoque tempore, inprimis diebus canicularibus maniæ fieri possunt, solentque, quales vidimus & in hyeme. Vt enim maria vi tempestatum ab imis resusa vadis intumescunt, fluctuusq; insolenter attollunt: ita furentibus atrociter ventis, suo quodam æstu humores in corpore efferuescunt, qui euecti in cerebri arcem, impulsis spiritibus turbidos animorum motus, excitant, auersos à ratione, inimicos mentis vitæque tranquillæ. Hinc illa tempestuoso cœlo affectuum est intemperies, illa in colloquijs difficultas, in animo iracundia, in conuersatione morositas &c. (2.) *Cibus* sit refrigerans humectansque, vt sunt iuscula caponum, perdicum, gallinarum ac pullorum, refrigerantibus & humectantibus herbis, alijsque infarctorum: Cerebella porcina butyro frixa comesaque specificè prodesse maniacis quidam scribunt, quorum periculo hæc retulimus. Alimenta flatuosa & calidiora valde nocent, quia Microcosmetorem spiritusque animales accendere possunt, vt sunt aromata, acria, sinapi, & id genus alia, carnes suillæ, anserinæ & fumo induratæ quæcumque, vt & omnes cibi fermentati, maximè obesse deprehenduntur.

(3) *Potus* sit refrigerans, aq. hordei scil. vel acidulæ Doningsteinenses, decoctum herbæ anagallidis: *decoctum birundinum cum lapide prunellæ nostra experientia comprobatum.* Exulet verò vinum quodcumque juxta illud:

Vina grauant animos faciuntque furoribus aptos.

Quare angue & cane peius vitanda sunt vina generosa, spiritus vini, aliæque aquæ cardiacæ calidiores. Vinum ergò ad mentem veterum bibendum est iuxta illum vetustæ Religionis ritum quo in Deorum laudem præbibebatur, Princeps crater Iouis erat Olympij, secundus Heroum, tertius Iouis Sospitatoris, quæ sapientium quoque olim pocula dicebantur: primum sanitatis; secundum Amoris: tertium somni. Si quid accederet vlterius *insaniæ & iniuriæ* erat. Sic & nos Medici primos hauſtus siti, alteros voluptati, tertios deinde ebrietati, quartos *insaniæ* tribuere solemus. Vt enim in valida tempestate onustum mercibus nauigium sopito gubernatore, aut amisso clauo rectum tenere cursum non potest, ita homo obrutis vino sensibus oppressa-

que

que mente in ſtultitiæ ſcopulos detorquetur. Quod obſeruans Pythagoras *ebrietatem* aiebat *inſaniæ* eſſe meditationem. Ex eadem mente apud *Stob. Serm. Ebrios* vti ſenes bis eſſe pueros. Chryſoſtomus ebrietatem rectæ mentis alienationem dixit: imò vinolentia in violentiam vt tranſeat neceſſe eſt.

(4.) *Motus* ſit moderatus. Exercitia ergò quæcumque, curſus, ſaltus, &c. impediantur.

(5.) *Somnus* hic quoque conuenit conſueto tempore diuturnior, qui & prouocandus omninò erit, tum intus ſumptis tum foras admotis medicamentis refrigerantibus, & anodynis; quamdiu enim quieuit cerebrum, tamdiu homo ſapit, teſte noſtro diuino *Coo*. Vigiliæ protractæ maximè nocent.

(6.) Quo ad *Excreta* & *Retenta* excrementa alui, ſi non reddantur naturà, prouocanda ſunt; aluum enim neceſſe eſt habeant humidum lubricumque ægri. Sic & hæmorrhoidum aut Catameniorum fluxus inhibiti omni opera ſtudioq; cieantur; fiſtulis & vlceribus ſuppreſſis nouus fluxus conciſietur.

(7.) *Animus* ſit immunis ab omnibus affectibus, amicorum admittatur præſentia, prohibeatur verò admiſſio ignotorum & earum perſonarum, quibus cum æger aliquando odia exercuit vel etiamnum exercet. *Animi Pathemata* ſummoperè vitentur, ſecundùm Nos & *Helmontium*, metus, agonia, inuidia, ambitio, ira, amor, ſtudium, cura, pudor, auaritia, aliæque ſimiles perturbationes, quæ omnia ſanguinem ſpirituſque animales valdè commouere, accendere & noſtrum Microcoſmetorem in furorem agere valent.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 14. Hiſce præmiſſis Diæteticis remedijs, paulò intimius penſitemus curam, & eam ex pharetra pharmaceutica depromamus, quæ ita iunctim totam implent paginam. Veteres practici Galenici imprimis vtuntur ab initio huius affectus *præparantibus*, quæ ſunt ſyr. violar. fumariæ, acetoſæ, bugloſſæ, de cichoreo c. rhab. &c. Aquæ violarum, lupulorum nymphææ, cichorei, endiuiæ, acetoſæ. Poſt hæc tranſeunt ad *Euacuantia*, quæ ipſis ſunt & venæſectio, quæ, ſi ſcilicet ex abundantia feruentis ſanguinis (vti illi loqui amant) inſania excitetur, inſtituatur, idem remedium celebrant ſi malum hoc à *Cholera* fiat aduſta, abſque ſanguinis plenitudine. Et purgantia ſequentia quæ ex pharmacopolio depromũt vt ſunt ſyr. roſar. confectio Hamech, Diaſennæ, Hiera picra. Pilulæ Indæ, de lapide armeno, &c. ſyrupus ex violis, fol. cichorei, fumariæ, fl. nymphææ, ſem. frig. mai. glycyrrhiza, quę aliquando cum interdum ſine purgantibus parari ſolent, varia apozemata & potus ſeu decocta. Dein & pro *Euacuantibus* remedijs vtuntur manna, caſſia, ſenna, helleboro nigro, &c. Nec contemnunt clyſteres ex ſolijs violarum, lactucæ, altheæ, maluæ, oleo violarum, nymph. &c. Idem Practici *Auertentia* & *Repellentia* dein adhibent remedia, quæ ſunt hirudines ſincipiti alijſque partibus capitis in ſuperficie admotæ, hęmorrhoides, vt & menſes arte prouocati.

Huic ſcopo ſatisfaciunt & irrigationes capitis cum roſaceo, ſucco Polygoni, acetoque &c. vel ſincipiti cum linteolo appoſita epithemata ex his remedijs, frequentiuſque mutata, in quem finem & *fomentationem capitis* imperant cum decocto florum ſtœchadis, chamomillæ, &c.

Inter *cerebrum roborantia intemperiemque emendantia*, recenſent illi ſpecies, diamarg. frigid. elect. de gemmis, diatrion. ſantal. Conſeru. bugloſſ. nymphææ, borraginis, violarum, & id genus alia. Epithemata pro epate ex aqua intybi, roſarum, acetoſæ, camphora, ſpica nardoque &c. Cordi applicant aq. bugloſ. roſ. nymph. acetum, ſpecieſque diamargarit. frig. Balneum ex aqua, in qua decoquuntur flores chamomillæ, meliloti, fol. violarum, lactucæ, ſalicis maxi-

mo-

morerè commendant, vt & vnguentum pro spinali medulla, ex oleo nymphææ, amygd. dulc. rosar. violar. &c. Cauteria ceruicali commissuræ in desperato ferè casu audacter applicant.

§. 15. Hæc opis sunt Galenicæ, quibus meliora se inuenisse gloriatur *Paracelsus* qui in curatione huius affectus ad duas causas respiciendum esse memorat. *l. de morb. ament. c.* 2. Vult, vt materia peccans refrigeretur & coaguletur. Inter *refrigerantia* & *coagulantia* recenset narcotica & anodyna, inter quæ tanquam Luna inter minores ignes elucet laudanum *ipsius* opiatum, quinta essentia Mandragoræ, papau. hyosciam. | Specificè verò prodesse in hoc affectu, putat, quintam essentiam vel spiritum Saturni, Martis & Mercurij, solutionem Crystalli, Extractum camphoræ, auri, verumque aurum potabile, liquores Lunæ, saphyri & musci, vt habet lib. 2. de viribus membr. c. 4. ibidemque maximè arcanas *Gillæ* deprædicat vires, quod vult destillandum in vino vitæ & circulandum tamdiu, donec fundum non tangat, exhibendumque in Maluatico, quod plures ex Paracelsistis dicunt esse nitrum destilatum cum spiritu vini alcoisato & rectificato, quod postea circulari volunt, donec omninò fiat spirituale & volatile. Nonnulli ex ijs medicamen vitriolo putant, quod alias per *gillam* seu *grillam* à Paracelso intelligitur, cum ipsi specificum cephalicum sit. *Dass sind VVobl VVunderliche grillen.*

§. 16. *Helmontius* vestigia Paracelsi tam fastuoso supercilio, quàm placitis medicis premens, & narcotica & anodyna, hoc in malo proficua esse enuntiat: in hunc finem summè commendat sulphur vitrioli philosophicum, narcoticum, soporificum & mello dulcius, vnde in omnibus mentis alienationibus & hypochondriorum phantasiis, & passionibus conducere ait, quæuis enim *narcotica*, inquit, suspendunt lienem ab operosa phantasmatum sæuiorum exercitatione in cerebrum. Helleborum nigrum, quia alleuiat conceptorum grauitatem, & aufert aliquid de prædicto aggrauante phantastico proficuum esse indicat. Inter alia quoque submersionem in aqua frigida commendat qua plures curatos vidit.

§. 17. *Willisius*, ad Maniacos sanandos inquit, nihil magis necessarium esse quam vt terror ipsius injiciantur, cõmendante *disciplinam* seueriorem, minas nempe, vincula, verbera; aliaque, vnde amentes, & furiosi citius per supplicia, & cruciatus in gurgustio, quàm medicamentis curantur. Commendat quoque prædictus expertissimus Medicus quoad medicinam, venæsectiones, vomitoria, ac cathartica quandoq; fortia. V.S. instituendam præscribit, modò in brachio, modò in iugulo, modò in fronte, modò in pede, sæpiusque repetendam, sic enim animæ elationem optimè supprimi, atque semper alium mitiorem sãguinem ex chylo elaborari dyscrasiamque ipsius emendari autumat. Emetica, seu vomitoria ipsius in hoc malo sunt seq.

℞. *Sulphur. Antim. gr. vij. ad x.*
Cremor. Tartari ℈ ß. *M.*
Vel ℞. *Mercurii vitæ gr. ij.*
Conserv. ros. rubr. ʒ j. *M.*
Vel ℞. *Tartari Emetic. gr. ij. ad iij.*
Sal. absynth. gr. ij. M.

Aurum vitæ vt & Mercurialia magnifacit, quatenus per vomitum, & aluum, item per sudores, vrinam, aut sal iuationem operari assolent à saliuatione enim quosdam insanos planè curatos noster author vidit. Inter purgantia per infernum guttur recenset seq. ℞. Extr. helleb. nigri, Calomelanos, siue Mercurii dulc. an. ℈ j. f. bolus, &c. Alterantia magnæ etiam efficaciæ hoc in affectu æstimat, ex. g.

℞. *Crystall. Mineral.* ʒ ij.
Margarit. ppt. ʒ j, ß
Saccharo Cand. ʒ ij. ß
Camphoræ ℈ ß

quæ omnia simul terantur subtilissimè, & f. pulvis de quo sæpius æger capiat ʒ j. ad ʒ ij. in cereuisia tenuissima, aqua fontana, & ad libitum pro potu concedatur ordinario serum lactis in primis caprini, florib. viol. ros. rub. nymphææ alteratum, vt &

ele-

electuaria refrigerantia, Iulapia ac aquas destillatas magnificat, sæpius assumpta. Pro specifico in hoc morbo venditat decoctum *anagallidis* flore purpureo, item summitat. hyperici.

Si à morsu venenatarum aut rabidarũ bestiarum orta sit mania, commẽdat infusionem pomorũ, tincturas varias emulsionesq;

In omni amentia haud contemnit *cucurbitulas* cum scarificatione, nec vesicantia, nec cauteria, tum actualia, tum potentialia. Arteriotomiam vel *trepanationem & mercurialem* inunctionem in dubium vocat, nec nisi perpensa personarum differentia ex iis præsidium mutuatur.

Sincipiti & derasо capillitio pulmones agninos calentes alioſque fotus, ægrotis etiam reluctantibus, applicari vult. Reliqua apud ipsum authorem videas, crambe enim bis cocta nauseam parit.

§. 18. *Syluius* cum reliquis commendat venæsectiones, vomitoria, alterantia aquea vt sunt emulsiones, iulepi, serum lactis, acidulæ & id genus alia, lapidem prunellæ haud contemnit, vesicatoria, aliaque externa refrigerantia *applicata*, vt & anodyna intus & extus applicata magnificat, vt sunt laudanum opiatum, cydoniatum &c. Clysteres refrigerantes proficui vsus esse contendit, sed non libet, singula accuratiùs enarrare.

§. 19. *Carteſius* eiusque assecla ad motum nimirum sanguinis imminuendum sistendumque conuenire aiunt V. S. & quidem largiorem, si vires permittant, itidem *ponderosa* quæcumque, quæ grauitate sua sanguinem in motu nimio suo sistunt. In hunc finem præscribere solent lapidem prunellæ, saccharum Saturni, lapides cancrorum, laudanum opiatum, sanguinem draconum, &c. Prodesse quoque scribunt Decocta ex lignis vulgaribus, quia particulis suis duris & grauibus, sanguinis motum sistunt, & interim rigiditate sua sanguinem incidunt, & obstructiones tollunt, inprimis si pori nonnulli sensorii à crassiusculis particulis obstructi sunt. Reliqua Chirurgica iam dicta aliaq; postea dicenda nigrum Theta præfigunt.

§. 20. Hos medicinæ nostræ Optimates pluribus ægro opem promittentes & omnes artis suæ pyxides percurrentes hactenus vidimus. Nunc & vltima cera nostra opinioni locus relinquetur, qui in eo consistit, vt Microcosmetor incendiarius factus & spiritus animales accensi & nimis irradiantes, & explosiui extinguantur & ad blandum, & ordinatum redigantur motum. Hoc præstat V. S. iterata, non tamen affatim, sed simul, & semel instituī debet, ne hydrops inducatur; quale nos exemplum nouimus, in Lanione Dizensi. Huic scopo & optimè cõueniunt opiata, quippe quæ mirifica vi sua in ægris incendiarium quasi furentem cum suis accensis spiritibus maximè compescunt, quę tamen non statim nec in larga dosi exhibenda sunt. Nam potest contingere, vt longo furore sanguis spiritibus esset exhaustus, & ideò si narcotica exhiberentur, fermentationes sanguinis ita prosternerent, vt mors inde sequeretur. Sed ab anodyno primùm est incipiendum, vt & à camphoræ minima dosi loco opij ad motum sanguinis sistendum, in qua non ita metuendum est propter sui subtilitatem. Inducijs factis ad causam remotam, sanguinem sc. multis particulis fixis constantem, tollendam, & fermenta alia syluestria in primis vijs stabulantia eliminanda, commendamus *vomitoria*. Sanguis enim eorum vsu à partiſi excrementitiarum infarctu liberatur, & conueniunt inprimis illa quæ parantur ex antimonio, vt s. Tartarus Emet. Aq. bened. Ruland. sapa vomitoria, & id genus alia. In delicatioribus, vitriolum album exhiberi potest, alij helleborum nigrum eiusque extractum extollunt. Nos fortiora & validiora purgantia regulariter omittenda potiùs censemus, quatenus sanguinis spirituumque animalium motum nimium magis augent, eosque poris cerebri profundiùs ingerunt. In tam furibunda enim perturbatione adest impetuosa sanguinis ebullitio & efferuescentia, quæ & ex spirituum animalium impetu & irradiatione oritur, indeque sæpius nimia sanguinis rarefactio & ebullitio. Polypo-

dium quercium hic sæpè sufficit. Ad debitam ergo fermentationem sanguinis restituendam conducunt omnia chalybeata, quibus *Microcosmetoris* furibundi & spirituum furentium motus & sanguinis inordinatam fermentationem sistunt. Sanguis asini, torpidi illius bruti, post aures, collectus Microcosmetorem mitè placat coercetque, sanguis enim hic gaudet singulari vi, acidum illud volatile mirum quantum destruente, quem & *Beatus* D. D. *Michael celeberrimus Medicus* sequenti modo præscripsit; ℞. linteum sanguine asini, post aures extracto iusto tempore imbutum, pone in s. q. aquæ *anagallidis* & florum hyperici, donec aqua tingatur, M. f. potus pro aliquot dosibus, quo medicamine maniacum in *aula Altenburgensi* se curasse sanctè affirmat: canis, leporis, imò hominis similiter meticulosi sanguinem conuenire hoc in affectu, seq. ob rationem, persuasi sumus, quatenus in his animalibus, in vena secanda, terror, metus, & anxietas concurrunt, huic sanguini peculiaris inditur indoles, indeque optimè acutissimus. *Marcus Marci* memorat, *non parum referre in qua dispositione animalia moriantur, quorum partes ad vsum medicum quæruntur.*

Hic & transfusio sanguinis vitulini, asinini & humani, præmissa tamen semper venæ sectione conducit, qua plures maniacos *Parisiis* curatos nouimus, & nosmet in homine vesano Dizijs felicissimo cum successu primum tentauimus, ceu supra nos dixisse meminimus. Infusio variorum medicamẽtorum inprimis *opiatorum*, in venas maniacorum non inutiles erunt. Inter alterantia prodest spiritus antiepilepticus Hartmanni, ex salis vrinæ & spiritus vitrioli acidi mixtura paratus. In potu quoque *ordinario decocto, scil. anagallidis & florum hyperici, cum 2. birundinibus, spiritus vitrioli, ad guttas quasdam infundatur*, vel in sero lactis caprini, lapides prunellæ inditi, peculiarem habent vim Microcosmetorem furibundum, & spiritus animales furentes compescendi sedandique. Et vt paucis me expediam, in hoc affectu, vnicum saltem certissimum solatiũ quærimus, in *opiatis*, vbi scil. ægrum habemus fortem, quia ipsa Microcosmetorem furibundum spiritusque animales impetuoso motu ferocientes, & tantum non furentes mirum quantum sopiunt, eorumque periculosum impetum sedant coercentque. Magnum namque sæpius ægris imminet periculum ex ferocia istius Microcosmetoris, & spirituum, qui gubernacula vitæ deferentes omnia conturbant, vel velut Phaeton curru paterno mirabiliter excussus Macrocosmus, sic illi Microcosmum incendunt. Opium enim has furias placat, hos fluctus sedat, & mirè agit in motu spirituum sedando. Hinc suauis quies, omnisque ferocis motus optata sedatio, vnde & turgescentia materiæ peccantis, orgasmusque humorum facilè desinunt. Spiritibus enim ad quietem compositis, in ordinem quodammodo redit Microcosmi turbata antea respublica, dum Microcosmetor noster, tamquam Rector supremus furore placato, id quod suarum est partium, denuò obseruet, quę cuncta legitimum opiatorum vsum facili marte sequuntur. Si simpliciora inter opiata cupis, meconium (opium enim in nostris regionibus est) cum sale alcali fixo inprimis Tartari, cum Terebinthina digeratur & corrigatur, vel per artificialem fermentationem cum succo cydoniorum iuxta Hoffmannum *in claue Pharmaceut.* Schrœd. quod opium sic correctum abit in remedium anodynum sine narcosi, & cuius 10. Grana, non plus vel minus prosunt aut nocent, quàm 30. alterius. Eleganter de hoc laudano opiato dicit Helmont. Tr. *Ius duumviratus §. 64. felix æger cuius auxiliator Medicus nouit letbalia è papauere separare, retento auxilio, excitatore potestatis* in duumuiratu. Inter mineralia sulphur vitrioli, veneriſque anodyna vi conspicua sunt. Sed cum non omnibus liceat adire hanc Corinthum; indeque hæc medicamina accersere, opia-

tis

tis interea nos contenti esse debemus. Nec sua laude carent *Theriaca cœlestis Hano v.* Tinct. anodyna Zuuelferi, Diacodium, Theriaca *Andromachi*, aliaque, quæ hic studio reticemus, cum non omnia accuratiùs possimus deducere, sed saltem *Encyclopædiam* meditemur. Nihil est quod magis Cosmetorem sedet & spiritus animales figat, quàm oleum perlarum ritè paratum, cuius vires sæpius hoc in affectu experti sumus. Prosunt & seq. spiritus Lunaris.

℞. *Lunæ limatur. p. j.*
Sulphur. p. ij.

Leniter in cruribulo susis & vnitis, & pulueriſatis affunde spir. sal. armoniac. l. a. extrahe tincturam, quam in crystallos redige, & per retortam spiritum lunarem elice. Dosis gut. 15. ad 20. Si somnus deest, potest potio sequens tempore somni exhiberi.

℞. *Laudan. opiat. gr ij.*
Dissolu. in s. q. essent. anagall.
& hyperic. edulc. parum pro vna dosi.

Musicam in morsu Tarantulæ & exinde orto affectu, huic os humerosque similis, suadent, id quod alij faciunt, & ad experientiam reuocandam autumamus. Inter specifica euporista sunt sanguis asinius post aures extractus cum floribus hyperic. succo anagallid. rad. & sem. fœnic. sylu. destillatus, quæ species & pro potu ordinario exhiberi possunt. Herba agrimoniæ in aqua fontana cocta prodest. Seq. sæpius expertum nouimus.

℞. *Confect. Alkermes* ℥ j.
Tinct. lapidis Lazuli ʒ ß.
succini ℈ ij.
Ess. hyperici anagall. ana ʒ ß.
Magister. Lunæ ʒ ß. *M.*
Dosis ʒ j. *mane & vesperi.*

Vel ℞. *Aq. hyperic.*
anagallid. ana ℥ iij.
Confect. Alkerm. ʒ j. ß.
Lap. lazuli ppt. ℈ ij.
Syr. hyperic. ʒ i. *M. Dosis.*
cochlearia 2. vel ʒ

Vel Detur sæpius Tinctura lap.
lazuli, vel essentia anagallidis
vel hyperici, proderit quoque
Tinct. hyperici comp. Mynsi.

Vel ℞. *Nitri antimoniat.* ℈ j.
butyr. perlar. ℈ ß.
Magister. succini, gr. iij.
Lunæ gr. v. M. f. pulvis pro
vnica dosi.

Vel ℞. *Spir. vitrioli sulphurat.* ʒ ß.
Syr. Violar. ʒ i j.
Aq. hyperici ʒ i. *M. pro duabus*
dosibus.

Cerebrum Arietinum in sartagine paratum addito cinnamomo, nucistæ, caryophyllis, detur per 3. dies manè, quod quidam anonymus inter facta medicinæ inferre conatur.

Secundina primiparæ mulieris puluerisata, clam in vino propinata ad ʒ j. aliquando iuuat. *Nobis pro magno arcano amicus communicauit succum pullorum hirundinum ad* ʒ j. *in aqua anagallidis bis & ter Maniaco exhibendum, quo plures se curasse addit.* Inter *externa* commendamus varia Epithemata, vnguentaque ex anodynis opiatis refrigerantibusque parata, & capiti raso temporibusque applicata & illinita: Plures nostratium, baccas lauri cum camphora & albuminibus ouorum destillatas in Mariæ Balneo capiti applicant.

Gallina viua nigra tamen, nostro verò calculo hirundines, in medium discissæ & calentes capiti raso applicatæ iuuare, experto credas Roberto.

Frictiones, ligaturas, scarificationes, tanquam parerga haud contemnimus; & cauteria tum actualia, vt inustionem moxæ Indicæ, vel nostræ Germanicæ à nobis inuentæ, tum potentialia, cum cautione tamen instituenda suademus.

Spicilegium accuratius si quis ex præcedentibus medicamentis velit instituere, is certè vacuâ manu nullus recedet.

CAPVT V.

De Affectibus Capitis memoriam maximè lædentibus.

DE LETHARGO, ET CARO.

DEFINITIO.

§. 1. LEthargus vel lethargia (alijs *Veternus* nonnullis torpor, quibusdam *sopor grauis*, multis *Coma*, *aliquibus Cataphora*) pluribus & Subeth) vulgò describitur, *quòd sit cessatio facultatum principum, præcipuè vero memoriæ, cum inexpugnabili dormiendi necessitate) vt Celsus loquitur) & febre continua lentaque à pituita ortum ducens.* Lethargus & Carus consanguineæ sunt affectiones, ijsdemq; ferè remediorum præsidijs profligantur, quare has coniunctim pertractare lubuit. Nostro tamen ex calculo ita definienda est lethargia, quod sit inexpugnabilis dormiendi necessitas cum obliuione maxima, aliquando cum febre & delirio, aliquando sine ijs, à Microcosmetoris nostri in viscido limo hærentis sopore, & spiritibus animalibus inde eidem glutini inhærentibus, & officij sui planè oblitis, orta.

DIFFERENTIA.

§. 2. Differt carus à lethargo, quòd lethargus adiunctam sibi habeat febrim, & quòd ad stentoriam acclamationem oculos aperiant lethargici, ad interrogata quoque respondeant incondita: caro verò laborantes carere febri, oculosque nunquam aperire nec loqui, nec membra mouere, sed mortuis similes iacere, respirare tamen dicuntur. Non dissimilis est hic affectus (carus) apoplexiæ, differt tamen ab ea, *respiratione*. In caro enim libera est respiratio, in apoplexia, verò vehementer impedita, in caro nec sentiunt, nec mouentur, neque intelligunt, nec comminiscuntur, nec appetunt ægri, sola respiratione differunt à mortuis.

PARS AFFECTA.

§. 3. Pars affecta iuxta veteres, est ipsius cerebri substantia, & maximè quidem eius pars posterior, non autem eius ventriculi, quod ex functionibus cerebri oblæsis probare annituntur, quia in hoc malo potissimum memoria atque ratio lædantur, quæ præcipua ipsius cerebelli munia sunt. Quidam veterum, & *cor* pro subiecto, iniquè tamen accusant.

Willisius de anima brutorum, pro immediato somni & vigiliarum subiecto agnouit maiorem animæ sensitiuæ portionem in cerebro radicatam, quæ ipsi nil nisi facultas & spiritus animales sunt, hanc sicuti in somno quasi vela dimittere, intra proprium sinum suo velut capite recondito, intrepidè statuit.

Syluius pro loco affectu Lethargi non *cerebrum*, sed vasa sanguinem vehentia accusanda vult, inquit enim Prax. l. 2. c. 29. §. 19. *Quamvis caput graue sit lethargicis, potest tamen id à vaporibus aut humoribus cum sanguine ad cerebrum delatis exoriri, vt non opus sit ad peculiare & primarium cerebri vitium recurrere.*

Carteſiani accusant cerebrum quoad poros ipsius, qui si sint obstructi, spiritus animales haud per eos ad munia pristina permeare possunt, vnde propensionem talem in somnum esse contendunt.

Helmontius lib. Ius duum virarus, in stomacho, & liene primarium hoc malum residere opinatur. Nos pro primario subiecto agnoscimus cerebrum & cerebellum, meatusque, seu poros eorum, per quos spiritus animales ad officia sua obeunda, vel in ipso cerebro, vel etiam ad externos reliquos sensus determinati sunt. Inprimis tamen vt partem specificam determinemus, *medullarum cerebri partem* hoc in affectu primariò affici ideò credimus, quia hæc pars est emporium potius spirituum, quàm officina, nec excludimus corticosam cerebri substantiam, quæ maximum spirituum animalium iam genitorum exercitium neruis committit. Cortex cerebri enim quatenus memoriæ sedes, & somni vestibulum est, secundum *Willisium*, nec hic immunis erit.

Fuit hæc pars affecta, nunc quidnam signi sit circa hunc affectum, indagemus, inprimis in quo ipso cõsistit ratio formalis

SIGNA DIAGNOSTICA.

§.4. Inexpugnabilis adest in his morbis dormiendi necessitas, cum obliuione rerum omnium, & nonnunquam proprij nominis, cum delirio, aliquando sine eo. Febris interdum simul concurrit continua lentaque, quam continuam *Syluius* bili toti massæ sanguineæ commixtæ adscribit, lentam verò bili magis inerti, cum hæc pituita sit dispersa, vnde partes minus ardere percipiuntur. Et hæc febris continua potest esse remittens; non verò est intermittens, quia sanguis nondum est æqualiter affectus.

Diximus quòd in hoc morbo ægri sint obliuiosi, quia cerebrum statim subsidens motum ordinatum spirituum, qui ad memoriam requiritur, interturbat, & efficit, vt non cum vigore & more solito in vestigium cerebro impressum insiliant, & hinc ad glandulam reflectantur.

Tardè respondent ægri, etiamsi vrgeãtur, oculis plerumque iacent clausis, subinde tamen lethargici illos aperiunt, si grauiori voce compellentur, quibus occlusis, mox ad pristinum labuntur somnum, nonnumquam ita pertinaciter, vt æger capillis tractus non doleat, quippe stupore eo oppressus, vt omnium sensuum operationes quiescant. Obliuio siue memoriæ eclypsipir aliquando hìc concurrit tanta, vt omnium, veluti amentes, obliuiscantur, marulam enim expetentes mingendi gratia, mingere tamen nonnulli obliuiscuntur, vti nosmetipsi in duobus letargicis in Monacho, scil. Hadamarensi & ciue Hanouiensi deprehendimus, vnde memoriam rationemque abolitam esse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Malo hoc correpti oscitant quoque sæpius. Cum lenta febre concurrit pulsus lentus, vndosus, languidus, atque tardus. Quòd verò pulsus aliquando durus, aut mollis sentiatur, hinc euenit, quod cutis, vel carnes arteriæ superstratæ sunt vel molliores, vel duriores, quod explorantis digitis imponit. Excrementa alui nonnullis liquidiora sunt, alijs verò est aluus adstricta, vrina est iumentorum vrinis vt plurimũ similis, quod semper melius est, quàm si esset clara. Sudorem cum tremore effusum aliquãdo obseruauimus.

Respiratio magna, rara, & quandoq; imbecillis est, quandoque cum stertore. Delirium quod interdum affectum hunc comitatur, non est verum delirium, nam nos omnes sic deliramus, cum sumus somnolenti, & absurda respondemus interrogati, quia motus verbis in neruis excitatus, vix ad cerebrum defertur, & si deferatur, obscurè & deprauatè defertur, quare in anima confusæ oriuntur cogitationes, & perceptiones, secundum quas anima respondens absurda profert. Nullus idcirco dormientem delirantem vocat, quia tot sanos dormientes inuenimus, qui absurda garriunt; eadem causa est hoc in morbo, vnde non necesse est causam in putrefactione in cerebro quærere. Adest simul vniuersi corporis segnities grauitasque, potissimum tamen ipsius capitis. Etiamsi ęgri ab adstantibus conuertantur in dorsum, vel latus, vltrò ad priora tamẽ reuertuntur. In caro quamuis excitantur ægri à somno, attamen nihil percipiunt respondentq; quod proprium est caro laborantibus, imò puncti excitari nequeunt, licèt obscuræ sensationis signum partis punctæ retractione, aut contractione exhibeant. Illis quoq; sensus omnes externi ad extremum ferè stupent, vnde & interni sensus quoq; nullo funguntur munere, & mortui similes sunt Carotici, præter solam respirationem, quæ ipsis illæsa manet. Adeò vt medius quasi inter reliquos affectus soporosos, & apoplexiam, sit carus & proximus ad apoplexiam gradus.

CAVSA.

§.5. Perspecta *diagnosi* ad causas examinãdas, ex methodi nostræ institutæ ratione, nos conferamus. Veteres Galenici cum suis asseclis hodiernis causam proximam huius affectus ex intemperie cerebri frigida, humidaque ibidem putrescente deducunt, & pituitoso tumore, vel apoplexiæ frigido ex pituita putrescente facto, inde ratiocinationem, memoriamque turbante, & inexpugnabilem somnolen-

tam inducente, ex putrefactione humorum febrem deducunt, causam ergò horum binorum affectuũ esse pituitam crassam, ac lentam cerebri substantiam comprimentem ac constringentem clamitant, ex cuius pituitæ abundantia, omnia phænomena huius affectus explicant.

§. 6. *Hermitici* Paracelsici qui negant affectum hunc à frigiditate & putrescentia pituitæ induci, sed *à spiritibus, seu vaporib.* sulphuris, seu salis cuiusdam narcotici qui viscositate sua spiritus ligare vel acciditate vitriolata eos coagulare, vel narcosi sua stupefacere possunt quo minus ad sensuum organa & consueta munia prorumpant. Cuius rei fidem augere potest ea ratio, quæ inde procedit, quòd sulphur quoddam reperiri necesse sitfuliginosum, ac fœtidum, vti in papauere, opio, solano somnifero, hyoscyamo, mandragora & simil.olea narcotica fœtida habentibus quæ facilè flammam concipunt, indeque vi oporifera pollent, quod est sulphuris phlogisti proprium. Quamuis ergò opium & superius nominata opiata à Galenicis quarto excessu frigida statuantur, tamen si ex sapore & effectu rerum temperamenta & qualitates cognoscuntur, opium nostris vsus, non modò gustu amarum percipitur, sed etiam acre & palatum exulcerans, vnde haudd ubiè colligunt Hermetici, sulphur in his dictis latere, cui causa huius affectus in solidum est adscribenda. Sunt itaq; Chymicis *Carus & Letbargus* morbi sc. *sulpburis narcotici resoluti*.

Parac. l. 2. *de vita longa* c. 2. lethargum guttæ speciem facit. Guttas autem ipsi est separatio *Synoviæ* à sua parte, quæ fit ex sublimatione *Mercurij* Cacochymialis. Alio loco pro causa huius affectus sal *vitriolat.* venditat.

§. 7. *Helmontius*, & ouo prognatus eodem *Tachenius*, à *sulpbure vaporoso* itidem causam huius affectus ortam existimant, haud dubiè ad vestigia Paracelsisticæ cohortis nescio quo fato, delapsi.

§. 8. *Willisius*, verus ille Chymiæ scrutator, hunc morbum generari ait à serosa colluuie, cerebrum exterius inundante, partibus à particulis narcoticis, in sanguine præexistentibus & eò delatis, vnde sanguinis circulationem aliquando impediri vel alterari addit. Serum quoque aliumq; humorem vitiosum nimia quantitate ad cerebrum aliquando mitti credit ab eoq; tunc nimis suspici, ob poros cerebri ampliores, à cerebri parte exteriore nimis humida & frigida ita factos, vti exemplo puerorum & senum, caco-chymicorum, hydropicorum, scorbuticorum, &c. probat.

§. 9. *Syluius*, ceu dictum, causam huius tristissimi affectus putat pituitam crassam nimiamq; & bilem vi narcotica præditam toti massæ sanguineæ permixtam. Febrem vel lentam deducit prædictus Nobilis. author, à bile ista vitiosa in intestino duodeno cũ obuia pituita vitiosè efferuescente.

§. 10. *Renatus des Cartes*, Eiusque sectatores, qui somnum naturalem dicunt esse subsidentiam pororum cerebri, hinc concludunt in hoc affectu, causam proximam esse obstructionem p. n. pororum cerebri, ab humore crasso & spirituum animalium inopia factam, qui ex inundante colluuie immerguntur, indeque pororum immutari figuris sibi persuadent Multum etiam contribuere halitus viscido rore nimium madentes, & facilè in aquam degenerantes, cerebrumque vna cum anima obruentes statuunt, cum è contra acres, & sicci halitus ob particularum suarum nimiam agitationem, non tam facilè in aquam coeant sicuti impetuosos ventos semper magis magisque exsiccare experimur, ceu hæc pluribus tradit *Carte∫. de meteor.* c. 3. p. 212.

§. 11. Nostro calculo causa huius affectus facilè eruitur quando supponimus, *Microcosmetorem* sopore tanquàm nebulis offusis cinctum hærere in viscido limo acido vt plurimum, vt mandando & regendo impar sit, cuius spiritus militantes si eodem hæreant glutine, non potest nõ fieri, quin in peragendis munijs sint planè desides, si inprimis obstacula reperiant in vijs, per quas aliàs ordinariò fluunt, quæ aliquando & obstruuntur, vnde

ces-

ceſſatio, p. n. *Vndulationis* & motus ſpirituum animalium in neruos, vt & illorum irradiatio in omnia membra. *Mediata* verò proximior cauſa quærenda eſt in ſanguinea maſſa viſcida & ſpiritibus eiuſdem generis, narcotico ſc. ſpiritu vel Gas ſylueſtri quodam (vt Chymicis audit, indutis;) quicquid enim ex his heterogeneũ & cerebri corticales poros obſtruere vel inundare valet, hunc affectum producere & microcoſmetori nebulas offundere aptum eſt. Quoties etiam narcoticum quodpiam virus præuia colluuie, dictos modo ſpiritus fugat & prorſus extinguit, id eumdẽ affectum facilè excitare poteſt. Motus & circulatio humorum hoc in affectu & ſomno naturali diminuuntur; quia ſpiritus in vaſa non influendo ea minùs comprimunt, & ideo humores in iis contentos minùs mouent & protrudunt. Sed humores iſti ibi hærendo incraſſantur, tandem & ibi obſtructiones ſtagnando faciunt, ſi non ſtatim à ſpiritibus iterum propellantur. Veſperi ſumus ſomnolenti ob defectum ſpirituum animalium, hinc & plurimi morbi circa veſperam ingraueſcunt. Ab hoc maiore vel minore defectu ſpirituum etiam plerumque profundior, vel minus profundus ſomnus oritur. Cauſa ergo vt plurimum huius affectus quærenda eſt in *Microcoſmetoris ſopore*, in p. n. *diſpoſitione ſpirituum animalium, & pororum cerebri obſtructione, in ſanguinis quoque viſciditate.* Propter viſcidam n. ſanguinis intemperiem, dum per binas Carotides hetoregenea & viſcida hæc ſanguinis Maſſa Palladis arcem compellit, ibidem gluten & lutum effert, in quo Microcoſmetor niſi planè inundatur & obruatur, tamen obfuſcatur, ſpirituſque animales eidem glutini quoque infiguntur, indeque pori cerebri obſtruuntur.

Medicamenta narcotica facili Marte hunc affectum producere poſſunt, ſi nimirum nimià doſi, vel intempeſtiuè adhibeantur, nam ſanguinem, ſpirituſque maximè figunt. Narcotica ſummà prudentià tractanda ſunt in vigilijs nimijs, vbi vires valdè iam ſunt fractæ, quia ibi fermentationes maximè ſunt debiles in corde & cùm narcotica ad ſanguinem deueniant, ſanguinem ita diſponunt, vt adhuc minùs fermentetur, quare vbi ſunt imminutæ, ita ab opiatis imminuũtur vt pro vita ſuſtinenda nõ ſufficiant, & hinc euenit, quòd aliquãdo in vigilijs diuturnis modica opiatorũ doſis exhibita hominem enecet.

Affectus quoque hic ſæpè oritur à vapore narcotico à carbonibus vel ceſpitibus euaporante; vapores enim ex arſenico aliquid participãt: Quare ſi quis in animi deliquium ab his vaporibus labatur, ſtatim libero aeri exponatur, & ſpiritus ardentes in os ipſius infundantur, vt ſunt aqua theriacalis, aquæ vitę, antapoplectica, &c.

Ebrietas, & ingluuies facilè, ceu diximus, hunc affectum inducere poſſunt. Putredo eſt inæqualis partium ſanguinis & malè inter ſe mixti, vnde febris; omnis enim febris non eſt accenſio ſanguinis in corde, & maior fermentatio, quia pulſus in nonnullis febribus eſt debiliſſimus.

Cum ſanguis ergò craſſus, pituitoſus & malè mixtus eſt, ex eo craſſi & malè mixti ſpiritus oriuntur, quorum partes admodum inordinatis conſtant particulis, hæ nempe ſunt craſſæ, aliæ ſunt ſubtiles; quæ ſubtiles quidẽ, ab initio in neruos progrediuntur, ſed craſſæ neruos obſtruunt, ne ſubtiles in neruos ingrediantur, hinc nerui collabuntur, & quia pituitoſi humores vndiq; arterias & earum poros obſtruunt, ideo non ſatis ſpirituũ generatur ad cerebrum inflandum, & inflatum tenendum, & hinc omnis motus & ſenſus perit, quia cum nerui non ſunt inflati ſpiritibus, flaccidi ſubſiſtunt; quare etſi in extremo vellicentur, tamen motum ſibi impreſſum ad cerebrum non transferunt. Et hinc affectus hic in lucem prodit. Et ex his præmiſſis facili marte omnia phænomena huius morbi elegãter explicari enodariq; poſſunt.

PROGNOSIS.

§. 12. Hactenus cauſis litauimus, nunc prognoſi litabimus, quam *Celſus* nobis prænunciat, ita aiens, hic affectus, cum ex genere acutorum ſit, niſi ſuccurratur, celeriter interimit, & tempus definit *Diuinus*

Cous noster 2. de morb. vulg. Lethargici in 7. diebus moriuntur, si verò hos effugerint, sani fiunt. Periculosum quoque est hoc malum, si febri vel morbis alijs Cephalicis vel colicę diuturnæ superuenerit. Senes quoque hoc malo affecti in maiore, quàm iuniores periculo versantur, Spiritus enim ijs non sunt adeò fortes, quàm iunioribus. Cerebri pori in istis quoque facilius obstrui, possunt, vnde irradiatio in reliquas partes & sensus impediuntur, quò minus illi officio suo, fungi queant. Spiritus enim sunt Rectores Machinæ pneumaticæ, si enim illi sufficienti quantitate, non influant, non potest fieri quin corpus insigniter lædatur. In senibus quoque Microcosmetor craffis & viscidis humoribus altius est immersus. Malum quoque est, si æger torpore immani obruatur, si tardè aut cum rocchis respiret. Lætior verò spes est, si à crapula, ebrietate, fumo Tabaci, narcoticorum vsu capitis, ictu non admodum magno, aut à nimia corporis madefactione morbus descendat. Pariter quoque minus periculosum, si medicaminum aut naturæ ope sudores diarrhœæ cum leuamine succedant, item si à vesicatorijs aquarum colluuies ingens excernatur: Itidem si sternutatio frequens, cum narium aut oculorum stillicidijs adsit, si abscessus post aures fiat, modus conualescentiæ & crisis vulgò habetur. Suppuratio in pectore frequenter subnascitur conualescentibus; Maximi periculi in his affectibus nuntius est *tremor*, itemque frigidus circa caput & frontem sudor. Alui excrementa si multa & liquida, deijciantur, periculum quoque denuntiant, denotant enim spirituum animalium defectum maiorem. Fœmineus sexus ob copossiores particulas serosas, quibus dotatus est, magis est expositus huic malo. Hic morbus difficilè curatur in senibus, quia in eorum corporibus obstructiones non facile reserantur, ob duritiem fibrarum partium.

CVRA DIÆTETICA.

§. 13. Hisce explicatis ad rem ipsam causæ nunc est procedendum, nempè ad curam, & primò Dieteticam.

(1.) *Aer sit lucidus*, calidus, atque siccus, rectificetur cum lignis iuniperi incensis rorem arino, foliis lauri; *Vitandus è contra nebulosus*, pluuiosus, humidus atque frigidus talis enim aer, microcosmetorem valde ad soporem disponit, & spiritibus animalibus obest, sanguinemque incrassat & sic spiritus commeatu priuat.

(2.) *Cibus sit attenuans*, iusta proportione ingestus, & hic melius est in defectu quàm excessu peccare, *conducunt iusculæ* carnium, capponum, gallinarum, pullorum, herbis Cephalicis alijsque infarctorum Prosunt & Phasiani. Cibi tamen omnes condiantur Cinnamomo, alijsque herbis aromaticis. *Æger abstineat à cibis crudis*, flatuosis, frigidis, salsis, leguminibus, alijsque oleribus, non minus ac à lacticinijs, alijsque eiusdem farinæ cibis, &c.

Potus sit vinum tenue, ptisana, & cereuisia leuior. Optimus est potus Theè, herbæ illius Indicæ, quæ in aqua fontana vel pluuiali coqui, dein edulcorari solet saccharo. Earumdem virium est Coffee. A potu aquæ fontanæ & ingurgitatione alius generosi potus, sibi caueat maximè æger. Quantæ erat illud in Æthiopia stagnum potestatis, quod potum de potestate mentis hominem deijciebat; quantæ Ceæ fons hebetudinis.

(3.) Somnus impediatur quantum eius rei fieri potest Vellicationibus, pilorumque conuulsione, & si necessitas etiam iubeat totali conuulsione, aut fumo è sulphure, castoreo, galbano, sagapeno naribus excepto, item subdatur naribus spiritus salis armoniaci volatilis. Veteres in eundem finem narium fibras aceto acerrimo irritare solebant.

(4.) Exercitij loco frictiones instituantur fortes, cum pannis asperis omnium membrorum, pedum inprimis, & manuum sæpiusque in lecto moueatur æger, ab vno latere in aliud.

(5.) Quo ad Excreta & Retenta, omni studio annitendum est, vt Excrementa alui Cystere aut glande, alijsque id genus catharticis subducantur

(6.) Inter animi pathemata, studendum læ-

lætitiæ hilaritatique. In hunc finem conuocandi sunt amici, qui semper discurrendo ægrum interrumpant à somno, vitentur melancholia, tristitia, solicitudines, metus, &c.

§. 14. Perspectà hac cura Diæteticà hoc in affectu congruà ad alteram accedamus paginam, pharmaceuticam nempe curam.

Veteres Methodo Galenicæ insistentes vtitur hoc in affectu *præparantibus*, decocto sc. saluiæ, hyssopi, thymi, maioranæ, betonicæ, pulegij, fœniculi, apij, adianthi, melissæ, rad. rusci, graminis, cui decocto addunt mel rosaceum; vel oxymel; cum malum iam radices egerit, potius purgantibus medicamentis vim morbi oppugnare tentant. *Vacuantia* ipsis sunt in hoc affectu, Hiera diacolocynth. Picra, Diaphœnicon, El. Indum Mai. Agar. trochisc. Vomitum quoque aliquando ciere suadent decocto raphani, atriplicis, oxymelle squillitico, &c. Dein Clysteres è malua, chamomilla, saluia, calaminta, betonica, maiorana, origano, cent. min. rore-marino, betonica, semine fœniculi, colocynth. agaric. præscribere solent, in quorum colaturis, vel dissoluunt hier. Logad. vel El. Diaphœnicon, ol. chamomill. rutæ, mel rosac. &c.

Hisce interponere assolent suppositoria ex melle c. speciebus hieræ picræ, & sale communi, vel gemmæ.

Hisce interponere assolent suppositoria ex melle c. speciebus hieræ picræ, & sale communi, vel gemmæ.

Auertentia ipsis dicuntur, quæ humores auertere queunt, & his in affectibus ægrũ excitant, nempe *venæsectio, Clyster, suppositorium*, frictio palati, atque linguæ cum melle, & aceto quibus pyrethrum, & sinapi admiscendum; extremæ corporis partes fricandæ sunt, donec rubescant doleantque; vellicationes, vrticationes, & punctiones partium harum extremarum non negligendas esse præcipiunt, capitisque capillos validiùs trahendos, vt excitetur æger, & materia reuellatur. Cucurbitas occipitio capitis, vt & primæ, aut secundæ vertebræ, itemque clunibus cruribusque apponendas iubent. Errhina ex aceto, in quo decoquantur, origanum, thymus, pulegium, &c. vsurpanda esse suadent, eiusque aceti vaporem naribus excipiendum volunt. Suffumigio è galbano, castoreo, asa fœtid. euphorb. sulphure, pice, C.C. pilis humanis, alijsque excitare ægros studeant.

Felle gruis calefacto in vase plumbeo occipiti, & sincipiti illito, lethargicos excitari vetustas credit, quæ & ipsa, oculos, cor, ac *fel philomelæ*, vt & caput vespertilionis (quia sunt animalia valdè vigilia) sub puluinari posita insomnes facere ridiculè perhibent.

Gargarismos apophlegmatismosque adhibent, irrigationes quoque, & fomentationes capitis rasi, & potissimum sincipitis, ex decocto rutæ origani, aliorumque aromaticorum instituunt. Nec negligunt sinapismos, è caricis, sinapi, columbarum stercore, cantharidibus, &c. Postremò intemperies reliqua emendari solebat, & caput corroborari, *corroborantibus* sic dictis, vt sunt conseru. betonicæ, maioran. diamuscum dulce, diambra, Mithridat. Theriaca; confect. anacardina; forinsecus ol. de castor. nardinum, costinum, &c. Item odoramenta è castoreo, pulegio, thymo, &c. non contemnendi vsus esse contendunt. Vnguentum quoque ex castoreo mirum quantum in hoc affectu iuuare credunt caput: sacculum capiti raso è milio, saleque tosto, magno cum fructu apponebant, indeque magnum sibi commodum promittebant.

§. 15. Postquam in præcedentibus veterum Galenicorum mentem de curatione huius affectus declarauimus, ordo nunc iubet, vt progrediamur ad curationem sapientiorum, è primoribus paracelsistarum, & quidem si facienda est electio, horum vestigijs insisteremus, qui laudant his in affectibus spir. vitrioli philosophorum, & volatilem. Ipse enim *Paracelsus* de *Alchymia* dicit Lethargum non curari decoctionibus officinarum, cum sit morbus mineralis, ideoque per mi-

mineralia curandus. Exemplo rem illustrat, dum nonnullus post febrem incidit in tam profundum somnum, vt alium se pungentem non sentiret, nec oculos aperiret, vel quicquam loqueretur, mortuo os humerosque similis, ille videlicet lethargo laborabat, quem restituit *oleo* salis, perinde vt alium, oleo vitrioli curavit. Ol. sulphuris, lac.sulph.quinta essentia sulphuris, in eodem prædicamento sunt. Alibi duplex commendat arcanum in his affectibus, aliud *vitriolatum*, aliud *Mercurium Solis*, quem fortè ex vulgari nominis odio, non libuit Aurum potabile appellare, sed potius musteo nomine *Horizontem* vocat. Inter mineralia essentiam antimonij specificâ virtute, causam huius morbi radicaliter tollente, & naturam summè confortante, conspicuam esse contendit, qua quoque in plerisque alijs grauissimis morbis capitis vtebatur. Secretariorum fumivendulorum malesana cura, & censura vetat, ne præparationem genuinam, & verè philosophicam huius, & aliorum arcanorum diuulgemus. Extrinsecus autem commendat, quem dixi Author, Balsamum aloes, myrobal. chebul. Bellyr. Ind. &c.

§. 16. Μακαρίτης Noster *Helmontius* post rogum demum ingentius sui desiderium relinquens, vt pote summa eruditæ Reipublicæ medicæ iactura defunctus, magnificat *radices carlinæ*, quas sympatheticè, perinde vt earum succus, & extractum solet, arcere somnum statuit, multeque magis somnos præternaturales; qui quoque alia in reliquis soporosis affectibus ab ipso commendata, & hic prodesse inculcat. Actum agere foret, si omnia hæc repeteremus.

Prodit nunc in scenam *Thomas Willis*, eadem qua superior Reipubl. medic. iactura defunctus, & eodem desiderio expetitus, ille verò sequentibus curam huius affectus absolui putat.

Post enema acrius iniectum *venæ sectionem* suadet, venam *iugularem* præ brachiali eligens, quoniam hoc modo sanguis stagnans in circulationem æquabilem facilius reduci possit. Vesicatoria ampliora ceruici, & cruribus applicare iubet; tempora, faciemque, oleo succini aut balsamis cephalicis illinenda esse præcipit. Cataplasmata ex ruta, aut ranunculo cum sapone nigro, & sale marino in pultem contusis, plantis pedum imponenda commendat. Frictiones asperiores membris externis ipsius calculo adhibendæ sunt. Scarificationes, errhina, sternutatoria, apophlegmatismos maximoperè commêdat. Hæc fuere Chirurgica. Internè hisce vtitur medicamentis, si Lethargia à crapula aut *narcoticis* orta sit, tum vomitum ex infusione croci metallorum optimi successus esse iudicat. Remedia dein appropriata cephalica, scil. volatilia varia, dictus nobis author suppeditat. Inter externa sal vrinæ volatile aut spiritum salis armoniaci crebrò naribus admouenda esse vult.

§. 17. *Syluius* nobis nunc oracula fundat cuius curam velis magis contractis proponamus cum breuitas nauseæ legentium sit antidotum.

Curationem ergò huius morbi in pituitæ redundantis alteratione atque euacuatione, (ceu supra, vbi de causa sermo erat, iam diximus,) simulque in bilis narcotica vi præditæ emendatione, consistere putat. In hunc finem commendat *radices*. ireos, acori, galangæ, calami arom. folia maioranæ, *saluiæ*, *lauri byssopi*, *serpylli*, *absynthii*, *cardui ben.* *menthæ*, flores *centaurij minoris*, *chamomill.* semina *fœniculi*, *seselis mont.* *anisi*, *carui*, *nigellæ*, *bacc.lauris iuniperi*, *Gummi Oppoponax*, Galbanum, bdellium, ammoniacum, & aromata ferè omnia, quatenus pituitam crassam incidunt, magnipendit.

Inter euacuantia eligit *agaricum* Turbith gummosum, colocynth. Mercuriumque quibus vis modis præparatum. Præterea bilem sæpiùs narcotica vi præditam febrimq; excitante memendari, annuente, experientia, asserit sequentibus, aqueis, acidis &c. Adeoq; spiritibus acidis præfert oleum sulphuris per campanam paratum huic proximè accedere spiritū nitri inquit

Car-

Carteſio affurgentes, qui cauſam, ceu ſupra dictum, huius affectus in ſpirituum animalium vel inopia, vel cerebri pororum ſubſidentia à nimia ab humoribus pituitoſis inundatione facta quærunt, inde hunc affectum curant volatilibus aromaticis, quæ ſpiritus reſtituunt, poros volatilitate ſua reſerant, & viſcidam materiam incidunt, reſoluuntque. Caſtoreum aliaque huius genij penetrantia commendant, quę ſcilicet partibus valdè ſubtilibus volatilibuſque conſtant, ideoque poros faciliùs permeare, ſpiritus irritare & pituitam reſoluere valent. Et quia affectus hic à materia viſcida ortum habet, illa eſſe adhibenda contendunt, quæ conſtant partibus rigidis & duris, interim tamen tenuibus, vt pote quę facilè poris ſeſe inſinuare, nec ab alijs occurrentibus in motu ſuo impediri ſe patiuntur. Talia ſunt omnia ſpirituoſa & ſalia volatilia aromatica, ligna illa guaiaci, ſaſſafras; Rad. imperat. enulæ, calam. arom. Herb. betonicæ, meliſſ. origan. ſalu. maioran. thym. rorismar. &c. Hæc enim omnia conſtant partibus rigidis, & duris, ſubtenuibus tamen, vnde quoque habent vim penetrandi humores, craſſos incidendi, alterandi, reſoluendique.

Sternutatoria quoque magnifaciunt prædictæ inſiſtentes methodo, quia ea habent tales particulas rigidas, & participant de acrimonia quadam, quam primum enim attingunt membranulas, illas vellicant, & ita Spiritus ad talem motum, ſpaſmodicum, & excretorium irritant. Præparantium, purgantium, aliorumque externorum, hic nullam mentionem inijcere voluimus, cum ea Diſcretus Lector, & cui læua in parte mammillæ quid acutum ſalit, ex noſtra iam deducenda cura facilè haurire poſſit.

§. 10. Nos qui in cauſa huius mali viſcidum acidum, cerebri poros obſtruens, culpauimus, & inde *Microcoſmetoris* ſoporem ortum diximus, omnibus viribus eò dirigendam cenſemus curam, vt ſopore obrutus Microcoſmetor excitetur, ſpiritus animales tanquam ſatellites luto viſcido acidoque inhærentes extricentur, & maſſa ſanguinea à viſciditate tenacitateq; ſua liberetur, quod ceu maximum præceos feliciter exercendæ in hoc affectu ſecretum, non ſine ratione commendamus. Fulti ergò his indicationibus, nunc ad ipſam curam accedamus. In genere ergò commendamus ſalia volatilia, tam vegetabilium, ex cephalicis, eorumque ſpiritus volatiles, quàm animalium ex ſanguine humano, quintam eſſentiam Matthiol. ſalia volatilia ſuccini C. C. ſecundinar. Præprimis palmarium ad remedium liq. CC. ſuccinatus, liq. Neruinus *D. Scheferi* Caſtoreum, & ex hoc parata tinctura, extus & intus ſatisfaciunt. Nec contemnenda ſunt ſalia volatilia oleoſa ex aromatũ oleis parata; inprimis ſi iungantur ſpirituoſis, v. g. ſali volat. croci, &c. mirum quantum hæc Microcoſmetorem ſoporè planè aggrauatum excitent, ſpirituſque animales limo acido inuiſcatos iterum extrahant, maſſamque ſanguineam acidam & viſcidam corrigant emendentque; Sunt hæc generalia, ad ſpecialiora propiùs pedem nunc admoueamus. Accedentes ad talem ægrum abiecta omni cunctatione frictiones vellicationeſque ſeu punctiones inſtituimus; punctiones enim homines excitant, quia cum pungis & vellicas extrema neruorum, pori in cerebro & neruis aperiuntur, & ſic pori alij minores, alij maiores euadunt, per quos variatos, ſpiritus ſunt in neruos influere. Lethargici in punctionibus aliquando excitantur, quia nerui etiam parum adhuc ſpirituum continent, quare magnam vellicationem ad cerebrum poſſunt deferre, nec vnquam nerui totaliter ſpiritibus ſunt inanes, quia ſemper quamdiu homo viuit, adhuc ſpiritus ſuperſunt in corpore. Veſicatoria præterea in nucha & aliquando poſt aures applicamus, linguæ, naribus, temporibusque caſtoreata, ſuccina ſpirituoſa, vrinoſaque apponimus, ex. gr.

℞. *Spir. vini Camphor.*
Sal. armon. arom. ana ℥ j.
Aceti ſuccinat. rutac. ana ℥ ß. *M.*

Quæ maximè proficua ſunt. Poſtmodũ

vel

vel ſuppoſitoria acria vel clyſmata injici curamus. De quibus vide inferiùs.) Vbi verò à crapula vel medicamento narcotico, intempeſtiuè adhibito, vel vbi ſuſpicio ſumpti veneni adeſt, tunc vomitoria præſentem afferunt opem, Hippocrate, experientiaque teſtibus. Et hic quoque magis ſalutare erit, ad ſpirituoſa ſulphureaque, quàm ſalina inclinare, cum ſpirituoſa impreſſas iam à narcoticis ſpiritibus noxas curent, eos denuò exſuſcitando & agitando, ſicut acida eorum impreſſionem impediunt annotante nobiſcum *Nob. Ettmullero.* Quòd ſi materia peccans copiosè ad pectus (vti ſæpius fieri ſolet) deuoluatur, tuſſimque & reſpirationem difficilem excitet, præſentanei remedij loco eſſe poterit. Balſam. ſulphur. Therebinthinat. ad gr. 4. & 5. in ſyrup. iuiub. diſſolutus, & ad lambendum, cum ſingulari ſucceſſu à *Nobiliſſ. Horſtio* propinatus. Et ſternutatorijs Microcoſmetorem dormientem excitare ſtudemus, & quidem cum VVedeliano Euporiſto, vel ſequenti remedio.

℞. *Aq. Maioran.*
Lil. Conuall.
flor. til. ana ℥ ß.
Vitriol. alb. ℈ ij.
M. D. ad vitrum.

Internè per tempus aliquod continuandum cum aquis apoplecticis, ſpirituoſis & odoriferis, vt ſunt Spir. lil. conuall. ceraſ. nigr. ſale volatili impræg̃natus. Specificum *antilethargicum noſtrum* eſt ſequens.

℞. *Pulu. Caſtorei* ℥ *i.*
Sem. Sinap.
naſturt. bort. ana. ℥ i ß.
Cinet. birund.
Succin. ppt. ana ℥ j.
Ambræ gryſ. ℥ ß.
fol. auri n. ℥.

Fiat puluis ſpecificus, doſis à ℈ i. ad ℥ i. in aqua apoplectica ſpirituoſa quadam exhibenda. Vel in forma liquida ſeq.

℞. *Liq. C. C. ſuccinat.* ℈ j.
Tinctur. Caſtor.
Succini ana ℈ ß.
Aq. ſt. tiliæ, ℥ ii. ß.
Hirund. c. caſtor. ℥ j.
Syr. pæon. ℥ iij.
M. D. cochleatim.

℞. *Spir. ſalis armoniac. ſuccinat. ſecundinar.*
corn. alcis ana ℈ i.
Aq. Meliſſ.
Lauendul. ana ℥ j. ß.
hyrund. c. caſtor.
Syr. cinamomi, ana ℥ *i. M.*

Vel ℞. *Oxymell. ſcyll.* ℥ *ii.*
Spir. ſal. armon. ℈ ß.
Spir. card bened. ℥ j. *M.*

℞. *Spec. dialun. Myaſ.* ℥ iij.
mag. caſtor. ℈ ij.
ol. rut. deſt. gut. vi.
M. diuid. in 6. part. æq.

℞. *Aq. rutæ* ℥ iij.
cephal. ad intra ℥ j.
Oxymell. ſyll. ℥ j. *p. M.*
Puluis præſcriptus hac mixtura aſſumi poteſt.

Salutifera hęc erunt Medicamina, quę & maritari poſſũt purgãtibus, & ſic vna fidelia plures dealbamus parietes, verbi gratia.

℞. *Reſin. Ialapp. gr, xij.*
Tinct. caſtorei.
ſuccini ana gr. viij.
vel ſ. pilulæ, vel cum conſerua anthos. vel maioranæ formetur bolus.

Vel ℞. *Maſſ. pil. aloephang.* ℥ ß.
Reſin. Ialapp. agaric. a. gr. iij.
Magiſter. ſuccini gr. iii.
ſal. ſuccini gutt. iij.
ol. maioran. gutt. ij.
M. f. pilul. n. xv.

Vel ℞. *Caſtor.* ℈ i j.
Scammon. ſulphurat. ℈ j.
Diuid. in 2. par., æq. detur cum oxymell. ſcyll.

Præter ſupra in Cura Diætetica dicta ordinarius potus ſit decoctum Theę vel lignorum vulgarium, v. g. ſancti, ſaſſafras cum herbis aromaticis, vt ſunt folia maioran. betonic. rorismar. flor. tiliæ radices pœon. &c. Pro ſpecifico commendamus Decoctum hirundinum, cum florib. & ligno tiliæ. Plurima huius materiæ huc referenda eſſent, ſi manus ancillan-

lantes velimus dare æuo noſtro mirè luxurianti, & carpenti, quæ tamen conſultò prætermimus.

Vt verò Virgilius ex ſtercore *Ennij* aurum collegit, ſic vnuſquiſque paulò terſior Medicus ex præcedentibus meliora eligere ſua ſponte valebit. Denique applicentur cucurbitulæ cum, & ſine flamma, item veſicatoria, ligaturæ, &c. Hiſce omnibus nihil proficiẽtibus, ad ſacram illam ſalutis anchoram, nempe ad ſæpiùs dictam infuſionem variorum liquorum volatiliũ in venas ægrotorum, confugiendum erit.

Quam tamen vt & V. S. omittendam eſſe cenſeo, ob calumniam vulgi, quia cum homo moritur, vel infuſioni, vel venæ ſectioni hoc imputant. Clyſter hìc ſæpè iniectus conuenit, quia ita acris eſſe debet, vt inteſtina irritando ægrum excitet, & potenter humores craſſos incidat. Enemata igitur parentur ex herbis cephalicis, additis purgantibus acrioribus, vel ſem. dauci cret. ʒ j. aut ʒ ij. decoquantur in ſero lactis, & ſuſpendatur in eo pulpæ colocynthidis in nodulo ʒ. ß addendo ſalis gemmæ ʒ ij. Addi etiam poteſt ſal. card. bened. Vel paretur hoc Enema:

℞. *Herbar. abſynth.*
centaur. min.
fol. rutæ.
betonic. ana M. j.
rad. pyrethri ʒ iij.
pulp. colocynth. in pet. lig. ʒ j. ß
coq. in ſ. q. aq. comm. colat.
℞. ʒ viij. add.
El. hier. e agar. ʒ j. fell. tauri in-
ſpiß. ʒ j. vitell. ou. j. f. Clyſter.

Proſunt etiam in clyſtere radix lappæ maioris, cortices tamariſci, raſura ligni guaiaci, & radix brioniæ ad ʒ ij.

Naribus fœtida ſunt admouenda, vt ſpir. ſal. armon. caſtoreum, vel ſequens:

℞. *Ol. tartar. pro deliq. ʒ ij.*
Sal. armon. volat. ʒ ß. M.
ſtatim naribus offerantur.

Acetum acerrimum cum caſtoreo, & ruta coctum, & ſemine nigellæ effundatur in laminam candentem, & per nares ægri vapor tranſeat. Sternutatoria hic ſummoperè proſunt, & quidem ſequens:

℞. *Pulu. tabac. Virgin.*
maioran.
lil. conuall. à ℈ j.
caſtor. ℈ ß.
Sal. volat. vrin.
pulu. hellebor. alb. ana gr. iiij. M.
f. pulvis.

Cataplaſma ex raphano, aceto, ſale, & fermento plantis pedum applicetur.

Pro Oxyrrhodino eſto ſequens:

℞. *Aq. Chamomill. ʒ j. ß*
Theriac. in quo caſtoreum
ſit extractum ʒ j
Ciner. capillor. homin. q. v. M.

Cineres iſti adhibentur, quia ſal volatile in ſe continent. Acetum autem perperam oxyrrhodinis admiſcent Medici, quia acetum poros nimis adſtringit.

Ligaturæ extremis iectæ, frequenter ſunt ſoluendæ, & iterum conſtringendæ, quia iſta mutatio animam maximè afficit.

Spongia cum ſucco apij, & aceto rutaceo cum puluere caſtorei naribus applicata ſummoperè proderit.

℞. *herb. apii P. iij.*
fl. nigell.
rutæ ana ʒ j.
caſtor. ʒ j. ß
F. l. a Nodulus.
Vel ℞. *Acet. rutac. ʒ ij.*
ſucc. rutæ rec. expreſſ. ʒ ß.
eſſent caſtor. ʒ j. M.

CAPVT VI.

De Affectibus Capitis.

DE COMMATE VIGILI, ſeu Peruigilio.

§. 1. Quod alibi *Horatius*, ait, *Stulti dum vitia vitant in contraria currunt*, id ſæpè etiam in morbis fit alius nimio inſeſtatur ſomno, alter nullo. De priori præcedens caput egit, poſteriùs huic impendetur. Coma Vigil, (aliis Peruigilium) deſcribi ſolet, quòd ſit ſomnolentia morboſa, & ſumma ad ſomnum propenſio, ob quam clauſis oculis, licèt ad ſomnum ſe componat æger, illum tamen capere ne-

neſciat, & Tantali labrotenus Læthæo flumini immerſi in morem, eò quòd præſens eſt frui non poſſit. Ægri hoc malo laborantes, & delirantes, multa patrare abſurda, & incompoſita ſolent. Sentiunt ab initio capitis grauedinem, cum ſenſuum omnium torpore quodam.

§. 2 Differt autem à Comate ſomnolento, quòd in hoc ſomnus actu adſit, in Vigili verò impediatur, & ægri delirent. De quibus tamen plura, cum de cauſis acturi ſumus.

PARS AFFECTA.

§. 3. Communiter cerebrum pro loco affecto Veteres venditant, alij cerebellum, nonnulli vt Helmontiani ſtomachum, plures globoſam cerebri partem, alij corticalem cerebri portionem, alij glandulam pinealem. Nos verò ſedem noſtri regis, vt & poros cerebri, aliaque corpora, ſpiritus animales continentia, pro parte affecta agnoſcimus, per quæ Spiritus hi, ab omni labe aliàs liberi, & à Rege, officij admoniti, peruagantur, & ita inſtar militis audacis, & inobedientis, omnia perluſtrant irradiantque.

SIGNA DIAGNOSTICA.

§. 4. Signis Comatis vigilis, ut rei ſatis apertæ, non indigemus, & patent ex ipſa definitione præmiſſa verumtamen in ægrorum diſſimulatione, ſigna nonnulla, ex oculorum rubore, & grauitate deſumi poſſunt, item ex palpebrarum motu impedito, rigiditate, & ſiccitate Mentis incompotes ſunt. Helmontius in Dedicatione libri ſui bigam Comate vigili laborantium narrat, vnum Hiſpanicum, alterum Germanum, quem poſteriorem ægrotantem vidit ſedentem, vel iacentem, prout ipſum collocarent, ſculptilis ad inſtar, qui nunquam ad interrogata reponere compos erat, nec intelligebat, quæ vel eius vxor vel natorum quis alia, quàm propria Germanica lingua pronunciarent, cùm tamen intra domeſticos parietes iugiter vteretur Italica lingua, & Gallica. Quin imò paulò poſt ab hoc Comate vigili liberatus vix perſuadebatur idem vt crederet.

Oculos quandoque claudunt ægri, dormire tamen neſcientes delirant, & demiſſis oculis, plura abſurda perpetuò fabulantur, brachia, pedeſque hinc inde iactant excitantes toruè intuentur, vertiginoſi ſunt ægrotantes, nauſeabundi, pleríque macri. Morbus hic rarò per ſe accidit, ſed vt plurimum febres, phrenitidem, maniam, aliosque affectus cephalicos comitari, vel ſubſequi ſolet. Ad penetralia cauſæ nunc tranſeundum.

§. 5. Galenici (quibus quaternalia eſt illa elementorum cantilena, & 4. Complexionum, 4. humorum, & 4. primarum qualitatum poſitiones, & coniugationes, quas Hippocrates, Helmontius aliique tanquam infauſtum ſidus malorum agmen poſt ſe trahens, & medicinæ, & compluribus mechanicis rebus ſterilitatem afferens, neruosè profligarunt) cauſam huius mali à bilis cum pituita commixtione deducunt explicantque. Si enim bilis (ſic illi loquuntur) magis abundet, tunc *Coma vigil*; ſi vero pituita exceſſerit, tunc *Coma ſomnolentum* generari acriter contendunt. Ex qua ſecta reperiuntur nonnulli, qui à vaporibus biliosis, & pituitoſis hunc affectum oriri, rationibus euincere ſatagunt, & probant id authoritate *Fernelii*, tanquam αὐτοψίαν dicentis, quod vigiliæ fiant, quando calidus acerque Spiritus ſupra modum attenuat, & variè diſpergit. Sed cum hi procis illis apud *Homerum* ſimiles ſint, qui relicta Penelope deperibant ancillas, videamus Paracelſum qui tamen ſimilem genium videtur induiſſe.

§. 6. Paracelſiſtæ enim in hoc affectui exhalationes ſulphureas acres incêdiumque parientes culpant. Sunt enim ex eorum diſcurſu vapores iſti diuerſæ naturæ, & proprietatis, prout temperamenta, & mineræ, ſeu materiæ ex quibus ſcaturiunt, variant, qui vapores vigilias, ἀγρυπνίας, & inquieta ſomnia, & deliria excitare valent.

§. 7. *Helmontius* ſagaciſſimus ſtomachum totum per Spiritus nimirum irradiari, vult, & actionem regiminis cor-

po-

poralis nostræ vitæ statuit in hypochondrio, splene, atque stomacho, qui duo ipsi Duum-viratum constituunt, & reliquis partibus imperant, ex cuius inquieto imperio malè continuato, vigilias oriri p. n. credit.

§. 8. Iam *VVuillisii* scrinium aperiamus; ex quo rationem formalem nostri affectus *Comatis* nempè *Vigilis*, colligere possumus ex ijs, quæ dixit *cap. 16. de somno & vigiliis*, Vbi in nimia agitatione & expansione spirituum animalium causam quærit, qui spiritus animales ex ipsius opinione hìc similimi sunt militibus stationariis, excubias agentibus, & ab omni impedimento liberis, à quietè sua perturbatis, & per externas causas mediatis, ex gr. per humores quemuis acrem, per pharmacum perque lumbricos, &c. excitatis. Sic à causis remotioribus, ab ictu sc. plagas indeque spasmo aut dolore oborto, spiritus in motus, & ad excubias continuas agendas solicitantur & coguntur, vnde non potest non fieri quin vigiliæ oboriantur. In vigilijs ergò p. n. spiritus animales nimis efferi & elastici existunt & vix intra locum suũ cõtineri possunt; qua propter nimis expansi cerebrum & neruos tensos seruant, & quandoq; intra cerebri meditullium tumultuantes, varia deliria excitant, cuius rei fidem augere potest, quod quandoque reuocari spiritus acres, & nonnihil efferi in genus neruosum impetuosiùs resili unt, unde prono quasi alueo fluunt cordis tremores, spasmi conuulsionesq; Et toto die obseruamus, quòd illi qui somnũ inire verentur, quam primum somnum capessere volunt, statim ob plura phantasmata exiliant, & vigilare cogantur; spiritus enim animales, qui mites, clari, ac lucidi in statu naturali esse debent, hic vt plurimum sunt acres, & efferi tanquam effluuia ab aquis stygijs emissa. Remotè multum conferre asserit Nob. Author. *sanguinem acidum corruptũ*, salsum, acremque. Sic, & pervigilii species, ille in cerebri corticalis pororumque continua, & nimia apertione à prædictis humoribus præternaturalibus inductis, consistere contendit.

§. 9. *Syluius* in ijsdem ferè meditationibus occupatus, causam immediatam proximam huius affectus, à spirituum animalium agitatione nimia deducit, inquietos enim reddi spiritus animales, nullus dubitat, cuius rei fidem facere putat, quod hæc omnia, quæ impediunt somnum, vt plurimum eius generis sunt, vt spiritus animales exagitent, prout sunt dolores graues, animi solicitudines & anxietates, salia volatilia, acria, bilem acriorem, vel serum acrius reddentia.

§. 10. *Cartesij* sequaces peruigilij causam immediatam proximam ponunt in nimia dilatatione prororum cerebri, à spiritibus animalibus nimium incensis & agitatis inducta. Causæ mediatæ sunt omnia illa, quæ sanguinem attenuant vel nimium calefaciunt, & eũ nimiũ agitando spirituum animalium copiam augent dein & illa quæ meatus plexus choroidis, & carotidum arteriarum aperiunt, poros cerebri dilatant, viamque spiritibus ad ingressum & egressum præbent, vt & ea, quæ corpus nimium agitando & concutiendo alterant, vt sunt omnia acria, aculeata, venena purgantia, &c. quæ omnia hic remotè symbolum suum addere possunt. A paucitate quoque & acrimonia spirituum animalium hunc morbum produci contendunt. Nam paucitas spirituum facit, vt nerui, & cerebrum totaliter inflatum & eleuatum esse minimè possit, quare subsidens adeòque impediens influxum spirituum in neruos & musculos, somnum produceret, ni acredo spirituum, orta à bile, vel humore aliquo acri sale abundante, continua velicatione poros neruorum aperiret, vt ita pauci licèt sint spiritus, continuò tamen in corporis membra influant, & hoc modo statum inter vigilias & somnum producant.

§. 11. Concede nunc, vt sententia nostra agmen claudat. Existimamus ergò *Microcosmetorem* nostrum esse in continuo imperio actioneque, spiritus animales ad organa copiosiùs mittendo

qui

qui ſpiritus ſevero Domino ſuo immorigeri facti, diutiùs quàm par eſt, extra arcem ſuam in exteris partibus hærent, in nimia copia extra arcem expulſi, & multũ furibundi, acres, & tenues facti non facilè reuertuntur ad priſtinam quietem, & potius amant extra patriam viuere, quàm Domino ita ſeuero intra arcem obedire.

Antecedentes cauſæ; quæ noſtrum Regentem ita ſeuerum reddere poſſunt, ſunt vel ſanguis tenuis, ſulphureus, vel nimia dilutus bile acri, nimis efferueſcens; quæ omnia Regem hunc offendunt, & ſpiritus animales ignitos producere poſſunt. Bilem enim per ſuum volatile ſal maximam partem in animales conuerti ſpiritus putamus. Iam enim ſupra deduximus, quod bilis vt furoris hominum, ſic, & vigiliarum p.n. cauſa ſit, vbi ſc. illa nimium redundat, & quaſi extra ripas fertur, & adiuuat hoc illud Philoſophi *Democriti*, qui Medico Hippocrati reſpondebat, quòd ex velocia bilis ira, quæ iuxta illud *Horatii*, furor breuis eſt, enaſcatur; à cuius acrimonia, tum Regi tum ſpiritibus animalibus incenſio accedit. Diximus enim capite ſuperiori, maniacos quosdam, in *ipſo* iræ paroxyſmo ferocire, & ita incaleſcere, vt intenſiſſima non curent frigora, Herculeo tunc robore præſtantes. Inde obſeruamus cholericos, non tam diu dormire ac alios. Sic quoque quãdo ſanguis iuſto impetuoſior, & copioſior mouetur, inde etiam copioſiores generantur ſpiritus animales, vt etſi abundet acidum, & ſalinum acriora ſc. maior tunc, & intenſior ſanguinis efferueſcentia deprehenditur, tumque ſpiritus in maiore exiliunt quantitate, motus enim hic eſt acutior, maior, & frequentior, propter quem non dumtaxat ſpiritus iam geniti celeriùs mouentur, ſed & copioſiùs in cerebro, à Rege extra arcem expelluntur. Et hæc videmus in mania, febribus ardentibus, delirijs, vbi humor ſalinus, & bilioſus, acrimonia in corpore peccant; quippe his infeſtati ægri, ſemper vigilare coguntur. Comprobatum quoque eſt experientia quotidiana, quòd ſi inter cœnandum aromaticis vel ſalſo-lixiuioſis imò ſpirituoſis & acribus abutamur, vt plurimum nox teratur inſomnis; atque hæc prædiducta ad *bilem* transferri poſſunt. Hoc nobis confirmant & hi, qui propter inediam, ſtudia, ſolicitudines, aliaque, nonniſi poſt notabile tempus ſomnum capere poſſunt, quia tum bilis acrimonia augetur, à qua offenditur *Rex*, & ſpiritus animales acriores reddunturs.

Remotè quoque calculum ſuum addunt, omnis triſtis ſenſatio, vellicatio, roſio, dolores quicunque, quæ omnia ſomnum impediunt, quatenus ſenſuum organa & in ijs reſidentes ſpiritus animales afficiunt, & vellicant, vnde non poteſt non fieri, quin Regens noſter vigil ſit, & ad omnia iuſtiùs æquo attendat, ne hoſtis externus interna tranſcendat & occupet. Sic & in cauſa ſunt intentæ cogitationes, curæ, mœrores, quæ Reges & ſpiritus animales inquietant, pluſque ac diutiùs ad officium ſolicitant, & agitando blandam partem conſumunt, indeque omnium humorum acrimoniam accerſunt: per haſce enim intentas cogitationes & curas ſpiritus animales à Rege ſuo nimium inordinatè huc, & illuc pelluntur. Cum enim anima hinc triſtes cogitationes concipiat, & foueat, ſemper circa illas hærendo ſpiritus mouet, iſtis cogitationibus indeſinenter indulgens, qui ſpiritus & fermentationes in corde continuare facit. Vigiliæ quoque nimiæ producuntur à ſanguine, ſpirituoſiore, & ſimul acrimonia quadam ſalina peccante, vt & à ſpiritibus copioſioribus.

PROGNOSIS.

§. 12. Hactenus affectus huius cauſas explicauimus. Impręſentiarum. *Prognoſticorum* ſignorum examini, tanquam genuinis Æſculapij filijs dignum eſt, & cuius ſolius beneficio ſe & artem à malè ſanis petulantis vulgi calumnijs vindicare poſſunt, pagellam vnam, atque alteram largiamur. Sed euge, venerande ſenex! De multis huius farinæ verſatilia diſceptant ingenia glorioſam ſæpè im muſta-

ceo

mustaceo quærentes, quæ diuina breuitate è tuo sacrario depromi possunt. Tu vbi illi cæspitant, soluis Gordium de *prognosi*, nodum, inquiens, *In vigilia spasmus & desipientia*, malum. Porrò in vigilijs tussis mali ominis, & cometa est nunquam impunè spectatus, fit enim quandoque mala metastasis materiæ acris ad pulmones, vnde phthisis oritur. Obseruauit D. *Helmontius*, quòd vigiliæ cum solicita meditatione asthma excitauerint. Vigiliæ si & hoc casu superfluæ sint, haud dubiè post se trahunt debilitatem virium, marasmum, exsicationem corporis, quia per sanguinis acrimoniam partes oleosæ ac pingues abraduntur, vnde planè ex tripode *Diuinus Senex* vigilias voraces nominat. Hæ quoque diutius protractæ furorem, & maniam & in debili subiecto mortem, propter quod spirituum animalisi in partibus exteris, & tandem in ipsa Palladis arce, totalem extinctionem producere valent. Superuenit quoque (prout nulla calamitas sola est) aliquando *Cachexia*; ob eorundem enim spirituum maiorem defectum sanguis acrior redditur & simul tenacior atque viscidior, vnde æquè fermentatio intestinalis, ac vitalis in corde effœruescentia diminuuntur. Vigiliæ in senibus sunt curatu difficiles, & exemplo est *Mæcenas*, de quo *Plinius* l. 7. c. 51. ait, laborauisse eum perpetua febri, nec vllius horæ momento triennio supremo contigisse ei somnum, id quod tamen periculo authoris afferre liceat, & adiuuat ratio, quia senes scatent humoribus acribus, serosis, salso-muriaticis, quibus valde Rex noster inquietatur, & spiritus animales efferantur. Vigiliæ verò ortæ à studijs, solicitis meditationibus, doloribus à quæcunque causa ortis, mœroribus, inedia, catharticis fortioribus, &c. his ablatis facilè curantur. Si quis plura petat, legat locupletiores Authores: laudamus, enim iuxta illud *Virgilij*, ingentia rura, exiguum colimus.

§. 13. Et satis est hic nobis hæc tantùm delibasse, quo facto ad alteram lineam sc. *Curam Dietheticam* Nos nunc accingamus. Victus ratio consistens in *sex rebus non naturalibus*, ita nobis vulgò dictis esto sequens.

(1.) *Aer* sit frigidus & humidus, viteturque contrarius. Quis enim nostrum omnium ita duro obfirmatoque est corpore, vt non externis in aperto solutoque aere flatibus aut refici vehementer valetudinem, aut offendi percipiat.

(2.) *Cibus sit* facilis concoctu, frigidus ac humidus, vt sunt cerefolium, lactuca iuscula varia. Sint ergo cibi elixi, non frixi vel assati, angue & cane peius fugienda alimenta corrupta, acria, quæ sæpè affectibus huius isthmi producendis occasionem præbent. Habemus enim ex egregiorum virorum obseruationibus, quòd condimenta illa acria inter bellaria, oblata sæpius Vigilias induxerint continuas, ceu iam supra indigitatum est. Eius enim genij omnia apta nata sunt ad *Microcosmetorem* nostrum inquietandum, sollicitandum, & satellites suos spiritus animales ad arma vocandos, ac humores acriores reddendos commouendosque, ac effœruescentias excitandas.

Vitentur quoque alimenta in nimia quantitate ingurgitata & flatulenta. Omnes enim qui hoc affectu laborant, imprimis acido abundante, melius valent, si quid ciborum assumant; inediam enim & ieiunia vix ferre possunt ægri, quod & in nobis obseruare licet, vacuo enim ventriculo somnum capere vix possumus, sed plerumque noctis partem insomnem transigere cogimur.

Potus sit decoctum hordei, c. rad. liquirit. vel cereuisia defœcata, in qua flores paralyseos sint incocti vel aqua mulsa. vel emulsio ex amygdalis & seminibus 4 frigidis, cum pauxillo seminis papaueris albi, quæ omnia *bilis* aliorumque humorum acrimoniam maximè corrigunt, & inde tumultuantes spiritus ad quietem cogunt, & sic intercipitur quoq; fomes, qui aliàs Regem nostrum incendit. Vina generosa, & spiritus vini, aquæ spirituosæ & id genus alia existunt sæpè fabri huius affectus, quia bilem aliosque humores

per totum corpus non tantùm augent, sed & propellunt sanguinis motum, eiusque consistentiam minuunt, & ipsos animales spiritus accendunt, vnde meritò hæc omnia vltra Sauromatas, & glacialem Oceanum proscribimus.

(3.) *Motus* sit moderatus, & quies magis imperanda est.

4. Somnus omni opera, omni studio conciliandus, vel dulcibus colloquijs amicorum, vel concentu Musico, vel aquarum strepitu, vel vectu, vel cunabulorum motu, vel medicamentis, de quibus inferiùs acturi sumus, fugienda è contra omnia ea, quæ vigilijs causam dare possunt.

(5.) *Aluus sit lubrica*, non obstructa, reliquæ quoque euacuationes consuetæ, ex. gr. illæ quæ fieri solent per vrinas, sudores, menses, hæmorrhoides, ex natura vel arte sint liberæ, inhibitus enim horum fluxus quas excitat discrasias? Cui quæso ignotũ est, qui saltem medicina à limine salutauit.

(6.) Agmen claudunt Animi Pathemata, quæ ob varias alterationes *Microcosmetorem*, spiritus, & sanguinem de naturali deijcere solent solio. Sint itaque hæc intra iusti moderaminis leges, omne enim nimium naturæ bellum indicit.

Præ alijs autem *Ira* fugienda est, ex ira enim acrimonia augetur, à qua & Rex noster, maximè inquietatur, & spiritibus animalibus acrimonia affunditur. Obseruabis enim iratos homines, certo vix loco manere, calescere, succuti, &, si dentibus mordeant, venenati quid partibus adfricare. Et formam hominis irati accuratiùs describere non possum, quàm fecit *Seneca de Ira lib. 3. c. 3. & 4.* ita aiens: Nulli certè affectui peior est vultus, quam iræ, quem in prioribus libris descripsimus asperum, & acrem, & nunc subitò retrorsum sanguine fugato, pallentem, nunc in os omni calore, ac spiritu verso, subrubicundum, & similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exilientibus, nunc in vno obtutu, delixis, & hærentibus. Adijce dentium inter se arietatorum, & aliquem esse cupientium, non alium sonum, quàm est apris, tela sua attritu acuentibus. Adijce articulorum crepitum cum seipsæ manus frangant, & pulsatum sæpiùs pectus, anhelitus crebros, tractosq; altiùs gemitus instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdumque compressa, & dirum quiddam exsibilantia. Ferarum, mehercules, siue illas fames exagitat, siue infixum visceribus ferrum, minus tetra facies est, etiam cum venatorem suum semi-animes morsu vltimo petunt, quàm hominis ira flagrantis. Et patet hoc maximam partem ab exemplo rustici; accidit enim cum Practicus degerem Dicijs, vt coram Conciliarijs causa ageretur de Rustico Nassouico, qui in vitilitigij cœtro, seu potiùs furore, insanabile vulnus vicino suo dentibus inflixerat Omnes curæ, solicitudines, cogitationes intensæ, quia motum spirituum moderatum perturbant, & agitando illos magis efferos reddunt, inter prohibita numeranda sunt. Reliquis notioribus nunc quidem manus ancillantes non commodabimus.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 9. Fuit hæc *Cura Diætetica*, iam ad *pharmaceuticam* nos accingamus, & quidem ex placito *veterum Galenicorum*, qui *Comatis vigil*, & *idiopathicum*, ijsdem curant remedijs, ac *phrenitidem*, quibus hìc repetendis, iam non diutiùs immorabimur, sed ad *cap. 3.* vbi de illo morbo ex prædictorum opinione egimus, Beneuolum Lectorem breuitatis gratia remittimus. Si verò sympatheticum sit Coma Vigil *Reuellentia* & *Repellentia* ad partes vocant, ad vapores enim (vt illi loquuntur) ad caput adscendentes reuellendos, *phlebotomiam* in brachio, & malleolo imperant, vel oxyrrhodina fronti adhibent, clysteres, cucurbitulas, vesicatoria, & hirudines pone aures applicant. Cum vapores acres è ventriculo, in caput nimis eleuantur, vel stomachus nil mandat sursum, tunc diatrio piperone, & pulueribus calidis aromaticisq; vtuntur, vt *virtus retentiua*, & concoctio stomachi cõfortentur. Si autem lateat adhuc materia cruda in stomacho,

tunc

tunc vomitoria ex oxymelle ſquilitico, alijſque exhibent. In conſumptis corporibus hecticis peruigilium lacte amygdalarum dulcium, & ſem. papau. alb. & cum iuribus carnium pinguium, balneiſque curare haud ineptè ſatagunt. Vinum rubrum pro potu concedunt. Tempora, & nares inunguntur vnguento populeonis, & roſaceo. Balneum aquæ dulcis tepidæ, aliaque humectantia commendant. Stomachum quoque eos accuſare, ſuprà diximus quando nempè ex eo euaporant vapores diuerſi acres, & mordaces, ſicut accidit in febribus malignis, alijsq; ardentibus non minus, ac in hac morbi ſpecie. Ad euacuãdam ergò bilem alioſque mordaces humores, & vapores eijciendos, cum vomitorijs, & purgantibus rem incipiunt, dein circa caput *Embrocationes* inſtituunt, vt alterent cerebrum, & reprimant vapores. Tandem & ad narcotica, & anodyna confugiunt, & ne vapores adſcendant, ab inferis partibus ligationes extremarũ partium inſtituunt.

§. 10. *Chymici* & quidem *Paracelſiſtæ*, qui morbi huius (vt ex præcedentibus conſtat) cauſam eſſe exhalationes ſulphureas, acreſque putant, ad eas corrigendas varia hypnotica, anodyna, tum interna, tum externa commendant.

§. 13. *Helmontius* plurima, vt homo ſolet de republica alcalium, de iure Duumviratus, de felle alijsque innumeris inculcans malum hoc in ſtomacho, & liene reſidere, & Duumviratum malè affectuum eſſe autumat, indeque medicamentis magis ſtomachicis, quàm cephalicis, mitigari ſcribit. Ab initio vomitorium de inſtomachica varia, tum externa, tum interna exhibenda eſſe præcipit, vt ſunt Elixir propr. ol. N. M. & id genus alia. De cætero ipſe, vt alibi, ſic & hic *Manes Galeni* laceſſit, & in eius monumenta prohibita iaculatur fulmina, ex hac præcipuè cauſa, quòd ille vapores accuſet, & ad hos arceſſendos varia remedia ridiculè adhibeat, cum tamen nulli ad caput aſcendere poſſint vapores. Prout ideò chimæram oppugnet *Galenus*, id *Helmontius*, præter ocularem inſpectionem anatomicam, multis alijs rationibus, & argumentis probat, inter alia, & hoc palmarium eſt, quod ſenes, quibus vis coctrix eſt debilior, licet parcior ſit cruor, tamen poſt ſobriam cœnam meliùs dormiunt ac iuniores, qui parciùs cœnantes ęgerrimè quieſcunt. Nemo tamen vnquam putauerit, ſenes plures ad caput mittere vapores ſi exigua cœna ſumptà cæterum abſtemij ſunt, qui tamen diſcurſus altioris eſt indaginis, nec ad hanc noſtram arenam ſpectat.

§. 12. *Williſius* in Vigilijs contumaciſſimis reiecto vſu intempeſtiuo *opiatorum*, experientia teſte ſæpiùs nociuorum ſuadet cubitum ituris *Allam* Anglorum, quæ tamen non eſt omnium regionum, vel emulſionem ex ſeminibus 4 Frigidis maioribus, & amygdalis paratam, in ſufficienti quantitate, nempè ad libras duas epotam, item Iulepos, decocta, &c. reliqua cephalica, quæ iam in alijs affectibus capitis deteximus, inprimis in *capite*, de Phrenitide, haud negligenda ſunt.

§. 13. *Syluio* duce ſi vtare, Is, ſi coma vigilia doloribus ortum habeat, anodynis tum internis tum externis rem tentat, ſi animi pathemata ſpiritus animales exagitent, & inde vigiliæ exſurgant præternaturales, illa eloquio alicuius ex diſſerto ore amolienda eſſet cenſet. Animalium quoque ſpirituum nimia agitatio ſedanda, & anima ad tranquillitatem redigenda, quod fieri poteſt per varia placatiua, mitigantiaque remedia, quorum prolixum Catalogum ipſe texit. Quod ſi ab humore ſalſo volatili, & acri oriatur, malum, ad acrimoniam corrigendam varias præſcribit emulſiones oleoſas è ſeminibus, & varia anodyna, quibus omnibus *ſulphur pacatiuũ vitrioli*, multis paraſangis præfert.

§. 14. *Carteſiani*, hoc in affectu, vbi bilis accenſa, & æſtuans & ſanguinem fermentare faciens prædominatur, ipſam euacuandam cholagogis, & corrigendam *acidis*, rationibus contendunt, ſin craſſiores particulæ ſanguinis prædominantes nimiam dilatationem pororum cerebri inducant, & ex latebris ſuis *ſuccum* acidum ad motũ ſtimulent, & inde eſſerueſcentia ſan-

guinis augeatur, tum contraria *acidum* sc. corrigentia præscribunt, ante omnia ab initio V. S. suadent: & præcipua curatio huius morbi iuxta ipsorum hypothesin consistit in medicamentis acrimoniam lenientibus, & vires reparantibus, ac in sudoriferis, nam illæ particulæ acres volatilisandò extra corpus protrudunt.

§. 15. Hactenus iuxta aliorum delectum morbum hunc debellauimus, nunc & nostræ etiam dilucullariæ experientiæ tyrocinia magis adferamus, quàm obtrudamus. Si ergò nimia quantitate *bilis Microcosmetor* noster inquietatur, & inde vigiliæ exsurgant, illa vel per aluum *cholagogis* educenda est, sursum vergat *bilis*, vomitorijs opus est; quò enim natura vergit, eò sequendum. Cholagogum verò nostrum est Electuarium *Syluij* purgans, vel pulpa tamarindorum, prunorum, &c. Vomitorium Catalogo adscribimus sapam antimonij, & tartarum emeticum, vinum emeticum nostrum, sed cum cautela sunt exhibenda fortiora. Si verò à bilis aliorumq; humorũ, nempe seri, (quod iam lymphæ nomine venit) acrimonia offendatur regens, & spiritus animales nimium extra aleas vagentur, tunc ad quietem reducendus *Noster*, spirituſque animales itidem ad pristinum relegandi iugum, & in hunc finem sequentem iulepum, magno cum successu exhibuimus.

℞. *Aq. verben.* ℥ iiij.
Endiu.
lactuc.
Roris vitriol. ℥
Syr. rosar. ana ℥ i. ß.
M. F. Iulepus pro aliquot vicibus.

Vel ℞. *Aq. plantag.* ℥ v.
papau. err. ℥ iij.
Acet. stillatit. ℥ j.
Syr. cydonior. ℥ i. ß.
Tart. vitriolat. ℥ ii. *M.D.*

Emulsiones viribus, & laude adamussim esse prioribus æmulas, nobis persuademus, quæ parari possunt prædictis aquis dest illatis, vel decocto hordei, cum sem. frig. mai. papau. alb. Hæc enim bilis sal volatile maximè fringunt diluuntq; cum fructu etiam & certa salutis promotione, exhibuimus *opiata* vel *theriacam cœlestem*, vel *laudanum opiatum* cydoniatum, vel singulari menstruo, nostro modo, paratum, vel *Tincturam Anodynam Zuuelferi*, &c. Affectuum enim horum æstui optimè hisce succurrimus, quippè quæ acrimoniam salinam emendant, dolores quosc. cumuis sedant, narcosin induunt, spirituum animalium generationem nimiam somno inimicam impediunt, eorumque motum inhibent, indeque somnum blandum conciliant, vt sæpissimè experientia comprobauimus, imprimis si vigiliæ hæ oriantur à doloribus. Eò ergò semper retia nostra iaciamus, vt dolores quoscumuis è medio tollamus, qui scopus per iam dicta *opiata* facili marte attingi potest, prout hęc semper felicissimè adhibuimus, nec vllum vnquam damnum inde percepimus, prout multi ex alieno iecore sæpè corrupto sapientes, & ex æmulatione Tyresia cæciores redditi opinantur. Id tamen cum hoc grano salis est accipiendum, modò in dosi non peccetur, sed ea accurratè, iuxta facti circumstantias, præsertim ægri debilitatem, determinetur, moderatè enim illa applicanda sunt, si applicari debeant, nam si exhibueris nimium, vel non obseruata affectus circumstantia, maius malum vel etiam necem inferre poteris, & sic diabolum per Beelzebub eijcere stultè tentabis, tempestiuè verò exhibita, spiritus impetuoso motu ferocientes sapiunt, eorumque furiosum impetum, quasi iniectis frenis compescunt, imò furias dolorum sedant, placantque: hinc dolorum remissio, & quies; vigiliæ enim & dolores, ob spirituum iacturam omnes corporis nostri humores exasperant, opiatis verò hisce exhibitis, blanda obrepit quies; vnde efferuescentię imminutio, & clariora coctionis signa se è vestigio produnt, facta sc. præcipitando vtilis ab inutili segregatione, vnde fit melior crisis, & vel per sudores vel per vrinas magnæ coctæ seu præcipitatæ secretio, imprimis, si non adsit pituita, opiata prosunt

sed

sed parua semper dosi. Huc spectant camphora, & sal Saturni, & omnia sulphura metallorum narcotica. Tinctura opij cum alcolo vini præparata, hic commodissima foret, ad cochleare dimidium exhibita, quia ob subtilitatem nullibi hęreat aut obstructiones efficiat, sed potiùs lenes sudores excitando opij particulas extra corpus abripiat. In casu debilium, vbi opiata, non nisi magno periculo intus sumere licèt externè tamen sine metu illa ad partes vocabis, quæ inter magnificamus *mixturam somniferam*, quam *Optimus Parens noster, Iohannes Dolæus, Pharmacopœus sexagenario maior Consul Ciuitatis Francofurtensis*, multa experientia confirmatus salutiferam reperit, quæ sequens est.

℞. *Vng. popul. alabastr. ana* ℥ ß.
sang. hirund. ℥ j.
ol. N. M. expr. ℥ j.
croci or. ℥ j.
opii dissol. ℥ iß.
ol. sem. hyoscyam. expr. parpaū. alb. expr. ana ℥ j.
M. F. mixtura somnifera cum corio temporibus applicanda.

Sed in orbitam redeundum est, extra quam vsus, & abusus opiatorum explicatio nos rapuerat.

Omnia quæ salis volatilis acrimoniam corrigunt emendantque in hoc morbo internè, hic conducere quoq; expertum habemus. Hinc tanto leuamini nostro affectu laborantibus est Balsamus noster antimonij, cum oleosis, & spirituosis combinatus, quo nihil excellentiùs, & præstantiùs hactenus vidimus ad Cosmę torgem placandum, & humorum quorumuis acrimoniam obtundendam. Eodem effectu gloriam salia volatilia oleosa quæcumq; imprimis sequens nostrũ sal volatile oleosũ.

℞. *Sal. armoniac. Tartar. ana* ℥ j.
C. C. volatil. ℥ iß
Succin. volat. ℥ iij.
Spir. vrinæ ℥ ij.
Aq. pluuial. ℥ iiij.
Ol. cinamomi caryophyll. ana ℈ ß. *M.*
Destilletur l. a.

Idem ferè, imò verè efficiunt *Acida uolatilia* exhibita, quia sanguinem magis coagulando serum acre abundans ab eodem secernunt, secretum per vrinas, ac sudores expellunt, & eliminant, ex acidis verò illis volatilibus eligimus Tinctur. bezoart. Michaelis, Mixturam simplicem, &c. Conducit, & hic spir. fuliginis, liq. C. C. succinatus &c. Vbi sanguis biliosus fuerit, & nimio sale volatili abundauerit, vnde vigiliæ ortæ fuerunt, V. S. etiam institui debet, & præsertim circa vesperam, vt eo commodiùs somnus inducatur.

Oxyrrhodinum conueniens paratur ex oleo rosaceo, & aceto rosaceo, quod extraxit tinctura opij.

Vel ℞. *Aq. rosar.* ℥ vj.
croci ℥ ß, *M. pro Epitemate.*
Vel ad tempora: ℞. *Medull. crur. uitull. ceru. rec. ana* ℥ ß.
opii solut. gr. ij. M.

Inter externa commendamus frontalia, litus, epithemata, lotiones pedum, fotus &c. conducet cataplasma, ex nucl. persicor. sem. papau. alb. c. lacte mulierebri, paratum, & temporibus applicatum. Balsama ex refrigerantibus anodynis, hypnoticis, & narcoticis conflata, & alia quibus libri Practicorum pleni sunt, indeque in hoc horreum non sunt traducenda.

Pedes etiam in balneo tepido contineantur, in quo cocta fuerunt capita papaueris, & flores chamomill. ac reliquæ herbæ emollientes, ad acrimoniam sanguinis temperandam. Seuum quoq; hircinum plantis pedum illinatur. Transfusio sanguinis, & infusio opiatorum in venas hominum salutifera, & extrema anchora nobis erit, de quibus alter Helmontius, Nob. Dn. Ettmulerus In *Disp. aurea de Chirurgia infusoria* plura differit.

Transfusio enim sanguinis hoc in morbo locum ideo habere potest, quia hic vitium tantùm consistit in massa sanguinea in vasis existente, & malum non multum hæret in latibulis solidis. Quare cum sanguis vitiosus excernatur, ac nouus, & laudabilis infundatur, tota ferè cura absoluta est, nec sanguis recens infu-

sus multum à statu suo naturali in hunc morbosum degenerare potest, quoniam non multæ reliquiæ sanguinis vitiosi in partibus solidis hæreant, quæ aliàs pro fermento inseruire possent, ad sanguinem recens infusum in sui naturam mutandum, & iterum ad statum morbosum deducendum. Quare hæc transfusio sanguinis non ita in morbis locum habet, qui vt plurimum oriuntur à fermento, non in sanguine, sed in partibus solidis hærente.

Nos & solemus ægro, pro circumstantiarum ratione tamen, indusium induere ex aqua frigida madidum, & sic relinquimus eum per vnam, vel alteram horam optimo cum successu, donec somnus plerumque subsecutus est.

Symptomatibus etiam alijs hic obuiam eundum est. Contra febrim dari potest mixtura sudorifera ex mineralibus, vel alijs specificis, sæpiùs ante dictis, cui addi potest camphoræ gr. ij. laudan. opiat. gr. ℈. vel j. syr. papau. err. ℥ ij. M.

Pro siti potest exhiberi puluis ex lapide prunellæ & camphora, vel potui instillari potest spiritus nitri.

Et somnus est omni operà inducendus, ne æger in phrenitidem incidat.

CAPVT VII.

De Affectibus Capitis.

DE CATALEPSI.

DEFINITIO.

§. 1. CAtalepsis, nonnullis Catochus, *Sylvio* Belgarum delicio *Prehensio* à prehendi, alijs *congelatio*, cum ægri hoc morbo detenti, quasi congelati rigeant, quibusdam *Stupor Vigilans*, eò quod hoc morbo correpti sensus expertes reddantur, & motum toto in corpore amittant. Communiter describi solet, quod sit subita quædam detensio, tum animæ, tum corporis, cum sensuum labefactatione, qua qui corripitur, eam partium corporis retinet figuram, quam habebat, cum corriperetur, sedens equidem, aut iacens permanet, palpebræ rigent, pedes ad ambulandum sunt compositi, manus quoque ad amplectendum quid exporrectæ sunt, & vt plura verbo comprehendamus, statuam intueris attonitam. Quæ phænomena nostro calculo deducimus à Microcosmetoris nostri strenuo imperio, inde spirituum animalium impetuoso influxu facto in exteriora membra, eorundemque intercepto refluxu ad solium regium. Rarus hic est affectus, exempla tamen non nulla ab ipsis veteribus, inprimis à *Galeno* Medicorum vertice comment. in 1. prorrhet. *Hippocrate diuino*, *Marcello Donato*, *Schenckio*, *Sylvio*, alijsque allegantur. In medijs scalis vnus adscendentium subito stupore correptus ita gradibus adhæsit, vt nec vlla ratione diuelli potuerit, & uiam sequentibus præcluisset. Indubitatum hoc exemplum affert *Buchananus* l. 6. de reb. Scoticis.

Nos *Hanouiæ* vnicum vidimus hoc morbo detentum ægrum, & in eo omnia accuratè quantum licuit annotauimus, cuius historiam inferiùs tradituri sumus.

DIFFERENTIÆ.

§. 3. Hic affectus cum Apoplexia conuenit in hoc, quod quemadmodum in hac, sic etiam in Catalepsi sensus & motus voluntarius perit. Differt verò in eo, quod hic non ita, vt in Apoplexia spiritus animales afficiantur, nam quieti manent in partibus externis, & sic extra Microcosmetoris sedem expulsi, propter viam intercluſam non ampliùs ad priorem officinam recedere queunt, tunc verò suam exercentes in musculis extensionem validam, siue rigiditatem producunt. Nihil enim viuentium corporibus mouendis conuenientius comminisci possumus, quàm animales spiritus. In subtilibus etenim motibus Pneumatica præstat Hydraulica arte.

CASVS.

§. 4. Noster Catalepticus 37. Annorum clolerici temperamenti inter pocula rixatur, iraque excandescit, sensibus omnibus priuatur, quasi illo *Gorgoneo* capite obiecto in Persei nuptijs. *Ouid. metamorph. f. 1. & 2.* oculos autem apertos seruat, nec tamen videt palpebræ, rigent, in-

interrogatus nihil respondet, manus ad excipiendum extensos habet; Nos ipsum intuentes admiratione suspensos reddit, hoc interim vitæ reliquum habebat, quod respirare benè poterat, pulsu remanente forti & æquali, motuque aliquali thoracis. Adhibitis idoneis remedijs in fine huius capitis adiectis feliciter curatus æger, relicto tamen stupore quodam partium, si lassitudinem dicas, non erres.

PARS AFFECTA.

§. 5. Cerebrum, fontem & originem motus & sensus, aut si mauis actionum animalium subiectum principale esse, communi Authorum suffragio docetur. Nonnulli membranosam medullæ spinalis substantiam accusant. Quidam ventriculos cerebri pro parte affecta venditant, vt pote qui à materia frigida, crassaq; violenter tensi, impediant spirituum animalium motum ordinarium. Plures cerebellum, & neruorum principium pro parte affecta ponunt, rationibusque; contendunt. *Willisius*, *& Syluius*, Lumina illa Medica, non tàm cerebrum, quàm ipsos spiritus animales partem affectam esse comprobant. *Fonseca* cor esse docet. *Carteſius*, magnus Philosophiæ restaurator de pass: animæ p. 1. artic. 31. Item de *Homine Glandulam Pinealem*, præcipuam animæ sedem, subiectum primarium constituit, illa enim affecta solitas functiones minus ritè perfici multis rationibus more solito comprobat.

Pars *Neotericorum* cum *Veteribus* cerebrum, ceu partem similarem, h. e. spiritibus perfusam subiectiuè affici statuit. *Helmontius* industrius ille per insignis Philosophus, os stomachi, vti reliquorum soporosorum affectuum, subiectum catalepseos putat. Nos hic officinam & regiam sedem nostri Microcosmetoris cerebellum, cum appendice tamen neruorum, pro parte affecta agnoscimus, de hoc affectu vti in alijs singularem fouentes opinionem, de qua re plenius alibi, vbi de causis acturi sumus.

SIGNA.

§. 6. Signa huius stupendi affectus sunt manifestissima. Ægri subitò obmutescunt toti rigidi, atque immobiles sunt, sensusque debiles, ac stupidos habent, in eadem permanent positura, in qua percellebantur, oculi enim haud clauduntur si prius aperti erant, sed attentè, astantium quidem iudicio, rem aliquam intuentur, oculi plerumque aperti & stabiles, palpebræ autem rigentes deprehenduntur, ob spiritus animales magna in copia influxos; si sederit æger sedens permanet, si cubuerit in eadem quoque figura repræsentabitur. Alui ac vrinæ fit suppressio, respiratio adhuc integra, & illæsa manet, quod apparet ex costarum, & ipsius abdominis eleuatione, spiritus enim sufficienti in copia in organa respirationi dicata influunt, & sanguinis circulatio adhuc viget, quod & apparet ex pulsu naturali simili, sanguinem in cordis thalamis legitimè efferuescere, & fermentari, perq; ipsos pulmones liberè circulari. Spiritus ex tali legitima efferuescentia sanguinis in cerebro generantur in magna copia, qui quà datà porta pergũt, inprimis ad pectus; mirum ergò non est, quod ita respiratio liberè peragatur, ægri verò immoti maneant instar Marpesiæ cautis.

CAVSÆ.

§. 7. De causa huius intricatissimi affectus quot capita tot sensus. Antiquitatis Patronis est intemperies valdè frigida atque sicca cerebri, vnde contingit cum cerebrum tum spiritus animales congelari ac are fieri. Hanc intemperiem frequenter materiam frigidam, & siccam introducere rationibus probant, qualis est melancholia. Vnde inter remotiores causas ponunt aerem valde frigidum & siccum, commistionem quoque pituitæ cum bile, quæ si simul immodicè exuperant, eandem intemperiem proferre contendunt. Non tantum prædictos humores, sed & vapores eiusmodi farinæ genijque cerebrum & spiritus refrigerare, ac aresacere, sed & quasi congelare posse, acriter defendunt. Vulgatissima ferè nostro hoc æuo adhuc est opinio, in spirituum animalium menti inseruientium, congelationẽ cõsistere causam proximam; qualem

ſpirituum congelationem nunquam poſſe dari, ſolidis euincit rationibus Ingenioſiſſimus *Craan, diſp. 6.* &c. nobis enim non placet pluribus hic vellicare vnius, vel alterius barbam.

§. 8. Chymicorum filij, qui ab igne formarum expectant perfectionem, ac cauſas morborum rimantur, hic, vti in reliquis affectibus ſoporoſis, ſulphur narcoticum ſpiritus animales ita figens accuſant. Quorum nonnulli ex ipſorum grege hanc congelationem ſpirituum animalium à Mercuriali principio deducunt, & quidem à *Mercurio Cremoſo* permutationem gradus alterato, & deſtillato, quemadmodum enim ſunt verba Clariſſimi Rolfincij) ſpodium vino iniectum extimam vini ſuperficiem congelat, ita hic Mercurius inſita vi in rabiem ſuſcitatus nimis impingitur, corpora conſtringit, & rigida reddit, vt ſulphur non vaginam ſed ferrum, non ſaccum, ſed nummos petit. Non ex profeſſo nunc huius opinionis panegyricum dicere volumus, ſed aduocentur ipſi Spagyrici. Nonnulli enim eorum ſunt, qui fingunt neſcio qualem ſpiritum ex telluris cauernis erumpentem, qui plurimis ruſticis cum emulctis vaccis lapideam duritiem impertijt.

§. 9. Magni *Helmontij* aſſeclæ culpant *Archeum tetrum induentem Lumen*, à ſalibus acidis corroſiuis accenſum. Acor enim *Helmontij*, & Acidum *Ottonis Tachenij* ſphæræ ſuæ bonitatis obliuiſcentes, & peregrini; ſylueſtres ſiue hoſtiles facti, cerebri potentias hebetant ſiſtuntque.

Syluius, ſummi vir ingenij, ſpiritus animales inſtar ſpiritus vini per ſpiritum vrinæ humanæ ſex hebdomadarum ſpatio digeſti, coagulari probat, in catalepſi ergò exiſtimat ſpiritus animales quaqua verſum à cerebro per neruos, vectores ſpirituum, deferri, verùm quadantenus coagulatos: inſpiſſatoſque, adeoque torpidiores ac ſtupidiores, nimiſque mobiles atque fluxiles.

Carteſiani ſubtiliſſimè philoſophantes, & more ſolito cornicum, oculos vbique ferè configere ſtudentes, reijciunt Galeni aliorumque opiniones, ſtatuentium, ſpirituum animalium, aut reliquorum humorum in corpore exiſtentium, ex frigore conſtrictionem, aut ex vapore quodam ſpirituum congelationem. Probant enim per ſpiritus animales, qui ſpiritui vini os humeroſque ſunt ſimillimi, imò flammæ candelæ analogi, quibus nullam congelationem fieri poſſe exiſtimant. Sed ob glandulæ Pinealis obſtructionem, ſpirituum animalium determinationem à *Mentis* in glandula hac tanquam medio cerebri reſidentis imperio impediri ſtatuunt, quo minus partes diſſitæ regi poſſint, quæ amplè deducit *Excell. Brockbauſem in Oeconom. Animal. Artic. 102. p. m. 26.* Nullam ergò aliam ab cauſam, hanc mutationem ejuſmodi corporibus induci poſſe acriter contendunt, quàm quòd ſpiritus animales æquali quidem copia, motuſque vehementia influant in artus muſculosque, verſuſque, quæ erant determinati, ante inuaſionem huius morbi; quam determinationem non mutari in paroxiſmo ingenuè profitentur Carteſiani; & hæc omnia euenire ſtatuunt ob glandulæ Pinealis in vno, vel altero date re obſtructionem. Cauſam ergò immediatam conſiſtere in ſenſorij communis vnius, vel alterius obſtructione, in hoc affectu non conatum, ſed facultatem determinandi ſpiritus animæ deeſſe ſtatuunt; mouendi enim membra voluntatem adeſſe quidem durante Paroxiſmo, ſed nec illa mouere, nec etiam loqui poſſe probant.

§. 10. Nos exemplo maximi *Senecæ* Epiſt. 45. nos nemini ex aſſe mancipauimus, nullius nomen ferimus, multùmque quidem magnorum iudicio tribuimus, aliquid & noſtro vendicamus, ſed ne aliorum præcantatis ſententijs mentem ſaturemus, & has & ipſam rem dubia examinis lance trutinemus magis tuti, ſi noſtram non temerè propinemus opinionem, quam quaſi per rimam ſuperiùs oſtendimus. Dum interim varia mentem ſubiret meditatio congelationem ſpiri-

tuum

tuum pro immediata causa huius affectus verè statuissent veteres, plurima dubia mentem planè obfuscarunt, licet ergò momenta, & non minutias nostræ opinionis attingere. Causam proximam formalem consistere putamus in Regis nostri Microcosmetoris strenuo, & dein nullo imperio in milites suos, puta spiritus animales, à Rege suo è stationibus suis, nempè cerebro, solio suo regio impetuosè emissos, qui quamuis Rex illos reuocet, propter intercluſam viam recedere nequeunt; illos vel quæ de nouo generantur, ad cor, & thoracem eleuanda mittit Rex. Rigiditas enim illa insolita partium extremarum vnde aliàs quæso deduci potest, nisi à spiritibus animalibus, vno impetu à Rege suo in musculos profligatis, & eos inflantibus, gemello modo vt intestinum vel vesica ab aere extensum, & postea aliquo ligamine constrictum. *Cartesiani* fatentur nobiscum ab impedito spirituum animalium fluxu, seu determinationem in musculos dene gata, statim membra, sicuti vela nullo spirante vento, flaccescere, ac concidere, & omnis motus fieri expertia; cuius tamen rei contrarium in nostro affectu videmus, prout nemo, nisi cui cerebrum est in calcaneo, negare audebit.

Membra ergò hic non flaccescunt sed rigida redduntur. Videmus enim in casu nostro quod æger crapulæ, & sociatæ iracundiæ nimium indulserit, vnde in hunc incidit morbum, & insignem illam membrorum passus rigiditatem cum stupore sensuum internorum, quis non dicet (vt in allegato *Ouidii* loco *Phineus* cum turba socia) spiritus animales in cerebro rebelles factos, suum solium, & principem Microcosmetorem sc. reliquisse, & in exilium se contulisse ad externas oras, tanquam ad Asylum confugisse, & rigiditatem extensionemque hanc insolitam membris induxisse, & cum patriam repetere secum constituerint, per obstructionem quamcumuis in via Regia impeditos, & interceptos fuisse. *Obijcient* forsan alij motum spirituum animalium semper ab anima in, & circa glandulam pinealem residente determinari debere, quod sic elidere possumus motu sc. spirituum animalium facto, spiritus animales ibidem subsistere possunt, eodem modo, ac si semel cum halitu nostro vesicam inflauerimus, quæ si constringitur, tumida manet, remoto etiam nostro halitu, & in artubus alijsque membris fouentur, & superantur à spiritibus, qui ad pectus mittuntur; respiratio enim manet integra. Probamus quoque hoc ex antecedentibus, à crapula enim, & huius fomite, & comite iracundia, alijsque animi passionibus vehementioribus, Microcosmetorem furibundum, & spiritus animale maximè rebelles reddi nemo inficiabitur. Nocet, & vini nimius potus. Sic ex vino generoso ortam Catalepsin notauit *Platerus* prax. lib. 1. Omnia enim hæc spirituum animalium fugam, & motum intendunt, & eos ad talem desertionem officinæ inuitant. Quando æger interrogatur, & non respondet, ideo non sequitur eum non audire, quia quidem ditatur responsionem, sed non potest spiritus impellere in musculos linguæ ad loquelam. Hanc nostram conceptam opinionem confirmant, & iuuantia, & nocentia, conducũt enim omnia antispasmodica; sed simul obstructionem in neruis adesse ex sequentibus patet rationibus, quod spiritus animales non ampliùs ad pristinum recedere possint locũ, sed subsistere cogantur; id quod etiam ex iuuantibus, ceu diximus, colligere licet; omnia enim quę viscidum illud obstruens destruere, & sic sufflamen remouere possunt, maximè conferunt, vt sunt salia volatilia acria, &c. de quibus in curatione huius affectus plura addemus. Hæc nostræ tenuitatis congeries est, de stupendo hoc affectu. Lector Æquè, quam si respexisse vacarit, tuum iudicium præstolabimur, tam diu post carecta latentes, donec alij sua sensa de hac nostra opinione prompserint, tunc, & meliora addentes. Perspicacioribus facilè erit ex præcedaneis his quæcunque phœnomena explicari.

PRO-

PROGNOSIS.

§. 11. Hactenus affectus causas explicuimus, iam proximè prognosticorum signorum examini paginam vnam, atque alteram largiamur. Prognosis certè hunc affectum meritò acutum, & periculosum denuntiat, dum nobilissima pars cerebri læditur, & spiritus animales ex sua metropoli & patria exturbantur, vndè non nisi periculosissimus morbus descendere potest. Vt enim (verba sunt *Plinij* l. 4. Epist.) in imperijs, sic in corporibus grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur. Imperfecta Catalepsis, quatenus mitiora coniuncta habet symptomata, minus est periculosa, tantòque curatu facilior, quantò difficiliorem curam exposcat altera exquisita. Nam semper exquisita lethalis est, prout in nostro ægro experientia comprobamus.

Incurabilis verò hæc est, si senes occupet, teste *optimo Sylvio*. E contra iuuenes viribus adhuc pollentes haut ita difficulter ab hoc intricatissimo malo liberari, nostro casu compertum est. Ratione curæ, illa quæ per consensum accidit tutior est essentiali, si paucissimi tantum remanent in solio regio spiritus animales, tunc periculi plena res est, imprimis si simul principium neruorum à viscido humore obstructum fuerit. Si à narcoticis Catalepsis oriatur, ad mentem nonnullorum periculosissima censetur. In biliosis non admodum periculosa.

Quoad euentum, terminatur ad salutem si vires respondeant exemplo, si autem resoluantur, mortem comitem habebit certissimam.

Aetius l. 6. c. 4. larga facta sanguinis per nares effusione, liberatum iuuenem vidit.

Ballon. l. 2. memorat, quod seruus Equitis Torquati, febre lentâ & quartana duplici laborans, catalepticus factus morte morbum finiuerit.

Sæpissimè in epilepsiam, apoplexiam, aliosque affectus soporosos transit, tunc periculosum.

Mensium & hæmorrhoidum fluxus superueniens insuetus, salutaris habetur. Nisi cataleptici maturè curentur, torpidi permanent.

§. 12. Methodus pro Curatione *Catalepsis* inseruiens, perficitur sub sequentibus remediorum generibus. Quoad *Victus rationem*, aer sit temperatus, serenus, purus, absit frigidus, crassus, nebulosus imbribusque refertus. Congelatio illa, quæ à frigore externo fit, cum nostro affectu parum habet commercii, nisi quis spiritum Gorgonicum cum Charletone admiserit, quo flante & penerrante ex tempore obuiæ res congelantur & indurantur.

Cibus sit boni succi, vitentur salsi saporosi seu flatulenti, fumo indurati, aliique capiti nocentes. Vinum sit tenue, & cereuisia probè defœcata, vel mulsa vel ptisana conueniens, vel decoctum aromaticum. Vitandus est spiritus vini, & omne vinum generosum.

Somnus & vigiliæ sint mediocres, quatenus enim excedunt mediocritatem, corpus resoluunt, & spirituum animalium loco quos dissipant, cerebrum vaporibus sylueſtribus replent.

Quies & motus non excedant limites, lucubrationes & vitâ sedentaria nocent.

Excreta & retenta, quibus sanè ad Catalepsin inducendam vis magna est; fæces enim alui, vrina, sudores, sanguis menstruus, locchia, bilis, mucus narium, lympha retenta illa putredinem concipiunt, sanguinem coinquinant, sicque spiritibus obsunt.

Quantum ad animi pathemata, quale dominium habeant in spiritus animales superior casus nobis declarat. Ira & terror spiritus animales è suo solio regio exturbare & Catalepsin hanc facilè inducere possunt. Sic & gaudium nimium spiritus dissipat. Exemplum habemus notissimum hic Neo-Hanoaiæ in Anno nostræ coniugis charissimæ *Danile de Laire* d. consule dum viueret *Hanouienſi*, qui cum vrbem hanc obsessam liberatam viderit, præ gaudio statim obmutescens animam cum morte cõmutauit. Ex amore Catalepsin obseruauit *Tulpius* & *Rondeletius*: Omnia ergò sint moderata quę diutiùs durare de-

debent: Ex vermibus Catalepsin excitatam notat *Alex. Bened.* l.1.c.6: ex erysipelate malè curato Catalepsin ortam scribit. *Crembs. Arbor. ruinos.* pag. 206.

§. 13. Pro curatione grauissimi huius mali *Antiquitatis Patroni & Antistites* vtuntur modicè calidis, atque humidis. Omnium autem primò aluum Clystere quodam eluunt, hinc clamoribus, frictionibus partium extremarum dolorificis ægrum excitant, in eundem finem sternutatoria medicamenta præscribentes: Pro re nati V.S. instituunt, vnguentis denique confortantibus ex oleo lil. alb. camomill. sambuc. aneth. rut: Castoreo addito, partes affectas illinunt. Balneum ex oleo tepente magnificiunt: Ægris nonnihil ad se redeuntibus, præscribunt purgantia, vt sunt Confect. Hamech. Diacathol. Diasena, Senna, polypod. q. & vomitoriis materiam peccantem euacuare tentant: Postea corroborantia, resoluentia, intemperiemque relictam emendantia, Theriac. sc. Andromachi, Diamusc: lætificans Galeni, conf. rad. bugloss. curam finiunt: Ab acetosis in hoc affectu diligenter abstinendum esse præcipiunt.

§. 14. Chymici hoc in affectu, vti in aliis soporosis, laudibus extollunt tincturam auri, liquorem ambræ & moschi, vt & magisterium oleumq; & solutum margaritarum ana ℈ ß. cum syrupo de Cinamomo, aliaque arcana, vt & spiritum, oleumque vitrioli dulce magnificiunt. Nostrum nunc non erit horum medicamina omnia hic propinare, quia num curioso Lectori satisfaciant valdè dubitamus.

§. 15. *Willisius* hic, vti in apoplexia commendat cephalica quæcunq; & cum illa iam in capite de Apoplexia addiderimus, ex Authoris huius scrinio pleraque, hic ea repetendo supersedebimus, nè crambembis coctam offeramus.

§. 16. *Felicissimus Sylvius* curatu difficilem ait Catalepsin, nisi sponte breui recedat; arbitratur tamen curationem huius morbi obtineri posse à medicamentis sale volatili acriori præditis, vt sunt plantę omnes acriores, & aromaticæ. Ad mentem ipsius hic addamus compositionem, & sal volatile oleosum ex herbis, certè medicamen excellentissimum.

℞. *Sal volat. ruth. vel thym.* ℥ iij.
fixi eiusdem ℥ ij.
ol. Rill. eiusd. ℥ iij.
Facito ex his saponem, & leui calore digere, postea in phiola sublima in sal volatile oleosum.

§. 17. Carteſiani obstructæ glandulæ pineali, & spirituum animalium motui impedito consulere studeant, quare spiritus animales varijs adhibitis remedijs tum internis, tum externis admonent officij sui, & ad varios eosque fortiores corporeos motus menti repræsentandos cient, & irritant, vt hac ratione Conarium partim in latere obstructo alacriter commouendo, exuuiæ in poris obstructis latentes excutiantur; partim quoque in latere obstructo ob vehementiores sensuum externorum deferendos motus promptiores redditi, claustra perrumpant, & obstructionem si non statim, sensim tamen; atque sensim auferant, animæque pristinam suam libertatem restituant. In hunc finem quæcunque salia volatilia præscribunt, vt sunt sal volat. C.C. sulig. spir. C.C. Elix. vitæ Matthioli, Aq. Anhaltin. aliaq; Cephalica cerebrum, & glandulam pinealem mentis sedem confirmantia, & roborantia. Vt itaque spiritibus animalibus alium validiores motus abeundi instinctum versus ipsam mentis arcem concilient, valde commendant fortes corporis commotiones, & frictiones, adhibitis calidis, & asperis linteis; pilorum quoque fractiones, & vellicationes, ac pectinationes, cauteria potentialia, naribus admouenda præcipiunt graueolentia ex castoreo spir. sal. armoniaci. De quibus omnibus videas *Excell. Craan Prof. Lugd.* in Disp *de Catalepsi, & Nob Waldschmid.*

§. 18. Nos iam & nostræ etiam diluculariæ experientiæ Tyrocinia adferre volumus: experientia enim instructi, ad nostra medendi methodum accedamus. Totam ergò huius affectus curationem eò dirigē-

dam

dam cenſemus, vt Microcoſmetor noſter ſui moneatur officij, & impetuoſus ille ſpirituum motus in muſculis aliquomodò compeſcatur, & impedito recurſui ſpirituum animalium ſuccurratur, & ijs ad ſuum ſolium regium concedatur recurſus, & ita in ordinem redigatur confuſa ſpirituum animaliam ſeries, horum enim ſpirituum circulationem dari, & illam impediri poſſe ſtatuit *Excell. VVedelius.* Prof. Jenenſ. famigeratiſſ. fautor, & collega noſter honorandus *in Phyſiolog. Med. p. m.* 57. Recurſus iſte denegatur ob viam obſtructam, per quam egreſſi fuerint ſpiritus animales. Obſtruitur via iſta, vel à materia tartarea, viſcida, vel tenaci quacumuis, vti in cauſa iam anteuertimus dicere. Remedia ergò omnia proſunt, quæ viſcidum quodcunque incideret ſeu attenuare, & vtrumque pro ratione occaſionis euacuare valent. Inter quæ excellunt ſalia volatilia acriora, vel aromatica, vel oleoſa, quę penetrando potentiſſimè attenuant, & reſoluunt quaſcumuis obuias viſciditates, & obſtructiones, vnde ſpiritum ſalis armoniaci cum aromaticis ex cariophyllis, cinnamomo deſtillatum, in noſtro cataleptico pro ſummo arcano, & cum exoptato effectu porreximus, nonnumquam interpoſuimus ſal volatile oleoſum Syluij, & liq. C.C. ſuccinatum, nec negleximus *euacuantia* in robuſtioribus. Inter alia ſit formula ſequens;

℞. *Conſerū roſ.* ℥ ij.
Reſin. Ialapp. gr. x.
elæo: ſacchar. fænic. ℥ ß
C. ſyr. de cinnamomo fiat l. a. bolus.
D. pro vnica uice.

Vel ℞. *Extr. helleb. nig.*
fol. ſem. ana ℈ ß
ol. ſucc. gr. j.
C. ſpir. lil. conuall. f. l. a. pillulæ.

Clyſteribus etiam hic, vt in apoplexia curatio eſt incipienda, quia aliquando æger nihil aliud aſſumere poteſt.

Emetica quoque pro re nata prodeſſe affirmamus ad ſaburram in ſtomacho latentem extirpandam. Eſtò in iuniorum gratiam ſequens formula:

℞. *Tartar. emet. Myſ. gr. iij.*
Sal. abſynth.
tamariſci ana gr. ij.
Syr. rubi Idæi ℥ ij. *vel* ℥ iij.
M.

In hoc affectu obſtructionem contumaciorem, & pleniſſimam interceptionem ſpirituum animalium varijs modis fieri poſſe haud dubitamus. Valuulas enim eſſe in neruis iam perſpicacioribus anatomicis notum eſt, quibus clauſis denegatur ſpiritibus animalibus regreſſus, inde multos catalepticos vix reſtitui poſſe, cum Magno Syluio perſuaſi ſumus. Et hic alcalia volatilia longè præſtant fixis. In iuniorum gratiam vnum, & alterum proceſſum communicaturi ſumus.

℞. *Sal. armoniac. depurat.*
tart. ana ℥ j.
C.C. volat. ℥ iij.
Spiritus vrinæ ℥ ij. ß
Aq. pluu. deſtill. ℥ iiij.
ol. cinnamomi.
caryophill. ana gr. x. M. l.
deſtillentur.

Vel ℞. *Spir. vini rectificati* ℥ vj.
ol. cinnam.
thymi.
macis, ana ℥ ij.
fænic. ℥ ß

Mixta ſtent per tempus donec ſpiritus abſorbſerit olea, tunc adde ſpir. ſal. armoniac. opt. ℥ iij
M. & ex phiala oblonga deſtilla ex arena, & ſerua. Obtuitu huius arcani nobis diuinos acquiſiuimus honores. Si ſimul malignitas adſit alexiteria, & alexipharmaca addimus. Sequentia quoque prodeſſe poſſe vix dubitamus

℞. *Antimon. diaphoret.* ℥ ß
o. volat. ſuccini gr. vj. M.
D. ad chartam pro unica uice

Vel ℞. *Bezoart. lunar. gr. vj.*
cinnal. antimon. gr. iij
conſ: roſar.
flor. tunic. ana ℥ j
M. F. bolus.

Vel ℞. *Bezoart. miner.* ℈ ß
ſal. uiper. volat. gr. ij. M. D

℞. *Aq.*

℞. *Aq. birund. c. castor.*
betonic.
flor. til. ana ʒ j.
Sal. volat. oleos. Silu. ℈ j.
Syr. de pæon. ℥ vj.
M. D. ad vitrum.
Sequens etiam proderit.
℞. *Corall. rub. præp.* ℥ ß.
Fol. Lunæ subtiliß.
pulueriſat. num. 8.
M. f. pulu. ſubtiliß.
Spiritus etiam noſter Lunaris cõducet.

Cinabarina viribus illorum adamuſſim eſſe æmula, nobis perſuaſi ſumus. Alij noua crepant experimenta, quæ ſtudio hic conticemus, ne nobis concreditum reuelemus. Infuſiones ſalium volatilium in venas hominum hic magnifacimus; aſt cum experientiâ deſtitui ſimus, de hoc nihil certi audemus in hoc caſu aſſeuerare. Externè ſpinæ dorſi, & nuchæ illinenda conducunt ſequentia.

℞. *Axung. caſtorei.*
Balſam. Apoplect. ana ℈ j.
Ol. rutæ deſtill. gr. x.
anetb. coct. ʒ ß. M.

Omnia membra cum ſpina dorſi, & nucha illinantur ſequenti:

℞. *Ol. irini.*
lumbric. terr. ana ʒ ij.
Caſtor. pulu. ℈ iiij. *M.*
Vel Balſam. ſpalſmod. Mynſ.

Euacuantia particularia, quæ caput recipiunt, & exinde caput purgantia dicuntur, non ſunt ſpernenda, vt errhina, ſternutatoria, inter quæ excellit vitriolum album cum aq. majoran. naribus inditum; cauebit tamen Medicus pro ægroto, & fama artis ex præſcripto *Senecæ* timens l. 6. benef. c. 16. ne fortioribus ſternutatorijs paucos in cerebro reſiduos ſpiritus planè eijciat, & ſic mortem ægro acceleret. Cucuphæ ex herbis aromaticis in vſum trahi poſſunt, perindè vt & hirudines calidè capitis verti ci applicati. Thermas, cùm tartareis mucilaginibus reſoluendis præ cæteris ſint aptæ, ſedulò commendamus. In defectu naturalium artificialia parari poſſunt, de quibus in præcedentibus iam dictum eſt. Frictiones adhibitis calidis, & aſperis linteis, pilorum vellicationes, pectinationes non rarò expectationi ſatisfaciunt. Cauteria tum potentialia, tum actualia in vſum vocanda ſunt, quæ potenter operantur; vbi omnibus præferimus moxam, quæ vertici ritè bacillis applicata præſentaneum eſt remedium in hoc affecto, quod experientiâ non dumtaxat, ſed ſolidiſſimis rationibus demonſtrat *Nob. Geilfuſius junior* Amicus optimus, *in Diſp. de Moxa*. Reliqua cephalica, antipaſmodica videre poſſumus in cap. de Apopl. cum hunc morbum curamus vt apoplexiam. Unde cum iure meritòque *Apoplexiam inuerſam* nuncupamus. In apoplexia enim ſpiritibus intra ſolium ſuum exiſtentibus via ad extera membra intercluditur, vnde omnia mẽbra vti vela à vento non inflata labeſcere coguntur; in catalepſi verò ſpiritus animales in externis partibus ita detinentur, vt cerebrum labaſcat. Ab omnibus Practicis tàm Veteribus, quàm Neotericis hunc morbum ejuſdem farinæ medicamentis, quibus apoplexiam, curati, diligenti ſcriptorum Medicorum Lectori patebit, obſtructione enim ſublatâ tollitur hic morbus, *velut ruunt ſubductis tecta columnis.*

CAPVT VIII.

De affectibus capitis motum, & ſenſum lædentibus.

DE VERTIGINE.

§. 1. COnuertimus nos ad contemplandam *Vertiginis naturam*. Vertigo à *vertendo*, vel vortice dicitur, & Græcis Σκότωμα, & Δῖνος ἀπὸ τῆς δίνης, ſi ſc. ſimplex fuerit, vbi verò comites ſunt tenebræ σκοτοδῖνον, & ἴλιγγον nuncupare veteres ſolebãt. Sed nulla nos manet pernicioſa in ſubdiuiſionum ſubtilitate cura, quibus alij luxuriantes ætatem terunt; quapropter ad *definitionem*, vel magis *deſcriptionem* nos conferamus. Deſcribitur

er-

ergò vulgò, quod sit imaginatio læsa apparentis circumgyrationis capitis, & obiectorũ, modò simplex modò tenebricosa, ab inordinato spirituum animalium in cerebro motu dependens. Imaginationem esse hic prauam, omnes vnanimi voto conclamant, quia laborantium hoc morbo phãtasia, & sensus communis obiecta quiescentia moueri putant; iudicium tamen rationale constare inquiunt, quia errorem hunc intelligunt, fallaciamque istam spirituum animalium inordinationi omnes adscribunt. Vertigo ergò malum, in quo tum caput, tum alia omnia circumagi videntur; in quo affectu *Microcosmetor* noster ita exagitatur, vt ope spirituum non ritè rectorum laborantem ægrum defraudatumque spiritibus in exteris partibus corruere faciat, nisi propinquis nitatur adminiculis; spiritus enim animales ritè influere nequeunt, ad consueta, munia, sed mox peruertuntur, mox supprimuntur de quo pleniùs alibi, vbi *causæ* litabimus.

DIFFERENTIÆ.

Nunc, & sed extremo indice, tangamus *differentias*. Vertigo est, vel per *essentiam*, quando sc. causa lædens nostrum *Microcosmetorem* latet in cerebro, quod ex eo nosse licet, si continuò affligat affectus, vel per *consensum*, quando sc. causa regem nostrum turbans in visceribus alijs detinetur, liene puta, vtero, stomacho, alijsque. Ex vasorum in subtili extensione, mente potiùs conceptibili, quam verbis explicabili deducitur partium harum consensus, ob quem certè altera alteri tam exactè respondet functio, vt ex ignobiliore parte læsa doleant lædanturque nobilissimæ, perinde vt cum fides in instrumentis musicis laxatur vel rumpitur, tota interrumpitur harmonia, idem de neruis nerueisque fibrillis cogita, ex quorum laxatione, vel nimia constrictione, vel ruptura, tota deprauatur vel concidit συμμετρία, multaque sequitur morborum strages; verùm tædet notis immorari.

SVBIECTVM VERTIGINIS.

§. 2. Ordo nunc expostulat, vt videamus paucis *subiectum vertiginis*. Illud communi Authorum suffragio statuitur cerebrum, vel quoad ventriculos, vel quoad meditullium suum. Secundùm VVillisium huius mali subiectum immediatum sunt spiritus animales, qui valdè perturbati existunt; subiectum verò mediatum sunt illæ cerebri partes, in quibus imaginatio, & sensus communis residet; hæc autem authori sunt *corpora calloſa*, & *ſtriata*. *Carteſiani* culpant pro parte affecta porosam cerebri substãtiam. Sed ne diutiùs aliorum præcantatis sententijs *de parte affecta* chartam nostram saburemus, & has dubia examinis lance trutinemus, nostram addamus mentem, quæ hæc est, quod malum versetur circa *calloſa*, & *ſtriata* corpora, ad quæ tanquam ex aula quasi in exilium Mictocosmetor detruditur. Quæ ergò corpora vna cum poris cerebri, per quos inordinatè pervagantur spiritus animales. Regis calamitatem sentientes, pro parte affecta agnoscimus.

DIAGNOSIS.

§. 3. Sed ex qua hedera morbus poterit dignosci? hoc iam explicare nostrarum erit partium. Vertigine laborantibus aut tenebræ, aut alij colores, pro causarum varietate, oculis suffunduntur, modò species muscarum ante oculos volitantium obijciuntur, omniaque cum ipsis circumuolari videntur, adeò vt nisi ęgrotans, propinquis nitatur adminiculis, corruere eum sit necesse; plures, & ad terram prosternuntur, nec se erigere valent, donec aliquomodò paroxysmus inducias fecerit. Contingit enim sæpiùs, hoc malo correptos, in terram subinde citra corporis rotationem, in circuitum cadere, haud secus, atque illi, qui in circulum conuertuntur. Vidimus vertiginosum quendam in paroxysmo mirè gesticulantem, in altum saltabat, manibus exporrectis, ac si muscas capere secum constituerit, & tandem in terram decidit; durante paroxysmo erectus stare haud nullus valens terra repere coactus fuit. Ab vna rotatione qui-

quibusdam accidit, quod alijs à pluribus contingit. Imò hoc malo vexati idem patiuntur, si alium aut rotam, aut aliud quid circumagi viderint, aut ab alto despiciunt. Quod si verò malum idiopathicum, tunc præcedit capitis dolor, eiusdemque grauitas, olfactus gustusque læsio, aurium quoque tinnitus, nulliusque partis subiectæ læsæ indicium abest. Si verò per *consensum*, sc. à sanguinis massa deprauata, vel à læso stomacho, liene, vtero, hypochondrijs, tunc præcedit nausea stomachique oris morsus, siue cardialgia, prostratio appetitus &c. si verò ab alia aliqua corporis parte, vel viscere læso fiat, mensibus sc. suppressis, id ex proprijs constabit signis, & Medicus prudens facilè inueniet. Affectus hic sæpiùs per periodos ægros affligere solet. Hæc præcipua sunt; muscas non captamus, h.e. minora fusiùs non prosequimur.

CAVSÆ.

§. 4. Iubet nunc lex methodi præfixa; vt causas propinemus, & proponamus. Ex mente autem *veterum Scholasticorum* hic affectus oritur ab abundantia sanguinis feruidi, multumque spirituosi, quod assertum hoc statumine fulciunt, quia frequenter hic affectus ab acutis morbis, febribusque calidioribus ortum sumat. Quem & ab humoribus crudis subinde etiam malignis, qui aut in capite, aut in subiecta corporis parte aliqua generantur, & vt plurimum à stomacho, liene, aut vtero, propter communitatem, quam dictæ partes cum cerebro habent, fieri contendunt. Spiritum quoque *vaporosum*, vel in cerebro genitum, vel aliunde per carotides ad cerebrum, inprimis ad rete mirabile transmissum, culpant. Græcorum plerique ferè omnes, vertiginum causas, in vaporosos, halituosos, atque spirituosos fumos potiùs quàm crassos, & pituitosos humores reiiciunt, dicentes, quod consuetæ excretiones suppressæ, & in genere omnes humores à quibus eleuantur, multi vapores, spirituque flatuosi, cra essi, atqucalidi, turbulenti, malignique, possint vertiginem inducere. Sic enim (inquiunt) suo motu mouent spiritum animalem (qui animæ vehiculum putatur) in circuitum, aut alio quasi simili motu inordinato, ita quidem vt homo idem exteriùs fieri existimet, quod interiùs accidit, sicque imaginatricis facultatis iudicium peruertitur, seque homo verè circumagi, nec non prolabi subinde existimat. In orbem dictos vapores ferri contendunt, haud secus ac flamma, aut fumus in fumo circumagi soleat, dum sc. iis exitus non patet. Hunc & affectum oriri ab intemperie calida ipsius cerebri Schola dictitat, quippe quæ intemperies multos vapores allicere, humoresque in feruorem furoremque agere valeat.

§. 5. *Paracelsus* cum suis asseclis, de *vertigine*, huiusque natura, & causis pauca memorauit. Multi tamen eorum sunt, qui ad *principium Mercuriale* confugiunt, nonnulli *salinum* quoque admittunt. Quercetanus, & alii, vapores, & halitus ex resinosis, tartareis, & sulphureis in ventriculo, alioque viscere contentis humoribus, aut ex vnctuosiori magis sulphurea sanguinis substantia prouenire aiunt.

§. 6. *Helmontius* in vertigine culpat *virtutem rotantem*, è stomacho prodeuntem; nam aliquot cibi assumpti Authori nostro vertiginem excitarunt (cuius rei fidem interdum eius scripta faciunt) & peculiariter circa vesperam, dum nempe nondum ante cocti erant. Experto, monet, vt credamus Roberto, additque omnem vertiginem ab inferis scandere citra vaporem, aut fumum, sed per solum actionis regimen caput auscultare stomacho. *Item cap.9. tex.86. de Lithiasi*, vertiginis ortum veneno inebriatiuo, quale est in Tabaco, refert acceptu.

§.7. *Willisius* causam coniunctam huius affectus spirituum animalium perturbationem, à corpusculis heterogeneis, & spiritibus infestis, vel in massa sanguinea, vel in alijs humoribus latentibus exortam existimat. Particulæ enim vertiginosæ in cerebri meditullium suggestę, & insinuatę spi-

ſpiritus reddunt tenebricoſos. Remotè ad hunc morbum excitandum multùm conferre ait, victus rationem, ſanguinem quemcumque cacochymum, ſcorbutum, febrem diuturnam, atque malignam, propter quæ ſanguinis diſceaſia exoritur, & facilè manipuli quidam ſpirituum affliguntur.

§. 8. *Syluiani* ſpiritus animales, plus minuſue commotos, & confusè indeque vertiginosè ad oculos tractuſque organos propulſos, hoc in affectu culpant.

§. 9. *Carteſiani* dicunt, vertiginem eſſe affectum, in quo omnia circumſtantia, in orbem agi videntur, à motu vitiato ſpirituum animalium, nempe circulari, idque quoniam humores, & ſanguis ita exagitantur, vt neruorum radices afficiantur, ſic vt vna aliam premendo, omnia viſibilia corpora circumagi videantur illam autem compreſſionem à ſanguinis prauitate & abundantia fieri concludunt, idque inde probant, quia plethorici maximè conqueruntur de hoc affectu, propter pororum videlicet cerebri compreſſionem, vnde ſpiritus animales non poſſunt ſecundùm lineam rectam cerebrum eiuſque poros permeare, hinc in ſe inuicem reſilientes circumgyrantur, & motu circulari mouentur. Prout hæc & alia verboſius deducit *Antonius le Grand. p.* 8. *Inſtit. Philoſ. art.* 22. §. 12.

§. 10. Hactenus in alienis opinionibus commodauimus manum, nunc quid, Nosmetipſi exiſtimemus, exponamus. Putamus ergò vertiginem eſſe paruam Epilepſiam, prodromus enim hic affectus ſæpius eſt Herculei morbi, vertigo ſc. illa caliginoſa, & caduca in iuuenibus quemadmodum in ſenibus Apoplexiæ eſt certus prænuntius. Sæpè enim euenit ex priuatæ cuiuſque partis vitio, vt & ex maligno maſſæ ſanguineæ ſpiritibuſq; animalibus impreſſo charactere *Microcoſmetor* ab his alijſque diſproportionatis particulis ita ſolicitatur ad mutationem ſolij ſui, vt ſe recipiat verſus corpora *calloſa*, & *ſtriata*, vnde ſpiritus ad inſeruiendum proni, regem ſuum ſequi conſtituunt, quibus dein manipulatim diſploſis, & extra ordinem ſuum eiectis, non poteſt, non fieri, quin ſe in gyrum agant, & ſic poros cerebri ita excauent, vt accedentibus alijs particulis heterogeneis, & ipſo rege ad ſe ſatellites ſuos vocante, illi ſtatim viam iam tritam, & excauatam intrēt, indeque reliqui meatus, & ſemitæ obſtruantur, & corrumpantur, ceu via, quæ non frequentatur, graminibus obducitur, atque hoc modo vertigo excitatur. Indeque probabilius fit per circumrotationem hominis ſæpiùs repetitam, quę hoc efficit vt circumgyratio ſpiritus per aliquod tempus, etiam poſt motum duret, ſpiritibus ſc. priori curſui inſiſtentes. Cauſa verò remota circumgyrationis, hæc eſt, cum ſe. particulæ ſylueſtres, & induratæ ad cerebrum delatæ, adhuc intimi, & plenius obſtruunt meatus, iuſtos illos ſpirituum circa cerebri neruos opticos, indeque etiamſi Rex iterum priſtinæ ſedi reſtitutus ſit, illi tamen, per deuia loca miſſi, non poſſunt imperio obſequi, ſed per tritam illam malamque viam ruunt, & hanc turbam excitant. Rationis vicem id ſupplet, quod in *ebrietate* vertigo ex nimia efferueſcentia ſanguinis oriatur, quatenus partes ſubtiliores deſpumando, & craſſiores ſegregando, deferuntur ad illos cerebri meatus. In omni enim fermentatione vini, & cereuiſiæ videmus partes ſulphureas, fœculentas, tartareas cum ſubtilioribus eructari, quæ partes terreſtres & ſylueſtres ad cerebrum raptæ poros inbidem ſuo affluxu obſtruunt, vt ſpiritus liberè non poſſint progredi, & irradiare, vnde reſiliunt, & in gyrum ſe vertunt, perinde, vt cum ventus per ventum impeditur ei, qui intercluditur, turbo excitatur. Aliquando hic affectus oritur à cauſa calida ſed non per ſe, ſed quatenus maiorem motum inducit ſanguini (vt vinum in ebrietate) quare plus ſanguinis eiuſque magis moti ad caput defertur, quare plures ſpiritus generantur. quàm commodè, per neruos diſtribui poſſint, quare etiam ad circulum deflectentes hunc affectum producunt. Dum hæc

me-

meditamur, noua sese offert ratio, qui in febribus scorbuticis, sanguineis dyscrasijs, alijsque humoribus, qui diuersis, & heterogeneis scatent particulis, tum sulphureis, tum salinis, vertigo excitatur, ceu vel manibus palpari potest, per illas particulas viam obstruentes. Quod verò attineat illam vertiginem, quę ex consensu fit inprimis è stomacho, vnde multi ieiuni hunc patiuntur morbum; eius ratio hæc est, non quidem quod vapores acres ad caput ascendant, & id obfuscent, ceu Veterum hic fuit error dudum explosus; sed potiùs quòd materia quædam acris, pungens, aculeataque in ventriculo ieiuno hospitans, cum otiosa est, & nihil inuenit in quod agat, in ventriculo vellicationem, & crispationem fibrillarum neruearum instituat, quæ vellicatio, ac crispatio, vt omnis motus alius spasmodicus communicatur, vt cerebro, vt superiùs exemplum attulimus de fidibus. Vnde fibrillis his commotis spiritus animales turbantur, sanguinis simul motus augetur, & vt sic loquar, despumatio particularum vitiosarum fit, vnde obstructio illa meatuum opticorum, aliarumque sponte fluit; dein per consequens, Rex, ceu anteuertimus dicere, irritatur, & spiritus inordinatè aguntur, quæ fundi est huius calamitas. Sic oritur hic affectus à nauigatione, vectioneque, de alto perspectione, alijsque. Hæ motiones enim Microcosmetorem reddunt confusum, & spiritus animales in cerebro inordinatè fluctuare cogunt. Tenebricosa vertigo videtur originem trahere à defectu spirituum animalium, & deprauato eorum motu, quia non sat spirituum inuenitur, ad neruum opticum, & oculum inflandum, quod tamen minimis spiritibus animalibus fieri consueuit; hinc clarum est, cur syncoptici ferè sēper ante paroxysmum vertigine laborēt.

PROGNOSIS.

§. 11. Fuit hæc causarum consideratio, cui nunc succenturianda est *Prognosis* vertigo si diutiùs durauerit, vel apoplexiam, vel morbum comitialem, vel maniam, vel alios morbos spasmodicos prænunciat, vt adeò hosti iam pernicioſus, & minax non sit flocci pendendus. Practicorum vulgus ex iactata obseruantia perhibet, eos, quibus in vertigine viridis aut purpureus color ante oculos obuersatur magis pronos esse ad epilepsiam, quibus rubeus ad amentiam, quibus verò ater, ad apoplexiam; ex hac adiecta ratione, quòd, vt sic dixerim, oculiseria pro diuersitate significent obstructionem minorē, vel maiorem, quæ vltima haud dubiè indigitatur per densas atri coloris tenebras.

Cæterum omnis vertigo dum adhuc recens est, periculi est vt plurimum expers, & curatu facilis, ceu alia principia morborum, vt & illa; quæ est ab inebriatione orta, à vino vel à fumo tabaci. Sed, non allubescit hìc omnia auarius corradere; videat verò curiosus Lector *Venerandum senem*, in cuius sacrario latent pleraque tanquam conclusa.

CVRA DIÆTETICA:

§. 12. Hactenus fundamenta iecimus, nunc id quod præcipuum est superstruendum. Curæ sc. *cura* est habenda, quæ ex nostrę methodi legibus consistit in *Diætetica* & *Pharmaceutico-Chirurgica*. Nunc *illam* paucis propinemus, quæ vertitur in 6. *Rebus non naturalibus* genuinis Æsculapij filijs ita dictis.

(1.) *Aer* eligatur serenus, temperatus atque lucidus. Vnde pronum est concludere, vitandum esse impurum, nebulosum, atque frigidum, inquinatum, & tetrum. Quis non cum instabili ventorum impetu in diuersum se rapi corporis statum experitur? Nonne flantibus ab ortu Aquilonijs vt disploſis nubibus, aer serenatur, ita noxij in corpore humores exhauriuntur, spirituum nebulę discutiuntur. At si è contrario cœli cardine Austrini insurgant flatus, quantum sæpè valetudo detrimenti capit.

(2.) *Cibus* eligatur boni succi, qui facilè digeratur, minimèque existat flatuosus, nec aeris. Quare vitentur omnia legumina, fabæ, pisa, lentes. Imprimi ad materiam acrem, sæpiùs fibrillas stomachi vellicantem, & hunc morbum vt diximus, excitātem absorbendā, cōducit manè

cibum assumere, & quidem frustulum panis in vino generoso, vel Hispanico madefactum, quod ipse vertiginosus Helmontius fecit. Hic enim cauendum æquè à fame, quam à nimia satietate, & medio tutissimus ibis, inter Scyllam nimirum, & Charybdim.

Potus sit vinum aquosum, vel aqua dilutum vel acidulæ: Non ergo hauriatur cereu isia crassà non benè fermentata, & lupulis vel herba scarlea, prout hisce in locis fieri assolet, nimis saburrata, item vinum generosum ad ebrietatem epotum, quod sc. ceu supradictum sanguinis effernescentiam adaugeat, indeque multas particulas indomitas ad cerebrum protrudat. Salutis ergò potationes in Germania hodie, ac præcipuè in aulis frequentes, quantum damni valetudini non inferunt, iuxta illud:

Qui vult alterius Cyathis, haurire salutẽ,
Sicne lucrũ referet, perdat vt ipse suã.

Vinolentia in violentiam transit, crebro ebrietatis vsu, dum vino effusa vitia etiam sine vino valent. Ex eo cornua Baccho vetustas appinxit in ferocitatis insolentiæque symbolum. Siquidem Bacche Pater.

Tu spem reducis mentibus anxiis.
Viresque, & addis cornua pauperi:
Post te, neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Horat. lib. 3. Oda 21. v. 17.

Ex quibus insolentis audaciæ cornubus *Boue genitum* Græci appellarunt. Cuius honori & memoriæ veteres quando se ingurgitate volebant, plenis grandibus potare cornubus solebant, quam secuti consuetudinem Nos Germani, Vasta Vrorum cornua circumclusis argẽto labris in Conuiuiis vsurpamus. Valet & adhuc ille mos, neque etiamnum abrogatus, vt magnæ capacitatis cornua, argenteis insignita laminis, ad soluendam conuiuarum hilaritatem, in dapalibus cœnis circumferantur. Adhibenda ergò hic est aurea mediocritatis regula, *Ne quid nimis*.

(3.) *Motus* atque *Exercitium* conuenit tẽperatũ, capiti tamen potius quies expedit

(4.) *Somnus* conducit mediocris, nocent verò vigiliæ.

(5.) Excrementa alui arte, aut naturà promouenda sunt indies. Eadem ratio est aliarum fluxuum ordinariorum, mensium, hæmorrhoidum, &c.

(6.) Æger animi perturbationes non admittat, iram sc. mœrorem, tristitiam, &c. quia hæc valdè valetudinem afficiunt.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Veteres (vt ad curam Pharmaceutico-Chirurgicam transeamus) affectus huius fluctibus succurrunt *Euacuantibus*, quæ ipsis sunt sequentia. Syrupus de multiplici infusione rosarum, diaprunum solutiuum, diacatholicon, hiera picra, diacolocynthis, pilulæ cochiæ, aureæ, arabicæ, mastichinæ, sine quibus esse nolo, de 5. generibus myrobolanorum. Si simplicia cupis, sunt thamarindi, rhabarbarum, manna, senna, polypodium; epythymus, agaricus, ex quibus omnibus varias concinnarunt formulas, quæ scrinia nunc expilare nolumus. Quod si à stomacho malum ortum autument, *vomitoria* vulgaria, & lippis, & tonsoribus nota exhibent.

Dein ad *Reuellentia diuertentiaque* confugiunt, sin malum à sanguine, vel à calidis humoribus oriatur, venam cephalicam tunc secant, eaque in re obseruant, symbolum illud pugnantium gladiatorum, *Repete*. In hunc verò *reuellentium* censum referunt, & clysteres, & frictiones extremarum partium, cum linteo calido asperiore, & cucurbitulas cum scarificatione partibus distantioribus, inprimis occipitio, applicatas. Hæmorrhoides aperiunt, menses prouocant, sternutamenta, gargarismos, apophlegmatismos, & cauteria cum fermento, acetoque haud negligunt. Cauterium actuale in capitis summitate tentatum magnificiunt. Errhyna è succo cyclaminis, aut anagallydis, qui manibus attrahi debet, magnipendunt. Præmissis his *sistentia spirituum motus turbulentos* adhibent, vt sunt syrupus cydoniorum, granatorum, saccharum rosatũ,

succ-

ſuccus berberum, diacidonium, aquæ deſtillatæ è lactuca, violis, plantagine, &c. In cauſa verò calida, prodeſſe quoq; aiunt odoramentum, ex camphoratis, roſis, aceto, oleo roſaceo, &c. Irrigatio quoq; capitis ex oleo roſaceo, & aceto, frequentis eſt apud ipſos vſus, vt & embrochia capitis, balneaque. *Confortantia, & reſoluentia reliquias*, ſunt ipſis ſyrupus de pomis, ſtœchade, cõſerua borraginis, buglosſæ, ſaccharum roſetum, diatragacanthum frigidũ, diatrion ſantal, diamuſcum dulce, decoctum herbarum roris marini, betonicæ, mentæ, ſaluiæ, ſtœchados, centaurij minoris, galangæ, cinnamomi, ſeminis fęniculi, aniſi, &c. odoramentum ex nigella, maiorana, caſtoreo, alijſq; commendant. Et vt minori ſiniamus pomœrio, omnium primò clyſtere excrementa in inteſtinis latentia ſordida eliminare ſatagunt, dein V.S. inſtituunt, ſi nihil aliud eam diſſuadeat. Hinc purgante medicamento euacuant radicitus humores peccantes, vaporumq; peccantium copiam generantes, poſtea frictionibus, ventoſis, ſcarificationibuſq; vaporum impetum reuellunt. *Adſtringentia*, accuſatiſq; vaporum adſcenſum ad caput prohibẽtia, etiam mox in principio imperant, Ex. gr.

℞. *Aq. roſar.* ℥ iij.

Acet. ℥ ij. *M. pro Epithemate.*

Poſtremò ventriculum, atque caput *roborant reliquiaſque* diſcutiunt maſticatoris, naſipurgiis, &c. ſi autem in matrice, aut alijs viſceribus inferioribus vis affectus dependeat, vtuntur caſtoreo, aliiſque vterinis. Oritur quoque malum à rebus velociter circumductis, vel motis, eoque in caſu à conſpectu eo ablegari iubent. Quid verò remedij ſit adhibendum in caſu morbi ex ieiunio, vel inedia fluentis, iam ſupra diximus, cui veteres nil niſi album calculum adiiciunt.

Si impedito curſui humorum fluere ſolitorum morbi natales adſcribantur eorum excretionem vſitatam ſolicitant.

§. 14. Centumuirale veterum Practicorum iudicium audiuimus. Pergamus ergò ad *Paracelſicam nationem*, *quæ* eoſdem ferè curæ limites obſeruat, quales in epilepſia eam obſeruare in ſra in ſubſequente videlicet capite referemus, vbi ex profeſſo panegyricum curandi morbi illius dicemus. Quare hic nihil aliud agemus, quàm vt diuerſa huic morbo propria ſummodo duntaxat digito tangamus. Inter Paracelſica ergò illa remedia conſpicuum eſt ſulphur Vitrioli, cui tincturam Lunæ viribus eſſe æmulam quidam ex ijs contendunt, & pro hac ſententia tanquam pro aris, & focis pugnant *Crollius* pullus paracelſicus, Elixir proprietatis ſui Anteſignani commendat, idque exhibet in aqua pœoniæ, borraginis. Sal ſuccini, atque margaritarum, in aqua florum liliorum conuallium, optimo cum ſucceſſu, propinant alij.

Inter *Externa* referunt Balſamum apoplecticum rutæ, ſuccini, &c. Ex ſignatura quoque tantum non ridiculè prodeſſe ſcribunt nonnulli *pinguedinẽ damarum*, & *ſerpentum* temporibus illitam, cum animalia iſta loca excelſa, & prærupta adeuntia hoc affectu nunquam corripiantur. Eadem ridicula ratione, & vtilem eſſe alij memorant quintam eſſentiam ciconiæ.

§. 15. *Helmontius* in vertigine, vt, & in alijs capitis affectibus, diuinis laudibus extollit *vomitoria*, itidem ſalia volatilia omnium aromatum ſtomachicorum, & cephalicorum, vt ſunt ſaluiæ, maioranæ, roriſmarini, caryophillorum, cinnamomi. Ita author ſemet curauit aſſumpto vomitorio, & cibo cum vino moderato, quibus vſurpatis, ſtatim ipſi mitigabatur vertigo & cum ſæpiùs recidiuam paſſus eſſet, tandem tamen per ſulphur vitrioli ſæpiùs aſſumptum immunis factus eſt.

§. 16. *VVilliſii* methodus therapeutica huius morbi eſt ſequens. Primò ad cerebri nubila diſcutienda, & ſpirituum animalium inordinationes ſedandas cephalica omnia commendat, nempè corallium, ſuccinum, cranium humanum, radices pœoniæ maris, viſcum arboreum, ſtercus pauonis, &c. quorum formulas varias videas apud ipſum authorem, quas exſcribere, & hic apponere haud allubeſcit. Vt ergò cerebrum à materiæ morbificæ affluxibus liberetur, conducis V.S. & ſæpiſſimè

mè blanda purgatio. Fontanellam in crure, aut brachio instituēdam, vt & hæmorrhoides per hirudines aperire vult. Singulis matutinis horis æger, vt tempora, & sinciput aqua frigida perluat, & cum panno aspero fricet, præcipit. Ad sanguinis dyscrasiam quamuis tollendam vtitur *alterantibus antiscorbuticis* temperatis, pro re nata, & chalybeatis, acidulis, seroq; lactis. Spiritus animales vt puri puitique reddantur, quotidie æger assumat medicamenta sale volatili constantia, quorum particulæ valdè subtiles sunt, cuiusmodi sunt spiritus C.C. fuliginis, salis armoniaci, aut cum cranio humano impregnati; itidem Tinctura Corallorum, succini, antimonij, Elixir Pœoniæ. Nec negligit prædictus author noster *vomitoria* ex sale vitrioli, aut sulphure antimonij parata, quæ summoperè commendat, vt & enemata, vesicatoria, ceruici applicanda.

§. 17. Magni *Syluij* methodus curandi hunc morbum consistit in sequentibus. Primus nempè ipsius labor est, vt spiritus animales inordinatè agitati, & obiecta externa ipsi ægro vertigine correpto in gyrum repræsentantes, ad tranquillitatem reducantur, in quem finem anodyna, & efficaciùs narcotica, minore tamen quantitate assumenda iubet. Ex. gr.

℞. *Aq. flor. til.* ℥. ij. ß.
Antiparalyt. aut antiepilept. ℥. j.
Laudat. opiat. gr. iij.
Syr. flœchad. ℥. j.

M.D. accipiat æger subindè cochleare vnum, & alterum donec corrigatur vertigo. Nec præterit author salia volatilia, & castoreata, item vesicatoria, & vomitoria, vti ex ipsius ore sæpissimè hausimus.

§. 18. *Cartesianorum* calculo, in ipso paroxysmo prospiciendum est, quomodò spiritus animales in pristinum redigantur ordinem, quòd obtineri posse contendunt, per spirituosa varia, viam obstructam reserantia, itidem per balsama cephalica, & aromatica; si verò affectus hic à plethora sit, imperant venæsectionem, aliaque aquea exhibent. Sin malum à ventriculi vitio oriatur (quod etiam ab assumpto cibo cessat) quoad pharmaca, ad partes vocant vomitoria, & *Cydoniata*, non minus, ac cibos duriusculos, panis se. crustam, aliaque eius generis, quippe quæ humorem illum acrem, in ventriculo latentem, aliquomodo efferuescentem, ac seipsum fermentantem, indeque instar gladiolorum, acuum, lanceolæ, vel nouaculæ fibrillas nerueas stomachi scindentem, temperant, & horum medicamentorum, alimentorumque defricatione, & retusione particulæ illæ acutæ hebetescunt. Extra paroxysmum, vt causa morbifica præparetur varijs digestiuis, & alterantibus vtuntur, dein educunt vel vomitorijs vel alijs catharticis particulas peccantes.

§. 19. Lubet nunc nostro tibicine sultam curam insinuare. Non agimus hìc vel *Galeni*, vel *Paracelsi*, vel *Helmontij*, vel *Willisii*, vel *Syluij*, vel *Cartesii* causam, sed veritatis, quippe non pro viro, sed pro vero pugnamus, & iuxta tritum illud, amicus Plato, amicus Socrates, magis tamen nobis est amica veritas. Nihil verò priùs aut antiquiùs est, quàm vt hostem ad arcem irruentem, & Regem nostrum *Microcosmetorem* è solio suo exturbare conantem arceamus, dein vt spiritus iam in circuitum actos iterum in pristinum redigamus ordinem. Si ergò hostis incedat munitus gladiolis, hastis, lanceis, alijsque aculeatis armis, & aliquando iam se palauerit in ventriculo, ille expugnandus venit *vomitoriis*, & alterantibus alcalibus, quo in casu alcalia volatilia longè præstant fixis, cum, & acido absorbendo, & eius spiculis obtundendis congruāt. Hinc tāto leuamini vertiginosis est liquor C.C. succinatus, Balsamus neruinus, palmarium illud remedium *N.D. Scheferi*, spirituosa quæcunq; hoc in morbo non spernenda sunt, quia patticulæ conglomeratæ spirituosorum defricatione hebetescunt. Conducunt proinde omnes aquæ epilepticæ, & alii salini volatiles liquores, imprimis cāphora acuati, & opii essentia pro re nata temperati, opij enim cum camphorę connubio singularis est vis impediendi

fu-

futuram, & imminentem vertiginem. Inde ingeniosissimus D.D. *Craan* magnifacit laudatum suum camphoratum, quo in febribus alijsque plurimis morbis, mira efficit; Esto pro iunioribus formula:

℞. *Aq. Epilept.* ℥. j ß
Flor. til. ℥ ij.
Spir. secundin. hum. ℥ j.
Elæosacchar. succin. ℥ ß
Laudan. camphorat. gr. iiij.
Syr. de betonica ℥. j.
M. assumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aq. lil. conuall. c. vin.* ℥ j.
Spir. eiusdem ℥ j. ß
Aq. chærefol. spirituor. ℥ ij.
stercor. pauon. ℥ j.
essent. chærefol. ℥ j.
Syr. de betonica ℥ j.
M.D. *cochleatim.*

Tinctura sequens scotomatica excellens est:

℞. *Flor. pæon.*
lil. conuall. ana ℥ ß
roris marin. ℥ iij.
saluiæ
betonic.
tiliæ ana ℥ ij.

Cum spir. cranij humani, sale suo impregnati ℥ xij. digerantur.

Inter alcalia fixa referimus omnia *terrea*, vt sunt creta, corall. rubr. succinum, oculi cancri, vitriolum Martis, sulphur vitrioli, puluis absorbens *Collegæ nostri Experientissimi D. VVedelij.* Sic, & sequens, quod omninò meretur, vt & in hoc malo præ alijs adhibeatur.

℞. *ocul. ☜ alcol.*
Vitriol. Mart.
Spec. diarrhod. Abb.
aromat. rosat. ana ℥ j.
Laudan. camphorat. gr. iij. M.
f. Puluis.
Dosis à ℈ ß *ad* ℥ ß

Vel *sequens Puluis.*
℞. *Pulu. radic. doronic.* ℥ ij.
Specif. cephalic. ℥ j. ß
M. *Dosis* ℈ j. *manè, meridie, & vesperi.*

Vel ℞. *Essent. chærefol.*
flor. antbos ana ℥ ij.
Dosis gutt. 40.

Vel ℞. *pulu. rad. doronic.* ℥ ij.
c. s. q. sacchari f. Rotulæ.

Vel ℞. *pulu. rad. irid. flor.*
doronic. ana ℥ j.
flor. lauendul.
betonic.
cardamom.
cubeb. ana ℈ ij.
c. s. q. saccari, f. Morsuli.

Pro præseruatione cõfert balsamus apoplecticus cum balsamo maioranæ mixtus.

Sed non lubet hic vlteriùs immorari his formulis exscribendis, & corradendis. Hoc tamen monendum duximus, si hostis *regem nostrum* cum pyrobolis sic loquar, & arte igniuoma è sede sua expellere & confusum reddere conetur, spiritusque animales inde in cerebro inordinatè, & manipulatim erga hostem certare cogantur, non secus, ac dimicantes in prælio cohortes per distinctos ordines sclopeta explodunt, vbi qui erant primi, fiunt posteriores, vnde sæpiùs hoste sic ingruente, & vincente, fit Epilepsia, indèque ferè omnes spiritus explodunt nr, quod in tali casu exhibenda sint, *vomitoria*, vt quasi puluerem pyrium præripiamus. Quæ deducta (quod in transcursu monemus) & quadrant ad eorum opinionem, qui bilem, vel particulas sulphureas, bilem constituentes, accusant. Nemo enim sanæ mentis negabit, bilem sanguinis partem constituere, quæ tamquam duumuiratus socius (vt cum Helmontio loquamur) in cor transfusa ibidem sociam suam *acidam lympham* offendit, ex quorum constellatione, seu coniunctione, indeque facta commixtione, pugna, seu efferuescentia fluit, non quòd solummodò confluant hi humores, quod accidentarium, sed quod diuersa, & aduersa figurarum turma præditæ dimicent.

Hoc, & sole clariùs meridiano, quod diximus, probari potest butyro antimonij, quod si cum spiritu nitri commisceas, vt inde efferuescat, contrarias digladiantium acies contueberis, & singularem partium ex coloribus insignia

separata obserues. Quis enim quæso ignorat, bilis vim acrem admodum, & mordentem, & omnia abradentem? Myriades harum particularum faciunt, vt tumultus, rarefactio, efferuescentia, & nonnunquam ignis adsit, atque hinc mirandos pulueris pyrij effectus, non minus, ac musculorum in animalibus motus, epilepticos, & vertiginosos insultus clarissimè explicabis. Videmus enim toto die, quòd ex ira, bilis filia, paroxismus vertiginis sæpè prænuntius epilepsiæ veniat, quia sc. sulphureæ hæ particulæ hanc constituentes magna in copia ad arcem Regis accedunt, & de solio suo eum deturbare nituntur. Possemus hic in ampliorem expatiari campũ, quod tamen nec licet, nec lubet, indequè diuerticulo in viam reuertimur. Conuenit in vertigine *vitrioli volatilis spiritus*, palmarium certè remedium singulis matutinis horis, ad decem, & plures guttas præfernandi gratia exhibendum. Prosunt, & *acidulæ Doningsteinenses*, *Svvalbacenses*, & *Spadenses*, quia diluunt sanguinem. Applicare iubemus, & clysteres, aliaq; cathartica, leniora tamen, ex. gr. mass. pil. de succino, cum aliquot granis magisterij ialappæ, vel vinum medicatum cum specificis.

Succus chærefolij cum iusculo assumptus, specificus est contra vertiginem, & nostrà experientià. Aqua eius ter cohobata sæpiùs quoque exhiberi potest. Aqua etiam ex cerebris passerum, & vituli destillari solet, in hoc affectu proficua.

Si morbus hic à reliquijs febrilibus, & scorbutica sanguinis dyscrasia oriatur, hęc sunt antiscorbuticis varijs corrigenda emendandaque, de quibus alibi pleniùs. Inprimis verò in hoc casu, conuenit venæsectio sæpiùs repetita; si ab obstructione mensium, hæmorrhoidum, hæc sunt procuranda, si à veneno, tunc & ipsi obuiam eundum est, vel vomitorijs, vel alexipharmacis; si à nauigatione maris, vectione, spectatione ab alto, hæc omnia remouenda sunt, & vomitorium exhibendum. Sic *Illustrissimus Boylæus in Experim. de Coloribus*, molestissimam vertiginem ab agitatione maris contractam hausto emetico feliciter curauit, & eodem remedio D. *Segerus* in Ephemerid. Germ. Ann. III. hanc correxit; si ab inebriatione, illa vel spontè cessat. Imposterum verò abstineat, à tali excessu æger. Sequens nodulus ante nares tenendus:

℞. *Pulu. rad. doronic.*
irid. flor.
fl. lauendul.
ligni rhod.
cum spir. lil. conuall. ℈ j.
M. F. Nodulus.

Vesicatoria, frictiones, balnea, arteriotomia, ventosæ, hirudines, scarificationes, & id genus remedia, nõ sanè contemnendi vsus. Inprimis magnifacimus in casu grauioris, & frequentioris insultus, qui cõsuetis haud ita cedit remediis, ne vitę periculum incurrat æger, *infusionem* liquorum salium volatilium, aliorumque pro re nata *annuente Nobilissimo Ettmullero*; inprimis si ex maligno massæ sanguineæ spiritibusque animalibus impresso charactere veniat. Cauterium actuale in desperato casu inustionem, sc. moxæ in vertice non semel vidimus laudandum edidisse effectum. Naribus, & temporibus applicandæ sunt variæ aquæ Epilepticæ, & balsama, vt sunt balsamu m rutæ, succini apoplect. vt & olea varia vertici capitis illinenda. Sequens quoque externè in paroxysmo adhiberi potest:

℞. *Aq. lil. conuali.* ℥ ß
Spir. eiusd. ℥ j. *M. D.*

Sed cum de his in subsequente capite pluribus acturi simus, nos hisce detinere diutiùs non libet, nec licet, ne crambem bis coctam apponamus, & sic Lectori curioso nauseam pariamus.

CAPVT IX.

De Affectibus Capitis.

DE EPILEPSIA, SYNONYMA, & Definitio.

§. 1. EPilepsiæ, & Synonyma paucis attingam, apud nostros audit morbus. tũ caducus, tũ sacer, tũ comitialis, tum Lu-

na-

naris, tum Sonticus, tum Herculeus vel Herculanus. Definitur verò vulgò, quod si motus conuulsiuus, omnium corporis partium, inprimis manuum, & pedum, non perpetuus, sed qui temporum fit interuallis, cum sensuum tum internorum, tum externorum oblesione. Nomen huic morbo inditum est à symptomate vrgente, quod in hoc malo hominem vrgere solet. Homines enim in quos hic morbus suam exercet atrocitatem, confestim corripit, & instar fulminis *prosternit, & proijcit*, serèque omni motu, & sensu eos priuat. Simul adest neruorum trepidatio, cuncta membra cœco concutiuntur impetu, contrahuntur contorquenturque artus; dentium percipitur stridor cum spuma oris, plerumque finito paroxysmo, sæpè etiam capitis concussio, & terribilis totius corporis ad terram prostratio, brachia, & crura nonnunquam, vt, & ceruix cum dorso rigida conspiciuntur, aut varijs distorsionibus huc illuc disijciuntur.

DIFFERENTIA.

§. 2. Differentiæ ex causis deductæ statuuntur communi Auctorum calculo *duæ*. Vel enim (1.) sumitur à loco, cum cerebrum laborat idiopathicè siue per se, quod fit cum fomes mali ibi locorum ortum suum habet; vel (2.) fit per consensum aliarum partium tum *Internarum*, tum *Externarum*. *Internarum*, puta ventriculi malè affecti, prout tali casui altaria fumant celeberrimi Viri alicujus, *in Ephem. Germ.* aut vteri, lienis, intestinorum, mesenterij genitalium, &c. *Externarum* vt vlcerum, vulnerum, contusionum, inflammationum, ac tumorum. Sic ortum fuisse hunc affectum à sinistri pedis pollice læso, quidam Curiosorum Collega accuratè obseruauit, vt adeò ex scintilla incendiũ maximum ortum fuerit, & verus microcosmi terræ motus. Rectè ergò in ius vocari possunt particulę elasticę, quæ ab his partibus dolore affectis percipiuntur instar auræ frigidioris aut vaporis adscendere, vnde homo subita conuulsione concidit.

Hedera verò capitis primariò laborantis est, cum oculi obscurantur, & caligine suffunduntur; caput dolet cum concursu grauitatis tarditatisque sensuum, atque mentis; turbulentis agitantur insomnijs ægri, subitoque corripiuntur, & quasi obiecto capite Gorgoneo vno actu, & ictu stupescunt. Quando verò ab ore ventriculi hoc oritur malum, id cognoscitur ex eo, quod paroxysmus maximè illos inuadat, qui diu ieiuni permanent, atque antequam morbus ingruit, nauseam, erosionem, appetitum prostratum, vomitum, singultum, cordialgiamque miseri percipiunt.

Si verò reliquis visceribus, lieni puta aut vtero natales debeat malum hoc, adesse deprehenduntur cuiuslibet partis affectæ propria signa; id quod, & accidit, si morbus hic resideat circa vesicam, aut hepar. Ita si ab vtero, dolor percipitur circa hanc partem, cordis etiam palpitatio, respiratio difficilis, &c. id indicant. Quædam etiam oritur à fermento peregrino, & exotico in tubulo alicuius partis latente, cerebroque communicato, vt in ira, febribus ardentibus, phrenitide, variolis. Toties enim, quoties perturbatio quædam, vel minima effernescentia in subiectis ad hunc morbum dispositis cietur; facilè tunc contingit ob deprauati fermenti omnes capitis partes, vt sic dixerim, Panico terrore commouentis, ac quasi ad arma vocantis, ad cerebrum transmissionem, paroxysmum hunc excitari. Nonne enim adsunt, & canales manifesti, scil. nerui, per quos in cerebrum serpit veneni labes, & ductores spiritus nimirum animales? Hęc hactenus. Quod si verò lien in causa sit propter fermentum vitiatum, vel sui corruptelam, & putrefactionem, adsunt dolores, ardores, ac tumores in sinistros hypochondrio, quandoque comites obseruantur scorbutus, cachexia, melancholia, &c. prout hæc omnia tristia deprehenduntur in celsissimo quodam Principe seriore Libitinà dignissimo. Nec obliuiscendum Epilepsiæ infantum (de cuius origine, & curatione alibi differendi locus erit) tempore dentitionis, ex tertiæ,

& septimæ coniugationis neruorum vellicatione, & gingiuarum inflammatione ortæ, prout, & à vermibus eodem corripiuntur malo, in illis à nimia crudorum ciborum voracitate, & lactis vitio generaris; quod ex eo cognoscitur, cum paroxysmus desinit, pituitæ, aut lactis coagulati vomitu oborto; vt adeò dolendum sit, miseros tenellos matris incurià, officium suũ negligentis, iniquitatem ferre. Nec enim negandum est, si rem ad Cleantis lucernam lucubrare velimus, cum ex epilepsia moriuntur, id vtique à certa quadam lactis materni corruptione descendere, ex qua lac in ventriculo infantis variè depranatur, & acescit, quod satis apparet ex vomitu lactis grumosi, fæcibusque alui porraceis, & grumatis ab acido, vnde crispationes neruorum fiunt, & particulæ elasticæ eleuantur ad principium nervorum, indeque sunt illæ lacrymæ motuum conuulsiuorum.

PARS AFFECTA.

§. 3. Pars affecta nonnullis cerebrum cum tota substantia dicitur, & sic partem præcipuè affectam intra caput contineri putant. Hanc alij tantum cerebri ventriculos esse pleno asserunt ore, nonnulli eius meatus. Pars Medicorum cerebri medullium nominat; plures eius corticem exteriorem. Sunt & qui musculos, membranas, fibras, ac tendines pro subiecto primario ponunt. Quidam qui scopum malè feriunt, in hoc morbo ad occultam quandam, & specificam qualitatem, ignorantiæ asylum confugiunt; alij ad τὸ θεῖον. Inter quæ duo vltima si quis optimum velit eligere, is certè Diomedis, & Glaucij permutationem habebit, & ferè accidit id, quod alibi Plautus de fœminis dicit, *optima nulla potest eligi, alia alia peior est.* Sic *Quercetanus in Tetrad.* cor iniquè accusat. Plures sedem præcipuè affectam cerebri medullam porosam, laxam, & spongiosam esse contendunt. Multi glandulam pinealem, & plexum choroideum. Pauci medullam oblongatam dictam, affectionis huius subiectum colligunt. Helmontiani è ventriculo prouenientem animæ irradiationem cerebrumq; ferientem culpant.

Verùm à veritate mea quidem vrnà laurum merentur illi, qui primarium subiectũ cerebrum cum neruis credunt, quod (1.) probatur auctoritate *Galeni*, sic *l. 3. de loc. affect. l. 7.* dicentis: *Rationi consentaneum est in cerebro hunc affectum fieri*; si modò illud αὐτὸς ἐφ in hanc Medicorum arenã proferre licet, & licebit, cum (2.) rationes prægnantissimæ nobis suffragentur, quia nimirum hoc in affectu principes functiones læsæ, & malum in Regiam incurrens deprehenditur. Afficitur enim potissimum cerebellum, vbi Microcosmetor noster soliũ suum habet, & spiritus præsto ad munia sunt, cui spinalis medulla ex quatuor suis radicibus immediatè subsequitur: inde hæc ut maximè sensibili, irritatà, totum concutitur cerebrum, omnes nerui cum toto corpore, & tam principes, quàm minùs principes cessant functiones, solo motu p. p. superstite. Quam opinionem iuuat exemplum militis, dum hæc meditor, à commilitone vulnerati, quippe qui cranio cæsim læso, & meningibus sic contusis, cerebroque exindè conquassato, miseria hac cum vomitu sæpiùs correptus fuit, vsque dum ad cœlestia migrasset. Nec excludimus duram matrem, quæ quandoque conuellitur, de qua conuulsione aliquando epilepsiam oriri haud dubitamus, Meninges itidem, vel alias mẽbranas cerebri, ventriculorum parietes vestientes, imò & remotas extra cranium existentes membranas, quarum consensu facilè furibundus reddi potest noster Rex, *Celebertimus Anglus Thomas Willis in sua Pathologia cerebri, libro sanè Apollinis bibliotheca non indigno*, motum spirituum animalium peccantem, & deprauatum accusat, vti pluribus videre est ex sequentibus, vbi de causa agemus, qui proindè spiritus animales pro subiecto agnoscit. Is tamen facili Marte nobiscum conciliari potest, nam solidæ partes membranosæ, cerebri humorum, & spirituum in nobis linguę sunt, & interpretes, sensibusq; liquidum est, motus conuulsiuos fieri mediantibus partibus solidis;

vnde

vnde spiritus animales motu peccare non nego, ceu ex ipsis citatis verbis patet, non fieri epilepsiam, nisi cerebrum ipsum seu membrana ipsius irritatione prouocata, spasmodicam corrugationem ac crispationem ope membranarum percipiat. Admirandus casus hic vicinæ contigit in Rustico, cui cranium cum cultro venatorio ita percussum fractumq; fuit, vt fragmenta cranij cerebri substantiæ infligerentur, quę chirurgus decimooctauo die tempore vulneris illati feliciter facta trepanatione exemit, & quod mirum, cum dura piaque mater læsa fuerint, æger hic ferè nullos motus sentijt conuulsiuos. Diem hic mihi dissolui peto, quænam ratio fuerit, hunc hominem Herculeus hic morbus, alijs hisce personis proprius in quarto modo, haud infestarit? Hæc tamen, nisi coniectura me fallit, causa fuit, quòd vno ictu membranæ hæ fuerint discissæ, spiritus etiam animales non admodum explosiui in hoc subiecto deprehensi sint, patiens hic tamen non expers fuit caliginis oculorum & vertiginis, quæ non malè aurora huius morbi vocantur.

SIGNA.

§. 4. Indagabimus nunc signa, vnde tanquam ex vngue impresso leonem dignoscere possimus. Incipientis mali prænuntiam auram sentiunt hoc morbo vapulantes adscendentem frigidiorem, ab occipitio adque capitis verticem vergentem, venter præcordiaque flatibus tument sæpè obmurmurant, quibusdam faciei præcedit pallor, alijs rubor, inordinatus linguæ motus, capitisque dolor, atque grauitas, nec non obliuio, tristitia, animi inconstantia comitantur ægros, insomnijs turbulentis vt, & vertigine agitantur. Offunduntur oculis caligantibus tenebræ, alijs è contra splendores, scintillulæ muscæ, & nubeculæ obuersantur. Inde iuxta illud Vatis Mantuani.

Fertur equis auriga nec audit curvus habenas.

Palmarium, & in prima acie stans signum fortioris epilepsiæ, est largior spuma circa rictum diffusa, ita comparata, vt quasi cera calefacta, & amurca deduci possit, diximus *fortioris*, in *leuiori* enim huius morbi *gradu*, vtpote ad exprimendum tale excrementum insufficientis, spuma non apparet. Hinc sensibus orbatus vbi est æger, sequitur subitaneus casus cum valida corporis concussione. Antequam prosternantur quandoque discurrunt huc & illuc, vti nuper cum admiratione in Epileptico quodam vidi, dein corpus miserorum torquetur quasi & varijs agitatur motibus, capite, dorso, brachijs, & pedibus terram, parietes strataque pulsant feriuntque, oculi quoque inuertuntur, subinde pectori maxilla alliditur, aliquando verò in dorsum contorquetur, sæpè quoque seminis subinde etiam stercoris, nec non vrinæ inuoluntaria fit effusio, conuulsis sc. & solutis his musculis à spirituum animalium consortio derelictis, indeque officio suo non satis inuigilantibus; præterea stertunt, interdumque vociferantur, impotens & suppressa vox sæpissimè concurrit, qualis strangulatorum esse solet, & penè ἀφωνοι fiunt ægri, ob spirituum animalium interceptionem, linguam sæpè exerunt quasi canis sitiens; quare ne dentibus vulnerent, periculū est. Alijs quoque ita dentes inter se colliduntur, clauduntur que, vt ne suffocetur miser, magis in ope diuina, quam in humana sit. Dubio & variante temporis interstitio ad se reddunt, proprijsque viribus, debilitatis tamen & quasi ex pugna redeuntium militum fessis surgunt. Prodromus redditarum induciarum est spiratio impedita, capitisque dolor.

CAVSÆ.

§. 5. Accuratius iam in causas inquirendum esse methodi nostri ratio monet. Hippocrates autem diuinus noster Cous cum Galeno assecla suo, causam affectus huius esse volunt, humores pituitosos, & melancholicos in cerebro turbam mouentes. Ex ipsorum mente ergo & hypothesi fit epilepsia, à copia humoris melancholici, atque pituitosi, nec excludunt bilioſos, quia id genus humoris magnam vim obtinet ad irritationem cerebri, &

con-

co nfequenter ad epilepſiam producendam Ex quibus omnibus memoratis humoribus vapores corruptos, venenoſos virulentoſque aſſurgere credunt, à quibus obſtructiones meatuum cerebri fiunt, ſpirituumque hac ratione tranſitus impeditur, vnde cerebrum principiumq; neruorum, vt expellat, id quod obluctatur, ſeipſum quaſi contrahit atq; concutit, idquod noxium eſt vt eliminet, ſiue vapor, ſiue humor fuerit.

§. 6. *Chymicorum filij*, qui cornicum oculos vbique configere ſtudent: in contraria omnia abiuere, quos inter *Paracelſiſtæ* hoc in affectu *Spiritum acidum volatilem* inculpant, ceu horum anteſignanus, & dux gregis ipſe vult, & pro hac ſententia tanquam pro aris, & focis pugnat, aliquando hunc *Spiritum* acidum nominat, vnde hunc affectum in Catalogum morborum mercurialium dictatoriè refert, quandoque affectum hunc eſſe aſtralem, ſpiritualem, inuiſibilem, ex principijs congenitis, eorumque exaltatis imprimis tincturis, & impreſſionibus, putans. Alio loco idem author aſſerit, caduci materiam eſſe ſulphur ſtupefactiuum, mordicatiuum, in microcoſmo exiſtens, quod inſtar fumi lædit cerebrum, ebullitione ab aſtris excitatâ.

§. 7. *Villiſius noſter* ab vtroque diſſentiens, ad ſanctiſſimum veritatis ſacellum, per denſa fluctuantium opinionum & rationum ab vtraque parte militantium dumeta propiùs accelliſſe videtur, in particulis heterogeneis, & exploſiuis nitro-ſulphureis ſcil. cauſam mali quærens, quæ inſtar pulueris pyrij accenſa, per ſpiritus animales cerebro communicantur, vnde motus iſti conuulſiui, ſpiritus enim animales iuſto impetuoſiùs exiliunt, & tanquam equi effreni ſtimulis agitati habenas ſuas rumpunt, tum partes continentes veluti currum appenſum peruerſo efferoque motu conuellunt, atque lancinant.

§. 8. *Helmontius* ſæpiſſimè Paracelſizans, natales morbi huius ad ſtomachum refert, ipſum ab inferioribus exſurgere, & conniti autumat, à quo Archeo noſtro crabrones irritatos credit, vnde epilepſia, in qua ſæpiùs venenum inſenſitiuum & (ſic loquitur) *amens* pro ſpatio affligens, præcordijs ſtabulatur.

§. 9. *Tachenius* propitio famæ calculo dudum in Medicorum orbe exceptus, *Acidum* culpat, indeque validiùs, & vero ſimiliùs rem probat, quia hi motus conuulſiui optimè, teſte experientiâ ſtultorum magiſtrâ, per alcalia volatilia curari ſolent, accedit & hoc, quod grauiora tormina cum excretis æruginoſis frequenter comitem aſciſcant epilepſiam, potiſſimum in infantibus.

§. 10. *Syluius* planè ex voto Præceptor (cuius munera, vt ſinceriore, ac Tiberius animo verba eius à Tacito 14. Annal. memorata erga Præceptorem repetam, æterna erunt) opinatur quaſi veſtigia premens Helmontiana, veram & adæquatam epilepſiæ omnis cauſam eſſe *Spiritum acidum volatilem* quacunque demum in parte generatum, coaceruatumque atque inde ad cerebrum delatum, ſpiritibus animalibus iunctum, ipſos diuellentem, impetuosè commouentem, ac proinde à blando, continuo, ordinato, & voluntatis imperio ſubiecto motu, ad interruptum, inordinatum, conturbatum, impetuoſum, & violentum deducentem. Pedamenta huic opinioni exinde mutuatur, quia ſpiritus animales conſtant partibus oleoſis, acribus, & aquoſis, quæ facilè ignem concipiunt, vnde vno impetu accenſi poſſunt ruere ad ſyſtema neruoſum, idque concutere.

§. 11. *Carteſius*, ille *ferens ſubtilis ſerica bombyx*, & qui Veterum Philoſophorum lumina obſtruxiſſe videtur, ſanguinem deprauatum arguit, cum obſtructione quadam in partibus ſolidis, adeoque in particulis tetrahedricis, quæ quouis etiam modo neruoſo generi applicantur, vim ſuam exerunt, & in particulis hamatis, quæ ſemel fibris neruoſis infixæ non tam facilè tolli poſſunt, inde neruoſæ hæ criſpationes, & epilepſia ortum habent, adeoque in ſola particularum figura cauſam rimatur. Ad motum voluntarium (vt ille ait) maximè faciunt, ſpiritus, qui

qui per glandulam pinealem penetrant; nam quia per glandulã vndique sibi plurimus habet subſtratas arterias, ſingulis pulſibus cùm multi ſpiritus eructentur, & in glandulam impingant, & quia glandula ſuos etiam habet poros, ideò multi tranſeunt per hos poros, qui propriè ad determinationem ſpirituum voluntariam faciunt, quia cum glandula ab anima determinationem aliquam accipiat, etiam pori in glandula alium aſpectum requirunt, quare ſpiritus, qui mouentur per poros eius, etiam ad aliam cerebri partem mouentur, & cùm ſpiritus in ventriculis poſiti in æquilibrio ab his ſpiritibus protrudantur, æquilibrium tollitur, & ad partem aliquam determinantur. In hoc autem morbo determinatio voluntaria ſpirituum tollitur, quia vndique tantà copià ſpiritus cum impetu aduolant, & per poros glandulæ tranſeunt, ita vt minimè anima hos motus impedire poſſit, ſed tantùm ſpectatorem in hac tragœdia agit, & malis obruta attonita ſtupet.

§. 12. Ego ſi Palæmon eligerer, aut dicerem non *noſtrum inter vos tantas componere lites*, aut (cuius opinionis auoram VVilliſio debeo) cauſam hanc latere conijcerem in *lympha peioris monetæ, ſine tali ſero, quod particulis ſuis nitro-ſulphureis, ſeu biliioſis*, ſpirituum animalium conſortio ſeſe aſſociantibus, corrodendo, irritando & furioſum reddendo noſtrum Regem, ac pungendo, concutiendo, atque lancinando ſpiritus, eos nolentes volentes diſſilire, & maximo cum impetu inſtar pulueris pyrij, aut auri fulminantis, aut pulueris tonitrualis accenſi, vel inſtar lachrymæ vitreæ vim elaſticam ſuam exſerentis, in neruos & deinvſque ad membranas, & cerebrum ipſum irruere facit, atque hinc ſpiritus animales ſic rebelles facti, tot horrendorum ſymptomatum exiſtunt authores; quem tumultuarium ſpirituum animalium motum rectè nominat *exploſionum* VVilliſius, *nihil enim aliud eſt quod epilepſiam producat, quam violenta & impetuoſa aliquarum particularum, & infero & in ſpiritibus animalibus exiſtentium exploſio*, vnde inſigne cerebri, membranarum, & neruorum irritamentum, vel ſpirituum animalium conturbatio, vel violentus impetus. Particulæ enim hæ heterogeneæ, ſeu *elaſticæ* ſpiritibus animalibus, & ſero ſunt mixtę, impetuoſiùs efferuntur, vnde ſpiritus animales vehementer dilatati, & inordinatè moti talem nanciſcuntur determinationem, *poroſque cerebri* ita aperiunt, vt quaqua verſum in neruos explodantur, quæ omnia circa ſenſum quoq; & appetitum fieri poſſe à machinis etiam, hydraulicis & pneumaticis facilè probatur; indeque facilè cauſa explicari poteſt deterrimi huius affectus. Non enim neceſſariò in cerebro latet cauſa epilepſiæ, ſed aliunde è parte ſolida oriri poteſt. Sic ortum nouimus hunc affectum à ſuppreſſis menſibus, quare probabile eſt ex vtero, vel teſtibus fœmineis, à ſanguine, vel ſemine corruptis malum produci. Nam dum ſanguis eſt craſſior quàm oportebat, obſtructiones circa vterum facit, quare cùm humores, & ſanguis vbi hærentes ſtagnant, & magna pars corrupta hæret in tubulis vteri, non poſſunt circulari, & ad cor per vaſa lymphatica redire, hinc morà ſuà alios accipiunt poros, vel fermentatione ſuà internà, vel ab externà aliquà cauſà, vt ira, &c. mouentur & è latibulis ſuis per vaſa lymphatica ad ſanguinem propelluntur. In ſanguine ſolito maiores inducunt fermentationes, hinc maximà vi per totum corpus propelluntur, quia autem iſta fermentatione ſanguis magis actuatur, maior copia ad Regium ſolium deſertur, quare & impetuoſiſſima in cerebro oritur tempeſtas & motus, ita vt præter ſpiritus portio aliqua ſanguinis, quæ magis reſpondet poris in tubulos cerebri deponatur, quę cum non ſit admodum craſſa, non totalem obſtructionem in neruis efficere poteſt, ſed quia eſt etiam craſſior ſpiritibus animalibus, ideò in poros quorundam neruorum incidens eos obſtruit. Hinc ſequitur, quoniam iſtà obſtructione, nerui à ſpiritibus vacui redduntur, & proinde flaccidi pendent, vt æger ſubitò in ter-

ram

ram prolabatur, & non sentiat.

Causa & huius morbi sanguinis efferuescentia nimia esse potest, nam ab hac efferuescentia humores spumosi redduntur, quæ spuma neruos vndique obstruit, & hinc ille in terram prolapsus, & sensus abolitus, quia autem sanguis maiori impetu, & copia ad caput defertur, & spiritus generantur, qui magna vi moti in cerebro vndique sibi exitum quærunt, adeò vt eo loci, vbi non est valida obstructio, hinc illinc obstructionem neruorum perstringant, & ita sibi viam in neruos, & hinc in membra parent, vnde pro variatione partis, in quam spiritus irruunt, diuersi oriuntur motus conuulsiui, & varij affectus. Si enim in glãdulas saliuales influunt, saliuam vehementia quadam expellunt, hinc in quibusdam spuma magna copia ex ore fluit, quatenus ista saliua ab exspiratione in bullas agitur, si verò spiritus ad alias partes, vt sunt testes, crura, vesica, brachia, &c. deferantur, alia symptomata inde sequuntur. Ad hunc motum conuulsiuum maximè contribuit, ceu diximus, spirituum animalium acrimonia, quia sua vellicatione neruos magis aperiunt. Bilis per se vix epilepsiam (vt multi, putant, producet, quia est humor satis subtilis, & propterea omnia peruadendo ad summũ non plus, quàm dolorem pungentem per totum corpus sua acredine causabitur, sed epilepsiam vix potest producere, quia ferè semper in epilepsia obstructio quædam adesse debet, & bilis obstructionem vix imò nunquam faciet, si nempè pura sit, & alijs humoribus non immixtam.

§. 13. Accedamus nunc ad id, vt pro instituti ratione, quid spei sit, de ægro paucis exponamus. Omnis quidem epilepsia periculo est plena, & curatu difficillima, quòd cerebri pori à singulis paroxysmis plurimum laxentur, vt deinceps materiæ cuiusuis heterogeneæ incursibus facillimè pateant, quasi via patefactà & effractis foribus. Alià tamen alià periculosior, ac curatu difficilior est, maximè si frequentes fuerint accessiones, ob rationem iam dictam. Interdum adeò grauiter hic morbus miseros affligit, vt optimis etiam adhibitis remedijs, vix ac ne vix quidem imminens vitę periculum, etiamsi omnem lapidẽ, vt Pseudolus ille Plautinus, moueamus, præcaueatur, nec ἅπαξ λεγόμενον, veni, vidi, vici, cãtare liceat. Vnde facilè deduci potest, quod Idiopathica periculosior, & curatu difficilior sit sympathetica, quò etiam diutiùs protrahitur paroxysmus, eò deterior affectus censendus est, poris cerebri ob frequentissimum incursum huius hostis vehementissimè dilatatis, & quasi excauatis. Pueros hic morbus atrox sæpè molestare solet, eò quòd humidiore sint cerebro inde poros patentiores habent. Longus etiam solet esse morbus, qui nisi pubertatis tempore in pueris, pororum cerebri soliditate indies auctis, inque puellis, menstruorum lympham peccantem, cum sanguine euehere solitorum, initio tollatur, vsque ad mortis diem saxum hoc Sisypheum voluere miseri coguntur. Cum enim, ceu diximus, magnæ alterationes fiant circa pubertatem, ti circa hoc tempus haud soluatur, vsque in maturam ætatem comitabitur. Hic morbus facilè redit, quia pori in cerebro ita disponuntur, vt facilè iterum humorem peccantem transmittant. Epilepsia inueterata incurabilis est quemadmodum de cane vetulo prouerbium ait; cum loris non assuescere, quum enim ætatem adeptus fuerit morbus, non ampliùs curabilis est. Hinc non tam Senecæ, quàm oraculi vox est, hic quoque valens, minùs negotii habet Medicus, si ad recens vitium adhibetur, cerebrum enim hac rerum facie eroditur, & inde pororum interstitia sensim sine sensu pertunduntnr. Hæreditaria quoque epilepsia ob cerebri pororum dispositionem à natura vitiatam, nullis quippe cedens medicamentis tolli nequit, estque incurabilis vt, & congenita. Iuuenibus, post annum vigesimum quintum exorta, ad vitę finem adhærere solet, vti testatur *Hippocrates* experientia edoctus sect. 5. aph. 7. his verbis: *Quibuscumque morbi comitiales ante pubertatem fiunt, transmutationem habent, quibuscumque enim viginti quin-*

quinque annos natis fiunt, bis plerumq; commoriuntur. Quemadmodum autem tempore veris magis irruit hic morbus, sic eodem quoque tempore est periculosior, grauiorque. Rursum cum vniuersum corpus afficitur, & derepentè infestat, ita vt sensum ipsius mali in aliqua corporis parte à capite semota non prius percipiat æger, vix sanescit. Si quoque morbus hic acutissimus fuerit, crebrisque accessionibus, & symptomatum magnitudine vrgeat, breui tempore ægrum crudeli funere extinguet, ex asse quippe deflagrantibus particulis sulphureis cum spiritibus animalibus. Minus malum est, si morbus hic solo regiminis errore contractus sit, & leuibus cedat remedijs. Ad hanc classem pertinet epilepsia virginum, ac viduarum iuuencularum, quæ per matrimonium ineundum curari facilè potest. Minus etiam nocet, si morbo comitiali infestatum longa febris, ac præcipuè quartana accesserit, signum enim est particulas elasticas, & inflammabiles per hanc mutationem sublatas esse. Nec adeò timendum est si epilepsia à dentitione, vel erumpentibus variolis, aut morbillis oriatur; remissa enim efferuescentia sanguinis à lympha stimulati, & sic spiritibus animalibus in furorem versis, sua sponte remittit affectus. Soluitur sæpiùs epilepsia per seminis profluuium, materia peccante per has vias effusa, nunc per sternutationem, mox per pituitosi humoris aut per nares, aut per aluum, aut per vrinam, aut per vomitum excretionem. Soluitur aliquando per cœcitatem, & strabismum, vti obseruarunt *curiosi*, lympha quippe, quæ fundi est calamitas, coagulata, & neruis opticis sese agglomerante, itaque iram suã in eos effundente. Plerumque hic morbus finitur per diaphoresin, quandoq; per scabiem totius corporis, à polidrome nimirum seri vitiosi. Propter intempestiuam inunctionem Mercurialium in scabie hunc obseruari affectum, & ratio hæc est, quia inunctio illa malesana, materiæ peccantis in sero existentis copiam violentiùs ad partes superiores, ipsaque adeò cerebri penetralia, quasi in sentinam propellit, idque duplici exemplo patris, & filij Trincauella confirmat. Prout etiam calamitas hæc per contracturam manuum, & pedum, item per aphoniam solui consueuit.

In stupiditatem, & melancholiam incurabilem tristi metamorphosi mutatam transijsse epilepsiam, notauit Celeberrimus *Willisius de morb. conuulsiu. cap. 3.* & potissimum, planè ad nostrum scopum, in paralysin, aliosque morbos abiuisse Practicorum Commentarij loquuntur, ex quibus quilibet exemplorum *μυριάδια* colligere potest, si modò velut agilis apis thyma circumuolitare velit. Nos alia nunc arena vocat, in qua monstrum hoc Herculeo labore debellandum erit.

§. 14. Methodus ad tollendam epilepsiæ iniuriam obseruanda, perficitur seqq. remediorum generibus. *Victus ratio* talis sit: Aer sit moderatè calidus, purus, & siccus, vitandus cane peius, & angue impurus, contagiosus, nebulosus, & nimis frigidus, id quod experientia edocti sumus in Principe, qui affectui huic aliàs obnoxiùs, hoc non obstante frigori intensissimo se committebat, vnde statim in via hoc corripiebatur malo, tanta vehementia, vt confestim vitam cum morte commutauerit. Cibus sit moderatè calidus, facilis concoctionis, ac boni succi, carnes conueniunt auicularum montanarum, gallinarum, & pullorum, leporum, & turdorum, vt adeò, & hic valeat illud *Martialis*.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes, gloria prima lepus.

Conducunt carnes columbarum, agnorum perdicum, atque caponum, quæ alimenta aromaticis condiantur. Capparum vsus maximè prodest.

Vitentur pisces; iuxta Gallorum enim prouerbium, *poison* fait *poisson*, i. e. piscis facit venenum. In eodem prædicamento habentur legumina, vt sunt allia, & fabæ, de quibus Græci dicere solent, *ἵνα μὴ φάγῃ σκόρδα, μηδὲ κυάμους*. Vtentur sina-

sinapis, fletum factura, cepæ, fabrorum prandia, carnes porcinæ, nuces. Cibi quoque nonnulli peculiari vi epilepsiam excitare creduntur, vt sunt carnes hædorum, hepar bircinum, & caprinum, coturnices, anseres, passeres, anguillæ, fungi, lentes. Sic quo hæc meditor die, puerum ex esu brassicæ capitatæ concisæ, & more Germanorum sale conditæ (quę Germanis audit *Cauerkraut*) epilepsia correptum, & ex complexu tristissimorum parentum à libitina raptum fuisse obseruauimus. Eadem calamitas accidere assolet in infantibus, vbi à lactis nimia ingurgitatione, eiusdemque in ventriculo acescentia, & corruptela, tormina, motus conuulsiui, & certa mors sequitur. Sic quoque omnia saccharata, & dulcia, contra vulgi opinionem, ob absconditum acidum sæpè vnici epilepsiæ sunt fabri, inde quod in transcursu monemus, malè si non pessimè peccant Medici, qui medicamentis infantibus propinandis, vt palato fiant gratiora, perpetuò saccharum admiscent, atque ita dum morbum curare satagunt, somitem submini strant maiorem, vt adeò quis haud malè dicat ex illo oraculo. *Aesias medicatus est*.

Potus sit vinum aquosum, tenue; non vetustum, aut sulphure imprægnatum. Maximè verò in hoc affectu abstinendum est ab ebrietate, indèque non hic Medicus adhibendus est Seneca, qui (de tranquil. anim. c. 15. circa finem) ait *Aliquando vectatio iterque, & mutata regio vigorem dabunt conuiuiis; & liberalior potio, nonnunquam & vsq; ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt deprimat curas, eluit enim curas, & ab imo animum mouet, & vt morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur*. Quos inter morbos, certè, noster affectus non est. Limburgi enim ad Lanum, vbi Æsculapio primitias præcos nostræ persoluimus, ante annos aliquot fœmina quædam febre tertiana duplici correpta, ad Tantaleam sitim explendam hausit, adstantibus insciis, quartam mensuræ vini fortioris parte, vnde propediem insultu corripiebatur epileptico misera, quæ tamen adhibitis idoneis infra dicendis remedijs à nobis feliciter pristinæ sanitati restituta fuit.

Exercitationes corporis proderunt, si non statim à cibo, nec in corpore bilioso cacochymico fiant, ne ex hac ratione confundatur massa sanguinea, & facili impetu ad caput ruant fermenta morbosa sub cinere latentia, vnde elasticæ particulæ excitantur, ex quibus exsurgere solent motus conuulsiui siue epileptici, rariùs adhibitæ capitis frictiones, non minus ac moderatus licitæ Veneris vsus, suadenda sunt.

Somnus ac vigiliæ excedentia mediocritatis, ceu Helice, & Cynosura vbique obseruandæ, leges iustas, spiritus animales efferando noxia sunt; somnum lethi consanguineum fugiat æger, quam maximè diurnum, nocturnumque immodicum. Planè verò sub nocentissimis Lunæ lucentis radijs audaciùs non capiat eum. Excrementa alui respondeant singulis diebus, arte aut natura prouocata. Retentio seminis, mensium, hæmorrhoidum, &c. nocent quoque, quippe ex his miasmata facilè excitantur, quod credibilius fit, si malum per exortum seminis profluuiũ sublatum ex præcedentibus notes. Vnde pronum est iudicare, retentionem seminis diuturniorem solitumque menstruorum, ac hæmorrhoidum fluxum impeditum, hostem violentiùs excitare.

Animi perturbationes, v. g. ira, terror, timor, mœror, solicitudines, in excitando hoc morbo epileptico magnam habent vim, quæ omnia mirum quantum iuuat elegans *Helmontij* obseruatio, lib. de morb. Arch. §. 17. epilepsiam subinde per menses, & annos dormire, & nunquam excitari, nisi per *iram, mœrorem, venerem*, partum, &c. nonne enim sine haruspice, & extis vides hæc, & alia huius farinæ si non furfuris, miasmata facilè eam excitare posse. Vt ergò minori pomærio siniamus, omnes animi affectus concitatiores vitandi sunt, nisi quis sua sponte hostem hunc lacessere velit, sunt enim

hæ

hæ passiones velut astra corpus microcosmicum valdè immutare apta.

§. 15. Quibus præmissis nunc propiùs admoueamus pedem, ad ipsa huius hostis penetralia vi medicamentorum effringenda. Apparet autem alijs machinis vsos fuisse *Veteres*, alijs *Recentiores*. Veterum hæ artes fuere, curabatur affectus sequentibus medicamentis: *Præparantibus* sc. si redundent p. n. viscidi, glutinosi & tenaces, seu salsà simul acrimonia molesti humores, oxymelle puta squillitico, Syrup. de pomis, decocto betonicæ, hyssop. maioran. me iss. rad. & sem. pœon. fœnic. anis. Aq. betonic. pœon. hyssop. primul. veris salu. bugloss.

Euacuantia, *& lenientia* ipsorum sunt sequentia: Pilulæ aloeticæ aureæ, sine quibus esse nolo, marocostin. aloephanginæ, cochiæ, fœtidæ, pruna laxat. crystall. tartari, &c. illa *Euacuantia* erant, hæc *Auertentia*: Clysteres ex rad. pœon. a ristoloch. asar. alth. sol. rutæ, cent. minoris, betonic. Mercurialis, fl. chamom. puleg. pol. montan. senn. Alex. hisce decoctis adduntur El. lenitiu. hier. Logad. ad ʒ ß. ol. rut. &c.

In quorum Catalogum refert suppositoria: apophlegmatismosque ex sem. pœoniæ, rad. pyrethri, tum & masticatoria ex N. M. castoreo, rad. pyrethr. staphid. agr. vuis passis, masticke, &c. Tum Nasalia ex succo radic. pœon. rutæ betonicæ.

Tum Gargarismos ex vino & aceto, in quibus coqui possunt flores stœchados, sol. origani, hyssopi, betonicæ, &c.

Tum sternutatoria ex pipere, elleboro, castoreo, rad. pœon. maioran. flor. lil. conuall. &c. Nec in Cerites ceras referunt siue contemnunt cucurbitulas cum scarificatione scapulis, atque hypochondrijs, nec non poplitibus vel malleolis affigendas, etiam si per consensum hic affectus fiat, occipitio, maximè autem partibus extremis, si ibi mali sit officina, sin pars ea ligari non possit, vt est vterus, &c. Et sic præscriptus sit cucurbitularum vsus, harum loco ad emplastra ex mithridatio seu theriaca parata, velut ad Triarios res rediit.

Ligaturas quàm maximè prodesse putabant, vbi priusquam auram nocentem sentiat æger ad caput ferri, ad viam intercludendam forti ligatura, vel vinculo partem constringat, vt hoc modo imminens accessio, vel planè auertatur, vel si hoc fieri non possit saltem melior, & clementior reddatur. In remissione tamen huius morbi gradu huius generis remedium magis iuuat, quam in fortiori.

Frictiones totius corporis à partibus supremis ad infernas procedentes præscribebant. Hæmorrhoides aperiebantur sanguisugis, fronti, aut alijs conuenientibus locis applicatis, quibus materia peccans exhauriebatur; auara enim est bestia, & iuxta illud Horatij, *non missura cutem, nisi plenacruoris hirudo.*

Rubificantia medicamenta collo, aliisque partibus adhibuere ad vaporem venenatum ne ascendat, inhibendum. Eiusmodi generis medicamenta pararunt ex sinapi, euphorbio cum cantharidibus, aceto forti fermentoque.

Cauteria alias particulosa in posteriore capitis parte fecere audaces.

Corroborantia resoluentiaque materiam reliquam, intemperiemque cerebri *emendantia* sunt theriaca, mithridatium, conserua roris marini, acori, saluiæ, aq. è florib. tiliæ, scobs eboris, C.C. viscus quercinus, &c. Quæ non bis, neque ter, aut quater, sed sæpissimè adhibenda sunt. In hunc censum pertinent ossa humana combusta, vngula asinina, asa fœtida, enula campana, radix & semen pœoniæ, cranium humanum, fœminæ pro fœmina, & viri pro viro, ex quorum vsu quotidiano malum hoc in aliquibus sanari putabatur. Vesica apri cum vrina adhuc calente exempta siccataque in furno, donec in puluerem redigi possit, veteribus excellens audiebat medicamentum, decoctum sarsaparillæ, guaiaci, &c. haud negligebant.

Inter *Externa* oleum Philosophorum, vnguenti ex oleo rutaceo, euphorb. vulpino balnea summoperè quoq; commendabant.

§. 16. Ha-

§. 16. Hactenus pro instituti ratione veterem curandi methodum quasi extremis coloribus adumbrauimus. Nunc sequitur methodus ex mente *Chymicorum*, quæ sequens est. Cum verò Paracelsistæ hunc morbum astralem, occultum, malignum Lunarem, Mercurialem, & vitriolatum esse dixerint, ex ijsdem principijs suis curam subiungunt. Astralis enim morbus, cum sit, decreta siderum haud negligenda, sed tum in sossione; & præparatione, tum in exhibitione remediorum obseruanda esse admonemur. Quare, & sub certo siderum aspectu conficiunt, & exhibent Lunæ liquorem viridem, vel etiam cæruleum, cerebrum maximè confortantem; Luna enim ipsis dicitur cerebrum externum, cerebrum Luna interna.

Paracelsus huc refert quoque Smaragdos, hyacinthos, granatos, iaspides, rubinos, viraſque eorum tincturas, corallia, margaritas.

Laudat, & *Parac.* Aquilam suam cœlestem, vt & dulcedinem siue mannam Mercurij, quia Mercurium Microcosmicum in naturalia sua liquabilitate conseruat; Sic, & Spiritus vitrioli, vini dulcis volatilitas, atque dulcedo verum esse putatur huius morbi alexipharmacum. Huc quoque pertinent tartarum, sulphur. antimoniata, camphora, ol. fuliginis; aq. fl. tiliæ, vel lil. conuall. exhibita caducum, hoc malum valdè domant.

Vt nunc taceam Essentiam cerebri humani, huiusque cranij Parac. cum alcohole vini saluiati factam, quam propter consistentiam *Galredam* vocat, vel magisterium cum spiritu vitrioli factum. Essentia sanguinis humani, Mumia magnarum etiam æstimantur virium.

Pergamus nunc, & *Helmontij.*

Quid valeant humeri, quid ferre recusent.

paucioribus duntaxat contemplemur. Ille verò sale volatili microcosmi experientiâ magistrâ sæpissimè sublatam morbi iniuriam docet dicitque, quam felicitatem, & adscribit vsui salium vegetabilem Cephalicorum, & aliorum appropriatorum, item vngulæ alceis capiti affrictæ, deque collo pendulæ, adijciens sympateticè hunc insultum ea arceri, ita tamen, vt per hos vsus effœta ita reddatur, quo minus cum aliquo fructu postea applicari possit:

Nunc ordine nostro sequitur *Willisij* Therapeia obseruanda, qui à vulgari medendi methodo recedit, quippe euacuantia generalia, sc. cathartica ferè omnia fortiora, & venæsectionem vix admittens, vt nec sternutatoria, cardiaca fortiora, cucurbitulas, scarificationes, ob notoriam spirituum animalium ab hisce incensionem, & explosionem, neruorumque, ac fibrillarum irritationem: commendans è contrario ea, quæ spiritus animales efferos, & volatiles figunt, necnon eorum motus explosiuos inceptos supprimunt, quem effectum sibi promittit ex medicamentis sale volatili, & armoniaco, aut etiam sulphure vitriolico præditis, cuiusmodi sunt sal, & oleum succini, spiritus sanguinis humani vel alius animalis, spiritus C. C. fuliginis, tinctura castorei; ad guttas aliquot, cum vehiculo idoneni intus sumpta aut naribus admota, hæc enim leuamen afferre ceu ex ipso veritatis tripode tradit. Ita, & in subsidium vocat *frictiones*, per totum corpus adhibitas, quarum vi, & beneficio spiritus animales ab explosionibus ineundis blandè reuocantur, ac quasi compedibus iniectis impediuntur.

Secreta quoque, & arcana, quæ audiunt aliàs specifica, hìc loci non omittenda putat, idque ex hoc argumento sat Achilleo, quod natura illorum in eo consistat, vt cerebrum corroborando, eiusque poros constringendo copulam irruentium spirituum excludant, & sic quasi violenti tribuni intercedant, spiritusque intra cerebri meditullium existentes figant, & quasi constipent, omnia enim antiepileptica, vt pæonia, viscus quercinus, flores tiliæ, lil. conuall. &c. astringente vi pollent, indeque poros cerebri nimis laxos, & apertos constringunt,

&

& occluduht, vt sic via intercludatur, materiæ morbificæ hanc turbellam excitanti.

Quæ ex mineralium, & animalium familijs petit prædictus vir Celeberrimus, sunt cranium humanum, sanguis quilibet, succinum, & corallia, salia volatilia.

Quòd si verò hoc morbo detineatur puer, vel adultus, & copiam pituitæ acidæ in ventriculo suspicetur, exhibet emeticum per plures menses quatriduo ante plenilunium, vinum nempè squilliticũ, oleo amygd. dulcium recent. mixtum, aut etiam sal vitrioli album, aut tartarum emeticum. Dein in nimia sanguinis plethora aliquid sanguinis è brachio mittere iuuet, & quandoque iubente necessitate tale, vel simile exhibet purgans.

℞. Resin. ialappæ ℈ ß.
Mercur. dulc. gr. xv.
Castor. gr. iij.
Conf. flor. pæon. ʒ j. F. Bolus.
Vel forma pilularum exhiberi potest.

Hæc Triaria sunt medicamenta. Sequentia verò, quæ Empyrica vocari solent sunt velut Tyrones; qui interdum victoriam fortiter non reportant, sed hoste in panicum terrorem ex alia causa verso, quasi inueniunt, sc. ranarum hepata, rad. byroniæ, pulu. cuculi, coagulum leporis, & eiusdem pulmo, hepar. lupi, lapilli hirundinibus exempti, milui iecur, oua coruorum, &c.

Periculo Authoris, & hęc in aciem prodeant, nempè amuleta, ex rad. pœon. vngul. alc. cran. hum. visc. querc. sem. pœon. instar coronæ rosaceæ, appensorum quorum omnium vis notabilior est in ventriculo operans, quàm si de collo suspendantur. Amuletum ex frutice sambuci in salice inuenti magnarum putat virium, & sæpissimè hostem tali remedio debellatum gloriatur.

Externè etiam vtitur oleo succini, ad nares inungendas &c. quæ dulciùs ex ipso fonte hauriri possunt. Illud tamen omittere non possumus, prædictum *Willisium* in classem remediorum præsentium retulisse diaphoretica, saliuantia, thermas, & acidulas, ad quæ tanquam ad sacram aliquam anchoram ægroto confugiendum monet.

Et quid tibi videtur *Syluio*? Illi verò hęc mens sedet, summè conducere omnia ea, quæ spiritum acidum, eumque volatilem spiritus animales dispergentem, & conturbantem figunt, salia nempè lixiuiosa, vel fixa, vel volatilia, ast simul fixantia. Medicamenta igitur sale figente, & volatili constantia in epilepsia esse optima credit. Vnde præscribit rutam, polium montanum, radic. & semen pœoniæ, valerianam dentariam, flores lil. conuallium, tilię, omniaque sale volatili turgentia, squillam acrimonia salem suum volatilem manifestantem, viscum querc. lignum corylinum, buxinum, spiritum tartari, Spir. & sal volatile cranij humani, C.C. Inter salia figentia refert vngulam alcis, coagulum leporis, stercus pauonis, capri vesicam cum vrina in furno siccatam. Inprimis asteriſco notat castoreum sale volatili constans, tanquàm optimum antiepilepticum, item corallium succinum, lapides pretiosos, cinnabarin natiuam, Magno Cratoni trium Imperatorum Medico Epilepsiæ Magnes vocatam, quæ omnia iam nominata acidum spiritum mirè figere valent.

Venæsectiones, vomitoria, & purgantia, diuretica, ac sudorifera per se prodesse negat, frictiones verò, fonticulos, & inunctiones mercuriales experientiâ edoctus commendat maximè. Inter externa iubet naribus adhibere spirituosa, & acria, h.e. sale lixiuioso volatilisato prædita, spiritum sc. acidum figentia, *Verbi causa*, spiritus salis armoniaci, suliginis, &c.

Noua lux in hoc mari fluctuantibus oboritur *Carteſius* sc. cuius *ſequaces* in particulis acutis, & angularibus sane quid maius, quàm iuxta illud Plauti puèri in faba, se reperisse putant, indeque quasi virgulâ diuinâ sanitatem inueniri putant, si tales particulæ obtundantur, & læuigentur id quod moliũtur per puluerem Marchionis de gemmis, decocta lignorum, alia-

que ſpecifica cephalica, quæ iam referre anteuertimus, hiſce enim, & inferiùs adhuc dicendis medicamentis acrimonia humoribus inexiſtens, acieſque vere obtunditur atque hebetatur, vti facilè videre eſt in cultro, gladio, acu vel acicula nemo enim eſt qui neget, niſi is qui contra ſenſum communem pugnat, illa vſu atteri obtundique. Ad quem ſcopum collimat quoque Theriaca cœleſtis nuper Hanoviæ confecta, ac paucis à me deſcripta, pluribuſque experimentis, & vſu hactenus comprobata Mediçina, ad grana aliquot exhibenda.

Hactenus in proſcribendo morbo alienis opinionibus manum commodauimus ſupereſt vt, & videamus, quidnam ex noſtro voto ſit tentandum. Conſtat ex præmiſſis ante omnia ferum acre corrigendum eſſe, cum in hoc ſons mali lateat, exindeque oriatur iſta furia Coſmetorgis noſtri, & explosiuus ſpirituum animalium impetus in neruos inordinatus, & peruerſus. Qui enim ſemper blando tardoque greſſu ſecundùm naturam influere deberent, impetuoſiùs in machinam ex fibrillis nerueis compactam irruunt, & contractiuum motum concuſſionemque inferunt. Hunc hoſtem ergò per remedia eiicere debemus, quæ inuenire licet tam contra ingruentem, quàm iam præſentem, per methodum medendi ritè obſeruatam, quæ abſoluitur ordinariò tribus indicationibus 1. Curatoria ſc. 2. Præſeruatoria, & 3. Vitali. 1. Curatoria reſpicit ipſum morbum cum paroxyſmo, eumdemque, vel planè prohibet, vel ſaltem leuamen ei affert. 2. Præſeruatoria reſpicit ipſas morbi *tincturas ſeminales*, cauſasque, & impuritates morbificas, ſiue fermenta morboſa euacuanda, & alteranda, morbum tum vniuerſalibus tum particularibus radicitùs extirpando, nouamque acceſſionem Paroxyſmi prohibendo. 3. Vitalis eſt, quæ eouſque tribuit inducias hoſti ita vallato, vt dum vires fractæ redeant, non expellatur, ſed pro viribus ægro reſtituendis omnia tentẽtur. Materiæ remediorum ex triplici vſitato fonte ceu pharetra Chirurgica, Pharmaceutica, & Dietetica depromſitur.

Ingruente, & facta triſti illa facultatis animalis (ſic ad mentem vulgi, vti ſæpiùs, ſic, & hic, loquimur) eccliſi, intentio omnis dirigenda eſt ad cauſam, & ſymptoma. Symptoma duplex vrget, hoc in affectu facultatum nempè animalium principium, & ſenſitiuorum ceſſatio, ipſaque contractio violenta. Excitandus, itaque eſt æger paroxyſmo infeſtatus per ſtentorias inclamationes, vellicationes membrorum etiam obſcœnorum, & frictiones imprimis ceruicis, dorſi cum ſpiritibus apoplecticis, ſeu pannis aſperioribus, aut quæcunque arma huic rei apta occaſio ſubminiſtrauerit. Conducunt, & ligaturæ, clyſteres cum ſalib. volatilibus parati, os deducatur vi, vel manuum, vel inſtrumentorum, tum vt faciliùs reſpirare æger, & ſpuma ei effluere poſſit, tum ne lingua præmordeatur. Os autem apertum ſeruari poteſt, vel viſco quercino, vel radice pœoniæ, vel vngula alcis, vel ſaeculo medicamentis maſticatorijs, & epilepticis repleto, pollicem quoque cum reliquis digitis ad frangẽdum morbi violentiam extendere, & manui vngulam alcis intrudere ſolenne eſt. Membra ipſa conuulſa elenato nonnihil pectore, & capite (ne terræ impingantur) ſeruari debent. Contortas partes præ reliquis oleo calido ſouere quidam præcipiunt, nos ſpirituoſa aromatica his præferimus, inprimis *ſpiritum cochleariæ*, quo ſæpiſſimè hoſtem fugatum gloriari poſſumus. Ruta quoq; digitis teratur indeturq; vaſo, quo modò, & applicandum polium montanum, aliaq; falia volatilia naribus admoueantur, quæ inſeruiunt abbreuiando paroxyſmo, & credibilius erit, quod de ſacra nobilis *rutæ* vi diximus ſi audiamus *Syluium* exiſtimantem, quòd ruta hortenſis, ac ſylueſtris ſale volatili acri mordicante, adeoque conuenienti ſpiritus acidi correctorio turgeat.

Infundantur aquæ epilepticæ ex. gr. hirundinum, cum caſtoreo, picarum lil. conuall. Tinct. caſtorei, ſpiritus ſalis armoniaci volat. fuliginis, vrinæ, C.C. conuulſiuus *Nob. Waldſchmidii, Fautoris*,

ac

ac Collegæ suspiciendi, Balsami Neruini *Excell. D. Sebastiani Scheferi*, Polliatri Francofurtensis celeberrimi. Collegæ itidem honoratissimi, aliaque generosa specifica inferiùs dicenda.

Sternutatio excitari potest per *Vvedelianum euporiston*, vitriolum sc. album in aqua maioranæ, vel lil. connall. maioranæ, addito castoreo, & ambra, vel per puluerem sternutatorium lippis, ac tonsoribus notum. Applicentur, & naribus balsama cephalica, balsamum nempè maioranæ, succini, rutæ. In hunc censum veniunt spir. salis armoniaci, & vrinosus V. gr.

℞. *Spir. sal. armoniac.*
C: C. ana ʒ ß.
Vel ℞. *ol. castor. gutt. ii.*
Balsam. vitæ.
rutæ.
ol. succini ana q. v. M.

Hæc hactenus obseruanda sunt. Si verò malum, per consensum ventriculi fiat, & præcedat nausea, & alia laborantis ventriculi signa, vomitus more veterum electuario diasari, &c. vel meliùs hodiernorum more Tartaro emetico, alijs liquoribus mixto, à granis duobus ad quatuor excitetur, vnde acido viscido in stomacho residente euacuato, confestim malum pellitur, quòd & in infantibus bono, cum successu expertus sum. vbi sc. lac in æruginosum virus; quacumq; de causa mutatum fuerat. Hæc agenda sunt, illa verò omittenda, in paroxysmo venæsectio scil. aliàs anima furibunda quà datà portà rueret, nisi quis specie venæsectionis, iuxta quorumdam experimentum, partem ægri sauciare, & guttam vnam, & alteram sanguinis hominis proprij in aqua appropriata propinare velit, venas tamen frontales, & raninas, si adsit plethora, commodè secari posse nullus dubitauerit. Si paroxysmus diutiùs perduret, vel paruis interuallis redeat, tempore indiciarum clysteres acres, & stimulantes fortioresq; injici possūt, quos postea in aciem producemus. In mulieribus si sit hic affectus per consensum vteri, accendantur res graueolentes, pennæ videlicet pauonum, ac perdicum, corium, aliæq; quisquilię, in quibus excogitandis quæ moliatur muliebris, & anilis insania, vel Cato sine risu audire non possit, V. g. *die Strumpffbandel*, &c. Propiùs verò ad rhombum accedit asa fœtida, castoreum, nodulo inclusa, & naribus admota. Viribus adamussim æmulus est spirinus salis armoniaci volatilis; cum ab obstructione mensium, vel lochiorum si paroxysmus, exhibemus enim ex hystericis, & venesectionem in pede instituimus, dein ad fermentum epilepticum præcipitandum, & eliminandum vino medicato expurgantibus antiepilepticis, & hysterici combinatis vtendum extra paroxysmum suademus. In paroxysmo graueolentia offerimus, quę spiritus animales efferos in quietem (vt prætor tumultuantes homines) cogunt, & hinc inde vagantes, ad quietem vocant. Si *Suaueolentia* internè vel externè naribus adhibentur, paroxysmus non tantum augetur, sed & accelerat, perinde vt iuxta versiculum, *blanda patrum fegues facit indulgentia natos*, sunt enim hæc molliora, & facilè cedunt motui spirituum animalium. Hic conueniunt illa specifica vt succinum, mater perlarum, & omnia ea quæ multum alcali in se continent, quæ acidum illud exoticum facilè absorbere possunt. In hoc casu conuenit, & elix. propriet. addita essentia castor. myrrhat. circa phases Lunę exhibendum, quia circa illud tempus sanguinis, & seri corpuscula peregrina facilè effervescunt, in iuuenculis in primis circa nouilunium, prouectioribus circa plenilunium erumpunt menses vti experientia sæpiùs comprobata constat. Ordo nos nunc vocat, post explicatam indicationem curatoriam, ad secundam, nempè præseruatoriam, vbi exactissim notandum; quòd quando causa mali in certa quadam hæret parte, præter alia conueniunt cucurbitulę, ligaturę, cauteria tum actualia, tum potentialia, setacea fonticuli, vesicatoria, ac hirudines. Hisce nihil proficientibus, anne adhiberi possint apud Italos, præsertim Florentinos, recepta cauteria, sinistro occipiti, vel infantis ex hæreditate morbum nacti, vel

adultioris applicata? Ego valdè dubitauerim, deterreor quippè, & crudelitate remedij, & infeliciſſimo quandoq; exitu, quem periclitari nihil aliud eſt, quàm iuxta illud *Horatii*, *ire per ignes ſuppoſitos cineri doloſo*. Sed vt breuis ſim, cauteria laudantur ab his, culpantur ab illis, atque de ijs nihil certi pronuntiare, experientiâ deſtituti, audemus, præter illam inuſtionem herbę illius Indicæ, Moxæ ſc. in vertice capitis, qua inuſtione puerum XVI. annorum feliciter reſtituimus. Eadem iudicamus de conſuetudine illa qua Lybiæ populi pueris quadrimis verticem lana ſuccida adurere ſolebant, vt eos ab epilepſiæ inſultibus immunes redderent. Idem in Hetruriæ primaria vrbe Florentia, etiamnum in vſu eſſe conſtat, idque hac ratione defendere ſatagunt, quòd ex duobus malis, omnium ſapientum punctis, minimum ſit eligendum, pręſtare autem vt vel potiùs vltima tententur, ne miſer ægrotus in crudeliſſimo hoc equuleo relinquatur. Quadrat huc illud veriverbium medicum, *quæ medicamenta non ſanant, ignis ſanat*.

Loco actualis cauterij, potentiale ex cantharidibus fermento, acetoque in commiſſura coronali inſtitutum eligi poteſt. Certiſſimum enim eſt, quòd facta tali modo via elaſticis particulis pateat exitus. In pueris autem fiant veſiculæ maximo cum commodo in ceruice, quę acu pungantur, fluereque per menſem, & vltra permittantur.

Trepano quoque, abſque periculo in eundem finem nonnulli vtuntur, cranium enim aperiunt, de quo videas inſtar omnium *Severinum*. Arteriotomia quoque ſæpiùs feliciter inſtituitur.

Perſpectis Chirurgicis, pergamus ad remedia ex fonte *Pharmaceutico* hauriendа. In prima acie ſtant alcalia volatilia, item terrea, acidum iſtud vitioſum abſorbentia. His, & genitum eſt, ad ſiſtendos epilepticos inſultus, *Sulphur antimonii* ſine, vel cum Mercurio mixtum, & ſublimatũ, meliùs verò illud, quod ex ſcorijs vltima vice certo modo præcipitatur, doſis pro re nata à grano vno, robuſtioribus paulò ad grana duo ſeſe extendit, quod Euporiſton epilepticos motus tam imminentes, quàm præſentes ſiſtit, ſimulq ue mineram morbi, ſi quæ reperiatur in primis vijs, auſpicato vomitu extirpat, atque etiam in paruulis infantibus, abſque periculo etiam repetitis vicibus, illo remedio vti licet; quod & *præſeruatorio* addito ſemper Mercurio dulci, ante nouilunium exhibitum, & aliquoties reiteratum, extra paroxyſmum ad fermentum malignum extirpandum conuenit, blanda quoque diaphoreſi ſua calamitatem hanc ſopit, quod experientia edoctus approbat. *Expertiſſimus, & propitio famæ calculo ditiſſimus Etmullerus in ſuo Valetudinario infantili*,

In hunc cenſum, & terrea retulimus, qualia ſunt communia illa euporiſta, ex. gr. cranium humanum, non ſua morte mortui, ſed violenter extincti hominis, corallia rubra, bezoar. or. & occidentale, vnicornu marinum, & illud foſſile, in quo efformando natura mirè ludit, omnia enim hęc acidum neruos infeſtans abſorbent, & ita malum, vel tolerabilius reddunt, vel interdum planè tollunt. In hanc claſſem, & referimus mineralia, inter quæ agmen ducit Cinabaris natiua Hungarica cryſtallino ſplendore fulgens, & huius ęmula antimoniata quorum vſum maximè omnibus iunioribus Practicis commendo. Formula eſto ſequens.

℞. *Cinnabar. natiu. ſelect.* ℈ ij.
Pulu. Bezoart. Senn. ℈ j.
Bezoart. ſolar.
Mag. corn. alcis ana ℈. ß
M. f. puluis pro pluribus vicibus.

Vel ℞. *Cinnabar. nat.* ℥ ß. *vel cinabar. antimoniat.* ℈ j.
Sal. volat. C. C.
ſang. hum. ana ℈ ß.
Laud. opiat. gr. I. *M. pro aliquot vicibus.*

Vel Puluis Cephalicus Epilepticus, qui *tribuitur Glorioſo Romanorum Imperatori Rudolpho*, ſequens.

℞. *Ci-*

℞. *Cinab. antimoniat.* ℥ ß.
Vnicornu ℥ ij.
C.C.
Viſci querc. ana ℥ j.
Terr. ſigillat.
Cran. human. præpar.
Margarit. præpar. ana gr. xv.
Lap. ſmaragd.
Cinnamom.
Croci ana ℈ ß.

Miſceantur inuicem, & fiat puluis ſubtiliſſimus. Huius pulueris vires contra grauem hunc noſtrum affectum magnum merentur encomium, vti vel ex eius baſi, cinabari videlicet antimonij, conſtat, cuius virtutem pro confortandis neruis, & compeſcendis ſpiritibus animalibus cephalicam antiepilepticam antidinicam laudat quoque *Crato*, trium Imperatorum Medicus, in Conſiliis. Hac quoque baſi ferè omnes pulueres cephalici, & epileptici celeberrimorum Medicorum conſtant.

℞. *Specif. Cephal. Hartm. Quercet. Michaelis vel Waldſchmid.* ℥ j.
Mag. cran. human.
Fœcul. pæon. ana ℥ j.
Theriac. cæl. Hanou. gr. v.
Elæo ſacchar. ſuccin. gr. vi. M. f. puluis ad vſum.

Cephalicum illud famoſum *Michaelis* eſt ſequens.

℞. *Cinnabar. natiu. Armen. per ſublim. 6. vel vltra rectif. vel cinnabar. antimon. toties rectif.* ℥ iii.
Fœcul. rad. pæon. ℥ j. ß.
Magiſter. epilept. ℥ ß.
cordial. ℥ ii.
Fol. auri numero j.
M. F. ſpecificum cephalicum.
Magiſterium Epilepticum.

℞. *Vngul. alcis.*
Cran. hum. violenta morte defuncti.
Corn. alcis.
C.C. ana ℥ j.
Smaragd. or. ver. ℥ ß.
Vnicorn. ver. ℥ ii.

Pulueriſat. affunde menſtruum ex ſale, & alumine præp. ſ. q. ſolue, & ſolutum, præcipita. ſpir. vitrioli, præcipitatum edulcora, & adde Magiſt. ſuccini ℥ j.

Magiſterium cordiale.

℞. *Margar. or. præpar.* ℥ ß.
Corall. rubr.
Lap. percar. ana ℥ j.
Raſur. ebor.
C.C. ana ℥ vj.

Pulueriſat. cum dicto menſtruo ſolue, & ſpir. vitrioli, præcipita, tandem edulcora. Ex his duobus præparatur ſpecificum cephalicum.

Non caret ſua laude hoc in affectu *Theriaca cæleſtis Hanouienſis*, multis experimentis nobilitata Medicina, & ſua laude non defraudanda. *Puluis Epilepticus Infantilis Ludouicianus* cum opio, vt & *Panacæa Vitrioli.* Commendamus quoque *Arcanum* illud *Antiepilepticum*, cuius mentionem facit, nuper magno medicinæ purioris damno extinctus, *Thomas Bartholinus* in Actis Hafnienſibus Vol. 5. pag. 73. quod expertum reperimus aliquoties.

℞. *Cran. human.*
Sem. pæon. ana gr. x.
Succin. alb. gr. vij.
Auri bæred. gr. ij.
Margarit. ppt.
Corall. ana gr. v.
Sambuc. cort. ex ſalice nat. gr. x.
Caſtor. gr. iii.
Pulu. Calendul. gr. ix. M. f.

Puluis ſubtiliſſimus, in aqua lauendulæ xh ibendus.

Vel ℞. *Sal. volat. ſuccin. cran. hum. ana* ℈ j.
Caſtor. ℥ ij.
Infund. in ſ. q. ſpir. vini, digerantur, & circulentur.
S. Tinctura Epileptica. Doſis ad guit.

Vel ℞. *Spir. ſal armoniac. cum calce viua, & Spir. vin. parat.* ℥ ß.
affunde caſtoreo, & abſtrahe Tincturam, vt ante.

Vel in forma pulueris.

℞. *Cran. human. præp.* ℥ j.
Cinnabar. antimon. ℥ ß.
Caſtor. gr. xv.
Sal. volat. C.C.

fuccin. ana ℈ ß.

F. Puluis, pro renata pro aliquot dosibus.

Sic, & hiſce poſſunt maritari *opiata*, quippe quæ efferos, & inordinatos ſpiritus animales quaſi popyſmate demulcent, & eos, hac, vel in illa ſtatione ſua ligant, quæ aliàs Archeum noſtrum, vt loquar cum *Helmontio*, haud dubiè furibundum redderent. Quando accendunt ſimul tormina ventris, & tuſſis conuulſiua, præſertim in infantibus, coniuncta diarrhæa, vt fieri amat, quàm maximè conueniunt prædicta opiata. Ad curandam quoque Epilepſiam Hypochondriacorum primò purgandum eſt corpus ſequenti remedio purgante.

℞. *Mercurij dulcis gr. xij.*
Reſin. Gialapp. gr. vj.
Cran. human. ppt. philoſoph. ℈ j.
Tinctur. ſuccin.
Caſtor ana gr. v.
Conſ. flor. pæon. ℥ ij.
M. f. Bolus.

Vel ℞. *Reſin. Thurbith.*
Agarici ana gr. vj.
Flor. ſal. armon. martial. gr. v.
Sal. volat. ſuccin. gr. ii.
Ol. ſtill. maioran. gutt. ij.
M. f. Pilulæ.

Dein acidum excedens ad ſtatum naturalem reducendum eſt per vitriolum Martis, ſal noſtrum abſorbens, ſal eſſentiale Zvvelferi Saccharo canthi mixtum. A prandio, & cœna quoque vtendum puluere ex ſeminibus carminatiuis, cum aliqua portiuncula cranij humani raſi. Sed notandum eſt, ſi affectus hic ab alia parte & cauſa oriatur, non ſemper conuenire ſpecifica antiepileptica, ſed parti laboranti appropriata. Hic imprimis non negligenda ſunt acidum abſorbentia, quæ iam ſupra memorauimus, non libet enim crambembis coctam apponere.

In Epilepſia ſcorbutica omne fert punctum ſpir. ſalis armoniaci cum Elixire noſtro antiſcorbutico mixtus; Item ſequens puluis.

℞. *Spin. viperar. ppt. gr. xxv.*
Cin. talpar. ad aibed. calc. ℥ ß.
Cran. Microcoſm.
Lap. Bezoar. ana gr. xxiiij.
Sacchar. perlat. ℥ ii. M. f. Puluis ſubtiliſſimus. Doſis eſt, quantum cuſpide cultri capi poteſt, in ſequenti vehiculo.

℞. *Aq. becchabung. è ſucc. Mercurialis ana ℥ iij.*
M.

Vel ℞. *Diaſcord. ℥ ß.*
Conſ. charmæpyth. ℥ ij.
Flor. tiliæ.
Rut. ſylu. ana m. j.
Raſ. corn. alcis ℈ ß.
Decoct. rad. ſarſæparill.
Succi beccabungæ ana lib. ii.
Pulu. ſpaſmod. ℥ vj.

Ex Vitreo organo diſtillentur, & adde Tinct. cort. rad. pæon. ℥ ii.

Doſis huius aquæ eſt cochleatim exhibenda, cuius vires ſunt, vt ſerum acre ſi non per ſudorem, tamen per vdorem diſcutiatur.

Vel ℞. *Elix. antiſcorbutic. m. ℥ ii.*
epileptic. ℥ i. ß. M. detur ad vitrum.

Detur ad guttas xx. in aqua appropriata. In hyſtericis motibus conuulſiuis ſemper addito Caſtoreo medicamenta reliqua exhibenda ſunt.

Sequentem puluerem mille experimentis approbatum in ſolatium Epilepticorum reuelatum volo, quem nominare placet *Draconem figentem*.

℞. *Nuc. moſch. ℥ j ß.*
Ciner. talp. ℥ ii.
Tal. lepor. numero iij.
Pulu. card. bened. ℈ iiij.
vngul. alcis.
ſuccin. alb.
viſc. querc. ana ℈ ii. ß.
Margarit. præp. ℥ i.
C. C. vſt. ℥ ß.
Vnicorn. ver. ℈ i.
Cran. hum. ℥ iij.
Sem. pæon. ℥ i. ß.
Sacch. Canar. ℥ ii. ℥ ii.
Fol. aur. q. v.

M. F. Pulvis ſubtiliſſimus. Doſis à ℥ ß. ad ℈ iiii., & v.

Sanguis humanus ritè collectus, addito

an-

an. alcohol. vini, fermentando reddit ſpiritum gratiſſimi odoris, qui linguam ferit & pungit, eſt antipaſmodicum egregium, doſis à gutt. xv. ad xx. in vehiculo appropriato.

In genere nunc, & alia recenſenda ſunt, quæ ſpiritus animales in ordinem redigunt, neruoſque tamquàm ductores confortant, & hunc motum conuulſiuum ſæpiſſimè, vel mitigant, vel planè tollunt. Ex gr. pro Iunioribus ſunt ſeqq. formulę.

℞. *Elixir. Cephal. Willis.*
Spir. ſal. Armoniac.
Vitriol. Epilep. ana ℥ß. *M.*

Doſis gr. xx. Tinctura coralliorum ex corallis cum pauxillo nitri calcinati, n. d. & cum ſpiritu aniſi, vel melius eiuſdem oleo duntaxat parata, quæ poſteriori modo parata in hoc affectu, quia caret menſtruo acido, valde proficua erit. Tincturæ Lunæ alij mirum quantum tribuunt, aſt certè meum calculum non ferent, cùm enim nihil præter Vitriolum in ſe contineat, ceu ex colore cœruleo appareret, facili marte inde colligi poteſt eam magnarum virium in hoc affectu eſſe non poſſe. Primum ens ſeu liquor tiliæ, è tilia vulnerata menſe Februario collectus, ad ℥ iij. ter in die aſſumptus mira quoque præſtat. Pro magno arcano hoc in morbo reuelo hepata ranarum decreſcente Luna collecta, & ſole exſiccata, quę pulueriſata ad ℥j. aliquoties aſſumantur. Sequens quoque ſecretum adhuc intra penetralia. Veſtæ (vt Horatij verba mutuęr) latuit, nobile remedium ab ignobili auctore nobis reuelatum, & præſenti auxilio ſæpiùs cognitum. *Lumbrici* nempè *terreſtres* in vino Rhenano extincti, & exſiccati, adque drachmam vnam circa nouilunium, per tres menſes exhibendi, quo modo duos iuuenes xiv. annorũ feliciter priſtinę reſtituimus ſanitati, cui os humeroſq; ſimile eſt puluis Talpæ calcinatæ, vel cineres ad ℥i.

Sic in ſtercoribus pauonis, ciconiæ, leonis, & hominis ſingularis latet vis antiepileptica, experientia multiplici teſte, vt adeò ex ijs ſtercoribus, tanquam Virgilius ex ſtercore Ennij, aurum, & quod pretioſius eſt auro colligere licet. Nonnulli enim norunt ex his debitâ fermentatione, & volatiliſatione elicere, vt moſchũ & ambram ferè oleat ſicque in zibetham Paracelſi occidentalem abeat. Laudi quoque acerra litandum ſecundo, & felici ſpiritui ſecundinæ humanæ vxoris ſobolem muſculam enixæ, quod remedium vim ſuam exeruit, & ſic æternitatem famæ ſibi quæſiuit in Rege Poloniæ, qui cum in hoc piſtrino laboraret infelix feliciter conualuit, pluris illud faciens, quàm ſceptrum, quàm coronam ſuam, teſte Nobil. *Cnæfelio Anthiatro*. Nonnemo Agyrtarum conſortio adſcribendus diuinis laudibus extollit folia buxi, in puluerem redacta, & in hoc morbo præſcripta', cui idem accidit, quod apud Horatium de arte Poetica, Scriptori Cyclico, qui *fortunam Priami cantabo, & nobile bellum* clamitabat, cui rectè Poeta accinebat,

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu,
Parturient montes naſcetur ridiculus mus.

Ex meliori luto verò Titan his præcordia finxit, qui in principio paroxyſmi propinant liquorem ſalinum volatilem camphoræ acutum, opiique eſſentia maritatum; opium enim cum camphora combinatum, & ſic vi vnita fortiùs redditum, ferocientes ſpiritus animales compeſcit, & ſedato paroxyſmo blandum ſomnũ, cum ſecura ſalutaris ſudoris eruptione inducit. Inter hæc ſalina volatilia, tanquàm Luna inter ignes minores nobis fulget ſuccinum, vel eius ſal volatile, vel liquor, vel oleum. Denique, vt olim ob Dominorum aſperitatem ſerui ad ſtatuam Principis confugiebant, ſic ſi in *cura* omnia, hæc fruſtra tentata fuerint ad ſtatuam hanc *Sancti* nempè *Anthonii*, h. e. ne medypo opus ſit, ad acidulas S. Anthonij vulgò *Doningſteinenſes*, & *Schwalbacenſes*, vtpote furorem Coſmetorgis ſedare, ſylueſtriaque ſalia ſæpiùs peccantia eijcere ſolitus, eſt confugiendum. Sanguis aſini, & aliorum plurium animlium, ſelis nempè, vel pulli nigri, & c. poſt aurem exſectus, &

ad guttas aliquot exhibitus, pluribus auxilium attulit. Alijextollunt cranium gallinæ nigræi,alij ossa capitis porciexhibent.

Nec intacta relinquenda infusio liquorum salinorum volatilium opio maritatorum, in venas ægrotorum, aut & musteum inuentum transfusio sanguinis hominis in venas hominum, quæ nunc, vt sic loquar iuris gentium esse cœpit, cum antea vix in Angelicis oris esset cognita, ita tamen vt sortem nouorum inventorũ communem experiretur, ac velut Herculesin cunis semper osores, & rosores haberet; quippe ob quorundam tela in publico vix apparere licuit, assimile sc. quod in nostris terris æger sanguinem hominis capite plexi recentem haurire, & hoc facto eà vsque cursum suscipere adsolet, vsque dum sudor erumpat:In obstructis mensibus prosunt omnia,quæ sanguini motum conciliant, ne tamen sint nimis subtilia, ne potiùs caput leuitate suà petant quàm vterum, sed grauia, quæ sanguinis motum deorsum sequuntur, & tamen deobstruunt.Hisce generalibus *internis* sunt adijcienda coronidis loco, & *generalia externa*. Prima, ferunt Spiritus salis armoniaci naribus applicandos,Balsamum rutæ succini, &c.

Optimum Euporiston est balsamum succini scrobiculo ventriculi, vel etiam vmbilico illinendum, oleo succini, & vertix capitis quidem inungi potest, sed cum hac cautela, & parsimonia, ne de patienti fabula narretur,quæ euenit ei, qui de maximo capitis dolore sæpiùs conquærebatur, & cranij inspectionem vltima dispositione Medico mandabat, cuius dura, & pia mater flauę maculæ magnitudine Imperialis notata, & substantia substrata cerebri quasi spacelata deprehensa. Tutiùs ergò cucuphæ ex cephalicis aromaticisque adhiberi possunt. Vmbilico etiam præter supradictum balsamum sequens applicetur linimentum.

℞. *Axung. caftor.* ℥ ii.
Sal. Saturni ℥ j.
ol. fuecini gr. iij. M.

Et è re erit spinam dorsalem fricare sua veolentibus oleis, aquis apoplecticis, spir. lil. conuall. formicar, C.C. &c. & aliquando sel canis iunioris ad guttas IV. vel V. exhibere, vt & cortalpæ exsiccatum.

Emplastra quoque varia ad auxilium vocari possunt, nempè Emplastrum de betonica, cephalicum, epilepticum, &c. suffimenta, & oleosa seu sulphurea, quæ balsamica sunt, & suaueolentia possunt applicari,item pulsibus adhibeatur emplastrum ex cera, & oleo hyperici, paratum.

Amuleta ex frutice sambuci in salice inuenti haud negligenda, sic & radix, & semen pœoniæ, quæ semina pœoniæ aliquis pro secreto habuit liquore aliquo in simo equino extracta, & propinata,quibus miracula præstitit. Vngula alcis, & id genus alia, iam in vulgi manibus versantur, & veterum opinionem fuisse,iam diximus. Illud verò recentiùs est famæ,radix videlicet ostrutij, vel Imperatoriæ de collo appensa. Lacerta adhuc viua collo pendula, miraculosè sistit motus epilepticos, quod proprià nostrà scribimus experientià, vt & hirundines discissi vertici capitis applicati. Denique remediorum agmen claudat notissima transplantatio in bestias,& quidem in caniculam,qua de memorabilia tradunt Collegij nostri *Aßeclę celeberrimi,in Ephe. merid. German. Ann.* VI. *&* VII. *obs.* II. Nobis hic terminalia sunto.

CAPVT X.

De Affectibus Capitis.

DE APOPLEXIA.

§. I. Apoplexiæ, bona cum venia Lectoris, pauciſſimis tamen, Synonyma præmittam. Vocatur autem vel *Sideratio*, vel *morbus attonitus*, vel *resolutio*, neruorum, vel *paralysis vniuersalis*, Paracelso verò *Gutta*, Germanicè *der Echsag Tropff*, *Gottes Hand*. Describitur verò illa, ex calculo communi, quod sit repentina actionum animalium omnium, sensus sc. & motus, cum facultatum principum læsione; abolitio ab influxu spirituum animalium prohibito dependens: quoniam ęgri quasi fulmine icti pro-

prosternuntur, nullo rationis vestigio remanente, quamuis vt plurimum sensuum hebetudo præcedat, & non rarò debilitato cerebro ipsi stupidioris euadant iudicii. Hic affectus nomen habet inditum à præcipuo symptomate, quod hoc in malo accidit. Attonitus enim vocatur, eò quòd vnà cum corpore etiam mens stupeat. Inde concludi potest, periculosissimum esse malum, à quo perpauci liberantur, aut etiam si superuiuant, in paralyticos tamen frequenter transeunt. Apoplexiam cum epilepsia habere affinitatem maximam, & cum illa in multis conuenire, nemo inficiabitur; tantùm in hoc differunt, quod sit illa magis lethalis, quam hæc. Idem quoque affinitatis vinculum est intra apoplexiam, & suffocationem vterinam, catharrhum suffocatiuum lethargumque.

DIFFERENTIÆ.

Differt tamen illa ab his, quòd in apoplexia motus sit planè abolitus vel partes immotæ perstent, quod tamen in reliquis non in tanto gradu deprehenditur, citiùs etiam definit, & minus post se damnum relinquit. Apoplexia duplex statuitur, nempe pituitosa, & sanguinea, quatenus oritur à pituita, vel à sanguine extrauasato, vel stagnante.

PARS AFFECTA.

§. 2. Pars affecta veteribus est cerebrum, Arx illa Palladis, in qua præter sensibiles, & motrices, animæ functiones, etiam principes animæ facultates (sic ad mentem illorum loquimur) peraguntur, & Veteres specialiùs quidem in ipsius cerebri ventriculis, reteque mirabili impedimentum hoc esse potiùs, quàm in cerebri substantia contendunt, eà ratione ducti, quod subitaneus, & inopinus fiat apoplexiæ exortus. *Modernorum* quidam partem affectam, neruos cum spiritibus animalibus esse existimant, alij *totum cerebrum*. *Helmontius* asperrimus iste *scholarum Medicarum* censor, tractatu suo de *Sede animæ* 1. 10. 12. præcordia, & sinistrum in corde ventriculum statuit: *Paracelsus* cerebrum, pulmones, & meatus aereos, pro subiecto huius morbi agnoscit, à quo tamen aliquantum diuersus est, sequax eius Celebris. *Quercetanus*, cor accusans. *Villisius corpus callosum* in cerebello apoplexiæ sedem esse putat, subiectumque esse spiritus animales, nempe corpus callosum incolentes. *Cartesiani* poros cerebri hìc esse malè efformatos, & obstructos, vel à pituita à sanguine arterias nimium distendentibus vel comprimentibus, rationibus probant. Experientissimus *Vepferus* non ventriculos maiores, sed medullosam cerebri, & cerebelli substantiam accusat. Alij ipsam massam sanguineam, pro subiecto agnoscunt. Sed tædio esset singulorum opiniones, & rationum momenta, de hac quæstione examinare, indeque his omissis, *nos pro subiecto agnoscimus totum cerebrum, quoad substantiam suam porosam*, præsertim tamen in medulla cerebri oblongata, tanquam subiecto principali collocare affectũ, nulli dubitamus, persuasi enim sumus *Microcosmetorem* ab externo hoste fugatũ, in exiliũ se conferre statuisse, sed sibi viã interruptã, & obstructam, collapsà, nempè medulla oblongatà inuenisse; vnde non potest non fieri, quin ab hoste planè interimatur, cum tota cohorte militum de quo plenìus, cùm de causa, ex nostro calculo acturi sumus.

DIAGNOSIS.

§. 3. Ad signa eundum, quibus se hic morbus prodit. Capitis dolor subitò aduenies, ingenij stupiditas, vertigo, torpor, somnolentia, extremarum partium, totiusque corporis frigus, caligo oculorum, stridor dentium in somno, muci, & saliuæ abundantia, &c. apoplexiam sæpè præcedunt. Est tamen Apoplexia, sed validissima quę subitò inuadit, his prodromis non præmissis. Signa verò iam præsentis affectus, statim se manifestant, homines enim eà correpti sensu ac motu priuantur, & quasi mortui iacent, stertunt, & difficulter spirant. Subitus quoque fit in terram lapsus cum sæpissimo clamore, mox oritur tanta respirationis difficultas, vt sensum quasi effugiat, iacet vt suffocatus æger, pectore ita se habente, ac si vinculo ligatũ attolli prohibeatur. Subitò animales actiones vul-

vulgò ita dictæ, è medio tolluntur, sitque sensus ac motus, imò mentis subita priuatio sola respiratione, difficili tamen, remanente Respiratio quidem supereſt, & non planè aboletur, quia nerui, per quos sæpè fluunt spiritus, sunt patentiores, ac proinde minus apti, vt obstruantur. Nerui autem respiratorij valdè patent, & vix ita obstruuntur, quin aliqui pori adhuc aperti maneant. Spuma quibusdam ex ore fluit, alijs vel humida in os iniecta per nares reijciuntur. Vrina vt plurimum est crassa, modica, palearis ac veluti æruginosa, hypostasin farinæ similem habens. Pulsus quandoque est inæqualis, intermittens, magnus, & languidus, quamuis nonnunquam, & celer. Dormientium instar eorum oculi occluduntur, reipsa tamen non dormiunt sed tamen torpidi ac stupidi iacent, vt trunci, quamuis apertis oculis adstantes intueri videantur, non vident tamen nec audiunt, nec sentiunt, quamuis vsti, aut puncti sunt, ita vt nec vllum cognitionis, aut intellectus signum occurrat; membra vt resoluta languent, & ab astantibus eleuata, & erecta mox prout in cadauere concidunt. Ore hiante, & cum stertore graviori, in affectu hoc respirant, & vt breuis sim, patiens mortuo est os humerosque similis, ex solo respirationis actu in viuis adhuc esse eum inquirendum, in quod ita fit, si aqua in patina pectori super imponatur. Vnde Veteres motum pectoris, & per consequens vitam superstitem explorarunt; per quas tamen ambages hodie non itur, cùm alia compendia presto sint; non enim solum lanâ molliter carptâ, aut speculo terso, vel pluma, sed, & candelâ cereâ ardente, si hæc ori admoueantur, deprehendi halitus potest, si enim viuat æger, contingit in vltimo casu, flammam nonnihil moueri, in altero speculum caligine obduci, & in primo lanam aut plumam diffiari. Vita superstes præter hæc, & aliquando pulso dignoscitur, pulsus enim, & respiratio, nec non ventriculi, & intestinorum motus quodammodo permanent, quamuis imperfectè. Cum autem spiritus omninò intermittitur, aut cum eos spirare vix ac ne vix quidem percipi potest, illos magnos morbo, & graui sortique apoplexia correptos dicimus; qui autem halitum ducunt lenius, etiamsi inæqualiter inordinateque id fiat, melioris tamen spei ægri sunt, quod vt plurimum in mitiori morbo, in quo, & aliquando sensus adest, subinde etiam motus, sed vel planè ita stupidus, vt paralysis vnius vel alterius partis, vel vt sensus fornicationis, vt nostri loquuntur, plerumque relinquatur. Sæpè loquela deficit, & lingua quasi rigorem percipit, quia defectu spirituum animalium, ad eas partes non fluentium, non potest, non fieri, quin motus, & sensus cessent, de quo plenius alibi.

§. 4. Hactenus signa explicauimus, iam proximè causarum examini litabimus. Aliorum imprimis verò statuta propinemus. *Schola Galenica* autumat, causam immediatam esse influxum spirituum animalium per neruos prohibitum, per humores aut vapores condensatos, pituitam inprimis lentam, crassam, frigidamque, ab ea enim contingere cerebri ventriculorum principij neruorum, arteriarum retisque mirabilis obstructionem, quippe per hæc, vt dicunt; ex ordine naturæ spiritus ex corde in cerebri ventriculos influunt. Quod si itaque hæc suprædicta vasa impleta obstructaque sint, inde necessariò spiritus ipsi, ac facultates animales etiam impediuntur. ne in sensuum motuumque organa diffundantur, vnde, & causam indigitant, cur sensu motuque priuetur homo. Inter causas remotas referunt cruditates, crebrasque ebrietates, vigilias immensas, aerem frigidum, victum nimis refrigerantem, nec excludunt *Venerem* nimiam, quæ omnia, vt dicunt, obstructionem prædictorum meatuum, & dissipationem spirituum inferre valent. Sic, & casum capitisque ictum humorum fluxum promouere ad ipsum cerebrum, aeriter contendunt; qui si principaliores cerebri ventriculos impleant, apoplexiam excitant. Concidunt

dunt ex eorum sententia nonnulli apoplectiorum ex obstructione leui, quæ fit subinde à vaporibus crassis, aut ab humoribus paucis cerebri ventriculis impactis.

Nec possum nata hic occasione mihi temperare, quin reprehendam *Galenum*, Hippocratis discipulum infidelem, sæpè in suam mentem verba magistri obtorto quasi collo detorquentem, & trahentem, interdum aperto bello aggredientem, quod elucet hoc in casu, aliisque plurimis, vbi hanc motus impotentiam ad obstructionem ventriculorum cerebri refert, quod potius Hippocrates ad stationem sanguinis, in vniuersis arterijs, vult referendum. *Per frigerationes enim* inquit, *ex stratione, & vertiginis, & vocis interceptio, huic morbo Comitiales fiunt, & semisyderati,* & alibi, *dum autem sanguis, non mouetur, fieri non potest, vt non etiam corpus quiescat ac torpeat*. Plura memorabimus, cum inferius de causa huius affectus ex nostris consiliis tractaturi sumus.

§. 6. Interim ordo nos sollicitat, vt in Hermeticum campum exspatiemur, in quo, & magna nobis sese offert opinionum varietas.

Paracelsici Pathologistæ mox à *Mercurio sublimato cacochymiali* causam deducunt, mox à *resoluto coagulato*, mox guttam aiunt ex disciplina magistri generari, *ex veneno Martiali*, mox *ex defectu Synoviæ*, vnde putant, quod hic affectus, nil sit nisi separatio, & defectus *Synoviæ*, in parte. Defectus enim *Synoviæ*, vt addunt, facit insensibilitatem, & priuationem motus; quando enim *Synouia* separatur, & deserit membrum, sic fabulantur, tunc oritur *gutta*. *Synouiam* verò variè, & intricatè explicant, ita vt quis sine œdipo non intelligat, quid velit *Paracelsus*, dum ridiculè ratiocinatur, *Tractat. de gutta* cons. & l. 7. param. c. 1. §. 4. à gutta cerebrum vnà cum corde, & pulmonibus, vnam in massam instar ceræ, illæsis quidem partibus reliquis, æquè liquefieri, ac à fulmine gladius, illæsa solet vagina; quæ quoniam ita obscura sunt, & minus cohærentia, & quod peius est, obscurum per obscurius explicant, proinde ne aquã perdamus non diutius in Ægypticis hisce tenebris morabimus, sed ad lucidiorem *Gosen* transibimur. Alii ex tribu Hermeticorum aliam crepant causam, quorũ nonnulli sunt, quibus ex meliori luto finxit præcordia Æsculapius, qui accusant sal, & sulphur narcotica, spiritus animales figentia; & quis hic omnes causas recenseat? eo tamen omnes ferè collimant, *acidum* sua coagulatione has excitare turbas.

§. 7. Asperrimus iste scholarum medicarum censor I. B. *van Helmont*, miros hostes sibi fingit, *Venenum* nempè *anodynum*, *& ens potestatiuum* nominans, istiusque fiendi modum, *Tractat. de morb.* §. 9. explicans; est ergo ipsi in apoplexia virtus quædam tollens sensum ac motum. *Tachenius*, Helmontii sequax, ex coagulante acido aut Gas sylvestri, extrinsecus per aerem hausto, spiritus figente, sanguinisque motum ac fermentationem inhibente, causam remotam hujus affectus deducit.

§. 8. *Sylvius* causam proximam functionum animalium, sc. omnium, ablationem à spirituum animalium vel defectu vel conturbatione dependere existimat, immobiles verò, & torpidos reddi posse spiritus animales contendit, putans spiritus hos deficere, vel ob angustiam aut obstructionem neruorum quorumuis, vel ob compressionem, sive à pituita, sive acido ortam, vel ob eorum dissectionem; & spiritus quoque animales ex sanguinis culpa, non benè separari, indeque causam hui us morbi fluere ait, si scil: sanguis ineptus, coagulatus, vel narcotico spiritu repletus sit; transitum quoque spirituum prorsus intercludi posse, haud dubitat, ob arterias ruptas, à quacunque causa, vel si angustetur p.n. spinalis medulla, & id genus plura, quæ non placet hic omnia verbotenus referre.

§. 9. Verùm nunc mechanicum conceptum exoptamus. Sicut enim nulla humanum intellectum in physica cognitione præsentia manet labes, quam quæ mentem in abstractionum barathrum præcipitat,

tat, sic nullum salutiferum magis eidem subsidium est, quàm quod res mechanicè ponit ob oculos, quod quoque annititur *Cartesius*, cuius sua viludia subtilis mentis velis contractis in apricũ proferamus, longasque eius ambages, si possibile sit, mittamus, qui explicat omnia phœnomena hoc in affectu occurrentia, per pororum cerebri malam conformationem, supponit quoque inter generalia materiam quandam subtilem, quam & ætheream vocat, quæ omnia interualla, & poros quoscumvis replet, sine qua vix phœnomena huius affectus explicari posse contendit. Subtiliores enim partes sanguinis ex poris arteriarum intrant ventriculos cerebri, & spiritus animales constituunt, qui in ventriculis & aliis cerebri poris subsistere coguntur, vsque dum in mente determinentur. *Cartesiani* ergò credunt hoc in morbo adesse nimiam pororum cerebri & plexus Choroidei apertionem, & dilatationem, ob quam facilè oritur obstructio plenissima cerebri & principii neruorum ab affluente humore peregrino, quà factà denegatur spirituum animalium influxus, quo inhibito, membra omnia flaccida & mortuis similia redduntur, non aliter ac vela à vento haud extensa & inflata flaccida concidunt. Quod verò respiratio aliquo modo permaneat, hoc fieri dicunt propter maiores ordinariò tubulos ad septum transuersum pertingentes, vnde spiritibus paucis adhuc restantibus facilior patet aditus ad cor præcipuũ musculorum. Remotè accusant vel sanguinem, vel lympham crassam, quatenus hæc in magna copia extrauasata in cerebro facilè poros ac superficiem, imprimis verò principium neruorum, obstruere possunt, à qua obstructione spirituum animalium influxus planè tollitur, & abolitio motus & sensus necessariò subsequi debet. Sic quòque à causa externa, vulnere, ictu, alapa inflicta, contusione, ob prædictas rationes, apoplexiam ortam dicunt.

§. 10. Nunc & nostra myrotheca explicemus. Stupendo in hoc affectu *Microcosmetorem* ab ingruente hoste planè è solio suo turbatum & a militibus suis derelictum, atque quò se vertere debeat nescium esse, contendimus. Quod si enim Rex noster militibus sit priuatus non potest aliter esse, quàm supremum habeat diem. Omnis enim commeatus intercipitur, quia omnes nerui ferè sunt obstructi, spiritusq; tunc in illos non influunt. Contractis ergò velis examinemus hostem, quibus armis sanè atrocibus accedat, vt tam citò è medio tollat nostrum *Principem* in tam munita arce residentem. *Primò* incedit inprimis gladiatus, hastatus, alijsque ferreis cuspidibus, & armis instructus, puta acido, cuius particulæ modò gladiolis, modò nouaculis, modò lanceolis, modò acui, & spiculis assimilantur, & inopino fulminis more ingruit, vt statim exercitui commeatum corrumpat, hoc est acidum illud, ne Oedipo opus sit, spiritus ita necat dum sanguinem sistit, & coagulat, ex quo intercepto sanguinis motu ad cerebrum, & subsequente impedito spirituum animalium motu, petenda est origo huius morbi. Et confirmat nos in ea opinione, quod dum nonnullos apoplexiæ violentia ad cœlestia raptos aperuimus, in his sanguinem omninò in vasis coagulatum, imò in ipsis præcordiis polypos, & inprimis in cerebro sanguinis concretiones, & euasationes reperimus, vnde plures, ne dicam omnes nostrùm, apoplexia defunctos sanguinem in vasis coagulatum, vel effusum in cerebro habere dicunt, quod, & Celeberrimorum Anatomicotum *Wepferus*, & *Fracaßatus* confirmant, qui vasa pulmonum in ex impedito sanguinis motu, & subsecuta per acidi acrimoniam euasatione, disrupta obseruant, quod, & vidimus in Ciue nostrate K. qui ob nimiam obesitatem, & pinguedinem partium, sanguinem haud accipere valentem, paralysi, dein apoplexia extinctus est. Quam ergò periculosissima secum afferat incommoda nimia corporis humani corpulentia, & obesitas, hic vir nobis erit exemplum, qui semper respiratione difficili vexabatur. Hinc teste *Hippocrate*, haud ad longinquos perueniunt annos, aut bre-

breuioris vt plurimum sunt vitæ obesi. Certissimum enim est, qui natura valdè sunt crassi, celeriùs moriuntur, quàm graciles, expositi quippè sæpiùs sunt, alia vt taceam mala plurima, paralysi, aut subitò suffocantur, vel apoplexià tandem extinguuntur, id quod vel bina, illa à *Timæo l.6.c.*2 obseruata exempla, satis confirmant, atque hinc (vt ad rhombum redeamus.) V.S. in quacumque ætate quasi extremum nobis refugium & asylum est, quod & *Celsus Magnus* fatetur aiens, V. S. in apoplexia vel iuuat, vel necat. *Secundò*, hostis aliquando per inundationem Regem nostrum obruit necatque, videlicet per viscidum scil. vel crudiorem Chylum, non ritè sanguini assimilatum, vel per serum, vel pituitam hoc est serum coaglutum, si hæc restagnent. Talem apoplecticam vidit *Platerus*, cuius cerebri substantia lactis cremoris instar dissoluta erat, & per faciem defluxit. Atque ex hoc principio apoplexia diuiditur in *sanguineam & pituitosam*, quo biuio neglecto toto cœlo in terra aberrabit Medicus. Nihil quoque tertiò est quo citiùs regem nostrum è solio suo dijciat hostis, & interimat, quàm si ignita tela, & machinas igniuomas spargat in cerebrum, sulphur nempe fœtidum narcoticumque, quod Chymicis *Gas sylueſtre* audit, quod, & extrinsecus per aerem hauritur, atque spiritus animales, ceu dictum, figit, & sanguinis motum, ac fermentationem inhibet, & sic Regem commeatu suo priuat, quo destitutus Rex cum militibus ex tempore internecioni datur. Possent hic plurima in huius nostræ opinionis stabilimentum transferri, quæ iam breuitatis studio sicco pede transimus, hoc tamen monentes, quod ab ictu, compressione principij neruorũ, à quacumque causa orta, absc issione tuborum magnorum, terrore alijsque causis similibus, apoplexia oriri possit.

PROGNOSIS.

§. 11. Hactenus affectus nostris causas enodauimus, restat nunc vt, & in prognosticis signis explicandis tempus collocemus. Porgnoseos enim beneficio Medicus se, & artem à petulantia vulgi calumnijs vindicare potest. Inprimis notandum, quòd senes, maximè huic obnoxij morbo sint, vt & illi qui frequenter graui obruuntur sopore, cum capitis grauitate, languore insolito, oculisq; turgentibus, quibus, quoque frequentes tenebrę oculis offunduntur & qui angustam habent ceruicem.

Affectus autem, vt & periculi magnitudinem commodissimè metiemur ex anhelitus magnitudine. In grauissima enim apoplexia, obliteratur ipsa respiratio, adeò vt vix percipi queat, aut cum stertore, prout in moribundis obseruare licet. Respiratio enim inter omnes animales fũctiones maximè necessaria reputatur, vita equidem aufertur, vbi illa penitus ablata fuerit. Apoplexiæ ergò, præsertim fortissimæ, ne curam felicem temerario ausu iactet Medicus, nec etiam desperet statim, sed interim ægrum haud planè negligat, omniaque tentet, quæ hostem irruentem arcere, & iam in ipsa penetralia prolapsum repellere valent, vt ita Regi nostro, & militibus suis, spiritibus nempè animalibus, liberum reddatur regnum. Mitior, & minoris gradus apoplexia curari potest, tales enim, & nos, & plures alij curarunt. Præter hæc *aurea* nobis sunt hæc sequentia venerandi nostri Senis effata; in hac tractatus parte; *Soluere apoplexiam vehementem impossibile quidem, leuem verò non facile. Quibus cerebrum sideratum est, intra tres dies intereunt: si verò has superauerint, sani fiunt.* Et alibi, *Apoplexia repentè oborta solubilis, aduenientè lenta febre, mortifera est.* In apoplexia forti, quæ animalitate omni collapsa continuò stertorem agit, nulla vitę salus sperabilis esse potest. Inter signa & hoc est, quòd si in apoplecticis, à spiritus angustia sudor prorumpat, id mortem subesse ostendat, contra si ijsdem febris vehementior, non lenta de qua ante, exoriatur, membrum exsoluat.

Sideratis si hæmorrhoides accidant, bonæ spei est, si verò frigiditates, & torpores, malum. Iuxta Auicennam, omnis fluxus sanguinis è naribus, etiã ab aure, in

mor-

morbis capitis, est curatiuus, & proficuus. Respirationem cum vehementia, in forti simul apoplexia, cum inæquali, & intermittente pulsu, præsentissimum periculum præsagire, docet *Hippocrates*, firmat experientia, dictitat ratio, quia in tali casu hostis intimiùs, & profundiùs, in ipsa sc. penetralia, & arcem regis, ingressus est, indeque difficiliùs eiici potest.

Apoplexia aliquando est recidiua, & per periodos hominem inuadit, cuius causa hæc est, quòd vasa semel aperta non facilè iterùm occludantur, proinde causæ sunt, cur aliquando humor iterum extrauasetur.

Respiratio stertorea, & stentoria sæpiùs est lethalis, non semper tamen, quippe in ciue nostrate, antehac per totum diem stertore, & respiratione difficili laborante, contrarium deprehensum, qui affectus quamuis transierit in paralysin vnius lateris, æger tamen restitutus fuit, ita tamen vt vix mensē post, vno in momento noctu, ab eadem apoplexia, vt fit, enecaretur. Quamuis perpauci ab hoc morbo liberantur, ij tamen qui periculum mortis effugiunt, in diuturnum plerumque morbum incidunt, paralysin nimirum vnius, vel alterius lateris, subinde etiam totius corporis. Sæpè memoriæ tantam iacturam faciunt, vt nec minimorum recordari valeant, & verè repueraſcunt. Apoplexia sæpiùs per saliuationem soluitur, ceu fœminam vidimus apoplecticam, quæ per annum, & vltra singulis diebus, plus quàm dimidiæ libræ humiditatis, more infantum dentientium emittebat, qua cessante statim diem obijt ipsa.

Dum hieme perfrigidi venti spirant, densæque nebulæ cœlum obsident, hic morbus potissimum insultare homines solet, dissectis, & disruptis arterijs carotidibus, aut ceruicalibus, de qua causa exorta apoplexia incurabilis est. Eadem ratio est, si spinalis medulla abscissa fuerit; sternutamentis fortiter prouocantibus adhibitis; si æger non sternutet, neque impressionem sentiat, vulgò pro mortali habetur signo.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Fuere hactenus signa prognostica. Nunc ad id quod vltimum est in discursu, sed primum in vtilitate, vertimur ad curā, & primum quidem ad *Diæteticam*, quæ consistit *in* vi. *rebus non naturalibus*.

(1) *Aer* ergo sit calidus, & purus: vitetur pluuiosus, nebulosus, frigidus, &c.

(2.) *Cibus* sit calidus, paucus, concoctu facilis, & qui facilè distribuitur, vt sunt pulli, gallinæ, capi, & id genus alia, inprimis iuscula carnium. Omnibus cibis indenda sunt aromatica, vt timus, rosmarinus, maiorana, saluia, hyssopus, grana paradisi, macis, &c.

Potus sit secundùm Veteres aqua mulsa, vel meliùs iuxta Modernos, vinum Mosellanum, vel Neccarinum, & in nostris oris vinum Michelbacense, quibus radix Chinę est iniecta, & acidulis dilutum, vel aliud decoctum ex Cephalicis. Abstineat verò æger à vino puro, & forti, inprimis à spiritu vini, aliisque opiatis sulphure narcotico præditis; nam qui talis vini floribus nimioperè asperguntur, ex aciditatis grato gustu apoplexię pœnas luunt.

(3.) Exercitij loco *frictiones* fiant validiores partium extremarum, cucurbitulæ humeris affigantur, vrticationes instituantur; ægri, vel commodo pensili lecto gestentur quoque, aut curriculo vehantur.

(4.) *Somnus*, *& vigiliæ*, mediocritatis leges haud transiliant.

(5.) *Alvus* interea lubrica laxaque seruetur, vt hostis Regi nostro bellum gerens euertatur.

(6.) *Æger*, ratione animi affectuum, se vt virum præstet, à grauioribus, ira nempe, mœrore vel metu, terrore, aliisque, liber sit, indeque ad hunc morbum proclines omnem ictum capitis, vel cespitationem etiam leuiorem caueant summoperè.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Perspectā superficietenus *Cura Diætetica*, nunc pergamus ad *Pharmæceuticam*, & quidem ad mentem veterum Galenicorum, qui culpant vel humores, vel vapores nimios, quos ergo euacuare annitun-

tuntur frequentibus *vacuantibus*; vt sunt Electuarium Indum *maius* Trochisci de agarico, pilulæ fœtidæ, Cochiæ, de fumo terræ Arabicæ, de Lapide Lazuli, Hiera picra, Logadij: Vomitoria quoque in morbi progressu magis quàm in principio præposterè suadent, & quasi equum per caudam frenant, clysteribus vtuntur quacumque occasione acribus. Si paulatim ad se redeat æger, & loqui incipiat viresque recolligat, prædictis vtuntur purgantibus, à mitioribus tamen puta clysteribus auspicantes.

Præparantia autem medicamenta vix præscribunt, ea ratione ducti, quia morbus hic magnus non dat inducias, versus tamen declinationem illa propinant. Venæsectionem instituunt in corpore plethorico, ita vt non vna vice, sed sensim educant sanguinem, repetendo hanc, si prima vice non satis eductum fuerit. *Auertentia* ipsorum sunt *clysteres* iam dicti, ex betonica, saluia, hyssopo, maiorana, ruta, centaur. min. pulegio, foliis lauri, sem. fœnic. anisi, colocynth. hier. picr. polypodio, senna, addito sale, oleo rutaceo, laurino, &c. parati. *Suppositoria* ex melle, cum, & sine speciebus hieræ picræ incensum hunc quoque referunt; perinde sicut & frictiones duras cum linteo asperiori instituras, concussiones validas circa collum, vbi arteriarum, venarumque congeries est, pillorum *Vellicationes*, tum barbæ, tum pubis, cucurbitulas lumbis, scapulis, venis ingularibus inferioribusque partibus applicatas, & cum scarificatione, *Sanguisugas* dictis locis, nec non hæmorrhoidibus affixas: *Errhina*, & gargarismata varia, quorum formulas videre licet apud multos Practicos, tædet enim recta recensere. *Sternutatoria* ex Castoreo, pipere, pyrethro, euphorbio, (quod potentissimè potissimū sternutationem mouere dicitur, nec non per nares cerebrum purgat) huc quoque pertinent; Item *apophlegmatismus* ex ijsdem conciliatus, *sinapismus* ex sinapi, ficubus decoctis in aqua ad formam emplastri. Hæc fuere *Auertentia*, nunc, & *Excitantia* recensebimus.

Excitantia vim cerebri, vti aiunt, sopitam, sunt odoramenta ex galbano, castoreo, opopanace, vnguenta ex dictis parata, sartago candens capiti remotiùs applicata. Prius autem capilli abradantur, humores enim crassos pituitososque facili modo sic attenuari autumant, perinde scil. (fabulas enim fabulis illustrare quid vetat) vt sol alas ceratas Dædali liquefecerit. *Sinapi* comminutum, saleque permixtum, & in aqua vitæ maceratum, ori injiciunt, naribusque illinunt.

Agmen claudunt *Corroborantia*, quæ ipsi sunt tanquam specifica, vt sunt Aurea Alexandrina, Anacardina, Mithridaticum, Diamuscum dulce, Diacorum, Diambra, acorus conditus, conserua betonicæ, maioranæ, acori, saluiæ &c.

Aquam vitæ, in qua prædictorum nonnulla macerata fuerint, & N. M. & Castoreum (quod magnarum esse virium in hoc affectu aiunt) item radix acori, saluiæ, nō contemnendi vsus esse contendunt. Irrigatio, lotioque capitis rasi, per oleum aut aquam, in qua decocta fuerint flores floechados, folia origani, lauri, rorismarini, saluiæ, chamomillæ, melilot. pulegij, saturei. N. M. & ruta, &c. conueniunt.

Emplastrum vesicatorium rubificans ex oleo euphorbij, castoreo, sinapi, & sagapeno, concinnatum commendant, vt & vnguentum, cum oleo castorei, aqua vitæ, & ol. lil. irino, nardino, rutæ, spicæ, N. M. maximi pendunt; Balneum quod tantum conuenire post tres septimanas, aiunt, & tunc temporis illud suadent.

§. 14. Sequitur hos Paracelsus duplicem propinans *curam internam, & externam*. Internam fieri ait per *corroborationem*, ex essentia confortatiuorum mineralium, h. e ex summis, & maximis confortatiuis, quę, nempè nebulas, & nubes è cœlo Microcosmi dispellunt, solemque reducunt, qui spiritus, & elementa omnia illustrat, puriora clarioraque redit. In hunc scopum, magnificat margaritas, lapides, aurum gemmas, corallium, smaragdum, hyacin-

cinthum, &c. Omnibus verò præfert *Mercurium solis* contra *Guttam*, eiusque species. Externam autem curam perfici statuit balsamis, quæ recreando, & quod gutta abstulit reparando, vim suam exerunt.

§. 15. Sed missa illa faciamus, & ad *Helmonty* castra tanquam exploratores accedamus. Hic verò omnibus alijs præfert vomitoria, præsertim si ens ipsius potestatiuum, in stomacho præsens, animam quatiat. Vomitus ergò, inquit, ex vitriolo albo, sub eius initia excitatus soluit recentem apoplexiam. Dein omnem faciunt paginam salia volatilia aromatum stomachicorum, & cephalicorum, vt cinamomi lauendulæ, maioranæ, &c.

§. 16. *Willisii* Methodus therapeutica est, vel *curatoria*, vel *præseruatoria*. In paroxysmo ergò aliàs robustus æger extra lectum detinendus est, imbecillis verò lecto committendus, capite nonnihil erecto, dein statim sanguis mittatur, postmodum injciatur clyster acris, in quo dissoluantur species hieræ diacolocynth. ad infusio croci metallorum, Vesicatorium amplum nuchæ, aliaque cruribus, & cataplasmata attrahentia pedibus apponantur. Tempora, & nares oleis, aut balsamis apoplecticis, & aromaticis illinantur ac fiant omnium membrorum frictiones dolorificæ. Omnia quoque quæ spiritus animales sopitos excitare possunt, adhibeantur intus, vt sunt omnia salia volatilia, vt sal C. C. succini sanguinis humani, spir. C. C. fuliginis, & similia cum iulapio cephalico subinde propinentur. Post hæc vomitorium ex sale vitrioli aut infusione croci metallorum exhibeatur ægro. Vomitione peractà ad confortantia author prælaudatus confugit, vt sunt elixir vitæ Quercetani, spiritus lauendulę, theriaca, camphora, tinctura succini, coralliorum cum aqua apoplectica in dosi conuenienti exhibita. Cucurbitulas homoplatis, & ceruici applicandas, atque spiritum salis armoniaci, aut suffitum ex galbano in aceto acerrimo cocto, naribus admouendum, nec negligenda esse, aiens, errhina, apophlegmatismos, catharsinque ex pilulis Rhodij, &c. Hisce inuito Æsculapio adhibitis, ad ferrum candens capitis vertici erasò dissilito applicandum confugit. Frons, & sinciput foueantur aceto bezoartico, hirudines temporibus, & post aures ad sugendum applicentur.

Præseruatoria methodus ipsi authori est sequens. Vere & autumno, singulis subtilis catharsis, & phlebotomia instituenda est, medicamenta verò pro re nata alterantia cephalica interponenda suadet, quæ inter recensent spiritum salis armoniaci succinatum, aut coralliatum, aut castoreo, aut cranio humano impręgnatum, aut Elixir pœoniæ, & tincturam succini in aquis, vel lauendulæ, vel rorismarini, vel cerasorum nigrorum propinata. Sic quoque haustum decocti Theè vel Coffeè, tempore matutino assumendum iubet, & frequens ipsius consilium est, exhibere eiusmodi potus. Non placet hic omnia exscribere, cùm dumtaxat præcipua habeamus, quibus, & nos feliciter vsi sumus.

Sylvius, ratione Vomitoriorum ab reliquis dissentiens, nec vomitoria exhiberi vult, inquiens, cum absque concurrente diaphragmatis abdominis præsertim musculorum motu animali, in apoplexia obolito, Vomitus fieri nequeat, nec proinde præter inanem vomendi conatum, & fortè incommodum inde consecuturum, à vomitorijs aliquid expectari queat, excepto solo casu, si morbus à narcosi, aut vini nimia ingurgitatione ortum habeat, in quo vomitorium admittit. Ad sanguinem verò alio trahendum optimè venæsectionem institui putat, vel in pede, vel in brachio, & quidem ad quantitatem satis notabilem. Si verò sanguis in cerebro hæreat, & iam eò effusus sit, blandè ad palatum, & nares alliciendum esse per apophlegmatizantia monet. Spiritus verò animales oppressos spirituosis resocillandos autumat, si præsertim apoplexia à pituitoso humore, ortum suum habeat. In quo casu, & adhiberi vult errhina, sternutatoria, quæ optimè parari

dicit

dicit ex maiorana, ruta, florib. lil. conuall. nigella, cyclamine, cucumere agresti, gentiana, nicotiana, cubebis, sinapi, &c.

Purgantia acria hoc in morbo, qualia sunt euphorbium, & scammonium, cum maxima cautela commendat author, magnificiens setacea, cucurbitulas scarificatas, veficatoria pone aures, venæsectionem institutam, addità hac ratione, ne ignis in corde suffocetur, vnde aliàs mors apoplecticorum necessariò sequitur; in senibus verò loco huius venæsectionis scarificationes cruentas, institui posse, author contendit.

Nauci facit prælaudatus Celeberrimus *Syluius* pilorum vellicationes digitorum comprehensiones, corporis concussiones, frictiones, ligaturasque. Omnia è contra aromatica conuenire dicit. Sed tædet aliorum statuminibus diutiùs inhærere, ad clariores ergò conceptus mœchanicè expressos accedamus.

§. 17. Ad *Cartesianos*, scil. *Pathologistas*, qui suffulti principiis suis Mechanicis omni ope annituntur, vt peccans obstructio tubulorum, & totius cerebri tollatur, & materia vitiosa è tubulis excutiatur; in hunc finem venæsectionem in apoplexia sanguinea liberaliorem, in pituitosa verò parciorem instituunt. Frictiones cum pannis calidis, aliisque spirituosis instituendas suadent; his enim spiritus animales excitari, & sic quoque materiam in tubulis hærentem faciliùs è tubulis excuti posse, haud dubitant. Naribus graueolentia, oculis luminosa, ori meteorisantia (salia volatilia) offerenda, infundendaque volunt. Clysteres lenientes ab initio dein paulò post acriores iniiciendos esse, rationibus deducunt.

Emeticum, vel fortius Catharticum circa principium morbi non planè negligũt, saliuationem cum Mercurio institutam contemnentes, ex hac ratione, quia periculum est, ne materia peccans copiosiùs in cerebrum deferatur.

Quod si his excitetur æger, succurrendum ipsi erit porrò obstruentibus, & confortantibus, *specifico sc. cephalico*, succinatis, vrinosis, non neglectis externis spirituosis, quæ multum materiæ cœlestis capiti inferunt.

§. 18. Sic ex aliorum Consilijs sacra huius morbi vis frangenda. Nunc, & nostrum consilium dilucidarià experientià comprobatum propinemus, & proponamus. Hostis ergò quicunque, & vbicunque se vallauerit, expugnandus est vomitorio; vomitoria enim experientia teste, quicquid reclamet *Syluius*, diuinam afferunt opem. In hunc finem se commendant, Tartarus emeticus, oxysaccharum emeticum à D. *Ludouico* correctum, aquæ *Rulandi*, vitriolum album, &c.

Vel ℞. *Syr. emet.* ℥ vj. ℥
Aq. cinamom. ℥ j.
M. pro vna vice.

Quibus hostis sæpiùs optimè debellari potest, quia iuxta vetus prouerbium. *Durus nodus, durum requirit cuneum*, modò vires respiciantur. Vt enim alibi, sic & hic omnia ad decempedam virium dimetienda sunt; aliàs enim iuxta illud tritum, errorem tuum medicum terra operiet, annotante hoc nobiscum, *Platero* lib. 1. p. m. 39. quæ & non aliter exhibenda suadet *Hoferus in Herc. Med.*

Et si iam hastatus hostis massam sanguineam, ad Regem nostrum cum militibus suis trucidandum, inuaserit, ille eijciendus est per V. S. quam in omni apoplexia, & in omni ætate, & in summa quidem senectute, admittimus; timidis loco huius hirudines, vel cucurbitulas scarificatas concedimus.

Possunt, & clysteres adhiberi acriores? Ex. gr.

℞. *Herb. rutæ.*
roris marin.
origan.
fol. asari ana m. j.
flor. floecbad. Arab.
centaur. min.
lil. conuall. ana p. j. ℥
rad. aristoloch. rot. ℥ j.
imperator. ℥
pyret br. ana ℥ ß

sem. cardam. in petia ligat. ℥ ij.
Coq. in aq. comm.
in colatur. lib. j. dissolu. ℥
electr. hier. picr. c. agar. ℥ j
fell. tauri ℥ j
essent. saluiæ
roris marin. ana ℈ ij
mell. anthosat. ʒ j
M. F. Clyster.

In hunc finem, & suppositoria parari possunt, Ex. gr.

℞. *Fell. tauri insp.* ß.
succ. rutæ ℈ j.
centaur. min.
sal. rutæ ℈ j
cum s. q. mell. anthosat. f. l. a.
suppositorium.

Postmodum ad hostem debellandum, & omnia ipsius arma hebetescenda, conducunt spirituosa, vt sunt omnes aquæ apoplecticæ, spirituosæ, & odoriferæ; salia quoque volatilia, tam vegetabilium, quàm animalium, & mineralium. E numero vegetabilium sunt herbæ cephalicæ, & varia aromata, eorumque spiritus volatiles. Ex animalium censu depromi possunt volatilia, C. C. cran. & os human. sanguis human. ceru. spiritus formicarum volatilis, & sal. Ex mineralium classe proficua sunt sal volatile succini, liq. C. C. succinatus, Tinctura auri *Clauderi Nobil. nostri Collegæ*. Commendamus maximoperè salinos volatiles spiritus, spiritum fuliginis scil. si enim fuliginis virtus meliùs dignosceretur, à Garamantis, & Indis tanti non coemeremus medicamenta. In iuniorum gratiam vnam, & alteram formulam communicaturi sumus.

℞. *Spec. contra apoplex.* ℥ j
sal. volat. succini gr. vj.
Ambræ gryss. gr. v.

M. F. Puluis pro tribus dosibus, cum aqua apoplectica, vel sequenti exhibendus.

℞. *Aq. lil. conuall.* ℥
menth. ana ℥ j ß
spir. cerasor. nigr. ʒ ß
liq. C. C. succinat. ʒ ij
ol. destill. succin. gutt. iiij.
syrup. de spin. ceruin. ʒ j

M. dari potest cochleatim

Vel ℞. *Sal. C. C.*
succin. ana ʒ j
Magist. succin. ʒ ß
ol. still. anthos gr. vj
lauendul. gr. v.
succini gr. x.
saccbar. alb. ʒ iij.

M. Huius pulueris nostri apoplectici calidè ʒ ß *sumi potest, & quidem bis in die.*

Et hic alcalia fixa quoque longè præstant volatilibus, cùm & acido imbibendo, & eius cuspidibus obtundendis conueniant. Specificum quoque illud ad apoplexias, ex feminibus sinapi, erucæ ac nasturtij, volatili sale scatentibus, paratum, magnificamus. Et spiritus lilior. conuall. cerasor. nigr. sale volatili C. C. & camphoræ tantillo per iteratas cohobationes imprægnati, salutare hic erunt remedium. Commendamus quoque experientiâ confirmati *salia volatilia oleosa*, ex. gr. illud magnum vectigal Syluianum, *sal* nempe *volatile oleosum.*

Spiritus Apoplecticus Mœbii magnarum est virium.

℞. *Flor. lil. conuall.* ℔. vj.
cinamom. ℔. j
zedoar. ℔. ß
croci ʒ j.
macis.
caryophyll. ana ℥ ß

Diger. in vino Hispan. q. s. per mensem, dein destill. per vesicam, hinc

℞. *Rad. valerian.*
vincetox. ℥
pæon. ana ℥ ij
Fol. meliss.
botryos
roris marin. ana m iij.
Flor. tiliæ m. vj.
lauendul.
spicæ,
saluiæ,
thymi ana m. j.

Macerentur in spiritu superiori per mensem in vase benè clauso, destill. per vesicam, add. vin. Hispan. q. s. tandem rectific.

ctific. in balneo supra ambr. mosch. & camphor.

Inter manualia, quæ Tyroni praxeos Medicæ in promptu esse debent hæc sequentia sunt.

℞. *Aq. apoplect.*
cephal. nostr. ana ℥ i. ß.
birund. c. castor. ℥ ß.
sal. volat. oleos. ℥ ß.
spir. lilior. conuall. ℈ j.
syrup. de spin. ceru. ℥ vj.
M. D. ad vitrum. Assumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aq. epilept. Lang.* ℥ i.
ceras. nigr. ℥
fl. tiliæ ana ℥ ii.
spir. lilior. conuall. ℥ j.
syrup. fl. tunic. ℥ ß.
M. D.

Vel ℞. *Aq. melis. c. vin.*
cerasor. nigr.
lauendul.
lil. conuall. ana ℥ i.
apoplect. ℥ vj.
Spir. lil. conuall.
cerasor.
serpill. ana ℥ j.
Syr. primul. ver. vel
fl. tunic. ℥ ß.
M.

Vel ℞. *Spir. epilept. ex vngul. alc.* ℥ ß.
sal. volat. cran. human.
succin. ana gr. v.
tinctur. castor. ℈ ß.
essent. succin. gust. ℥ vj.
aq. roris marin. ℥ iij.
syr. stoechad. ℥ ij.
M. pro duabus vicibus.

Hæc mixtura tum ad præseruationem, tum ad curationem in paroxysmo, & extra illum prodesse potest.

Vel ℞. *Spir. vin. diaphor. Helmont.* ℥ ß.
Aq. apoplectic. ℥ i.
M. pro duabus vicibus.

Vel ℞. *Spir. sang. human.*
apoplect. Mynsi.
Aq. magnanimitat. ana ℥ i.
M. Dosis guttæ xv.

Præmissis vniuersalibus valdè quoque laudatur essent. lignorum, quæ ad ℥ j. bis in die dari debet, item infusum ligni sassafras Mynsichti.

Si quoque spiritum cerasorum super vitriolum cohobes, Achilleum contra hunc morbum erit medicamen. Palmarium, & in hoc morbo est remedium cinabaris antimonij, & mineralis, quod si hęc vltima medicamina febriculam exciteat, ne timeas, cùm certam salutem id promittat, quod fit, si eorum vsu sudor calidus, & moderatus erumpat, hoc enim casu gratulari ægro de sanitate adepta, tibi de palmario gaudere poteris.

Si hostis inundationibus serosis Regem nostrum suffocare tentauerit, tunc & catharsis necessaria est, ad serum diuertendum. In hunc finem spectant vesicatoria nucchę, & carpis manuum applicata. Sternutatoria quoque adhibentur sequentia; naribus attrahenda.

℞. *Sal. vitrioli* ℥ j.
aq. maioran. ℥ j.
spir. lil. conuall. ℥ i.
M. detur ad vitrum.

Sic, & indatur vitro angustiori mistura sequens.

℞. *Spir. vin. camphorat.*
sal. armoniac. volat. an ℥ ij.
C. C.
fuliginis ana ℥ j.
Tinctur. castor. ℥ ß. *M.*

Vel naribus indatur sequent.

℞. *Ol. irid.*
nicotian. ana ℥ j.
still. maioran. gutt. vj. *M.*

Vel ℞. *Pulu. flor. lil. conuall.* ℥ j. ß.
cum s. q. ol. nicotian. & mosch.
expr. F. Linimentum.

Vel R. *Succ. betæ.*
anagallid.
maioran. ana ℥ ß. *M.*

Vel illinantur etiam nares, tempora, & vertex capitis generosis, spirituosis, & odoriferis balsamis, Ex. gr.

℞ *Balsam. apoplect.*
rosar.
lign. rhod. ana ℥ ß.
M. Detur ad pyxidem.

Vel ℞. *Balſ. maioran.*
rutæ,
ſuccini ana ʒ ß.
apoplectic. Croll. ℈ *i. M.*

Grana maſtiches, rad. irid. Florent. ſeu N. M. maſticentur.

Loquelam apoplectico poſtliminio reſtitutam vidimus ſpiritu caſtorei, & ſerpilli. Conducit, & ſequens:

℞. *Extract. theriacal.*
ſalu. ana ℈ j.
ſpir. lil. conuall.
ceraſor. nigr. ana ℈ ß.
M. Illinatur lingua.

Vel R. *Theriac.* ʒ j.
confect. anacard. ℈ ij.
eſſent. ſal u. ℈ j.
M. pro lingua x.

Si narcoticorum opiatorum ſc. præpoſtero vſu productus ſit noſter affectus, vomitorium exhibeatur, dein ſingulis medicamentis caſtoreum admiſceas, & potiùs *ſpirituoſa ſulphurea* quàm ſalina eligas; cum *ſpirituoſa* impreſſas iam à narcoticis ſpiritibus noxas curent, ſicuti acida ab eorum impreſſione præſeruant.

Durante paroxyſmo, à quacunque cauſa orto, injiciantur clyſteres acriores ex Elect. hieræ picræ, oleo rutæ, addito alumine plumoſo atq; ſale gemmæ, melioris penetrationis gratia poſſunt quoque addi. eſſent. ſaluiæ, roriſmarin. lilior. conuall.

Cum aceto quoque, & ſale plantæ pedum fricentur, & ſi pertinacia mali omnium horum nobiliũ medicaminum vim eludat, & ſtertor fatalis ingraueſcat, in extremo hoc gradu extremum remedium adhibendum iuxta verſiculum, ſuademus:

Si non morboſos ſanant medicamina, ferrum
Arripe, ſin fruſtra, pharmaca ignis erit:
Hæc triani poſſint ægris adferre ſalutem,
Amphitryonidis robur inane cadet.

Cauteria puto actualia, quæ potenter operantur, inter quæ omnibus aliis palmam eripit *Moxa*, quæ vertici ritè applicatà preſentaneum eſt ſæpiùs remediũ vt & *infuſio liquorum ſalinorum volatilium* in venas ægrotorum, eo enim citiùs concretus, & ſtagnans reſoluitur, quod, & ſummoperè commendat *Ettmullerus*, Amicus noſter colendiſſimus, & *Claudius de la Cournèe*.

Spina illinenda eſt varijs ſpirituoſis, alijſque linimentis aromaticis. Eſto in Tyronum gratiam ſequens linimentum pro dorſo, ceruice, alijſque corporis partibus.

℞. *Ol. laurin.* ʒ j ß.
ſuccin. ʒ ij.
C. C. ʒ j.
lauendul. ʒ ß.
Axung. caſtor. ℈ j.
M. F. Linimentum.

Quod ſi pinguia quis abhorret, ſequens proderit;

℞. *Spir. conuulſiu. n. d.* ℥ ʒ j.
formicar. ʒ j.
C. C.
Tinctur. caſtor. ana ʒ ß. *M.*

Vel ℞. *Aq. meliſſ. c. vin.*
lil. conuall. c. vin.
apoplect. c. ana ʒ j ß.
ſpir. lil. conuall. ʒ j.
acet. rutac. q. ſ. M. D.

Vel ℞. *Spir. conuulſiu. noſtr.* ℥ ʒ j.
Eſſent. ad membra ʒ j.
Aq. ſalu.
betonic.
hyperic. ana ʒ ß. *M. D.*

Vel ℞. *Spir. ceraſor. nigr.*
aq. apoplectic. ana ʒ j.
ol. ſuccin. ʒ ß.
M. pro ſpina dorſi inungenda.

Præſeruandi gratia conducet ſpir. ceraſor. nigr. vitriol. in auro calcinat. affuſ. & aliquoties cohobijs abſtract. ʒ iij. cochleatim aſſumend.

Iure corallam hìc annectimus, quòd capite geſtet æger capitium pelle lupinà ſultum, quò nouimus plures Principes ad præſeruationem vſos fuiſſe, vano ne ſucceſſu, an felici, nos latet. Nec negligendæ ſunt cucuphæ ex aromaticis paratæ, Ex. gr.

℞. *Fol. roriſmarin.*
puleg.
meliſſ. ana p. iij.
ſuccin. ʒ iij.
gran. iuniper. ʒ ij. ß.

flor.

flor. chamomill. Rom. p. iij.
lauendul.
meliß.
primul. ver.
ſtœchad. Arab. ana p. ij.
Raſ. lign. rhod. ℥ iij.
benzoe.
ſtorac. calamit. ana ℥ j.
moſch. gr. iij. M.

CAPVT XI.

De Morbis Capitis.

DE PARALYSI.

§. 1. NOn eſt de nihilo quod Paralyſin *Apoplexiæ* ſubnectamus, quia hæc illam, redeuntibus ſc. ſenſibus, ac motu, vt plurimum ſequitur, & ſi concedis, Etymon, & Synonyma pronuntiem, *Paralyſis* dicitur à παρὰ, & λύεσθαι hoc eſt *ſolui*. At verò Synonyma ſunt, neruorum reſolutio, *Paracelſo* Contractura, *Platero* particularis apoplexia.

DESCRIPTIO.

Hic autem affectus vulgò *deſcribitur*, quòd ſit ſenſus, & motus priuatio ſiue abolitio, vel in toto corpore, quod rariùs eſt, vel in quibuſdam membris, à partium neruoſarum relaxatione, ſpirituumque animalium, ob vnius, & alterius trunci ſpinalis medullæ obſtructionem, influxu denegato, dependens. Spinalis enim medulla (quòd ad explicationem deſcriptionis pertinet,) in duos diſtribuitur ramos. Quod ſi igitur materia morbifica ſeſe inſinuet in ſpinalem medullam, ita vt vtrumque ramum obſtruat, tunc oriri totalem omnes credunt, ſin alter tantùm ramus obualletur, tunc vel in dextro, vel in ſiniſtro latere oboritur paralyſis. Eam verò, & in maxilla, lingua, oculis, pedibus, manibus, brachijs, digitis, labro, palpebris, ſphincter ani, veſica, collo fieri poſſe, haud dubitamus, confirmati *Relat. Ephem. Germ. Ann.* III. *obſ.* 324. cum quotidie videamus, partes has, vel illas ſenſu motuque deſtitui, atque nemo inficiabitur, accidere poſſe, quòd pars aliqua ſenſu priuetur, illæſo motu, & vice verſâ, ſenſu integro manente, ſolo motu vitiato. Subinde quoque contingit, nec ſenſum, nec motum in partibus auferri omninò, ſed duntaxat illas hebeſcere, & torpore ſtuporeque corripi. Inde hanc partem paralyſi imperfectiore laborare pronuntiamus, ita tamen vt ea ſit aliquando prænuntia veræ paralyſeos. Quare duplex ſtatuitur paralyſis, ſpuria ſc. & vera. Vera dicitur, cum pars aliqua nec mouetur, nec ſentit, ſpuria verò cum vel tantùm mouetur, & non ſentit, vel cum tantùm ſentit, & non mouetur, & hoc fit ob maiorem, vel minorem ſpirituum animaliũ influxũ in neruos, eorumq; tubulos, vel poros

Motus manet, & ſenſus ſtupet in iſta ſpecie, (quæ nobis dicitur ſomnus membrorum, vbi motus manet, ſed ſenſus quodammodò eſt imminutus, & interdum deprauatus, nam ſentiuntur quaſi punctureę acuum; hoc autem oritur, quia ab incommodo ſitu membri nerui comprimuntur & arteriæ, ita vt humores non moueantur in tubulos partium, qui ideò inanes manent. Quare cum membrum in ſitu ſuo variatur, & mouetur, ſtatim ſpiritus, per neruos, & tubulos inanes influunt qui cum ſint acriores, vndique obuolitando, & fibrillas neruorum pungendo, ſenſum illum punctionis quaſi ab acubus exhibent, ſed hoc breui reſtituitur, quia ſtatim humores in tubulos influunt, & eos replent. Ex tradita hactenus definitione apparet, quomodò & quibus finitibus hic affectus ab alijs vicinis diſpeſcatur.

DIFFERENTIÆ.

§. 2. Differt Paralyſis iuxta Practicos ab Apoplexia, & ſtupore *gradibus*, inde quibuſdam particulis dicitur apoplexia. *Apoplexia* enim eſt, quæ totum affigit corpus, & ſæpiſſimè interimit: *Paralyſis* verò, quæ partem quandam occupat. *Stuporem* autem dicimus, quando adeſt ſenſus formicationis, & abollitio noui tàm motus, quàm ſenſus, vel diminutio eorundem, & hic ſæpè prænuncius eſt paralyſeos. Ad perfectam verò paralyſin, & ſenſus, & motus abolitionem, pro forma, & norma requiri, apud pleroſq; conclamatum

matum est. Hanc ob causam differt impotentia motus à paralysi vera, vt latiùs & strictiùs, dum nempè species hæc ab influxu spirituum denegato, illa verò à varijs causis oriri queat, verb. gr. luxatione, fractura, &c. Sequentia, sed ex vulgi opinione, annectemus. Ratione subiecti alia vulgò dicitur vniuersalis, in qua, vel totum corpus, excepto capite, occupatur, tum enim principium spinalis medullæ affici putatur, si verò alterutrum latus medullæ spinalis obstruatur, tunc Hemiplegia dicitur.

Rara quidem est auis, nigroque similima cygno, paralysis vniuersalis, quam tamen Limburgi in fœmina quadam, ante annos VI. obseruare licuit. Paraplegia verò dicitur, si in vtriusque lateris membris læsio fiat. Dicitur, & *Paralysis*, vel *antiqua*, & confirmata quæ posterior vix admittit curationem; vel *recens*, & *nondum confirmata*, quæ etsi non facilè curationem admittat, tamen sæpiùs adhibitis idoneis remedijs, restauratur sanitas. Differentias ratione causarum, hic tædet recensere, quas curiosus Lector, ex deductione causarum facili marte expiscari poterit.

PARS AFFECTA.

§. 3. Ad mentem Veterum in vniuersali, hac paralysi, principium spinali medullæ, omnium sc. neruorum primaria origo, grauissimè afficitur, in quo & recentiores parum dissentiunt. Cum autem, ad motum animalem plura sanè organa requiri constet, quodnam ex hisce, pro parte principali habendum veniat, meritò disquiritur. Pro neruis omnes nervos intendunt. Cum enim accidit, vnius vel alterius lateris paralysis, tum ex ea huius, vel illius spinalis medullæ partis nerui (quæ separantur à sinistris, membranula quadam) læsi sunt. Sicque prout fit obstructio neruorum, in dextra aut sinistra, aut vtrisque, ita & istius lateris læsio, necessariò subsequitur. *Willisius* Anglorum illud decus, pro parte affecta *corpora striata*, & simul *medullam oblongatam neruosque* agnoscit. Corpora enim hæc, iuxta ipsum, functiones ad motum, & sensum spectantes, exequuntur; aliquando enim aliqua determinata corporis pars sensu motuue caret, quia ad mentem authoris neruus resoluitur, à quo aliàs sensum motumue recipit pars resoluta, vnde maxima cum diligentia incumbendum, vt cognoscamus neruorum omnium distributionem, & à qua spinalis medullæ parte neruos suos partes singulæ habeant, de quibus omnibus exactè, & acutè differit prælaudatus *Willisius*. *Syluius* pro subiecto accusat, vel musculos, vel animales spiritus.

Cartesius, suo inuentionis acumine *illustris*, canaliculos spirituum animalium, pro subiecto habet, dicit enim P. P. *Artic.* 7. tandem notum est, omnes hos motus musculorum, vt & omnes sensus pendere à neruis qui sunt instar tenuium filamentorum, aut instar paruorum tuborum qui ex cerebro oriuntur, & continent, vt & ipsum cerebrum, certum quendam aerem, aut ventum subtilissimum, qui spirituum animalium nomine exprimuntur. Sed quomodò hi nerui, & spiritus animales inseruiant motibus, & sensibus, *altero articulo* additur, quod nempè *sit calor continuus*, cordi nostro insitus, qui species est ignis, & est omnis motus nostrorum membrorum author. Hic occasio esset ad mentem Authoris ingeniosissimi, addere plura de motu, & sensu, quomodò gubernante anima musculi ab influentibus spiritibus inflati contrahantur, & annexum musculum secum rapiant, sed instituti nostri ratio id hic quidem non permittit, & videri potest de his prælaudatus author, *lib. de pass. animæ*.

Nos pro principali subiecto agnoscimus *medullam oblongatam*, & *spinalem neruosque*, & tubos illos omnes, Rectores sc. spirituum animalium, alia enim vasa non liquent in corpore humano, quæ primariò viuificos hosce deportent hospites, præter tertium illud vasorum genus, neruos puta, Igitur proximam huius

af-

affectus sedem, in ipsis videlicet neruis tanquàm primaria clade affectis, quærimus; *medullam* verò *spinalem*, cùm omnibus anatomicis, distribuimus in duos ramos, dextrum, & sinistrum, læso dextro dextri lateris resolutio fit. Pro subiecto verò adæquato accusamus *musculos*, vndique fibris motricibus suffultos, motu & sensu orbatos, non tam propriâ culpâ solâ, quàm vitio insertorum neruorum; cladem eiusmodi passorum.

SIGNA.

§. 4. Affectus hic signorum plurium recensione, non opus habet. Imminentem produnt, difficultas sensus, & motus, ob denegatum spirituum animalium influxum, stupor crebrior, cum sensu formicarum in membris, vertigo, caligo oculorum, quandoq; auditus grauitas præcedit, vt plurimum verò apoplexiam, prout vmbra corpus, sequitur paralysis, sæpissimè quoq; inaduertentibus hoc malum ingruit.

Signa verò pathognomonica ferè sunt manifesta, cum nemo possit ignorare, eam partem paralysi laborare, quæ sensu, & motu priuata est. Sed præterea, pars cùm malè quoque nutriatur, ob defectum sanguinis fit gracilis, calorem coloremque naturalem amittit, & fit ad tactum frigidior, & flaccidior. In paralysi fit subita alicuius partis resolutio, vt æger nec brachium, nec pedem illius partis, mouere valeat. Non rarò tamen, & tumor in paralyticis obseruatur, & contractio digitorum, vbi sc. adhuc sensus aliqualis remanet. Pars resoluta sua grauitate relabitur, si attollatur, & facilè refrigescat. Hinc musculis resolutis, allatum sanguinem agitare nescijs, sanguis restagnat, luceque destitutus, spirituascere desinit, vappescitque. Vrina vt plurimum est alba, & tenuis, si latus alterum corripiatur paralysi, id sæpè frigidum est, altero ardescente, oculus quoque os, & labium lateris affecti contrahuntur, & contorquentur. Si maxilla aliaue aliqua faciei pars resoluatur, in aduersam sanam partem contorquetur. In hoc malo aliquando, vt ante diximus, sensus integro motu perit, aliàs motus aboletur sensu superstite, frequenter vtrisque, dum sc. consummatum est malum, tunc pulsus languidus, tardus, paruus, quandoq; nullus; inprimis in scorbutica paralysi particulæ illæ sylueſtres, acidæ, &c. sanguinis circulationem inhibere, & frigiditate sua sanguinem congelare, adq; motum ineptum facere possunt. Si sphincter ani, & vesicæ ianitor resolutus fuerit, tunc aluus, & vrina iniussa prodeũt. Reliquę particulares paralyses linguę, labiorum, palpebrarum, oculorum, colli, manifestantur, per actionem lęsam, quibus recẽsendis, iã hìc nõ diutiùs immorabimur.

CAVSÆ.

§. 5. Animus impræsentiarum est, causas huius affectus ex præcipuorum authorum vrna propinare. In prima acie stat vetustas, quæ hunc affectum ab intemperie frigida, & humida deducit, scil. à pituita, seu excremento aqueo seroso, quod crassius per longiorem moram est redditum, neruosque obstruit. Quandoque ab apostemate alioue humore neruum, aut medullam spinalem obstrui, vel potiùs comprimi dicunt, aut frequentissimè illam quoque fieri ab humoribus aquosis tenuibus, à cerebro deriuatis, quæ in neruorum substantiam porositatesque se facilè insinuant; vnde nerui nimium molles facti, resolnuntur, & relaxantur, & tantum humoris imbibunt, vt obstruant neruorum principium, ita vt impediatur transitus animali facultati, quæ à cerebro, tanquàm primo principio, originem habet. Æquè frequenter hunc affectum excitari putant, à vaporibus crassis in neruos illatis & impactis, atque obstructionem efficientibus, & sæpè quidem tantam, quòd spiritibus animalibus transitus denegetur, vnde nerui flaccidiores fiunt, & quasi concidunt quod, & pluribus rationibus probare annituntur, quas iam recensere supersedebimus cum Galenicorum Practicorum libri his pleni sint.

§. 6. *Paracelsus* eandem ferè apoplexiæ, & paralyseos causam, & generationem agnoscit, sæpè enim has confundit aut subiecto duntaxat differentes facit, &

vt hariolari possumus. accusat *Mercuriales Vapores*, in neruorum principia, ipsosque neruos delatos, & nescio quam guttam per corpus descendere narrat. Quod vapores sint in causa, id probat per aurifabrorum, & eorum, qui specula conficiunt, membrorum debilitates, tremores, & sæpè resolutiones, sic, & per alia exempla eorum, qui capite, à narcoticis vini vaporibus repleto in paralysin aliquot dierum incidunt. Alii ex ipsius grege, accusant *Tartarum* in massa sanguinea latentem.

§. 7. *Helmontius* ille Medicorum Homerus *Tr. de Lithiasi c. 9. p. 60. §. 82. & 92.* statuit *Paralysin* esse partium sensitiuarum contracturam, à terrore solo, sic ille loquitur, causatam, qui id proprietatis habet, vt poros confestim claudat, præsertim si subitaneus fuerit, ideircò ait; quod mulieres, quæ vt plurimum timidæ sunt; per terrorem frequenter in paralysin incidant, absque apoplexia. *Pituitam* ergò *decidentem*, pro causa habet, & hinc terrorem, qui venenum apoplecticum commouet, sicque contracturam partium sensitiuarum inducit. Alibi idem ait, hunc affectum fieri, si alieno spiritu, & deuio, partes irrorentur *l. spir. vit. §. 9.* Sed quoniam hęc obscura sunt, non allubescit, illa ad nostram mentem detorquere.

§. 8. *Willisius* celeberrimus iste Pathologista, pro causa coniuncta huius affectus culpat meatum obstructionem, & spirituum animalium impotentiam, quatenus illi, vel narcosi affecti, vel copijs minores se non vegetè satis explicant, vnde in paralysi vniuersali, quæ apoplexiæ, aut lethargo, alijsque morbis facilè succedit, ob materiæ morbificæ metastasin, spiritus animales à solito effluxu siue irradiatione in neruosum genus præpediuntur, & sic necessariò membra collabi debent. Non tantùm autem, iuxta nostrum authorem, neruorum spirituum animalium portitorum obstructiones hoc in affectu peccant, sed, & corporis striati, & interdum *medullæ oblongatæ*, & spinalis obstructiones, quæ si resoluantur, & spiritus animales easdem haud satis irradiant, inflant, suoque vigore actuant, non potest non fieri, quin partes flaccescant, & paralysis sequatur.

Mediatas causas esse *πορισμούς*, haud tantum oppilatiuas, sed interdum narcoticas, spirituum extinctorias statuit; particulas enim alias extraneas, & quasi vitriolicas, intra sensus, & motus organa admissas, poros constipare, & spiritus animales deijcere, imò à motu supprimere, & quasi vredinem in arboribus inducere contendit. Hunc affectum rarò à mera pituita, aut colluuie serosa excitari, per id probat, quod rarò ij, qui cerebri sunt humidi, & hydrocephalici, in paralysin incidant.

§. 9. *Franciscus de le Boe Syluius*, desideratissimum illud Lugdunensiũ sidus, morbum hunc oriri suspicatur, vel ob defectum spirituum animalium in musculis, vel ob varium sc. neruorum angustiam, vel ob spirituum animalium immobilitatem, per narcosin, & stuporem inductam. Inter causas remotiores recenset humiditatem aqueam, quæ moles, & flaccidas reddere potest musculorum fibras, additque omnia illa, quæ neruos obstruere, siue angustare possunt, apta nata esse ad hunc affectum excitandum, inter quæ pituitam, secundùm spinalis medullæ radicem defluentem, & paraplegiam, aut hemiplegiã excitantem refert. Vulnera aliaque neruos dissecantia, & narcotica quæcunque, spiritus animales torpidos, & immobiles reddentia, suum symbolum afferre contendit.

§. 10. *Cartesius*, fax illa Gallorum, spirituum animalium, vel defectum, vel impotentiam, paralyseos causam immediatam agnoscit, & pro more per mechanicum conceptum illustrat, atque non aliter esse comparatum cum spiritibus animalibus, musculos inflantibus, ac cum vento vela inflante, quo cessante, vel aflaccescunt, & concedunt. Spiritibus ergo denegatis, vel non in sufficienti copia influentibus, non potest aliter fieri, quin neruorum, & musculorum fiat flaciditas, & relaxatio, qua sensus, & motus ferè perit.

Sic, & patroni succi neruosi, paralysin non aliunde putant oriri, quàm à succi neruosi recrementis crassioribus, inconspicua

ſpicua neruorum permeacula obſtruentibus. Sed qui hinc ſuccum neruoſum ſtatuunt, noſtro calculo, caduco nituntur fundamine, de quo alibi ex profeſſo.

§. 11. Supereſt, quia iam aliorum prata ſat biberunt, vt nunc & noſtra irrigemus. *Cauſam* ergò *immediatam* Paralyſeos ſtatuimus *Microcoſmotoris*, *noſtri Regis*, priuationem magnæ partis militum ſuorum, vnde regendi poteſtas aliquomodò diminuta eſt, quando præſertim ipſis militibus hunc vel illum locum expatiandi libertas dempta eſt, tunc enim, cum & viâ præclusâ hoſtis Regem noſtrum planè interimere nequeat, ceu in Apoplexia facit, tentat & nocet, quantum poteſt, atque cum arcem vincere nequeat, præſtructum propugnaculum occupat. Materia ergò quæcunque peccans ad cerebri latifundia ſe committens, illæſo tamen ſolio regio, ſe verſus ſpinalem medullam, in duos ramos diuiſam, conuertit; cuius obſtructionis cauſa eſt, vt ſic Regi imperium, & ſceptrum denegetur, ad has vias milites ſuos, ad excubias agendas, emittendi. Optimè enim hinc denegatum ſpirituum animalium influxum in canales ſuos, mechanicè quaſi, ſeu euidenti illuſtrare licet experimento; ſpiritus enim hi ſunt interni motores, & ſunt maximè ſubtiles, adeò vt non immeritò eos iuxta illud *Horatij* appellites *Diuinæ particulas auræ*; ſunt enim *mixti viuentis* ſubtiliſsimæ particulæ ſalinæ & ſulphureæ, ſub debita, ac non interrupta contiguitate, ac quantitate, potentiâ motiuâ, & operatiuâ, ſecundùm corporis, quod incolunt, proprietates & organiſationē a DEO inſtructæ; ipſe enim DEVS T. O. M. eſt primum mouens. Vt enim (verba ſunt *Helmontii*) ſpiritus motiui vitale lumen per neruos diſpenſatum diradians, deſerunt imperium voluntatis, ſiue motum ad muſculos, organum executiuum motus illius, quem anima ſibi arbitraliter propoſuit; intercepto enim lumine irradiatiuo, cum ſpiritibus miſſo, quin paralyſis fiat, nullum eſt dubium, & confirmat id *Bartholinus in Anatb. Reform. c. de neruis, p. 454.* Et quemadmodum à nubecula ſol, & manu oppoſita candelæ lumen nobis adimitur, ita orbatæ lumine ſpirituum animalium partes, & ſenſu, & motu priuentur; nerui enim duntaxat ſunt poroſi, per quos nihil, præter hanc lucem, & ſubtiliſsimas partes permeare poteſt; vt per aquam, vel aerem ſolis radij tranſeunt, ita in aqua lutum, & limus obſtare poteſt, quo minùs eorum ſplendor per ea ſincerus procedat, vt elegantiſsimè tradit cum Neotericis *Pergamenus l. 1. de ſympt. c. 5.* Lumen enim hoc eſſe aliquid ſubtile, mobile, volatile, & actiuum, non dubitamus, vnde quoque nomine Spiritus venit. Eſſe tamen illos ſubtiliter materiales, inde deprehendimus, quod conſtent particulis ſalinis, & oleoſis, ſeu ſulphureis, indèque ſubtiliſsimis, & maximè actiuis, tunc & ipſæ particulæ, tum in corporibus, quibus continentur, tum ex ijs arte eductæ, & cum aeris, vel proprij corporis ſimul phlegmate vnitæ, vocantur *Spiritus*. Et clariùs hoc apparet, ſi quis conſideret,

balantum germina florum,
Hortenſes pictura thoros paſtura venuſtis
Deliciis oculos, & odorum flumine nares.

Odores enim hi ex plantarum floribus exhalantes, actiuas harum eſſe partes, quis negauerit? cum & extra ſuum corpus, quod ante inhabitabant, tantam oſtendant ſubtilitatem, actiuitatemque, quanta maior vllius rei vix concipi poteſt.

Sunt enim ijdem nil aliud, quàm particulæ ſubtiliſsimæ, ſalino-volatiles, oleoſæ, ex oleo plantarum ſeminali fermentatione reſoluto effluentes, & certa ratione commotæ, nares noſtras eo modo afficientes, quem nos odorem vocare ſolemus; oleo namque hoc dempto, nullam ampliùs flores ſpirant fragrantiam. Sunt autem olea nihil aliud, quā ſalia volatilia, cum pinguedine ſulphurea, ac ſeminali in orbem concentrata. Extra omnem ergò, vt ad rem redeamus, dubitationis aleam ponimus, *Regem* noſtrum, quia hoſtis extraneus circa ſpinalem medullam, vnius, vel alterius lateris, ſeſe vallauit, imperium non ampliùs exercere poſſe cū militibus

tibus ſuis in iſtis locis; partes autem hiſce militibus defraudatæ neceſſariò ab hoſte in ruinam vertuntur, & cum Regis imperio careant, non aliter, ac dies ſine lumine, vel aer ſine commotione ſeſe habent; omnia enim laxantur, flacceſcunt, & in ſui internecionem præcipitantur. Eſt autē flacciditas illa ab obſtructione neruorum, quia in obſtructis neruis ſpiritus non liberè in illos influunt, vt illos ſatis diſtendant, proindeque tubulis ſubſidētibus neruos flaccidos reddi, neceſſe eſt. Examinemus nunc paucis *hoſtem*, ſuis armis inſtructum, cauſas ſc. mediatas proximiores; ille verò hic incedit, & obſtruēdo, & inundando, atque ſic impellendo tranſitum militibus, h. e. ſpiritibus animalibus, & hoc efficit vel eos *torpidos*, & *immobiles* reddendo, h. e. neruos, neruoſaſque, atque muſculorum fibrillas molles, & flaccidas efficiēdo, vel eas planè obſtruendo; obſtructionem verò, & inundationem illam efficit, vel per ſanguinem vitioſum, vel per diluens ſerum. Hæc enim prout vel quantitate, vel qualitate, vel motu peccant, paralyſin excitare queunt, & inprimis ſanguis euaſatus, & poris cerebri vel neruorū incumbens huius morbi mater eſt, prout quotidie obſeruamus in ijs, qui à caſu, vbi ferè ſemper ſanguis evaſatus reperitur, paralytici facti ſunt, de quibus videre licet, *obſerv. 66. Ephemerid. Germ. Ann.* III. Sæpiſſimè quoque ſeroſa colluuie cerebrum inundat hoſtis, poroſque ſpinalis medullæ obſidet, inprimis ſi coaguletur ſerum, quod etiam *lymphæ* nomine eluit, idque facili marte coagulatur ab acido, quę coagulata lympha alijs dicitur *pituita*, & eſt effœtum illud viſcidum in corpore humano, quæ proprietates neruorum obſtruere potis eſt. Nullos verò hic excludimus humores acidos, coagulantes, Mercuriales inprimis *auſteros*, & *acerbos*; & ſi mechanicum de his vltimis expoſtulas conceptum, per *auſteros humores* putamus particulas obtuſangulas, per *acerbos* verò magis rectangulas, has ſtridenti, & acutioris, illas hebetiori ſerræ adſimilantes. Si hoſtis talibus figuratis armis incedat inſtructus, facilè ſpiritibus animalibus via præcludi poteſt, nec excludimus Tartareas, aliaſque ſulphureas ſcorias ac impuritates, vel in ſpinam dorſi, neruorumque principia effuſas, cœcos illos per quos ſpiritibus animalibus patet tranſitus, meatus obſtruentes. Apud noſtros enim in confeſto eſt, ſi ſerum intra ſpinalem medullam, vel vertebras ſubſideat, mole hac ſua comprimi neruos excluſionemque ſpirituum animalium, indeque abolitionem ſenſus, & motus neceſſariò ſuboriri. Ex quo videre eſt, quod frigus (quia coagulat ſerum) remotè ſuum ſymbolum addat. Sic duos, qui diutiùs puteum exhauſturi in frigido morabantur, inferiorum partium omnium correptos fuiſſe paralyſi obſeruauit. *Nob. Cummius in Ephem. Germ. Ann. I. obſ.* 84. A frigore enim augeri, & coagulari lympham, extra omnem dubitationem eſt, inde facilè, & paralyticos fieri poſſe non dubitamus. Talem hiſtoriam apud *Galenum* legimus, vbi quidam in brachiorum paralyſin incidit, qui madido pallio amictus diutiùs inceſſit, alius lapidi frigido corpore nudus inſidens crurum paralyſin expertus eſt. Præſertim quoque ſerum mole graue, qualitate verò peregrinum redditum, in ſubtiles thoros ſeſe inſinuare, ibique ſtagnando lenteſcere, & ſic obſtructionem inducere poſſe, nemo negauerit, & comprimendo neruos fieri tunc affectum poſſe probant luxationes membrorum, vbi à denegato ſpirituū animalium influxu partes ſimul atrophia laborant, cuius generis paralyſin obſeruauit *Experientiſſ. VVidelius Collega noſter colendiſſimus in Ann.* II. *Ephem. Germ. obſerv.* 230 à gibbere induſtam; & cum neruus diſciſſus eſt, neceſſariò ſequitur paralyſis eiusdem partis, in qua ſpiritus animales neruos dirigere debent, præcluditur enim ſpiritibus his via, & tranſitus. Sic præciſo brachij neruo, qui ab illo actuabatur, digitus rigebit, gemello modo vt ſæpiùs ex malè adminiſtrata V.S. ex incuria Chirurgi totius brachij, & manus immobilitatem, & ſtuporem obſeruauimus, quod, & confirmant *Ephemerides Germ.* A ver-

vermibus quoque brachiorum, & pedum. paralysin productam fuisse, testantur prælaudatæ *Ephemerides in Ann. 11. obs. 63.* Sic à scorbutico miasmate, abundante sc. seroso humore, & nimium in sanguine scatentibus acidis, acerbis, ponticis, salinis, tartareisq; scoridis, ad principium nervorum siue ad ipsos canaliculos delatis, hunc affectum excitari, nemo nisi peregrinus in Medicina hospes ignorat. Nihil enim magis pernicioſum est, ad pessundandos nostros spiritus animales, & partes flaccidas reddendas, ac *narcotica*, lucidos illos vegetos, & agillimos motu rectores pessundantia.

A colica, & sæpiùs oboritur hic affectus per metastasin sc. materiæ morbificæ ad nervos. Quam colicam Autores tum ab intemperie bilioſa deducunt, quod an cum veritate dicatur, equidem dubito; nam bilem sine pituita sibi adiuncta intestinis nocere posse mihi non videtur, quia suo fluore, & acrimonia intestina tantū blandè vellicat, & potiùs poros nervorum deobstruit quàm occludit, sed si pituita adsit, tum intestinis magis, & tenaciùs adhærendo, & se in eorum poros insinuando maius malum dabit, ob moram ibi contractam, ita vt tum dolor colicus oriri posset, qui vix ac ne vix iniectionibus mollientibus tolli poterit. Nec est quod multum dubitemus de via istiusmodi materiæ paralysin parientis, & nervorum has vel illas ex artubus spectantium originis obstruentis; lippis enim, & tonsoribus notum est, causam huius mali latitate circa mesenterii partes membranosas, cum medulla spinali commercium habentes, inde ergò facilè nervos ex spinali medulla prodeuntes obstruere potest. Nam à nervis illis, qui à plexu abdominis maximè in mesenterium iuxta, atque in intestina disseminantur, quippe cum lumbaribus per mutuā quasi inosculationem vbique ferè commercium exercent; id enim obseruamus, quod sæpiùs materia scorbutica in his locis hospitans, aliquando nervos occupat maiores, & huius vel alterius, vel vtriusque lateris paralysin excitet. Omni ergò in paralysi præcipuè nervorum origines obseruandæ sunt, vnde maxima cum diligentia anatomicis incumbendum, vt cognoscamus nervorum omniū distributionem, & à qua spinalis medullę parte nervos suos singulę partes habeant, ne contingat illud, quod apud *Galenum* quibusdam accidisse legere possumus, quod manui paralyticæ ipsi applicauerint topica nervina, quę spinęcōgruebant; quicunque enim nervus sensum vel motum mediantibus spiritibus animalibus parti largitur, illam sensus, vel motus ablatione affici necessum est.

Atque ita breuiter nostram hariolationem, sine verborum tumore, scrupulosis dubijs liberare fategimus, monentes tamē in incredibili verum, & in vero simili falsum nonnunquam latitare, & præstat hæc ex certis indicijs, & argumentis supponere, quam ad anchorā occultarum qualitatum confugere, vti plurimi Medici, & Philosophi temeritate, inescati qui culpā iudicii transferūt ad incertitudinis, & difficultatis quærelam, si labantur, inde mallemus dubiam interdum spargere suspicionem, qua incerta faciliùs dissipentur, quam temerario assensu malè sanam alteriùs opinionem adorare; nam dubitat *Carneades*, deliberat *Pyrrho*, *Simonides*, comperendinat. Sed nunc ad aliam nos aream vocat Prognosis.

PROGNOSIS.

§. 12 Prognosin hic non temerariò, sed ad mentem Venerandi nostri Senis in *Prorrh. S. 3. l. 5.* magna cum prouidentia instituens Medicus, prudentissimè agit, adeoque nonnisi ritè priùs pensitatis ægrotantis, & morbi viribus, quicquam de signis salutis, & mortis dictatoriè pronunciet. Interim notandum, quod malum sit curatu difficillimum, ratione materiæ peccantis, & dein partis affectæ, spinalis sc. medullæ.

Perfecta, & confirmata Paralysis chronicus morbus est, nec prima, bima, trima die, vt Iuris Consultorum phrasi vtar, terminatur, sed per plures menses, & annos, inprimis si ab apoplexia ortum ducat. Illa verò quæ ex scorbutica labe, vel co-

colico dolores orta est Paresis, faciliorem, & citiorem, cæteris paribus, suscipit curationem. Paralysis ex nerui dissectione incurabilis est, vt & illa, quæ ex casu, contusione, laxatione & similibus prouenit, maximè periculosa, quemadmodum casum nouimus in *Nobilissima quadam Virgine*, in *Aula Principessæ Albertinæ Nassouicæ. Dizensis*, &c. *Dominæ nostræ Clementissimæ viuente*, quæ ex luxatione, post quinquennium, in brachij paralysin adhuc durantem incidit. Ea verò paralysis, quæ ex inundatione lymphæ fit idoneis remedijs sanari potest. Perfecta, & vniuersalis est curatu difficilior imperfecta, & particulari, ex.gr. digitorum, linguæ, crurum, &c. Paralysis tempore brumæ oborta, quæ simul in senili ætate fit vix, ac ne vix quidem curatur. Fit & illa sæpè ex debili apoplexia, & ne in hanc rursus despumet, periculum est. Si febris tremorue superueniant, id vulgò bonum creditur signum, quæ tamen regula quandoq; pede Varo fallit, quippè in iuuene 26. annorum *Cambergæ* obseruauimus in paralysi, ab apoplexia orta, tremorem, & febrem concurrisse, qui tamē ipse humanis valedixit. Melioris spei tamen signum est, si atrophia, parti paralyticæ desit; quæ si adsit, pessimum est, indicat enim humores aut ad partem non deferri, aut partem obstruxisse, quæ obstructio à Medico difficulter tollitur.

Si primitiæ sensus iterum redeant, si simul ætati congruus est morbus, secundum diuinum *nostrum Coum* putantem, si motu ablato sensus æquè interni, ac externi vegeti, ac salui sint, si tremor, vel dolor subsequatur, bonum habetur signū. Si oculus resoluti lateris non imminutus sit, si æger viribus constet, absque dolore capitis, & vertigine, & si simul, ceu dictum, accedat febris, res bonæ spei est. Peius verò res se habet, si ad tactum frigeat pars resoluta, quia indicat paucos admodum spiritus per neruos deferri, & ideò neruos validè obstructos esse iudicamus. Malum item, si fæces, & vrina iniusta exeant, quibus nigrum Theta præsigit *Hippocrates l. 2. Prorrhet. in* quiens; medullà spinæ si quis laborat, & ex lapsu, seu alià de causà homo, & auribus impotens sit, vt neque si tangatur percipiat, & *ventre*, *ac vesica*, vt primis temporibus neque stercū, nec vrinam excernat, nisi coactè, *inueterato* verò morbo, non vrgente *homine*, stercus, & vrina prodeant, moritur postea non multo interposito tempore. In senibus paralysis incurabilis est, qui i tubuli partium sunt duriores, & fibrillæ crassæ, & densæ, & minùs sunt mobiles, quare obstructiones in ijs genitæ non facilè tolluntur.

Si mens stupidior ægrum instanter maneat, id malum; secus, ac si superueniat Critica diarrhæa. Ad mortem venit paralysis, superueniente nempè apoplexià, & marasmo sudoreque colliquatiuo. Si conuulsiones paralysis superueniant, & eam comittentur, Auctoribus dicitur paralysis scorbutica, quia tum acrimonia vel salina, vel acida neruos vellicans adest, quod etiam malum est, quia est complicatio morborum.

Multi sunt affectus, quibus paralysis superuenire solet, nimirum epilepsia, apoplexia, (materià scil. in ignobiliorem partem detrusà) colica, febres tertianæ scorbutus. Hæmorrhagiam narium secutam esse paralysin, exhaustis scil. spiritibus animalibus, memorat *Brassauolus 7. Aphorism.* Si paralysis ab apoplexia ortum duxerit, periculosa est, nam iterum facilè in apoplexiam potest denegare.

CVRA DIÆTETICA.

§. 13. Hactenus primum huius affectus hemisphærium vidimus nunc ad alterum, scil. Curam Diæteticam lustrandam progredimur, vbi victus rario se offert, quæ consistit in notissimis sex illis rebus non naturalibus, quæ maximi Domini, nisi dicerem Dominatores, sunt nostri corporis, inter quos primum sibi vendicat locum, *Aer*, monente *Hippocrate S. 3. Aphor. 1.* Mutationes temporum potissimum pariūt morbos, & in ipsis temporibus magnæ mutationes frigoris, & caloris fiunt. *Aer* ergò hic eligendus est

ca-

ſiccus, ſerenus, qui luculento comparetur foco, ſi tempus anni id requirat, aut ſuffitu aromaticorum; è *contra vitandus pluuioſus*, vliginoſus, nebuloſus, ac potiſſimum frigidus, talis enim aer neruoſo generi inimicus exiſtit, vnde *Helmontius l. c. §. 61.* non immeritò ambientis aeris frigus *Narcoticum* vocat. Frigida vniuerſali quaſi oraculo neruis inimica ſunt. Tacemus hìc influxum aſtrorum, veruntamen ambigimus, an non ſummi cuiuſdam Viri lubrica nutet ſententia, ſeu per errorem vacillet, cum peculiarem influxui aſtrorum vim tribuit. In noſtra praxi obſeruauimus ſæpiſſimè in plenilunio, eiuſmodi paralyſes, & apoplexias factas eſſe, & hic rationem *Carteſii*, de maris fluxu, & refluxu, Lunæ in- & decremento adſcripto, addere poterimus, cum & eadem inundatio in Microcoſmo contingere poteſt, ac in Microcoſmo. Sed cum infida ſuſpicio non audet ſingula eligere, nec vniuerſa probare, iudicium ſuſpendimus, inquiſituri & experientiâ cõprobaturi quid ex influxu aſtrorum ſit iudicandum.

Cibus ſit *calefaciens*, & ſiccans, in hunc finem carnibus vtatur æger aſſis, alijſque cibis boni ſucci, herbis aromaticis conditis, vtpote roremarino, ſerpillo, ſaluia, maiorana, &c. Nec immodicè, vel inordinatè ingerantur cibi, omnes è contra vitentur cibi mali ſucci, vt ſaliti, fumo indurati, acidi, nimia lacticinia, aliaq; huius farinę alimenta, quæ tædet hìc ruminare.

Potus ſit *exiguus*, vtatur patiens *vino ſaluiato*, vel rore mariniſato, vel mulsà, vel aquà, in qua ebullierit ſaluia: cereuiſia aromatiſata, probeque fermentata, & defęcata concedi poteſt, vt & potus herbæ Theè.

Vitanda cane, & angue peius *potulenta* fæculenta, vina generoſiora, Hungarica, Gallica fortia, Italica, Hiſpanica, immoderatius hauſta, ob ſubtilem quem ſecum habent Tartarum, acrem & neruis inimicum, quod & teſtatur *Paracelſus tract. 2. de Contract. c. 5.* & confirmant tremuli Bacchi heroum articuli, & illi qui in longam noctem Bacchò litant, ſic non tantum Chylificationem perturbantes, ſed & *Microcoſmetori*, noſtro Regi, negotium faceſſentes, ſpiritibusque animalibus narcoſin inducentes, & hoc modo ſibi ipſiſmet exiſtentes carnifices. Maximè verò abiurandus eſt potus vini ſpiritus, vel aqua vitæ (potiùs mortis) quippè illa, vt & reliqua narcotica, & ſoporifera, non tam ſpiritus animales mortificant, quàm fugant.

Paralyticus *exerceat* partes reſolutas moderatè. Abſit omnis *motus vehemens*, talis enim delaſſat artus, & ſpiritus abſumit; vt & quies nimia flaccidum quoque reddit corpus, augendo, & replendo caput ſerosà colluuie, ne enim moueantur aquæ, illas corrumpi, & putreſcere neceſſe eſt: parili modo vt ſanguis ſerumque lenteſcit, & in pituitam coagulatam mutatur, indeque ad obſtructiones faciendas maximè idonea ſunt.

Somnus ſit moderatus. Diurnus, & diuturnus nocet; malè enim ſibi conſulunt, quibus Morphei ſuauia phantaſmata nimium placent, hoc quippè modo cerebrum faciliùs accedente hoſte extrinſeco inundari poteſt, quæ inundatio infelicem minatur exitum, & tranſitum in paralyſin vel apoplexiam. Nimię etiam nocent vigiliæ, quæ ſpiritus animales exhauriunt, cerebrumque, ac totum neruoſum genus debilitant.

Quoad *excreta*, *& retenta*, alui, & vrinæ deiectiones fiant ſecundùm natum, ſingulis diebus, quoad licet. Reliquæ conſuetæ euacuationes, vt ſunt menſes, hæmorrhoides, ſudores, &c. modo debito ſibi inuicem reſpondere debent, aliàs procurandæ.

Quod *animi pathemata* concernit, animi hilaritati ſtudendum, vnde viuidiores, & ſubtiliores particulæ ſalinæ, volatiles, oleoſæ, in ſanguine noſtro gignuntur, ex quibus poſtea fiunt ſpiritus animales, qui ſunt ſubtiliſſima pars ſanguinis, imò ipſius flos. Inde exulent huius inimici, inprimis mœrores, triſtitia, curæ triſtibus enim animi paſſionibus emaciati enſem proprio adaptant iugulo, & quis hic omnem morborum ſeriem recenſeat,

quam

qu àm practica cohors a mœrore, ceu ex equo Troiano, deducit, atque nouimus, non paucos ex mœrore, & curis in paralysin incidisse. Ita etiam summoperè vitanda est, nam quomodo neruis insensa sit, testantur tremores artuum, linguæ, &c. Præcipuè quoque hoc in nostro fugiendus est terror, siue pauor subitaneus, quamuis raro exemplo *Ciui Arelatensi*, & *Valleriolæ*, validiores animi commotiones in hoc malo profuerint. Terror enim spiritus adeò figit, vt Regem nostrum interdum planè interimat, atque sic membra sine sensu, & motu remaneant, prout experientiâ æquè doctorum, ac stultorum magistrâ, abundè liquet, de qua re, & vide *Helmontium in præced. allegatum*.

CVRA PHARMACEVTICA VETERVM.

§. 14. Curam Pharmaceuticam consideraturi, ex eius beneplacito hoc nosse debemus, quòd veteres Galenici Pathologistæ in paralysi cõmendent *præparantia*, vt sunt hydromel, & oximel, &c. decoctũ rad. ireos, flor. saluiæ, stœchad. N. M. cinnamomi, mel. ros. seyll. Aqua saluiæ, betonicæ, maioranæ, &c. Potum ex decoctione saluiæ, aliarumque herbarum aromaticarum, per v. vel vi. dies continuatum extollunt. Post hæc *vacuantia* præscribunt varia, vt sunt pilulæ cochiæ, de agarico, fœtid. mastich. &c. Hiera diacolocynth. diacathol. Pilulis verò potius, quàm electuarijs hoc in affectu vtuntur, quippe illas à remotis partibus feliciùs materiam morbi attrahere putant.

Vomitum ciendum esse, & quidem semel per septimanam, contendunt, notissimis suis vomitorijs medicamentis. Si Paralysis à copia sanguinis (quod tamen rarum est) fiat, corpusque sit plethoricum, V. S. in latere sano admittunt præcipiuntque. Et quando hisce ter, aut quater vsus est æger, tunc ad *Reuellentia* se conferunt inter quæ eminent clysteres parati ex saluia, chamomilla, maiorana, althæa, ruta, additis electuar. hier. picr. sale gemmæ, & aliis oleis coctis, quorum formulis abstinemus, cum vel lippis, & tonsoribus notæ sint. Hic & sese offerunt masticatoria ex N. M. rad. pyrethri, &c. vt & gargarismata, cucurbitulæ, nasalia, sternutatoria, frictiones cum panno asperiore, & calente; Emplastrum è sinapi nucchæ apponunt. Post hæc omnia ad *corroborantia* confugiunt, quæ cerebrum, & neruos confortant, & intemperiem quamcumque emendare dicuntur, prout sunt theriaca, mithridatium, diambra, diamuscum dulce, zinziber condit. conf. saluiæ, betonicæ, anthos, galangæ, &c. Decoctum lignorum, & radicis acori, zinzib. stoechad. chamæpyth. &c. Fomentationes instituunt partis resolutæ, cum decocto aromaticorum. Balneum quoque adhibent pro parte affecta, ex decocto vulpis, cuius pelle partem quoque læsam cooperiri volunt, prius tamen oleo vulpino illam illinunt. Balnea tum sulphurea, tum nitrosa, vel natura, vel arte comparata pro asylo habent. Hypocaustum, vel stusam siccam cum vasculo idoneo bis in die intrare iubent ægrum, imponuntque lapides ignitos vino calido irrigatos post exitum verò illum in lectum vt se conferat volunt, & assumat ʒ i. *Theriacæ Andromachi*, & originem neruorum aliquo oleo conuenienti aromatico illini iubent. Inter extrema corroborantia extollunt vnguentum Agrippæ, Martiat. oleum vulpinum, de castor. nard. ex pipere, camomill. lumbricorum, rutæ, Philosoph. laurin. Therebinth. costin. sulphur. &c. Quæ omnia tædet hìc recensere, & simul formulas adiungere, esset enim, & hìc post Homerum Iliada scribere.

§. 14. *Paracelsistæ* eamdem ferè apoplexiæ, & paralyseos curationem admittunt quorum magister tradit curam duplicem, duplici causa nitentem, sc. resoluto ficco, & resoluto coagulato, quam guttam priorem curare satagit seq.

℞. *Extract. spicæ*,
lauendul.
de flor. cheiri ana ʒ ij.
Axung. de mumia.
medul. bum. ana ʒ i.

℥ i. ß. M.

Guttæ verò ex resoluto coagulato seqmodo ipse obuiam it:

℞. *Extract. de piper.*
cardamom:
castor.
anacard. ana ℥ j.
Ol. *laurin.*
anetbin. ana ℥ j ß.
nuc. moschat. ʒ ß. M.

Lib. 7. de grad. c. 2. In hoc morbo summum dicit esse magisterium lauendulam, nec non melissam, aliquando betonicam, castor. piper. ol: sulph. ping. sed tamen adijcit, non omnia omnibus proficua esse. In *lib.* 5. de V. S. venarum digitorum pedis sectionem improbat, ante paroxysmum autem vult secari venam, modum & tempus ibidem docet. In paralysi *confortatiua, & corroborantia*, per se administranda ait, v. gr. Aqua vitæ, Essent. lauend. Aur. potab. liq. gemmarum, &c. Tales processus habet; ℞. Sol. puri purgat. per Antimonium ℥ ij. Aquæ salis gemmæ ʒ vi. reduc in vnum cum separatione alcohol. vini, deinde ℞. Croci ℥ ij. alcohol. corr. ℥ vj. f. mixt. dosis a gr. 3: ad 4. vel 6. Vel R. Sol. præpar. ℈ aq. lauend. cum alcohol. vini correct. atque spiculæ, ana ℥ j. dosis ℈ j.

Arcanum sulphuris in paralysi, & contracturis commendat summoperè *tr.* 2. *de membr. contract.* cuius descriptio est sequens;

℞. *Flor. sulph. lib.* ß.
antimon. alb. ʒ ij.
succi auri ℥ j.
aquæ vitæ circulatæ ℥ x.

Digerantur per mensem, congeletur in succum, dosis ß. ʒ Commendat quoque perlas, Balsamum antimonij, Arcanum Quintæ Essentiæ, oleum Vitrioli, &c. Ad purgandum pulu. ossium hum. alijs purgãtibus miscet. Post interna tradit etiam varia externa, fomentationes instituit cũ locustis abietis, pinnis iunip. inungatur pars ol. vulp. & galbaneto Paracelsi. Inprimis inunctionem fieri vult ex animato in tertium vsque caliditatis, & mobilitatis gradum, vt calor, & spiritus nempè ad membra reuocentur, commendans simul thermas naturales confortatiuas, & calidas. Si quis plura cupit, adeat ipsum fontem.

§. 15. *Nos* enim pergimus ad *Helmontianos*, qui saluia volatilia magnificiunt, inprimis illa, quæ ex herbis Cephalicis aromaticis parantur, sic & vomitoria laudibus hoc in affectu extollunt, vt sunt Tartarus emeticus. Vitriolum album, rad. asari, &c. & quæ alia experimenta huius sectæ author antesignanus, accuratus ille destillationum obseruator, nouit, quæ conticenda æstimamus, quia adhuc tenebris involuta iacent.

§. 16. *Willisius* tres medendi rationes tradit, (1.) quatenus resolutio ab externo accidenti, scil. ictu, casu ab alto, vulnere, frigoris excessu, aut similibus inferatur, cum his in calibus fiat effluxus humorum, & sanguinis, ideò suadet, venæsectio, vt instituatur, & aluus clystere semper lubrica seruetur, dein æger lecto commissus, lenem sibi procuret diaphoresin, vt superfluitates serosæ pedentim exhalent, & spiritus animales blandè agitati vestigia priora repetant, in quem finem commendat puluerem ad casum, in *Pharmacopœa Augustana* descriptum, & decoctum Traumaticum cum rad. rub. tinct. aut petasitid. aut fl. hyperici, Loco affecto, si simul adsit tumor contusio, aut vulnus, topica varia, scil. balsama, linimenta, fotus aut cataplasmata applicari vult, & si membrum sit dislocatum, laborandum est, vt quamprimum reponatur, si nihil tumoris appareat, tunc emplastrum oxycroceum, de minio, &c. commendat. Interdum membra resoluta fimo equino, aut granis hordeaceis, post cereuisiam confectam residuis, quæ nos Germani *Crebern* vocamus, calidè immergi, & in his aliquamdiu detineri vult. In genere hoc in morbo phlebotomiam haud suadet, quippè spiritus animales tum è flore sanguinis procreantur, cum intra fibras motrices, ob copulam sanguineam elastici euadunt id-

idcirco huius copia si minuitur, nimis illi deficient, & membra necessariò flaccescent.

Catharsin circa æquinoctia institutam commendat, inprimis autem vomitorium ex Tartaro emetico à gr. III. ad IV. item sulphur antimonij, &c. Ex purgantium censu relinam ialappæ, pilulas de succino vel aloephang. depromit; hisce superaddenda, & interponenda remedia cephalica suadet, vt sunt electuaria, pulueres, spiritus, & salia volatilia, tinctura, & elixiria, cum aquis destillatis, quæ omnia hic in formulas redigere chartæ angustia, & instituti nostri breuitas haud admittit. Pro potu ordinario summoperè commendat cereuisiam medicatam ex salua, betonica, stoechade, ligno sassafras, Cort. VVinter. qui toto continetur anno. Fontanellæ in brachio sano, aut alijs partibus, inprimis in obesis, & cachecticis fiant. In paralysi biliosa siue calida à medicamentorum, calidiorum, & particulis actiuis præditorum vsu abstineri vult, & nonnisi hoc in casu mitiora admittit. In paralysi scorbutica, herbarũ antiscorbuticarum succi expressi, & destillati iunctis reliquis Cephalicis iuxta authorem totam implent paginam.

Remedia topica, & particularia varia, olea, & vnguenta aromatica, vesicatoria, inprimis circa loca affecta applicata, cucurbitulas, picationem, & vrticationem, sacculosque varijs herbis, & rad. aromaticis refertos, emplastra &c. laudibus extollit; nec non membra paralytica, & resoluta in ventrem vel thoracem bestiæ recens mactatæ recondi, aut balneo naturali, vel artificiali, immergi, ac diutiùs in hisce detineri vtiliter posse præcipit, & magnum exinde plures sentiisse commodum expertus memorat. Inter remedia vniuersalia recenset (1.) Diaphoretica, quæ tamen non omnibus indifferenter, sed cũ cautione esse adhibenda vult, ne videlicet materiam, in parte ignobili sopitam, maximo damno in nobiliorem protrudas, quod facilè fieri posse toto die in praxi obseruare licet; sic biliosis hæc valdè offi-

ciunt, prout è contra in naturis frigidioribus maximè ista conducunt. Sunt ergò illa decoctum lignorum, spiritus & oleum guaiaci, Mixt. simpl. pulu. & vinum viperarum, Tinctura antimonij &c. Nobiliss. author quoque commendat Balnea, & Thermas, sed itidem cum cautela, plurimos enim inde in hæmoptysin, asthma, aut talem proiectos fuisse ait. Paralyticos nonnullos etiam saliuatione, proprià, & quorundam aliorum Practicorum experientià, restitutos fuisse annectit.

§. 17. *Syluius*, in curatione paralyseos ab humore pituitoso ortæ instituit sequẽtem curandi methodum; 1. Humorem hunc viscidum peccantem purgantibus vniuersalibus educit. II. Dein caput purgijs, siue errhinis, sternutatorijs, & apophlegmatizantibus rem peragit. Purgantia ipsius sunt *phlegmagoga* dicta, vt sunt colocynthis, & ex ipsa parati trochisci alhandal. dicti, hermodactyli atque turbith. gummosum, addito omnibus his Mercurio dulci, & cum asteriseo notat, quod in pituitosis humoribus, & quidem crassa pituita, conducant omnia mercurialia, non item in biliosis, in quibus potiùs præferuntur antimonialia. Nucchæ cauteriũ siue setaceum instituendum suadet, loco horum vesicatoria, aut cucurbitulas applicandas addens; venæ sectionem verò, nisi adsit plethora manifesta, disuadet. Si tamen sanguis non congruè circuletur, idq; ex pulsu pleno, adeoque paruo, vt, & respiratione anhelosa appareat, venæsectionem omninò necessariam esse contendit. Ad humores pituitosos corrigendos, & volatilisãdos commendat sudorifera aromatica, à *VVillisio* potissimum iam recensita, quæ tædet hic repetere. Fotus, & balnea ex herbis aromaticis parata, & partibus affectis applicata summoperè extollit, sic, & balnea naturalia, thermas sulphureas, balnea artificialia ex aromaticis herbis, tum radicibus, additis sulphure, sale lixiuioso, comparata, & quotidie vsur. pata præcipit. Nec excludit hypocausta, stufas siccas, machinam sc. instar cistæ factam. Externis partibus inungenda ait

olea,

olea aliàsque pinguia inprimis ijs, qui hæc ferre queunt. Olea expressa ex nucibus iuglandibus, baccis iuniperi; decocta, vt rutaceum, nardinum, lumbricorum, &c. Tum stillatitia, therebinthinæ scil. de lateribus, succini, &c. Tum vnguenta, Martiatum, neruinum, Emplastrum de baccis lauri, betonicæ, oxycroceum, ipsi placent. Quod si paralysis à *Narcosi* oriatur, iuxta ipsum facilè curatur acribus, sale lixiuioso volatili præditis, sc. oleo de caphoreo, euphor. & similibus, parti affectæ, & resolutæ illitis; vt, & sudori feris acrioribus, internè vsurpatis, de quibus omnibus videas ipsum *Sylvium* accuratiùs sese explicantem.

§. 18. *Cartesiani* curationem sequenti modo instituunt: (1.) Primas liberant vias ab infarctu, & in eum finem *minoratiuum* exhibent, dein sanguinem crassum, & viscidum corrigunt, alterant ac fluxilem reddunt per *alterantia*, & *incidentia* cephalica, & aromatica, neruoso generi maximè amica. Præparatum hoc modo humorem euacuant purgantibus, Ex. gr.

℞. *Extr. Panchymagon* ℈. j.
Magister. ialapp. gr. x.
Ol. succini gr. ij. *f. pilulæ pro vna vice.*

Post hæc aperiunt poros cerebri, neruorumque tubulos, per sudorifera, quę constant partibus duris, rigidisque, qualia sunt sassafras, guaiac. radix salsaparill. &c. Et his addi volunt aliquid Tartari, vt pori horum lignorum meliùs recludantur, & sic extractio fiat intensior, & quoties adhibetur tale decoctum, æger sudare debet in Laconico, ad facilitandum, & meliùs eliciendum sudorem. Tandem, & roborantibus hoc est paululum astringentibus medicamentis curam concludunt, inter quæ sunt essentia ambræ; in fœmineo sexu verò ob sua veolentiam inimicam ab ea abstinendum est, & in eius locum, substitui potest tinctura succini, Lunæ, &c.

§. 19. Hactenus *aliorum altaria* fumarunt, nunc, & ad nostra redeamus, qua medendi methodo suffulti, plures curauimus paralyticos. 1. serum vitiosum, & coagulatum, atque acore, item sulphureis tartareisque particulis contaminatum, & refertum, Regem nostrum sępissimè inundans, educatur; in quem finem magno cum successu vtimur *euacuantibus*. Si verò acidum nimis abundet, priùs illud antacidis demulcendum, & dulcificandum, aliàs enim laterem lauabis. Cautè quoque purgantibus procedendum est, & vires semper sunt respiciendæ, ne ægrum in maius præcipites periculum. Inprimis verò huic consilio nostro purgandi insistendum est, si cacochymia, & cachexia seri copiam indicent, ita enim depleto, & exonerato sero vitioso, in neruos suum redundabit commodum, & lenia purgantia fortioribus præferenda, experientia didicimus, vt verò priùs dulcificentur humores, vbique asteriscо notandum volumus. Purgantia cum neruinis quoque commiscere, solemne nobis est, *vt sic vna fidelia plures dealbemus parietes*. Palmam alijs prępripiunt aloetica saburrham pituitosam ac tartaream stagnantium humorum euacuantia. Formulæ sunto sequentes, in iuniorum gratiam.

℞. *Mass. pil. Cathol.* ℈. j.
Extr. pæon. gr. v.
Ol. maioran. gr. j.
M. f. pilulæ num. xv. *D. pro vna vice*

℞. *Pulu. laxat. veget.*
Aloes succotrin. vin. lot. ana ℈. ß.
Acid. Tartari. gr. xi.
Fœcul. pæon. gr. x.
M. f. pulvis subtilissimus.

In Ephemeridibus Germ. Ann. iii. Obs. 334. laudatur sequens.

℞. *Mann. Calabr.* ʒ. ij ß.
Aq. lilior. Conual. ℥. iij.
Crem. Tart. ℈. j *M.*

Inprimis hic commendamus varia infusa, & vina medicata, quę sensim sine sęsu alterādo, & purgādo officiū peragunt. v. gr.

℞. *Herb. chamæpith.*
chamædr.
saluiæ.
Flor. pæon.
stœchad. Arab.
anthos ana M. ß.

Rad. valerian.
pæon.
doronic.
caryophyllat. ana ℥ ij.
hermodactyl.
mechoacann. alb. ana ℥ ij.
Fol. sem. s. sl. ℥ j. ß
Rhabarb. flau. ℥ iij.
Galang.
Cinamom.
Spicæ Indic. ana ℥ ß.
Concis. & contus. D. ad. sindonem, pro mensura vini.

Superiùs diximus, quod purgantibus præmittamus aliquando *Præparantia*, & *Corrigentia*, ad viscidos illos humores incidendos, & resoluendos, qua acidos, & fixos absorbendos, & temperandos, quorum formulas nonnullas hic adijciamus; Ex gr.

℞. *Aq. cerasor. nigr.*
salviæ ana ℥ ij.
epilept. Lang. ℥ vj.
Extract. chamæpith.
chamædr.
castor. ana ℥ ß
Elix. cephal. nostr. ℥ j.
Syr. stœchad. ℥ j.

M. D. ad vitrum, de qua mixtura patiens capiat duo, vel plura cochlearia.

In quacumuis Paralysi *Vomitoria* magnificamus, ventriculus enim Paralyticorum scatet sæpiùs pituitosis, ac viscidis humoribus; in hunc finem exhibere solemus vini nostri emetici vnciam semis, vel Tartarum emeticum, ritè, & ad methodum *Excellentissimi Ludouici* paratum, à gr. 1. ad v. si quis malit rad. asari à ℥ ß. ad ℥ j. siue vitriolum album à ℈ ij. ad ℥ j. exhibere, per nos licebit. Quod verò *Willisius*, & *Helmontius* obseruarunt, id & nos obseruauimus, in genere hoc in affectu excellere *Diaphoretica*, quæ partim dulcificando humores, partim serum superfluũ, & Regi nostro negotium facessens discutiendo, expellendoque, partim iam coagulatam lympham, & neruos obstruentem dissoluendo, opus suum peragunt, sanguinis quoque stagnationem (quæ spirituum est exitium) impediunt; & vbi vnicum lęsione sua in culpa est acidum, quòd ex asse Diaphoreticis simul absorbetur, palmam aliis præripiunt alcalia volatilia, quæ longè præstant fixis, cum & peregrino hoc acido penitus absorbendo, & eius spiculis planè obtundendis conueniant. Salia quoque volatilia vrinosa, seu salia volatilia liquida, solida & fixata prosunt, quæ sanguinem alioſque succos fermentando spiritus animales ad rarefactionem ac turgescentiam disponunt, qui sic ad explodendum apti facti, dominiumque adepti, recrementa illa acetosa, & narcotica subiugant, illorumque vinculis se se extricant, vnde eadem (tamquam impurum à puro separatum) laxatis cutis, & cuticulæ poris, extra corporis prouincias expelluntur, & sic porrò torporem humorum, & spirituum excutiunt, & serum vappescens, porosque neruorum obstruens, referant, & corrigunt.

Materiam illorum suppeditant nobis varia ex triplici regno petenda, vt sunt sal C. C. succin. volat. & (ne peregrè quæramus, quæ domi habemus) sal, & spiritus fuliginis; si cariora cupis, essentia castorei, spiritus salis armoniaci, liq. C. C. succinatus, aliaque volatilia adhibeantur. Magni etiam facimus in hoc morbo volatilia oleosa, quorum vsu nos plures restituimus, inter quæ tanquam Luna inter stellas minores, elucet Balsamus Neruinus *Nobilisſ. D. D. Sebastiani Schefferi*. Amici, & Collegæ nostri sæpiùs laudati, qui parari solet, ex sal. C. C. vol. ol. Macis, & spiritu vini; viperina etiam conducunt, quorum volatili sale, *Excell. Wizelius Physicus Ordinar. Francofurtens.* Celeberrimus, Amicus noster colendissimus, PRINCIPEM NASSOVIÆ Paralyticum felicissimè restituit. Præcipitantia alcalia fixa; seu dulficantia, & absorbentia, quandoque omne serum punctum, inprimis si specificis aliis maritentur. Absorbens illud *Wedelij* in Opiologia descriptum, viribus suis conspicuum est, cui pro re nata addi potest pulu. lumbric. terr. succin. præpar. vel salia eorum volatilia. Sequens esto formula:

℞. Re-

℞. *Bezoard. Mart. ℈. xij.*
Pulu. absorb. Wedel. ℈ j.
Marcb. ʒ ß
M. diuidatur in 3. partes æq. ad 3. vices.
Vel ℞. *Aq. card. bened.*
Chamædr. ana ʒj
Spir. C.C. succinat. gr. xij.
Essent. antimon. tartarisat. gr. xv.
Syr. de scordio q. s. ad gratam dulcedinem.

M. potiuncula pro vna vice, & æger ad sudandum corpus suum disponat. Omnia quoque medicamenta ex viperis desumpta conueniunt optimè in hoc affectu, internè, & externè, Ex. g.

℞. *Oss. microcosm. præp.* ʒ *ij.*
Spin. viperar. ʒ j.
Cinab. antimon. ℈ *iiij.*
M. F. *Puluis. Dosis* ℈ j.
Vel ℞. *Tinct. Bezoart.*
Essent. lign. compos. ana ʒ j.
Spir. nostr. Cephal. ℈ j.

M. Cuius vsus in iusta dosi per aliquot dies manè quidem continuari potest.

Hic verò præ alijs excellunt, ceu sæpiùs diximus, salia volatilia, vti in omnibus morbis vulgò frigidis dictis, quia hæc particulis suis volatilibus penetrantibus neruisque amicis, maximè *Microcosmetorem*, ob sibi obuersantem fugam furibundum factum, sæpiùs demulcent, neruorum poris se inserunt, eosque peruagantur, & sic liberum præbent spiritibus animalibus cursum vigoremque, illosque adaugent non aliter, quam ignis ab igne excitatur. In Tyronum gratiam, vnam vel alteram addamus formulam.

℞. *Pulu. Cephal. D. Michaelis* ʒ ß
Magist. cran. human.
Castor. ana gr. x.
M. D. ad duas chartas, pro duabus vicibus.
℞. *Aq. lil. conuall.* ʒ ß
Spir. sal. armon. volat. ʒ *ij. M. D.*
Vel ℞. *Elix. cephal. tartarisat.* ʒ *ij.*
Spir. sal. armoniac. ʒ ß
Ol. Maioran. gr. v. M.
Vel ℞. *Spir. secundinar.*
Liq. C.C. succinat. ana ʒ j.
Essent. Castor. ʒ ß
lignorum ʒ j. *M. D. Dosis* 20. *gutt.*

In scorbutica, & ex colica orta paralysi remedia vigorandis corroborandisque cerebro, & neruis appropriata, cum antiscorbuticis generosioribus coniungantur, quod perfici commodiùs non potest, quã si præsidiis antiscorbuticis absorbẽtia, & præcipitantia cõmisceamus, quæ ita maritata, insignem præstant vsum. Sunto formulæ.

℞. *Spir. Cochlear.*
Beccabung.
Elix. propr. cum spir. cochlear. parat.
Spir. lumbricor. terr. ana ʒ j. *M.*

Prosunt & hic Spir. Tartari dulcif. Tinctura Martis, vitriolum Martis, puluis B. D. Michaelis; conducunt & *Diuretica* ad Tartareas scorias, amurcam acetosam, & fœculentam, siue salia impura, & syluestria auferenda. Ex. gr.

℞. *Sal. chamædr.*
chamæpith.
scordii ana ℈ j.
Tartari vitriolat. ʒ ß
Lapis cancror. ℈ ij.
ol. caryophyll. gr. j.
M. F. Puluis, diuidendis in viij. partes æquales pro tot vicibus.

Sed inprimis hoc in casu conducunt Thermæ sulphureæ, testatur enim Citesius, quàm plurimos se ex colica, apud *Pistauienses*, olim Epidemica, in paralysin deiectos, eorum vsu ad integram sanitatem breui reductos obseruasse. Idem testatur *Nobil. Charleton. Tr. de scorbuto*, de Thermis apud *Bathonienses* in agro *Somersettensi* scaturientibus.

Si Paralysis ex intempestiuè assumptis Narcoticis oriatur, cuius generis nos aliquoties obseruauimus, tunc insistendum est medicamentis sale lixiuioso volatili præditis, & aliis salinis volatilibus, vt sunt Ess. castorei, &c. Hisce Pharmaceuticis superaddenda suademus Heroica illa Chirurgica. V. S. verò locum quidẽ hic non habet, quia cum omnia in Paralyticis languida inuenimus, quid quæso aliud faciet, eam instituendo, quàm quod effundas

balsamum vitæ, iam ad exiguam paucitatem sedactum, quo penitus effuso, anima euolat. Non tamen nostræ est intentionis, vt præuaricanter phlebotomiam reiiciamus; in particulari enim paralysi, ex sanguine, vel casu, vel percussione, &c. orta, eam admittimus. Quod si quoq; hæmorrhoides, aut aliæ consuetę euacuationes per tempus cessauerint, nostro calculo eam itidem approbamus, perinde vt idem facimus, si fiat in principio apoplexiæ resoluentis, per metastasin, in illam paralysin. Sic, & exultare iubemus cucurbitulas scarificatas, quæ cruciant saltem ęgrum, & vt cæcias nubes attrahunt, & alliciunt potiùs particulas syluestres, canaliculos magis obstruentes.

Vt verò spiritus, & calor cum sanguine partibus magis concilietur, & vt parti resolutæ viuidus restituatur tonus, frictiones suademus, inprimis vbi sensus simul deficit, nec negligendam vrticationem, cum vrticis recentibus, semel, vel bis de die instituendā censemus, donec rubor appareat

Setacea, & cauteria, cum magno *Syluio*, magni pendimus, serosam enim colluuiē euacuāt; si malum à compressione, vulnere, contorsione, fractura oriatur, partes illæ in pristinum locum quantocyus restituēdæ sunt.

Inter externa topica, præ aliis commendamus ad nucham Balsamum mirabilem artificialem; ad ipsam v. spinam sequentia. Ex, gr.

℞. *Vnguent. martiat.* ℥
neruin. ana ℥ ß
Ol. de laterib.
succin. ana ℥ ß
petrol. ℥ j. *M.*

Vel ℞ *Vnguent. neruin.* ℥ j.
Ol. anthos.
succin. ana ℈ j.
rutæ cocti. ℥ iij.
spicæ,
saluiæ,
lunip. ana ℥ ß
Balsam. de Peranigr. ℥ j. *M.*

Vel ℞. *Vnguent. neruin.* ℥ ij.
℥
Ol. lumbricor. ℥ j. *M. D.*

Oleum cantharidum, cum aliis oleis aromaticis iunctum, & externè illitum, præstantissimum est medicamentum.

Ciconiæ, seu galli venter impleatur appropriatis, dein assetur, exinde prodiens pinguedo valdè prodest in affectibus paralyticis.

Spiritus lumbricorum, formicarum, asellorum, &c. hic non contemnendi sunt vsus. Hoc autem notetur, ne olea cocta sola, vel pinguedines, ad vsum nimium vocentur; visciditate enim suà poros obstruunt, vnde diluenda sunt calidioribus, destillatis, tincturis, spiritibus vini, & aliis spirituosioribus, annotāte nobiscū *Hæffero.*

Fomenta, lotiones, suffitus ex herbis appropriatis, aromaticis, quæ infundantur in spiritu vini, dein destillentur, approbamus; spirituosa enim hæc penetrant, dulcificant, irradiant, & roborant membra. Commendamus in hunc finem, essentiam sequentem antiparalyticam, ad membra, à nobis sæpiùs comprobatam.

℞. *Sal. volat. CC.* ℈ j. *solue in aromatico liquore, & adde essent. duarum pretiosarum resinarum, quas mare proiicit ana* ℈ iv
Essent. benè olentis Mumiæ ℥ ij. *M. & tanquam thesaurum pro paralyticis serua*
Vel ℞. *Spir. liliorum conuall.* ℥
Aq. apoplect. Lang. ana ℥ j.
Essent. castor. ℥ j. *M.*
Illinetur hac mixturā spina dorsi à nucha ad os coccygis vsque.

Sternutatoria, suffimenta, balnea, tum naturalia, tum artificialia ad partes vocamus, vbi præ nitrosis excellunt bituminosa, sulphurea; his verò in nostris oris prostant *Thermæ Embsenses*, & *Wisbadenses*. Balnea artificialia, sæpiùs repetita, è frondibus pini, & formicis, additis simul herbis neruinis, & paregoricis, ipsisque adeò mineralibus confecta, egregii hoc in casu vsus sunt; laxas enim partes roborant, tonum restituunt, & illapsos obstruentesq; humores digerunt, & dissipant, vt spiritus liberiùs vagari, & functiones suas obire queant. Atque hoc fuit illud stratagema celeberrimi nostræ ætatis *Medici Italici Burrbi*, qui in ahenum omnis

ge-

generis animalia, v. gr. vulpes, canes, formicas, hirundines, &c. coniecit, indeque balneum parauit. Quem & eodem successu secutus est Dominus Craneburgensis de Fay dictus, Chirurgus ille famosissimus, & nobilissimus, qui ex iisdem animalibus vnguenta, & olea coxit, ad hunc, & similes affectus aptissima.

Denique etiam nobile illud infusoriæ artis inuentum, & aliquando nobis restituit ægrum Paralyticum. Membra resoluta quoque cum magno fructu hordeaceis calidis, & ventribus variorum animalium imponenda iussimus; nec hasta abiicienda, horum enim vsu nisi sanitas statim restituatur, non illicò desperandum est, chronicus enim est morbus, mēte ergò reuoluendum *illud Hippoc. S. 2. aph.* 52

CAPVT XII.

De Morbis Capitis.

DE CONVVLSIONE.

§. 1. *Conuulsio*, ratione Etymologiæ, à *conuellendo*, & *Spasmus* ἀπὸ τῦ σπᾶν, *contrahendo* deriuatur, quia hoc in affectu musculorum principium, atque finem in vnum quasi conuelli, & contrahi, obseruare est. Dicitur & κάταγρατικὸς *Crampus*. Differt spasmus à conuulsione, quatenus spasmus semper dolorificus est, conuulsio verò non item.

DEFINITIO.

Describi consueuit, Quod sit *musculorum contractio inuoluntaria, stabilis, & dolorosa, ab intimiore neruosarum partium irritatione, vel à nimia insufflatione spirituum animalium, orta*. Dixi inuoluntaria, affectus enim hic neruos, vel ipsorum fibrillas, musculosque ad motum præter voluntatem cogit, indeque inuoluntarius hic fit motus in parte, quæ voluntariè aliàs moueri solebat. Dolorifica quoque est, quia partes sensu exquisito præditas occupat.

DIFFERENTIA.

Diuersas species, vel potius gradus quod attinet: aliquando totum corpus cōuulsione subita corripitur (latinis est *dissentio*) prout in *Tetano*, vbi totum corpus tectum, & distentum occurrit, in quo cæsis neruorum principium quoq; lędi creditur. In *Emprosthotono*, & *Opisthotono* vniuersi corporis partes, in priori antrorsum, in posteriori retrorsum flectuntur. Interdum contingit omnes corporis partes, capite excepto, conuelli; sępiùs quoq; accidit, vt caput solum retrorsum ad dorsum trahatur, & conuellatur, sæpissimè tamen fit, vnam duntaxat corporis partem distendi, ac cōuelli, puta *oculum, gulam*, vt patiens nihil deglutire possit, *linguam, frontis cuticulam*, ceruicem, collum, crus, brachium, digitum pedis, &c. Est quoque species illius spasmi leuioris, sæpiùs enim illa per se, breuissimo temporis spatio soluitur, quandoq; sola frictione mitescit, qualis quoque species spasmi vltra horę spatium vix affligit, quā experimur frequenter in cruribus, suris, in manuum, pedumque digitis. Nonnullis ita arctè per hunc morbum cōtrahuntur crura, brachiaque, & subinde etiam manus, vt vix magnis viribus ab adstantibus extendi possint prædicta membra, priusquam accessio finiatur. Aliis os spasmadicè contrahitur in *spasmo cynico* dicto, vbi musculus oris latus dictus, ab vna solum parte contractus, speciem ringentis canis refert, sin ab vtraque parte contrahatur, formam dat ridentis, & *risus Sardonicus* appellatur, sin quoque temporum, & mandibulorum musculi irritentur, & contrahantur, cum stridore dentium, *Trismos* vocatur. Maxillæ interdum ita colliduntur, vt aperiri nunquam possint.

PARS AFFECTA.

§. 2. Quanta animorum contentione de subiecto conuulsionis digladientur authores, id testantur bibliothecæ Medicæ. Veteres cerebrū primariò hic affici putauere, plures & maxima pars stat pro musculis, tanquam subiecto adæquato; alij probant neruos esse partem affectam primariam, nonnulli spiritus animales esse proximum motus instrumentum, indeque, & huius nostri affectus partem affectam contendunt, anteſignano militantes *Willisio*; pauci *tendines* accusant;

multi pro carne fibrosa certant, tanquam fibris membranisque præditam. *Syluius*, aliique ipsum cerebrum, ac cerebellum vnà cum radicum spinalis medullæ initio, esse locum affectum primarium statuunt. Hæc ex latifundijs aliorum contulimus, illud quod sequitur, nostri agelli fructus est. Præsuppositio tanquam certo, idem esse motus tam voluntarij, seu naturalis, quàm inuoluntarij, seu præternaturalis subiectum, ac omnium penè Anatomicorum consensu, musculos fibrillis neruеis abundantes, pro motus voluntarij instrumento haberi, meritò,& pro certo concludimus, eosdem etiam inuoluntarij,& spasmodici motus esse organon, & subiectum adæquatum, quod D. *Helmontius* probat,musculos habere duos motus, vnum quatenus sunt clientes voluntatis, vt edant voluntarium motum, alterum verò in quantum inuita voluntate proprio feruntur motu; estque hic etiam duplex, prior sc. quatenus vnico tractu violento contrahitur, prout in spasmo, *krampff*. Diximus etiam in præcedentibus conuulsionem immediatè produci ab irritatione, toto enim die obseruamus, carnem musculosam nunc cæsim, nunc punctim lædi, absque vlla accedente conuulsione, è contrario à punctura neruorum,& vulneribus partium neruosarum, frequentissimas oriri conuulsiones, prout ab ictu serpentum, viperarum, aliorumque venenatorum animalium videre licet. Meritò ergo decernimus, Neruos ipsorumque fibrillas esse subiectum spasmodicæ contractionis. Nerui enim cum sint sensus exquisitissimi, irritationem præ aliis partibus promptissimè suspiciunt, & spiritus quos vehunt animales simul in motum impetuosiùs adigunt, quo facto necesse est motum, & sensum deprauatè fieri. Neruos verò hìc sumimus inclusiuè cum productionibus eorum fibrosis, tendinosis, membranosis, & spiritibus animalibus inflatis, quæ singula irritatione concepta,motu continuato spasmodicè contrahuntur, sicque totum conuellunt musculum. Musculus enim est proprium motionis instrumentum, qui si præter voluntatem ad suum principium contrahatur, læsus meritò dicitur, vt in oculi spasmo, qui strabismus vocatur, musculi ipsum mouentes, conuelluntur; in spasmo cynico verò musculi dimidiæ faciei contrahuntur; si verò in vtraq; parte fit contractio patientis, os speciem dat ridentis, risusque Sardonicus vocatur; si labra conuelluntur,musculos latus dictus affectus est,ex quo labiorum musculi oriuntur. Idem de alijs corporis partibus dicendum. Sed motum hunc præternaturalem in musculis iucundo spectaculo obseruare licet,cum recens mactatorum, indeq; adhuc calentiū animalium, vt boum, &c. musculos per totum corpus trementes & quasi salientes (perinde vt serpentum, piscium,anguillæ, lucij, &c. corda exempta) deprehendimus,exanguia enim ita à spiritibus, adhuc restantibus sursum, & deorsum, variéque moueri videmus. Id, & confirmat Excell. Dn. *Mich. Ettmullerus* in eleganti Disputatione, cui titulus. *Parua magnorum morborum initia*, §. 15. In omni parte, vbi duntaxat fibrillæ adsunt,conuulsio fieri potest,& omnes dolores ab hac deriuare possunt.

SIGNA.

§. 3. Transeundum nunc ad signa, quibus hunc affectum, vt ex vngue Leonem cognoscimus. In omni autem neruorum distentione dolor plerumque concurrit vehemens, qui vires immodicè consumere potis est, inprimis si diu persistat. Pars affecta quoque versus suam originem ita fortiter attrahitur, mediantibus neruis, musculis, & spiritibus animalibus, idque præter voluntatem, vt ad pristinum habitum vix reduci queat. Dum autem partes omnes capiti subiectæ, conuelluntur, contingit præter illam dictam attractionem,corpus, vel nullo modo inflecti posse, vel in priora ita incuruari vt mentum iungatur pectori, vel in posteriora ita detorqueri, vt caput scapulis quasi impellatur; caput quoque aliquando vi huc,vel illuc concutitur,facies rubore perfunditur, doloreque molestatur. Ex oculis quando-

que

que distortis nonnunquam lachrymę manant, atque os vix aperire potest patiens. Dorsum, maxillæ, manus atque crura rigent, nec extendi queunt. Hinc vbi malum altas egit radices, dolorum magnitudine ita æger excarnificatur, vt è lecto exiliat, pollicem pugno concludens, clamoribus vociferetur, ac, quasi mente sit captus, magnas profundens nugas, & patiatur deliria, spiritibus ita extra sphæram suam excurrentibus, tandem etiam eger potum per nares ejiciat, & variæ species idearum obijciantur. Sed non lubet plura enarrare, cum ab alijs id ad nauseam factum sit, cui enim Medicorum non est cantatus hic Hylas?

CAVSA.

§. 4. Causæ explicandæ nunc aliquid temporis est dandum, & quidem si primò veterum libeat insistere terminis, de causa huius morbi agentium: Omnes illi *causam immediatam*, vel *repletionem*, vel *inanitionem* (contra mentem *Helmontii*, qui hæc anilibus figmentis annumerat) posuere. *Repletionem*, vel à sanguine deduxere, vndè conuulsionem repentè etiam in corpore sano obortam narrant, quando sc. præcessit vita otiosa, crapula, ebrietas; vel ab humore pituitoso, qui se prout sanguis in neruorum musculorumque substantiam insinuat, modò tantum intumescant & dilatentur musculi, secundùm profunditatem, latitudinem atque longitudinẽ, illique contrahantur, tum enim conuulsionem seu spasmũ exoriri sibi persuadẽt.

Mediatas verò causas varias, vel ab apostemate, vel ex suppressione alicuius vacuationis consuetæ; aliquando etiam à vaporibus crassis, si spasmus scil. subitò oboriatur, & facilè desinat, deducunt. Hæc fuere dicta de *repletione*. Nunc, & argumenta ipsorũ paucis videamus, quod attinet *inanitionem*. In hac vel illi *inanitionem* seu siccitatem nerui frequenter causã esse, sequentibus ducti rationibus probare satagunt, quod spasmus ille longiore gignatur tempore, & labor, aut vigiliæ immodicæ febris ardens, solicitudo, sudor immodicus, vomitus, alui deiectio, sãguinis immodicum profluuium nimius coitus, inflammatio, vomitus, ex helleboro inprimis aliisque venenosis, dolor vehemens, hectica, cauteria aut vesicatoria, neruosis partibus temerè appositа, ardorq; magnus partium neruosarum, aliaque id genus præcesserint. Ex hisce enim causis remotis, seu procatarcticis, dicunt illi contingere, corpus, subinde etiam ipsos neruos, ita exsiccari, proprio neruorum humido radicali nempe exhausto, vt haud secus, atque coria iuxta ignem posita siccescant ac in se contrahant.

§. 5. *Paracelsus* spasmum, quem contracturam vocat, eiusque generationem ad epilepsiam refert. Causam eius principalem spiritum Mercurij, sale acetoso imprægnatum statuit, alibi quinque species proponens, pro diuersitate causarum. (1.) Ait illam fieri ex læsione, vulnere, ictu, contusione, casu, abbreuiatis neruis, vulnere non ritè curato; (2.) ex calculo, & arena renum, & vesicæ. (3.) ex colica, cetositate fellis, & melancholiæ, membra conuellente. (4.) ex ira. (5.) ex vino. Alio loco ex Mercurio quodam Microcosmico oriri hunc affectum, probat per illos, qui eum tractant. Alibi spasmum ex frigido, h.e. ex vento, vel flatu excitari contendit, perinde vt, & ex nimio potu, & cibo.

§. 6. *Helmontius* affectum hunc partiam nominans Epilepsiam, omnem conuulsionem seu spasmũ fieri putat à *Blas vitali* musculorum, ex *Archeo innato* suscitato, cuius occasio sit aliquod malignum, irruens in Archeum musculorum, vitæ insidians. Et *cap. 11. de Lithiasi n. 131. 132.* varias admittit spasmi species in asthmate membranam pulmonem ambiẽtem affici credit; in pleuritide *pleuram*; in anxietate, & palpitatione cordis mediastinum vel diaphragma; in vomitu, singultu, & cardialgia ventriculum; in hydrope, vtero, &c. abdomen, in torminibus intermittentibus, vel colicis intestina: in gonorrhæa parastata vasa spermatis stimulo contrahi, & excitari spasmum, itidem probat. Omnes verò harum partium con-

tracturas, exinde dolorificas fieri autumat, quia Archeum, & spiritum acredine, ponticitate aut gradibus caloris, aut frigoris iciunt. Dolorem enim intensissimum Ille ab igne deducit, sc. ab alcalibus, aut corrodentibus, igni proximis, austeris, ponticis, & acidis, mox dein à salsis, acribus, amaris, &c. venenis. De quibus omnibus author sat ingeniosè disserit.

§. 7. *Thomas Willisius* Anglicus ille Galenus (per anagramma *Angelus*) particulas heterogeneas, & valdè explosiuas spiritibus animalibus, in hac aut illa corporis regione agentibus, accrescere supponit. Dein ex iniqua combinatione, & irrequieta huius materiæ, & spirituum collisione, crebras vehementesque explosiones editas, paroxysmos spasmodicos inducere demonstrat; quoties enim particulæ nitro-sulphureæ particulis spirituum animalium spirituo salinis accrescunt, toties explosiones impetuosè excitantur; quæ explosiones spasmodicæ, iuxta nostrum Authorem, non duntaxat in musculis fiunt, sed etiam in membranis, ventriculo intestinis, mesenterio, aliisque partibus exanguibus, Crampa, siue Tetanos plerumque oritur, quando spiritus animales iniussi è tendinibus aut vno, aut simul vtroque in musculi ventrem prosiliunt, vnde pro more solito mox regredi nolunt, verum diutiùs intra carnes manẽtes ea valdè inflant, & summè contractiuas reddunt. Dein siquidem alii musculis hisce neque cedunt, neque in cõtractione conspirant, pars rigida, & cum summo dolore tensa sit. Huius causa dicitur materia quædam heterogenea, quæ per ductus neruinos, vna cum succo eorum, in musculos descendens, & spiritibus cohærens, eosdem elasticos simulque obstinatos reddit, ita vt intra fibras tendineas contineri nequeant, sed spatia ampliora desiderantes in carnes excurrant, ibidemq; donec deferbuit eorũ tumor, permaneant, & quæ alia plura elegantissimè edisserit *Willisius*

§. 8. *Franciscus de le Boe. Syluius* hoc in affectu modo *acrimoniam*, modò *aciditatem* quandam in humoribus culpat; hinc mox bilem, præcipuè atram, vtpote omnium acerrimam, & acidissimam, mox pituitam putrefactam, quippe, & in hac aut latet acidum, aut sal lixiuiosum, peccare contendit, quorum humorum acrimonia, aciditateque membranosæ cerebri, cerebellique, & spinalis medullę, neruorumque, atque adeò omnium partes ita vellicantur, & malè afficiuntur, vt consequatur impetuosus, copiosus, & perseuerans spirituum animalium ad musculorum fibras motus, h.e. spasmus.

§. 9. *Cartesiani* cum Veteribus ferè, (quod rarius fit) amicè conspirant in hoc causarum argumento, vt adeò dicas id, quod apud Iuris Consultos prouerbij vicẽ obtinere audio, qui dum verissimum esse quid significare voluerim, *Iulianũ* id dicũt *scripsisse, & verissimum esse*, cũ, & *Marcellus* perpetuus Iuliani corrector consẽtiat.

A repletione enim, & *inanitione* neruorum, vel medullæ originis causam deducunt, & per idem probant exemplum, ac Veteres, nempe prout chordæ in cithara præ nimio calore, aut siccitate contrahuntur, sic, & nerui conuellantur, & se arctius, comprimant; & eundem affectum, *crampe* dictum, à lento, frigido ac crasso flatu, partes inflante, & distendente, oriri volunt. Hoc etiam inter alia argumenta probant, quod modico calore, & sola frictione, depelli possit hic affectus.

§. 10. Nos vnicuique liberum arbitrium relinquimus, nec vllum obtorto quasi collo ad nostra comitia cogimus, quippe qui nostram duntaxat opinionem proferre, & probare satagimus. *Conuulsionem* tum in genere, tum in specie, immediatè ab excandescentia Regis nostri *Microcosmetoris*, minori tamen quàm in *Epilepsia* est, spiritibus animales impetum facientes, hinc indè confusè regentis, oriri statuimus. A spiritibus enim principaliter omnis fluit motus; fibrarum enim motricum beneficio omnis in corporis œconomia localis motus existunt motores. Quotiescunque ergò pars quædam sensu molesti vel noxij infestatur fibrillarum sẽsilium inordinata, & vehementiore vibra-

tione

tione, ſpirituum ad eam allicitur impetus, à quibus aucta, & plus minus ſpaſmodica earum tenſio perficitur; ſpirituum enim quamdiu viget impetus elaſticus, etiam fibrarum motriciũ ritè fabricatarum tonus, & inde dependens tam ad externorum obiectorum promptiſsimè recipiendam impreſsionem ſenſilem procliuitas, quam continuus ad motum nixus, debito in robore vigebunt; adeoque partium continentium localis motus, cum contentarum promptiſsima vndique diſtributione, quin, & pro occaſionum varietate, inordinata commotione, & nonnunquam excluſione continuabit. Sufflaminato enim nonnihil ſpirituum illorum impetu motiuo, & inhibito quadantenus radioſo illorum influxu, ceſſabit etiam proportionaliter fibrarum tonus, remittet vna ſenſilium facilis receptio, & langueſcet fibrarum motiuus nixus, prout Clar. *Etmullerus* diſſerit ingeniosè. Sic, & ſpaſmus oritur ab obſtructione in tubulis muſculorum, quia iſta obſtructione humores ibi hærent, & ſpiritus influentes impediti in iſtas fibras circa obſtructionem irruunt, & iſta irruptione neruos irregulariter vellicant. Hinc cauſam præbent, cur ſpiritus per apertos poros neruorum magna copia in muſculos influunt, & ita diſtendunt. Cauſa prima, & principalis ſpaſmi latet ſæpiſsimè in membro ipſo, & non in cerebro. Nunc paucis videamus cauſas mediatas. Hoſtis verò accedens armatus tot, & varijs armis, haſta, gladiolis, bipennibus obtuſis, & obtuſangulis, munimenta externa, in quibus milites Regis noſtri (ſpiritus animales) degunt, neruoſas fibrillas quaſcunque aggreditur, quibus ſpiritibus impetuosè accurrentibus fit irritatio neruoſarum illarum partiũ, à qua intimiore, & conſtanti irritatione fibræ neruææ criſpantur, & contrahuntur, muſculi abbreuiantur, & intumeſcunt, cum dolore, & duritie, à ſpirituum animalium ſolo influxu impetuoſo dependente. Criſpaturæ enim fibrillarum neruearum dolorosè commotarum, non verò ſumi, aut vapores, motus excitant conuulſiuos. Partes ergò neruoſas vellicantia, & criſpaturas inferentia ſunt omnes humores acres bilioſi, ſæpius acidi, p ntici, cum ſanguine, & lympha, mediante circulatione neruoſo generi communicati. Sunt, & varia externè aſſumpta purgantia fortiora, potius venena, antimoniata; occaſione enim ſpiculorum antimoniata, cum Vino infuſionis Croci metallorum, aut vitro antimonij hauſtorum, fibræ tum ſtomachi, tum aliorum viſcerum, & partium corrugari, & vellicari poſſunt, vnde ſæpè vomitus enormes conuulſiones præcedunt. Si enim acor aut acrimonia partem neruoſam vellicauerit, ſenſim inchoatur prædicta criſpatura, donec ad ipſum principium proueniat, ipſosque ſpiritus animales turbet. Ex his enim patet, ſpaſmum non tam ex mente Veterum ex inanitione, quàm eam ſubſequente acrimonia generari prout videre licet in hypercatharſi, vbi non inanitione ſpaſmus oritur, ſed potiùs ab acrimonia, eam ſubſequente, teſtante id nobiſcum Exc. *D. D. Wedelio*, Collega noſtro colendo *in Ephem. Germ. Ann. X. obſ.* 75. Nec tamen excluſum volumus humorem quemuis fęculentum, venenoſum, tartareum, paucis acidum ſc. ſiue ſit pituita, ſiue ſuccus pancreaticus, ſiue ſerum, iuxta illud tritum, *Acida neruis ſunt inimica*. Hinc eſt quod arthritici tam frequenter vexentur ſpaſmis, vt & pueri, qui plerumq; ex nimia addiphagia acidum plus minus viſcoſum in ſinu habent, vel ob vermes, prout, & illi adultiores, qui Rhenani Bacchi floribus nimioperè aſperguntur, pro grato aciditatis guſtu *Tremorum* pœnas luunt. Acidum ergò ad inducendam conuulſionem debet eſſe paulò fixius, craſſius, & ſubiecto moderatè viſcido irretitum; non enim debet eſſe acidum volatile, poros enim cerebri peruadendo, potius & faciliùs *Epilepſiam* produceret, quàm *confuſionem*. Inter cauſas remotiores recenſemus omnia, quæ acrimoniam, & acorem pro irritatione ner. uoſarũ fibrillarũ ſufficientẽ ſubminiſtrare poſſunt, vel communicando, vel abſumendo humores blandos, ita vt, reliqui tum

acrio-

acriores, ſicque neruis inimici fiant. Ob ſalis fluorem vidimus in ſcorbuticis ſpaſmum hunc ordinariò accidere; prout triſti ſpectaculo obſeruauimus in *coniuge Nobiliſſimi Conſiliarij cuiuſdam*, quæ primùm euomebat maximam *pituitæ acidæ* quantitatem, quem vomitum excipiebant *conuulſiones* manuum, brachiorumque, cum anxietatibus cordis intenſiſſimis, acido mitigato inferius dicendis remedijs, omnia remittebant ſymptomata, & morbus placabatur.

Omnia quoque venena acria, vulnera, ictus, morſus venenatorum, vel ira furentium animalium, puncturæque neruorum, hunc morbum excitare poſſunt. Sic nos nouimus triſte exemplum in Pharmacopœo quodam experto, cui improuisò feſtuca lignea haud dubiè venenata (fuit enim in menſa, in qua tractauit venena) digito manus minimo inſerebatur, quà neglectà, altero die dolores maximi cum inflammatione accedebant, paulò poſt accedentibus conuulſionibus, is ad Patres abijt. Si ergò particulæ hoſtiles, vel ſpicula viſcidiore illa textura pertinaciùs agglutinata hærent, ſæpiùs interiori neruæ, ac admodum ſenſili ventriculi tunicæ facilè moleſtæ, illius continuæ impreſſionis occaſiones prouocati ſpirituum impetus, & ſub regimine pylori ſpaſmus ſtomachi, adeoq; vomitus ſpaſmodicus concitari poteſt. Omnes proin partes corporis, & ipſa viſcera, vt ſunt ventriculus, renes, follic ulus fellis, cor inteſtina, meſenterium, veſica, vterus, &c. & quæ neruos ſenſationis organa habent, irritari, & criſpari, & inde ſpaſmo, ſeu criſpaturà cõuulſiuà affligi poſſe, haud dubitamus; nam vbi ſunt fibrillæ neruæ, ibi ſpaſmus exoriri poteſt. Cutis quoque his ſtipata, ſanè rete mirabile eſt, ex fibris arteriarum, venarum, neruorum, & tendinum, variè inter ſe complicatis, contextum, ita tamen neruoſo generi plus quàm venoſo in ſua ſtructura acceptum referat, tanta neruearum fibrillarum, & tendinoſarum copia, cum intertextis arteriarum venarumq; capillaribus vt exiliſſimis ſic numeroſiſſimis gaudet. In rigoribus ergò furoribuſque cutanearum fibrarum contracturam fieri poſſe, non dubitamus, quod & cuiuis, qui vel primis labris dulciſſimos Medicinæ fontes guſtauit, notiſſimum eſt. Hìc plura quoque eſſent addenda *de tremore cordis, de palpitatione, aliisque motibus conuulſiuis, hyſtericis, hypochondriacis, de tremore artuum*, ſed cum hæc omnia *Nob. Villiſius* ſat exactè, & ingeniosè pertractauerit, inde non allubeſcit crambem bis coctam proponere, & poſt Homerum Iliada canere, præſertim cum ex prædictorum Noſtrorum deductione perſpicationes facilè cauſam ruſpari poſſint aliorum motuum cõuulſiuorum ſimilium, quippè qui tantum loco differunt. Hoc tantùm de tremore addam, quod vt plurimum tremor oriatur à ſpiritibus animalibus, per apertas valuulas in oppoſitos muſculos influentibus, vel magnà copià in valuulas irruunt, & ita iſtas non claudunt; vt ventus ſemiapertam ianuam non claudit, ſi leniter in eam incurrat, vel pergat; vel ſi valuulæ ſint mutilatæ, ita vt pori in ijs maneant, per quos ſpiritus liberè fluunt. Otioſa quoque vita ſpaſmum producit, quatenus obſtructionem parit, vnde ſpaſmus oritur.

PROGNOSIS.

§. 11. Hactenus *cauſis* inhæſimus, iam proximè prognoſticorum ſignorum examini exactiori vocabimus. Conuulſio ſeu ſpaſmus ex vulnere, prout exemplum habuimus antè triennium, & quod excurrit, in milite Cæſareo, vt & hic non ita pridem in Ruſtico ab hernia liberando, ſæpiſſimè lethalis eſt. Eadem prognoſis eſt, ſi ex helleboro, aut alijs purgantibus fortioribus inducta ſit conuulſio, teſtante id nobiſcum magno *Æſculapio Coo*. Periculoſior quoque eſt ille ſpaſmus, qui ab hypercatharſi, & ſanguinis profuſione, cum virium debilitate, oritur. Difficulter quoque curabitur, ſi febris ardentis alteriuſq; malignæ occaſione enatus ſpaſmus ſit, vnde febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem, quia febris deobſtruendo materiam pec-

can-

cantem ſpaſmum ſoluit, qui enim à conuulſione, vel neruorum diſtenſione tenetur, febre ſuperueniente liberatur. Quicunque tetano corripiuntur, in 1v. diebus moriuntur, ſi verò hos euaſerint, ſani fiunt, quæ omnia latitant in Sacrario *Venerandi Senis*. Si ſæpè nimijs doloribus excruciatus & conuulſionibus defatigatus æger, furioſo ſimilis redditur, adeò vt tunc etiam loquelam amittat, viribus deſtituatur, ſudoribus diſſoluatur, atque potum per nares reijciat, id mortiferum eſt. Diſtorſiones labri, ſupercilij, oculi vel naſi in febre continua, ſæpiſſimè mortem prænuntiaſſe obſeruauimus. Idem affectus ad mortem terminatur, quãdo materia, alio induta pallio, ad cerebrũ defertur, & affectus grauior epilepſia, vel apoplexia ſuperuenit, & vires reſoluuntur, ſed in his tibi vbique Hippocrates ſoluet nodum Gordium, ad quem ideò te remittimus, quia ſi tibi ſacra ſit authoritas, luculẽtam dabit ille. Vid. S. 2. aph. 26. item S. 4. aph. 57. 66. 67. 68. & S. 5. aph. 1. 2. 3. 4. 5. 6, 17. 70. &c.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Noſtras nunc merces exponamus, & horrea noſtra recludamus. Quoad curam nempè, & primò Diæteticam: (1.) *Aer* ſit temperatus, ſerenus, vitandus ergò borealis, frigidus ac hybernus. Frigidum enim conuulſiones, neruorum diſtenſiones, liuores, & rigores febriles inducere, iam olim annotauit. Hippocrates diuinus *Sect. 5. aph.* 20. & nos in præcedentibus monuimus. (2.) Cibus ſit ἰχιμος. In hunc finem conducit cremor ptiſanæ, oua ſorbilia, caro caponum, gallinarum pullonum; aſſæ ſint potiùs carnes, quàm elixæ, addantur cibis cephalica, vt ſunt maiorana, ſaluia, ſerpillum; conueniunt & vuæ paſſæ, amygdalæ. Vitentur ergò cibi ſalſi, acidi, acres, muriatici, nec nimià ingerantur quantitate, vt à fermento ſtomachi ſubigi nequeant, ſed in paſtam acidam viſcidamque abeant, vnde varia in corpore noſtro diſpendia oriuntur omnes quoque fructus auſteri vitentur ſummoperè. Potus ſit Cereuiſia defæcata, & neruinis maritata, vt ſunt radic. pœon. caryophyl. enulæ, herb. ſalu. roſmar. chamædr. vel decoctum hordei, vel aqua mulſa. A vini potu immodico abſtineat æger, omnis enim ebrietas, & crapula maximoperè fugienda. (3.) Quies imperanda, motus nimius vitandus, frictiones tamen fiant vertebrarum atque colli, aliorumque artuum. (4.) Somnus, & vigiliæ ſint modicæ, ſi enim modum exceſſerint, inde varix in humoribus, & ſpiritibus proſluunt alterationes (5.) Excrementa alui quotidie naturæ reſpondeant, vt & reliquæ euacuationes conſuetæ, nocent enim quæcunque obſtructiones viſcerum, meſenterij, vteri, hæmorrhoidum. Sic, & ſummoperè arcendæ ſunt quæcumuis euacuationes nimiæ, vt ſunt hæmorrhagiæ narium, vteri, hæmorrhoidum, hypercatharſes, ſudationes nimiæ, Venus immodica (veluti nimià Venere, per ſeminis, & hinc Virium excedentem exantlationem, ſpiritus animales irrequietantur, & ad motus incongruos ſolicitantur) inedia, venena, purgantia fortiora, helleborina, antimoniata, &c. ſymbolum ſuum addunt, & poſt nimiam euacuationem, acrimoniam, tum ſanguini tum ſero conciliant, & neruoſum tonum ſpaſmodicis contractionibus labefactant. (6.) Animus ad hilaritatem ſit compoſitus, perturbationes enim angue peius fugiendæ ſunt, quas inter iram in prima collocamus acie, tanquàm ſæpiſſimum fabrum huius morbi; ex ira enim bilis acrimonia ſpiritibus animalibus accedit, ex qua ſpiritus rebelles fiunt, & hunc morbum excitare poſſunt. Vnde & *Helmontius* viperarum, aut aliorũ venenatorum animalium deleterias vires, ex imagine iræ collocat. Nec hic lubet de bilis origine cenſa noſtra exprimere, ſed potiùs aliorum in hoc opere induſtriam admirari, nihil enim nos moratur, ſiue bilis per aduſtionis analogiam, ſiue in corde oleo ſanguinis in ſal quadantenus abeat, ſero ſolubile. Terror quoque, metus, mœrores, &c. facilè hunc morbum excitare poſſunt, quatenus ſpiritibus animalibus negotium faceſſunt, prout triſte exemplum nuper obſer-

ua-

uaui in persona illustri, quæ ob mœrorem quem habebat ob obitum consanguineæ, spasmodicos insultus vehemẽtes sustinuit.

§. 13. Veteres dum à repletione frigidorum potissimum humorum fieri spasmum putant, primùm clysterе aluum soluunt, dein clementioribus medicamentis humores præparant, hos demum euacuant. Inter euacuantia palmam præripere alijs putant sequentia, Ex. gr. Diaturbith. c. rhab. agaricus, eiusdem infusum, pilulæ cocchiæ, fœtidæ, de sagapeno, de opoponac. &c. Et ex his solent varia composita, & formulas concinnare, quæ omnia huc apponere tædiosum esset, nec instituti ratio quoque admittit. Post hæc, quæ auertere à parte affecta humores queunt, præscribunt, prout sunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, sternutatoria, gargarismata, clysteres, apophlegmatismi. Postremò quæ reliquias dissoluere, partesque neruosas corroborare possunt, adhibent. Corroborantia ipsis dicta sunt theriaca, confectio anacardina, Mithridatium, diamuscum dulce, acorus, castoreum, opoponax, &c. inter externorum censum referunt vnguenta, & olea varia, tum cocta, tum destillata aromatica, Ex. gr. oleum vulpinum, lilior. Philosophor. de piperibus, adeps gallin. axung. humana, &c. catulos viuos per medium sectos, & pulmones è viuis animalibus exemptos parti distentæ circumponunt, quandiu calent, & dein oleo calenti tepido immergunt membra conuulsa, vt recalescant. Pellibus felium, vulpium, veruecum, luporum, ad partes conuulsas vestiendas, & fouendas vtuntur. Balnea, siue artefacta siue naturalia, thermas scil. sulphureas, & bituminosas salsas aut aluminosas commendant, quorum priora in posteriorum defectu parare solent ex saluia, betonica, malua, absynthio, ruta, maiorana, pulegio, chamomilla, rad. lil. alb. sem. lini, fœn. græc. alijsque mineralibus, sulphure, & alumine. Cucurbitulas tandem, cum scarificatione collo occipitique applicant.

§. 14. *Paracelsici Practici* medicamenta exhibent aperitiua pororum, calefacientia, humectantia arteriarum, & neruorum, non externà qualitate, sed formà specificà. Sic & Ipse *Paracelsus*, quia contractura ipsi morbus est in extremo gradu, vult etiam remedia in eodem gradu debere esse exaltata, & spiritualia facta. Ex quo propinat curam aliam *internam*, aliam *externam*; interna fit per *purgantia*, & per *corroborantia*, quæ faciunt humorem vitæ crescere, & abundare, vt morbum expellere possit, vt sunt aurum potabile, essentia auri, essentia perlarum, antimonij, arcanum sulphuris, aqua vitæ, oleum vitrioli, aq. Tartari, qu essent. lapid. corall. Essent. castorei, cum spiritu vini extracta, *tremori*, conuulsioni, & omnibus neruorum vitijs, summo cum commodo propinatur, cum decocto herbarum aromaticarum.

Externa cura peragitur sequentibus. Suffumigia fiant mastich. iuniper. Prosunt ol. thereb. laur. ranar. &c. gumm. galb. hederæ, ammoniac. opopan. adipes vulpis, cerui, taxi, muris alpini, hirci, cati, vrsi, &c. In contractura, & conuulsione commendat oleum serpent. ol. Philosoph. quod membra reddat agilia, & sana. L. 3. *de morb. metall.* eam quę fit ex Mercurio curat baln. ex agrim. flor. lil. conuall. rad. hirund. cum aliqua parte calcis ouorum, post balneum inungit membra seq. vel simili linimento.

℞. *Ping. vulp. excoct. lib.* j.
adde
Castor. destill. ℥ v.
Thereb. destill. cum pipere.
Cantharid. & bacc. lauri. ʒ vij. ß.
M. super prunis candentibus.

Oleum Euphorbij inunctum conuenire fertur. *Paracelsus* etiam miris effert laudibus officulum illud triangulare in cranio quod futura lambdoides duplicata quandoque, sed rarò, efformare solet. Oleum radic. imperatoriæ dest. & flores antimonij correctos alibi suadet. Et quis singula recensebit.

§. 15. *Helmontius, & eius asseclæ* curant vel leniendo furiosum Archeum (quem hoc in affectu peccare dicunt) per axungiam humanam, vel eundem mortificando, per ligaturas fortes, vel malignitatem

tem spiritui adimendo, quæ omnia præstant opiata, tum internè sumpta, tum externè applicata. Esto formula.

℞. *Spir. vini opt.* ℥j.
Opii Thebaici ℥j. ß.
Camphoræ gr. xij.
Castorei ℥j. *M. pro externa inunctione.*

CVRA DIÆTETICA.

§. 16. *Villisius* conuulsionem *paruam*, ceu dictum, nominans *epilepsiam*, eandem ferè curam obseruat, quam habet in epilepsia, adhibendo sc. Catharctica, emetica, specifica alterantia varia, empirica, & chirurgica, remedia antispasmodica, spiritus C. C. Cran. hum. fuliginis, vel sanguinis hum. vel sal. armon. millep. asell. aquas destill. herbarum aromaticarum, & id genus mille alia, quæ habet in *tractatu peculiari de Morb. Conuulsiuis* certè aureo. Et cum hæc pro ratione loci, & causarum varianda sint, perspicacioribus facilè erit ex præcedaneis, inprimis quæ habuimus in *Capite* de *Epilepsia*, eligere quæ huic, vel illi scopo apta sunt.

Interea dum hæc remedia intus exhibentur, conuenire quoque ait interim vesicatoria in nuccha, & pone aures applicata; ita enim iuxta Authorem seroſi, & acres humores à capite plurimum emulgentur. Porrò sternutatoria, & apophlegmatismi hoc in casu sæpiùs leuamen insigne adferunt. Sāguinis detractionē è venis *sedalibus* aut pede aliquoties repeti vult; qui, & vrgēte malo emplastra, & cataplasmata plantis pedū vtiliter adhibere amat; circa suras, & femora *epispastica* admouet.

§. 17. *Syluius* in curatione huius affectus miserrimi, quoad externa *Paræi* curam regiam insequitur, & statim *emplastrum diachalciteos* aceto, & oleo solutum, & liquefactum applicare iubet, rationesq; meliores, quàm *Paræus* affert, leniri enim ac emolliri musculorum fibras vehementer tensas, statuit. Sic, & *Nobilisſ. Author* probat fasciam à *Paræo* commendatam, quia nempè comprimit musculos nimiùm distentos, & blandè impedit, ne fibrarum magis damnosa contingat in musculis distensio, & fortè ruptura incurabilis. Tandem cataplasmà sequens haud contemnēdo à *Paræo* Regi Galliæ CAROLO sc. NONO applicatum.

℞. *Farin. bord.*
orobi ana ℥ij.
Flor. chamomill.
melilot. ana p. ij.
Butyr. recent. ℥j ß.
Lixiu. barbitons. q. s. M.

Etsi dolor hisce non mitescat, ad oleū therebinthinæ cum spiritu vini mixtum feruens, vel ad abscisionem nerui, vel tendinis, vel membranæ, cum *Paræo* confugit. Hæc sunto dicta de externis, quando scil. spasmus, vel conuulsio à punctura nerui, vel ab vlcere, vel fistula, aliisque externis, & internis spiculis oritur. *Interna* verò sunt in hoc casu sudorifera sale volatili constantia, vt sunt spiritus Tartari, Aqua theriacalis omissis acidis, & plura alia quæ non libet hic cuncta recensere. Si autem à capitis vulneribus, ictibus, plagisque oriatur hic affectus, fragmenta cranij, si quæ adesse præsumantur, prius eximenda sunt, ad quam rem, si nulla via adsit, per quam illa eximi possit, trepano vtendum; facta enim hac apertione cranij commodè extrahi possunt, quo facto ex *Syluii* opinione, in vulnus infundendum est oleum therebinthinæ cum spiritu vini mixtum; quod si conuulsio à combustione sit orta, tunc oleum nucum, vel seminum rapæ expressa suadet. Inter remedia generalia (specialia enim supra habuimus) externa conuulsionem iuuantia recensent thermas sulphureas, quia hæ ad affectas partes intimiùs penetrare possunt, in quarum defectu, ante alia balnea, parari vult, balneum ex sale Tartari ritè cum sulphure calcinato, & aqua fontana incocto. Post thermas, vel balnea, axungiam humanam, & anguillarum, vt, & olea adhiberi autumat, quorum nempè ope acrimoniam salis lixiuioſi, & spiritus acidi temperari, causasque doloris, & conuulsionis corrigi, atque emendari opinatur. Fomentationes ex plantis aromaticis calefacientibus, nec non emplastra, & cataplasmata calidiora laudat,

dat, & quæ alia sunt, quæ nos quanta licuit breuitate retulimus.

Renati Carteſii ſequaces, cum à frigido humore; vel à flatu obſtructionem in tubulis facientibus, crampem oriri dicunt, conducere aiunt, omnia de obſtruentia & flatus diſcutientia, tum interna, & externa, ſalia volatilia, & reliqua cephalica, de quibus, ex ipſorum opinione, in capite de epilepſia, huc valdè congruis, abundè egimus, quæ ruminare tædet.

§. 18. Ita alij de curâ iudicant. Nobis hæc placet methodus; putamus nempè conducere purgantia, ſi modò præceſſerit temperies humorum, quæ hic omne ſert punctum, & quæ à ſolis ſpirituoſis exſpectanda eſt, cum propter *Microcoſmetoris*, & ſpirituum animalium (ſuorum militum) perturbationem, & quaſi explo-ſionem in humoribus oriatur tantum vitiũ vt & alia humorum idea ſit corrigenda à dulcificantibus ſpirituoſis, à quibus functiones omnes melius procedunt. Si ergò inducias habeat æger, & vires & morbus admittant purgantia, ad materiam inprimis acrem, ponticam, bilioſam, Tartaream, &c. eliminandam, eligere poſſumus ſequentia, rhabarb. ſol. ſennæ, tamarind. aliaque leniora; ſi verò materiæ fixitas requirat fortior. Mercurium dulcem à ℈. i. ad ʒ ß. ſuaſerimus ſummoperè, cum conſerua roſarum exhibitum, vel ſequens *vinum medicatum*.

℞. *Herb. betonic.*
chamædr.
chamæpitb.
roriſmar. ana M. ß.
Flor. lil. conuall.
paralyſ. ana P. ij.
Rad. pæon.
glycirrhiz. ana ʒ iij.
Fol. ſenn. ℥ ij.
Rhabarb. flau. ʒ iij.
Sem. fœnic.
coriandr.
aniſ. ana ʒ j ß.
Acid. Tartar. crud. ʒ ij. ß.
Inciſa dentur ad nodulum, pro menſura vini.

Aliquando ad radicem morbi euellendam vomitum cum Tartaro Emet. Mynſ. vel Ludouic. à gr. 11. ad 111. exhibuimus, inprimis ſi viſcidum acidum tunicę ventriculi interiori ſit impactum, & ſi malum iam diu durauerit, & quaſi habituale factum ſit, ſi verò vires non ferant, aut aliæ circumſtantiæ diſſuadeant, per aluum purgantia fortiora omittenda cenſemus, & clyſteres eorum loco admittimus. His præmiſſis mox ſub inuaſionem, & progreſſum ſpaſmodicæ cuiuſuis contractionis, eò vnicè laborandum eſt, vt *excandeſcentia* Regis noſtri, & neruoſa fibrillarum irritatio, & ſpirituum animalium nimius, & impetuoſus affluxus ſopiantur, quod obtinebimus dulcificantibus ſpirituoſis, vt ſunt ſpiritus formicarum viuentium, cum ouis, & ramuſculis adhærentibus, ſpir. C. C. fuliginis, ſecundinarum, ſanguinis humani, hirundinum. Miſtura cephalica *Cnæſel.* Aqua magnanimitatis, Arcanum cephalicum noſtrum, Eſſentia cephalica compoſita, & plura alia, eundem ferè effectum habentia. Maximè verò potiora ex alterantibus cephalicis fixis aliquando, & volatilibus parata proſunt. quæ interdum ante, & poſt excitatum vomitum exhiberi ſolent, & ad acidum vel acre corrigendum queunt ſelici ſidere adhiberi, quorum effectus, & hic eſt, quod illud morboſum incidunt, & abſorbent. Talia ſunt in debilioribus oculi cancri, Corall. aſelli lumbrici, cinis talparum ſalia, & alcalia fixa lixiuioſa, Tartarus vitriolatus, in robuſtioribus verò limaturam Martis; in ditioribus, & delicatioribus Eſſentiam Martis cum ſucco pomorum dulc. vel Borsdorf. paratam ſuademus. Viribus prædictis ad amuſſim æmula ſunt vitriolum Martis, ſpiritus vitrioli ſtriatus, cum vrina humana volatiliſatus, &c. Verbo omnem paginam abſoluunt antiſpaſmodica quæcunque, ſub quibus comprehendimus ſulphur antimonij auratum præcipitatum ſcil. è ſcorijs reguli, antimonii, cum ſpiritu ſalis armoniaci. Cinnabar in antimonij *Glauberi*, Panaceæ nomine comprehenſam, ſpecificum cepha-

li-

licum *Io. Michaelis* Cinnabarin solarem Excellentissimi Dn. *Sebastiani Schefferi*, puluerem nostrum antispasmodicum sequentem.

℞. *Cinnab. nat.* ℥ j.
Magister. Lunæ ℥ ß.
Cran. human.
Succin. pulu. ana ℥ j ß.
Cin. birund. & talparum.
Corall. rubr.
Margarit. ana ℈ ij.
Sacchar. perlat. ℥ iij.

M. f. puluis antispasmodicus. Mira hoc puluere præstitimus, & effectu geminus est ille puluis spasmodicus Augustanorum. Inter liquida excellunt, liquor C. C. succinatus. Balsamus neruinus prælaudati *Dn. Dr. Scheferi*, spiritus antiepilepticus noster &c. Spasmus non aliter curari potest, quàm vt humores, & spiritus per insensibilem traspirationem discutiantur, aut tantà copià spirituum in musculum determinetur, vt tandem valuulæ reuulsæ vi iterum ad statum naturalem deducantur.

Quòd si verò à scorbutico miasmate spasmus oriatur, antispasmodicis antiscorbutica admiscere solemus, Ex. gr. Essentiam antiscorbuticam nostram, vel esto sequens, vel simile tali casu destillatum.

℞. *Diascord. Frac.* ℥ i ß.
Flor. tiliæ.
Herb. Chamædr. ana M. iij.
Rutæ sylu. M. j.
Ras. corn. alcis. ℥ ß.
Decoct. rad. sarsaparill.
Succi beccabung. ana lib. ij.
adde pulu. spasmod. nostr. ℥ vi.

M. & destilla l. a. ex organo vitreo, destillato adde Tinctur. cort. pœon. ℥ ß. M.

Si temperamentum ægri non nimis sit bilioſum, præstantissima aqua spirituosa destillatur è tanaceto, si multum tum ipsius herbæ indatur paucæaquæ, & sic b. a. destilletur, hæc aqua speciatim conuulsioni medetur, vt & croci oleum, & spiritus, & crocus in substantia, ol. C. C. & lauendulæ, iuniperi, & succini, & omnia, quæ in morbis soporosis, & præcipuè in paralysi conueniunt, exceptis acribus, vt spir. sal. armon. &c. In tremore conducet seq,

℞. *Spir. salu* ℥ ii.
Essent. castor. ℥ j.
M. Dosis 30. *guttæ.*

Sin affectus hic ab vtero, & stomachus etiam conuellatur ab assumptis venenosis cibis, ab esu scil. fungorum, aliorumque venenatorum, prout nos obseruauimus, vomitoria prosunt, si verò sponte sua vomitus oriatur, præscribenda sunt castoreata, cinnabarina, & tandem salus quærenda est, ex opiatis. In omnibus neruosis crispaturis, & hisce vtimur, nempè opiato notissimo, vel laudano cydoniato in Claue Pharmaceuticà Schroderianà à Nobiliss. *Hoffmanno* descripto, adeò vt à moderatissima anodynorum dosi, introductam quietem, iucundis insomnijs peractam, sequatur corporis vigor, mentis, & membrorum valor, acrium dulcificatio, &c. Contra qualia remedia, sæpè Medici insulsi, contentiosè assurgunt, & nescio, quam malignitatem, inde affricari spiritibus, & cerebro nugantur, sed hi nihil agendo, malunt ægrum deserere & *Libitinæ* tradere, quàm alijs rationibus fortissimis, & ipsi etiam experientiæ obsequendo manus dare, & sic ægrum ex orci faucibus eripere. Testari possumus sacram *opiatorum* vim, vbique decantatam solam nobis in spasmodicis contractionibus anchoram fuisse, quam ipsam vim prædicti Medici ignorant, vt adeò apud illos valeat tritum illud *Ignoti nulla cupido*. Refrenat enim hunc spirituum impetum, & segniores quasi reddit eosdem *opium*, quod notissimi eius in corporibus nostris effectus *somnolentiæ*, & indolentiæ testantur, hinc quoq; flaccescente fibrarum sensilium tono, haud equè validè ab obiecto licet intensiori vibrari poterunt, vnde nec spirituum iam in Elatere suo remittentium, sufficiens repercussio ad primum sensorium fieri, nec fibrarum doloros commotarum superueniens spasmus or

dina-

dinarius, & conuulsiua tensio, præcedere poterit, teste *Nobilisſ. Etmullero in Disp. elegantisſ.* nuper *ab ipso* nobis in literis missa de *Virtute Opii Diaphoretica*. vbicunque ergò crispaturæ, & contracturæ fiunt spasmodicæ, conducunt prædicta opiata, vt sunt laudanum opiatum, Theriaca cœlestis, Tinctura anodyna VVedelii, &c. Spirituum enim animalium impetum sistunt, & motum eorum plus minus suffla minant, acidumque corrigunt; consideramus enim acidum, illud mole minimum, quòd partes neruosas, & fibrosas pungere, rodere ac dolorosè irritare potest, vnde aliquando plura symptomata fluunt, quæ omnia opiata placant pacantque. Nonnunquam à *sectione herniæ* præpostera, vel ab alijs vulneribus, spasmum vidimus natum, ob spirituum animalium *στάξιαν*, eorumque motus impetuosos, qui ordinariam viam quærentes non semper inueniunt, & sic allidendo, & impetuosiùs se mouendo iracuntur, cum Rege suo, adeò vt sæpè hi ægri instar strangulatorum vitam relinquant; ab vtraque enim parte musculi faucium conuelluntur, dentibus fortiter collisis, vnde miseri esurientes, & sitientes nihil deglutire valent, permanente collo rigido, & pulsu æquali atque forti, tandem verò celeriore, & intermittente pulsu existente, cuius fabulæ catastrophe mors pluribus est. Similem casum à solo mœrore, & assumpto purgante medicamento fortiori in prædispositio subiecto obseruauimus. Nouimus tamen casus, quibus felici cum successu medicinam adhibuimus, & quidem sequentem, nempè liquorem C.C. succinatum, therebinthinatum, oleum lauendulæ, spicæ, &c. Externe varia cataplasmata calidiora, balsamaque vulneraria, & illud *Sylvianum*, oleum therebinthinæ sc. cum vino mixtum, quibus remedijs spiritus fuerunt placati, & ægri a tristi hoc liberati malo in spasmo quoque cynico prædicto oleum therebinthinę cum aqua vitæ dilutum, intus & extus satisfacit. Spasmus suras inprimis infestans curatur facili Marte inunctione olei laurini, lauendulæ, vel therebinthinæ, ad ignem calefacti, iniectis post calidis fasciis. Si verò spasmus oriatur à morsu venenati alicuius animalis, & inde vulnus, tunc id dilatari debet, & parti dolenti applicari vesicatorium, dein vulneri imponi potest per aliquot dies theriaca, vel mithridatium, soluta in aqua vitæ. Si is oriatur à punctura nerui, tunc etiam vulnus ampliari debet, & instillari oleum therebinth. in casu verò desperato, neruus læsus penitus abscindatur, imminedicabile enim vulnus ense recidendum, ne pars sincera trahatur. Spasmum fere continuum mitigatum vidit *celeberrimus Otsbo Tachenius* à lineo filo, à saga ducto, & alligato, cuius rei fides sit penes authorem, potius enim credimus ex supernaturali causa hæc facta, prout videre est *in Tract. de morb. princip p.n.167.* maiore verò iure præscribimus cum *Sylvio* alijsque Thermas sulphureas, aut *naturales*, aut *artificiales*, quæ particulis suis oleosis acidum, vel acre quodvis spasmodicum validè obtundunt. In vicinia habemus *VVisbadenses*, & *Embdenses* ad Lanam, vbi sæpiùs à consilijs fuimus Principibus, & alijs hoc morbo nonnunquam miserè excruciatis. Balnea artificialia possunt ex iam dictis alijsque parari, ex herbis nempe aromaticis, chamomilla, maioran. salu. rosmar. betonic. thym. additis nonnullis mineralibus, pro re nata, vt & animalibus, vulpibus, fellibus, canibusque, item capite veruecis. Oleum lumbricorum, ranarum, vulpium, inprimis oleum scarabæorum illorum, in stercore equino hospitantium, nostrà experientià nobilitatum certè medicamen, pro inunctione externa cluit. Nec negligenda existimamus olea aromatica quæcumuis, vt sunt oleum therebinthinæ, spicæ, succini; quæ omnia spasmos sopiunt, inprimis si talibus volatilibus associentur. Quod attinet axungias anguillarum, hominis, pinguedinemque anatum, anseris, quatenus hæc poros cutis potiùs obstruunt, quàm aperiunt, ea omittenda censemus, & ijs præterimus spirituosa, cum oleosis combinata, *spiritum* scil. *nostrum conuulsi-*

nup

ium topicum sequentem, cutæ internæ adiiciendum:

℞. *Spiritus formicarum, lumbricorum, scarabæorum, asellorum, &c. quæ externè quoque prosunt.*

Inter Chirurgica hæc asteriſco notanda veniunt: Venæsectione cautè agendum est, & nisi plethora summè vrgeat, omittendam eam potiùs suademus, quàm celebrandam; ne quid tamen desit, eam interdum supplere possunt cucurbitulæ, modò siccæ, modò scarificatæ, quæ parti conuulsæ vicinis affigendæ. Vesicatoria, fonticulos, dropaces, & sinapismos reiicimus, & blanda potiùs paregorica, & neruinas substituimus; de quibus ad nauseam vsque dictum est. Frictiones maximè hìc prosunt quia valuulas reuellunt, præsertim si cum linimento sequenti, vel simili instituantur:

℞. *Ol. lumbricor. terr.* ℥ j.
N. M. expr.
maioran.
caryophyll. ana ℈ ß
Ther. And. ʒ ij.
Croci ℈ j.
M. ad ignem luculentum, inunge spinam, & nucchæ.

In spasmo flatulento præ aliis conducet sequens:

℞. *Theriac.* ʒ j.
Spir. iuniper. ʒ ij. *M.*
Vel ℞. *Axung. anserin. rec.* ʒ ij.
ol. caryophyll. gutt. v j.
cinnamomi gutt. iij. M.
In tremore externè:
℞. *Aq. ad articul.* ℥ ij. ß
Spir. lumbricor. ℥ j. ß
formicar. ʒ v j.
Essent. castor. ʒ iij. *M.*

CAPVT XIII.

De Morbis Capitis.

DE INCVBO.

§. 1. INcubus (ab incumbendo: ἐφιάλτης ἀπο τῦ ἐφιπλλεσθαι insilire; alijs Asthma nocturnum; ἐφιάλτη, inuasio; *Pisoni*, nocturna suffocatio, vel suppressio, Germanis *der Alpf oder Nachtmanle in* dictus,) est passio in qua homo à magnæ molę incumbente suffocari se in somno putat, (inde *Syluio lib.* 2. *Prax. cap.* 25. §. 27. Incubum insomniorum speciem vocare libet:) cum loquendi respirandique magna difficultate. Vulgus à Dæmone quodam, siue spectro, hominem insultante, hunc morbum excitari autumat, & sic Faunos & Satyros huius morbi auctores constituit, de quibus legi merentur *Casp. Schottus lib.* 1. *Phys. curios. c.* 21. quorum & Diuus *Augustinus lib.* 15. *de Ciuitate Dei* meminit. Hinc & *Plinius l.* 25. *c.* 4. Faunorum ludibria hunc affectum appellauit, quam opinionem tanquam falsam & ridiculam refutat *Willisius c.* 6. *de Incubo.* Sic quoque *Aetius* ex *Possidonio* scribit *lib.* 6. *c.* 12 Incubum non esse Dæmonem, sed magis præludium, ac prodromum morbi comitialis, aut insaniæ, aut apoplexiæ. Sed missis fictitiis hisce Diaboli technis, illius saltem *incubi*, qui à naturalibus causis, præternaturaliter sese habentibus, prouenit, enodationem aggredimur. Dum hæc meditamur, rarus nobis contigit casus, ad definitionem traditam illustrandam & amplificandam maximè congruus de viro quodam, quem honoris causa haud nominare allubescit, qui singulis noctibus dum somno indulget, sensibilem mammarum suctionem experiebatur, non secus, ac si homo ore sugeret ex mammis fœminarum lac, & quod caput admirationis nostræ erat, papilæ mammarum aliquo modo inde intumuere, quod aliàs in sexu masculino rarò obseruare licet, atque quoties hanc patitur suctionem, toties euigilare haud potest, & hanc quoque esse speciem Incubi, ex tradita Definitione sole clarius meridiano apparet, cum respiratio læsa & onus incumbens percipiatur, de quo affectu rationes reddemus, vbi causis litabimus.

DEFINITIO.

Est itaque Incubus, si quis explicatiùs referibere velit, ingens imminutio motus animalis & partium voci, & respiratio-

ni inseruientium, neruorum inprimis phrenicorum, & recurrentium dictorum, à prohibito spirituum per eos influxu dependens, cum falsa imaginatione molis grauioris, sub specie spectri pectori incũbentis. Tempore somni accidit vt plurimum, in vigilijs tamen raro exemplo ipsũ quoq; accidisse Professori cuidam Theologiæ apud *Smetium Miscell. lib.* 10. & ipsi *Maßariæ* apud *Rhodium*, *cent.* 1. *obser.* 54. legere est. Verum hic paroxysmus inter dormiendum potissimum fit, plerumque repleto stomacho, cibis durioribus, & post decubitum in dorso, in prædispositis tamen personis qui si euigilarint, ijs motiua redit vis, remanente cordis dolore, anxietate, & palpitatione, non rarò etiam diaphragmatis vibratione celerrima, & violenta.

PARS AFFECTA.

§. 2. Veteres modò cerebri, modò thoracis partes hic affici putant, cum omnis sensus, & motus à cerebro tanquam animalium functionum sede, & neruorum principio proficiscí dicant, quod animaduertens *Thomas VVillisius*, quãuis præcordia reuerà affici velit attamen incubi sedem in cerebello esse, vbi spirituũ animalium prima scaturigo est, multis probat argumentis, inprimis quod ob spiritus animales in cerebello ligatos aut suppressos, eorundem eclipsis circa functionis vitalis exercitium inferatur. *Helmontius* sola præcordia, vt ferè omnium affectuum soporosorum, sic, & huius morbi culpat. Alij Practici cerebrũ eiusque meatus posteriores, qui ad spinalem medullam tendunt, primarium huius morbi subiectum cõstituunt. Verum enim verò hic, vti alibi, monopolium, & promum condum spirituum animalium, circa sedem nempe nostri Microcosmetoris, ipsos spiritus non benè tegentis, vel ob obstacula haud regere valentis, accusamus, cerebellum puta cum suis meatibus, in quibus spiritus animales peruagari assolent, inprimis verò hic ex eo natos neruos, *phrenicos* dictos, & *recurrentes*, rectores spirituum animalium ad pectus, & respirationi inseruientes. In incubo enim non solùm cerebrum afficitur, sed malum potiùs in musculis, & neruis respirationi inseruientibus hæret.

Ex eo enim fluit, quod Ephialtici, subinde de persona certa inuisa, vel incerta delirare soleant, ad tempus enim obstructis neruis phrenicis alijsque, qui respirationi loquelæque peragendæ destinati sunt, non potest non fieri, quin pulsus, & respirationis motus ad tẽpus quodammodò supprimantur atque inhibeantur, hinc *Syluius* haud dubitauit morbum inter species dyspnœæ referre, quod, & fatentur *Platerius Prax. lib.* 1. *c.* 4. & *VVillisius*, de *Anima brutorum p.* 2. *c.* 6. qui reuera præcordia affici sibi persuadent, in quantum videlicet illud pectoris grauamen à plerisque inter euigilandum, imò à recens experrectis sentitur, eumque illud paululum amoueatur, cordis palpitatio, & tremores diaphragmatis, ac motus inordinati succedunt; vnde *VVillisius* concludit, partes pectori laborare, & noxam realem pati. Verùm non dubium est, quin cor, pulmones cum suis vasis, musculi thoracis, diaphragma, vasa pneumonica cum nerueis fibris, & glandulis, instrumenta, & organa ad vocẽ pertinentia, hoc in affectu afficiãtur, sed si tantum ritè distinguatur inter subiectum affectus, & causæ, plurimũ difficultatis hoc in negotio remoueri poterit; vrgentem enim in hoc affectu suffocationem, & ponderis huius grauioris incumbentiam fictam, non tam per se h.e. pulmonis aliorumq; obstructi vitio, & imminuta viarum libertate, quàm potius per accidẽs ægros affligere putamus, quia ope spirituũ animalium, per neruos inprimis phrenicos, cordi, & arterijs motus conueniens conciliatur, item sanguis ritè circulatur, vt & diaphragmatis motus probè peragitur; verbo vitalis functionis exercitium optimè perficitur, quippe quæ omnia sunt opera spirituum animalium; de quibus cum de causa huius affectus acturi sumus plenius, & accuratiùs loquemur.

DIAGNOSIS.

§. 3. Quamuis definitio superiùs dicta maximam signorum pathognomonicorum

rum partem contineat, nihilominus instituti ratio postulat, vt peculiari pagina, & signa diagnostica dicta propinemus. sine quibus Medicinæ tyro vix morbum nouerit. Vt enim iuxta illud Ciceronis, caput est bonorum consiliorum nosse rempublicam: *Sic initium curationis est morbi cognitio.* Hoc ergò in affectu percipimus molem in præcordijs, sub imaginatione ponderis alicuius incumbentis, vnde & grauitas, & immobilitas pectori, & totius corporis fluit, à solo spirituum animalium influxu in musculos pectoris, & cordis denegato; sanguis enim in corde, ob denegatum hunc spirituum animalium influxum, & hinc præpeditum respirationis actum, & quasi suspensum diaphragmatis motum, haud moueri ac ventilari potest, sed necessariò stagnare debet, atque hinc coagulatur, qua coagulatione facta, non potest non fieri, quin oriantur anxietates cordis, tremoresque, aliaque *grauamina*, & licèt clamore stentoreo quandoque ægri auxilium petere velint, hoc tamen nequeunt, vox enim ipsis aliquando diminuitur, interdum planè aboletur, ob concurrentem vnà neruorum recurrentium læsionem, per quos, & spiritus animales à Microcosmetore Rege suo ablegari nequeunt, simili modo vt chordæ non tactæ sonum edere nequeunt; comitatur simul torpidus in somno sensus, suffocationisque imaginatio, & veluti ingruentis catalepsis Phantasia quoque ægris ita turbatur, vt illi Dæmonis, sagæ aut alius magi, vel gigantis Venerem aliquando cum ipsis exercentis, seu exercere nitentis, opinio suboriatur, quæ inde fiunt, quia *Microcosmetor* ob viam denegatam spiritus suos ad præmunimentum præcipuum (Cor) mittere nequit, vnde is in furorem versus, illos ad alios meatus cerebri ablegat, vnde cum impetu resilientes spiritus, ad peiores ideas, huic passioni similes, & olim de Dæmone, sagis, vel gigantibus, vel Venere conceptas, feruntur, quæ imaginationis turbatio sæpiùs sagis, alijsque veneficis accidit, quę sæpissimè phantasmatum illusionibus, insomniorum horum similibus, afficiuntur, & plura imaginantur, quæ sibi re vera accidisse putant, ex. gr. quod fuerint in campo, & saltauerint cum Rege suo Dæmone, eiusque tota grege, quę tamen nihil sunt, nisi eiusmodi deliria, ceu exinde patet, quod sæpè sagæ conclaui benè inclusæ, & somnum capessentes, sæpiùsque maritis accumbentes, manè enarrauerint, quod in campo atque in saltatione fuerint, cum tamen & conclaue suum nunquam egressæ fuerint. Sed cum hæc ad nostrum forum haud pertineat, studio multa ea reticemus, & è diuerticulo in viam redimus. Expergefacti ægri conqueruntur multa de pondere magno, & graui, aliaque plura narrare assolent, ita tamen vt norint, ipsis interceptam fuisse respirationem, & impeditam loquelam, motumque corporis aliquomodo oppressum. A somno quoq; tandem liberati, tamen percipiunt tremorem cordis palpitationemque, quia nempe cor, & Diaphragma à motibus suis cohibita, somnoque excusso, postea per Spiritus affluentes copiosiùs, nimis actuosa reddita, debitum officij munus excedunt vti simile quoddam allegat Ingeniosiss. *Thomas Willisius* trepidationis & vibrationis motum hunc explicans, de virgæ scil. elastico motu ad se redeunte. In nonnullis *Ephialticis*, vbi simul dyscrasia sanguinis scorbutica, ad coagulationem prona adest, maculæ liuidæ, ex nigredine puniceæ dictæ, violaceo quoque colore perfusę protuberant; paroxysmis nonnullis defuncti ægri, de capitis grauitate, vertigine, alijsque conqueruntur, non enim allubescit minutissima quæcunque suppeditare, quod, & scopo nostro aduersatur.

CAVSA.

§. 4. Hactenus *Diagnosin* explicauimus, iam proximè causarum examini, quorum beneficio feliciter ægros curare valemus, lineam vnam, atque alteram largiamur. *Vetustas* causam huius affectus vel à crassa frigidaque pituita, vel à sanguine crasso ac melancholico circa præcordia, venasque pectoris existentibus deducit, & va-

pores crassos ad cerebrum à prædictis humoribus eleuari, perque hos spiritus vias obstrui, acriter contendit. Inquiunt enim *Veteres*, quotiescunque vapores multi, & crudi à crapula, vel ex prauis cibis, in ventriculo non ritè coctis, alijsque primis vijs ac hypochondrijs eleuantur, toties thorax, & diaphragma premuntur, vnde homo vix respirare valet, sed è contra se suffocari timet, qui vapores (sic illi loqui amant) in cerebrum mittuntur, & tunc ipsam mentē perturbatam reddi, & tristibus spectris hanc obfuscari sibi persuadēt.

§.5. *Paracelsistæ alijque* ex ipsorum grege accusant hic, vti in alijs soporosis affectibus *sulphur narcoticum*, & *vapores narcoticos* neruos *phrenicos*, & *recurrentes* obstruentes, spirituſque animales figentes. Magister *Paracelsus de origine morb. inuisibil. p.*101. tradit quædam de ratione incubi, ex spermate imaginationis, in amore Hereos, eiusque à spiritibus nocturnis translatione, & monstruorum generatione; quibus sine œdipo vix intelligibilibus atque dubiis inhærere non libet.

§.6. *Helmontius* vapores aqueos, crassos quoscunque, & nisi inter Academiæ vaporum ignaros reijciens ridensque, potiùs *Regiminis Duumuiratus* actionem, impedimentum nempè *stomacho* oblatum, solo suo vitali regimine, absque *vaporibus & fumis* cerebrum, & neruos turbare, primosque conceptus, quatenus lienis interrumpit solalia, vitiare probat.

§.7. *Willisius* præclaris ille nostra in arte pharus, huius affectus *causam immediatam proximam*, spirituum animalium influxum à præcordijs inhibitum statuit; *causam mediatam* verò materiam quandam incongruam cum succo neruoso cerebello instillatam, quæ spiritibus in prima scaturigine torporem, siue narcosin cōciliat, & eos mox à functionum suarum munijs paululùm cessare cogit; illudque grauamen in pectore à sanguine in corde ad tempus stagnante deducit; ἀσυνοίαν verò explicat per impeditam spirituum animalium irradiationem.

§.8. *Syluius*, diligentior Microcosmi inspector, causam primariam halitibus leuem quandam narcosin inducentibus adscribit, blandoque delirio ansam præbentibus, & sic incubi causam omnem à corporeo vitio, neutiquam verò ab animæ deductam vult.

§.9. *Cartesius* Philosophiæ sanæ, & reformatæ Antistes, cum reliquis hactenus consentit, & influxum spirituum animalium in neruos, & musculos organis respirationi dicatos, denegatum, pro causa immediata huius affectus agnoscit. Si enim in somno spiritus animales non influunt in suos musculos, similis motus inducitur, inde anima in tali affectu iudicat secundùm consuetudinem, quasi pondus incumberet, & impediret liberum diaphragmatis motum. Strangulatio verò illa oritur, si spiritus non liberè influant in musculos faucium, qui potiùs subsidunt, & talem strāgulationem efficiunt. Spiritus enim animales, & sanguis continuo motu agi debent; à sanguinis enim motu spirituum quoque motus intenditur, motu verò hoc ablato, vel pars opprimitur, vel ad minimum premitur. Impedita nempè circulatione sanguinis spiritus labascunt, spiritibus non influentibus in musculos pectoris, motus ipsius necessariò cessat, sicuti vela ex defectu venti flaccescunt. Hunc morbum, & oriri credunt, cùm vapor aliquis crassus abdomen impleuerit, qui sua crassitie auolare non potest, sed calore excitato totum abdomen distendit, quare etiam diaphragma premitur, & ideo non tam commodè deorsum trahi potest, præsertim in somno, vbi propter minorem influxum spirituum animalium minùs vehementer inflatur, & deorsum pellitur. Sic etiam cùm abdomen minùs extrorsū premitur, etiam minùs aeris in pulmones intrudit, quare sanguis solito modo non refrigeratur, sed magis feruidus ad sinistrum cordis ventriculum defertur, hinc itidem maiori vi ebullit, & arterias ingreditur, & sic plus solito ad caput defertur, vnde magis moti spiritus inordinatè in cerebro mouentur, & confusas animæ cogitationes repræsentant.

§.10.

§. 10. Nunc quid ipse existimē post hęc exponam,& potiùs mente quàm manu causam huius affectus ruspabor. *Microcosmetor* noster propter obstaculum vię regię ad cor impeditur,vt spiritus suos haud ad id præmunimētum(pectus)mittere valeat; causam ergò immediatam ponimus influxum spirituum animaliū denegatum, non in totum,aliàs esset apoplexia,sed tantum hic impediri influxum, non tam in origine, quàm in insertione neruorum phrenicorum, & recurrentium illorum, qui ad diaphragma tendunt,vnde stagnatio sanguinis in præcordijs periculosa fluit, nā ni is moueatur,accescit;vnde oritur illud acidum excessiuum,sanguinis illud notissimū coagulum, quod sæpè huius affectus solus faber existit. Adest ergò ἀταξία spirituū quorum actiuitas per portiones chylosas *crudas,acidas*,frigentes,è copiosiori,&accescente chylo crudiori, sanguini,& liquori spirituoso communicatas,infringitur. Vnde hic affectus facilè accidit, post assūptos cibos incongruos,& fermentatione difficiles, acidos, salsos, fixisque particulis refertos, inprimis si sanguis simul scateat tot heterogeneis particulis salinis fixis, neruos prædictus obstruentibus; hinc infantes,& pueri præ adultis sæpiùs hoc affectu laborare solent; quia lac auidiùs sugunt,& voraciores sunt,quatenus alimentum quoduis, ob acidum vitiosum in stomacho residens, facilè corrumpitur, & materia cruda sanguini offertur. Hinc hic affectus vt plurimum ab errore dięte,& in adultis oboritur,atque si ex improbo difficilique pastu crassis corpus humoribus stagnet,horrenda somniorum simulacra, lemures,striges,harpyæ, cadaueros æ facies, vultus monstrosi offeruntur, mouentur aliquando cum aduersario lites,conseruntur pugnæ,parantur cædes,deflagrant ædificia,in cœnis,& sordibus volutari, & graui pondere se premi homo sibi videtur, vel in loco alto,& periculoso se suspensum esse putat. Ex certo quoddam sc. supino decubitu prædispositi ægri in hunc morbum procliues sunt, cuius ratio hæc est, quia in decubitu tali musculi, & nerui pneumatici aliquando constringuntur, & comprimuntur, indeque spiritus animales haud ad thoracem, & diaphragma influere possunt,vnde non potest non esse, quin affectus hic excitetur. Remotè quoque suum symbolum addere potest sanguis viscidior,& coagulatus, pulmones neruosq; fatigans obstruensque, & spiritibus negotium facessens; adsunt verò deliria, quæ tota turbulenta inquietudo, & fluctuatio à pastu ciborum immoderato euidentes sumit vires,nunquam sui compote animo, si corpus abundantiori cibo saburretur. Vt enim *Columella teste lib.1.c.2. allidatur Dominus* cum robustiore congressus luctatore: ita supra naturam sumptum copiosiùs alimentum vim omnem mentis frangit, sensusque obstupefactus pessùndatur. Vnde verum est illud Vetus: Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νοῦν, *pinguis venter mentem non gignit tenuem*.

PROGNOSIS.

§. 11. *Prognosin* determinant tum incubi,tum hoc laborantis ægri natura. Incubus hic rarissimè lethalis est; pueris,& obesis crassis vtentibus cibis, frequentior est,quàm adultis,tenui vtentibus diæta. Si præcesserint cephalici alii affectus, & sæpiùs paroxysmus redeat, tunc minatur vel apoplexiam, vel spasmum, vel epilepsiam, aliquando & maniam, melancholiam hypochondriacam, aut subitam mortem. Non enim rarum est, multos fuisse hoc morbo è medio ablatos, tempore somni per modum catharri suffocatiui. Si malum hoc in peius ruat,& per noctem etiam vigilantibus accidat, vel si simul dormientes occupet, post expergefactionē temen spasmus vel syncope eueniant, aut frigidi oriantur sudores, & cordis tremores,pessimi res est signi.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Atque hæc fuit prognosis, quam excipit Cura, & quidem primò Diætetica, cuius campum iam lustraturis sistunt se areolæ Rerum non naturalium, inter quas Aer primum occupat locum. Quis enim nostrum omnium ita duro obfirmatoq; est corpore,vt non externis in

aperto solutoque aere flatibus, aut refici vehementer valetudinem, aut offendi percipiat? è contra ille purus, & sine noxa haustus intra corporis recessum, quàm est homini commodus, quàm salutaris? Vt reçreantur vires, concepta vini meraci aura? Et quàm benignam cerebro herbæ, floresque redolentes animam halant? Quis non salubri aromatum afflatu hilarescere spiritus, & dulci quodam gaudio perfundi, atque irrigari sentit? At aer insertus pulmonum fibris, protractusque ad cordis euentilationem, ac inde per latentes meatus vniuerso obrepens corpori, vim afferre valet confestim morbosam, & sæpè lethalem; hoc ergò in affectu calidus, atque lucidus vitetur, frigidus quoque poros quoscumuis obstruens, atque constringens.

Cibus sumatur nutrimenti laudabilis; qui si assumatur, & si suo ventriculus munere probè fungatur, & purioris alimenti succos ad fabricandi sanguinis tabernas transmittat, puri, sincerique vitæ, naturæque spiritus generantur, qui tum sursum per arteriarum carotidum canales in cerebri euecti aulam, animali spiritui materiam, atque alimentum præbent, qui inde per neruos in vniuersum exiens corpus, sensum, & motum, imaginationem, ac intelligentiam moderatur. Igitur si crassus fæculentusque sit ex improbo alimento sanguis, si in duro difficilique cibo fermentato frustretur, impuri à corde spiritus in cerebrum assiliunt, qui animi simul, ac corporis statum euertunt, *Microcosmetorem* obnubilant, ac ad enormes affectus ipsum, & spiritus abducunt. Ex coctis, digestisque probi succi alimentis, sinceri ducuntur spiritus, qui à suis officiis in caput delati, roscido cerebrum madore irrigant, mentis aciem detersà stupiditatis caligine illustrant, libidinum turbulentarum motus ad quietem componunt, omnes animi corporisque vulgò ita dictas, facultates ad rectitudinem sui muneris deducunt. Inprimis hoc in affectu summoperè vitetur immoderatus ciborum pastus. Quis .n. bonæ mētis esse poterit vsus apud gulosos *Bœotios*, apud voraces *Pharsalios*, apud saginatos *Sybaritas*, apud luxuriosos *Lydos*, apud *lautiueros Persas*, defatigatis edendo maxillis, cibum in apertum os, vt in vasculum solitos dimittere, apud *Syros*, *Siculos*, *Ionas*, quibus toto die, venter ad immobilitatem vsque differtus distendebatur?

Potus sit vinum album tenue Neccarinum, vel Mosellanum, vel nostra in vicinia Hirsteinense, vel Michelbacense, vel cereuisia benè cocta, & fermentata, & defæcata, si naturæ illi sit assueta, inconsueta enim magis nocent. Iuxta itaque versiculum:

Non acidum sapiat cereuisia, sit benè clara,
Ex granis sit cocta bonis, satis ac veterata.

Aquæ exulet potus, officit enim plurimum sanitati aqua crassa, turbulenta. Vnde enim illa stagnans in corporibus pituitæ sentina? Vnde aliquando incubus? Magnum ergò certè vitiatæ valetudinis crimen lacustres, & palustres Hollandiæ aquas sustinere puto, quas turbida facies, & insuauis ad gustum sapor, ad nares odor, conuincit, per hyemem niue, geluq; rigidas, per æstatem sideris, calore feruidas, pigra semper quiete torpentes. Neque cisterna imbrium aqua salubrior est, vermium ex putredine fœturà infamis; ita multa incommoda ab aquæ potu exoriri posse nullus dubito; sępiùs enim obseruaui in rusticis hunc affectum, ab isto nimio aquæ potu obortum, iuxta versiculum tritum:

Potus aquæ sumptus comedendi incommoda præstat,
Hinc friget stomachus, crudus, & inde cibus.

Quippe magis spirituosa faciliùs corpori refocillationem tribuunt; hinc vini generosi potio maiorem sanè salubritatis laudem obtinet, iuxta sequentem versiculum:

Vina bibant homines, animantia cætera fontes,
Absit ab humano pectore potus aquæ.

Vinum enim, cùm facilè in naturam transeat sanguinis, deducto in omnem corporis partem alimento, spiritus lucidos minimèq; densos generat, torpentes, languentesque

teſq; reſtaurat, virtutem cordis corroborat, animum hilaritate perfundit, mentis aciem ſenſuſque ad penetranda veritatis adyta exacuit.

Motus, & quies ſint moderata, cæteroquin anſam huic noſtro affectui præbere poſſunt, cum à nimio motu ſpiritus diſſipentur, ſolidę partes conſummantur, & cruditates chyloſæ præpoſteræ in ſanguinem diſtribuantur; chylum enim nondũ probè confectum ex ventriculo in inteſtina, ex hiſque in venas lacteas, & meſenterij glandulas præcociter propellunt, eoque modo cruditates, & obſtructiones pariunt, ex quibus innumeri penè morbi, & inprimis hic noſter, ſcaturiunt.

Somnus, & *vigiliæ* modicæ ſuam ſalubritatis laudem merentur. Somnus ergò diuturnus, & potiſſimum qui ſtatim à cibo admittitur, cum ſupinodecubitu, noxiùs eſt. Vigiliæ ſi modum exceſſerint, ſpiritus diſſipant, aliaſque cumulant cruditates.

Excrementa alui, menſtrua, aliæq; ordinariæ euacuationes arte, aut naturâ reſpondeant; aliàs multa incommoda valetudini noſtræ adferunt.

Animi quies concilianda, relegandæ è contra curæ, ſolicitudines, mœrores, timores, in quibus ſpiritus animales à ſolitis functionum ſuarum muniis reuocantur, præſertim præcordiorum, & cordis motus fatiſcit, prout cuilibet, qui Medicinam noſtram duntaxat à limine ſalutauerit, conſtat.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Recludamus nunc addita veterum Practicorum, qui Curam huius affectus abſoluunt, pro more ſolito *præparantibus*, vt ſunt ſyrupus ſtœchad. menthæ, oxymel ſimplex, aqua abſynth. maioranæ, bugloſſæ, fumariæ, decoctum radic. fœniculi, petroſel. roriſmar. Ceterach, Capill. Ven. flor. viol. cort. radic. cappar. glycirrhiz. &c. Hiſce vtuntur, dum pituitâ ægrum redundare deprehenderunt; ſyrupis verò fumariæ, pomorũ, &c. quando melancholia exuberat. De in *vacuantibus* certare ſolent, quæ ſunt pilulæ cochiæ, de agarico, Maſtiche, de lapide Lazuli, Hier. picr. Galen. Caſſ. fiſt. Diacathol. Diaſenn. *Venæſectionem* admittunt, ſi corpus fuerit plethoricum, aut ſi menſes, aut hæmorrhoides retineantur præter conſuetudinem, eòque liberiùs ſanguinem educunt, quò eum craſſiorem offendunt; venam frontis, aut eam, quæ ſublingua eſt, ſecare aſſolent. Poſtmodum ad *Reuellentia* confugiunt. vt ſunt clyſteres acres, cucurbitulæ, ſuris &, pro re nata, hæmorrhoidibus applicatæ, frictiones capitis, atque pectinationes, errhina leuia, gargariſmi, apophlegmatiſmi, ſternutatoria, &c. *Prohibentia vapores ſurſum aſcendere*, ipſis ſunt Diarrhodon. Abb. Diamarg. frig. ſacchar. roſar. corallia, &c. Tandem curam concludunt *Corroborantibus*, v.g. theriacâ, mithridatio, Diamuſc. dulc. dianth. conſeruâ anthos, bugloſſ. ſem. & rad. pœon. N. M. & inunctionem capitis, pectoris & ventriculi ex oleo chamomyll. aneth. calidoque vino, itidem magnificiunt. Dropax tum capiti, tum hypochondriis, ex ipſorum iuſſu aptari poteſt ex quinque partibus picis, & vna olei ſpicæ, vel maſtiches.

Sacculos commendant ex floribus bugloſſæ, violarum, roſarum. ſol. meliſſ. &c. qui vino albo, & aqua meliſſæ irrorentur, vndique ita applicentur, vt modicè caleant. Cucupha paretur ex foliis betonicę, ſamſuch. flor. anthos, ſtœchad. roſ. rub. caryophyll. nuc. moſch. rad. cyper. &c.

§. 14. *Paracelſus*, *eiusque aſſeclæ* ferè eodem modo, ac apoplexiam, vel paralyſin, hunc morbum curare ſolent, indeque in hunc finem varia adhibent *purgantia*, extractum ſcil. Hellebori nigri, panchymag. Croll. &c. Ejectâ tandem incubi materia peccante, confugiunt ad ſpirituoſa corroborantia, inprimis extollunt Aurum potabile, ol. ſuccini. piperis, iuniperi, intus, & extus, & plura alia, quæ in ſuperioribus morbis ſoporoſis iam ad nauſeam dicta ſunt, quę ruminare toties non libet.

§. 15. *Helmontius*, cùm cauſam huius mali in ſtomacho latere exiſtimet, ſuadet vomitorium medicamentum, quo cru-

ditates ventriculi, ex crapula vel aliunde natæ, eliminentur. In paroxysmo verò illicò excitetur æger, si protinus experge fiant somni authores, statim cessat incubus, & Archeus suas reperiet delitias.

§. 16. *Willisius* cephalica, neruina, aliaq; commendat, vt sunt succinum, corallia, margaritæ, tad. pœoniæ, item Electuaria, aquæ destillatæ, Tincturæ, Elixires, in præcedētibus capitibus ad satietatem iam propinata. Vult quoque vt infantes; hoc morbo aliquando affecti, Corallia, & radices atque semina pœoniæ de collo, aut supra ventriculi scrobem gestent.

§. 17. *Syluius*, Practicus ille feliciſsimus petit curationem incubi (1.) *à correctione bilis narcoticam vim obtinentis.* (2.) *ab emēdatione pituitæ crassæ, humorisque austeri*, siue sit pancreatici succi, siue alius duntaxat noxios halitus producentis (3.) *à discussione* halituum austero bilioſorum, paroxysmi tempore assurgentium. (4.) *ab interruptione somni*. Bilis narcoticam vim corrigentia, sunt acida, sed spirituosa, vt spiritus nitri, tam purus, quàm dulcis, castoreata, acetum, &c. Ad pituitam crassam incidenda, humore quoscumuis austeros corrigendos, halitusqoe austero-bilioſos discutiendos commendat *salia volatilia* quæcumuis. Ad interruptionem somni, suadet is adstantium alloquium, & cum ægris consabulationem instituendam, si quando ex indicijs, & commotione coniecturent instare paroxysmum.

§. 18. *Cartesianorum* indicationibus satisfacient salia volatilia spirituosis iuncta, aromatica, aliaque dura, & rigida, quæ incidere, attenuare, & sic obstructiones pororum diaphragmatis tollere queunt, quibus vt notiſsimis, & sæpiùs inculcatis non libet hìc diutiùs insistere.

§. 19. Iam succinctè, & nostræ praxeos quoad hunc affectum, tyrocinia non verborum tumore, sed medicamentis generoſis deponamus: Tres Ephialticos curandos tempore praxeos nostræ susceppimus. Durante ergò paroxismo excitari iubemus ægrum, dein propinamus quæcunque obstructionem in vijs, neruis sophrenicis, tollunt, Microcosmotorem nostrum, & spiritus animales excitantia recreantiaque, quod nobis præ aliis præstant spiritus volatiles ardentes, & salini volatiles, iuncti salibus volatilibus oleosis, quæ nonnunquam miracula præstant, dum spiritus nostros exsuscitant sopitos, & reuocant aliorsum abeuntes, quæ volatilia quoque sanguinis æquabilem fermentationem conseruant, spirituſque de nouo suſcitant. Esto processus:

℞. *Spir. vin. rectif. lib. ii.*
Sal. tartari puriſs. ʒ iiij.

Euoca destillando spiritum, cui ritè exaltato, adde olei aromatici, V. gr. cinamom. macis, fœnic. succini, &c. tantum, quantum sorbere poterit; tum adde spiritum salis Armoniaci cum temperamento. Vel ℞. *Spir. vin. rectif. tartariſ.* ʒ vj.
Ol. macis.
ſuccini ana ʒ iii.

Mixta stent, per tempus donec spiritus absorbserit olea, tunc adde Spir. sal. Armoniaci ʒ iii.

Ex phiala oblonga destilla ex arena, & serua ad vsum, & signetur *spiritus oleoſus noſter*.

Esto formula: ℥
℞. *Aq. cinnam.* ʒ iß.
apoplect. ʒ j.
Spiritus noſtri oleoſi ʒß.
Spr. de cinnam. ʒ i.
M. D. ad vitrum, cocleatim aßumend.

Vel ℞. *Conſer. fl. pæon.*
roriſmarin. ana ʒ j.
Sal. C. C. volat. gr. vi.
Magiſt. ſuccin. gr. iii.

M. F. Bolus, horis matutinis, & vespertinis vsurpandus.

Decoctum lignorum, in quod instilletur spir. sal. Armoniaci, optimè conducet.

Aqua cinamomi addita ambræ particulà, totam sepè in hoc affectu implet paginam.

Ad stagnationem verò sanguinis, ex coagulo illius ab acido sc. ortam, tollendam, medicamenta hæc supradicta, apprimè conueniunt, quatenus acidum corrigunt, & sanguinem citiſſimè diſſoluunt

uunt. Præ aliis huic scopo satisfacit, spiritus salis Armoniaci, purissimum illud alcali volatile ad ℈ j. in vehiculo idoneo exhibitum, spiritus C.C. fuliginis, & noster *spiritus oleosus*, & spiritus sal. Armon. succinatus; sic & sperma ceti hoc in casu summum & excellentissimum est remedium, in dissoluendo sanguinis coagulo; aliaque prosunt, quæ diximus in *capite de Apoplexia*.

Nunquam venæsectionem adhibuimus, nisi in maxima cordis angustia, vnde quasi suffocatio, vel apoplexia metuenda erat, in solo hoc casu ea vsi sumus, & si incubus sit ab obstructione mensium, tum saphenam secandam suademus; cucurbitulæ eius vicem supplere aliquando possunt, vt & hirudines.

Extra paroxysmum *Vomitoria* ex infuso antimonij, vel Tartarum Emeticũ *Mynsinchti*, vel *Ludouicianum*, vel *Nostrum* vinum Emeticum laudamus, quæ sæpè optimum nobis spondebant effectum, quibus ipsis in ventriculo infixos vitiosos, & crudos humores per superiora euacuamus; si verò ob vnam, vel aliam rationem, hæc non concedi possunt, tunc Cathartica eligere licet sequentia:

℞. *Mass. pil. alaphang.* ℥ ß
Magister. succini gr. iij.
Ol. anthos gr. ij.
M. F. pilulæ numero xv.

Post has assumat æger sequentem mixturã:

℞. *Spir. sal armoniac. succinat.*
C.C. ana ℥ ß
oleos. nostr. ℈ j.
Aq. saluiæ,
rorismarin. ana ℥ j.
M. pro tribus vicibus.

Ex sem. pœon. nigellæ potest fieri emulsio tempore somni, cui addi potest smaragd. præp. ℥ j.

Si ob stomachi vitium, vel ob Diætæ errorem, is obortus fuerit, cum successu nostris ægris præscripsimus puluerem stomachalem, quem describit à *Guldenklee* sequentem.

℞. *Sem. Coriand. ppt.* ℥ vj.
pœonia ℥ j. ß
Cinnamomi,
macis,
Caryophyll. ana ℈ j.
Corall. rub. præp. ℥ j.
Ol. Flitt. carui gr. xj.
M. gr. vij.
Rotul. manus Christ. perlat. ℥ ij. ß
M. F. Tragea.

Vel ℞. *Pulu. stomach. B.* ℥ iij.
coriandr. præp. ℥ j.
Fœcul. pœon. ℥ ß
Smaragd. præp. ℈ j.
M.

Sub vesperam sumat aliquid vini, vel aquæ vitæ Matthioli, vel spiritus vini.

Acidulę, & thermæ, ad leges Medicas epotę, sæpissimè ægros restituunt.

Nec negligimus errhina, apophlegatismos, frictiones, scarificationes, hirudines, &c.

Sennerti Elect. quod pletes archonticum inscribitur, cum confectione alkermes, & ambra commixtum, manè, & hora decubitus optimo cum successu exhibere solemus.

Topica, vt sunt axungia lupi, ranarum pectori inuncta, non exigui vsus sunt, vt & alia oleosa aromatica, & spirituosa, externè inuncta.

Denique caput hirudinis collo gestatum, hunc morbum arcere, Nobis pro arcano reuelatum est.

Hic etiam valdè conducit Emplastrum spirituosum vmbilico applicatum, vt & olea destillata lauendulæ, carui, &c. vel sacculus applicetur è sale communi, macerato tritico, flor. chamomillæ. Venter inungatur ol. nuc. mosch. expr. vel sequenti linimento.

℞. *Vng. alabastrin.* ℥ ij.
Theriac. ℈ v.
Salis fixi gr. xvj.
Croci opt. ℈ ß
Ol. carui.
Balsam. Peruuian. ana gut. viij.
M.

Pro diuitibus addatur moschus, & ambra.

Pro fœminis loco suaueolentium ol. de castoreo ℈ ß sumatur.

CA-

CAPVT XIV.

De Morbis Capitis.

DE CATHARRVS.

§. 1. IN portum tãdem bonis auibus delati fumus, ſcil. ad vltimum morbum capitis, (ſi à potiori, & frequentiori denominatio debet fieri) nempè *Catharrum*. Catharrus autem veteribus deſtillatio, & defluxus humorum è capite cerebroque in ſubiectas corporis partes, vnde *Galeno* ridiculè quidem caput veluti tectum, quod calidæ domui imponitur, videtur, quod omnes vapores, omniaque fuliginoſa excrementa, quæ à ſubiectis partibus ſenſim efferuntur, excipit, vbi frigiditate cerebri, tanquàm nubes in aere, condenſantur, & tandem ſpirituum calore reſoluta inſtar pluuiæ in ſubditas partes *deſtillant*, ac *defluunt*, & hinc hoc malum Græci vocant κατάρρον, id eſt, *defluxionem*, ſeu *deſtillationem*.

DEFINITIO.

Poſt definitionem *nominalem* nunc annectenda *realis*. Deſcribitur verò *Catharrus*, quòd ſit euaſatio lymphæ ſeu ſeri vitioſi, in parte qualibet corporis, inprimis verò capite, ob moram ibidem magis aceſcentis, & ſe coagulantis, & dolorem, vel cum, vel ſine tumore excitantis. Eſt hæc definitio, quàm excipit diuiſio.

DIVISIO.

Quatuor verò vulgò ſtatuuntur Catharri ſpecies. 1. Cùm cerebri excrementa in os aliaſque partes defluunt, hinc generali nomine, & per excellentiam *Catharrus* dicitur. 2. Vbi in nares ſeroſa acria deſcendunt κόρυζα, id eſt, grauedo nuncupatur 3. ſi in guttur & aſperam arteriam illabatur βράγχος, id eſt, raucedo nuncupatur. 4. ſi verò ad pectus ruat lympha euaſata, tunc *Rheuma* dicitur, iuxta tritiſſimos, & notiſſimos verſiculos memoriales;

Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catharrus.
Ad fauces Branchos, ad nares eſto Coryza

Si ſerum vitioſum, & contaminatum in oculos defluat, *ophthalmiam*, ſi in aures, tinnitus, & auditus difficultatem, ſi in maxillas, dentium dolores, ſi in ceruicem, aut ſcapulas, brachia aliaque membra delabatur, in iiſdem partibus dolores, & quandoque tumores ciet, ſi in neruorum origines, tremores, & apoplexiam, ſi in pulmones, aſthma, peripeumoniam, tuſſim, phthiſimq; ſi in ventriculum, fermenti corruptionem, cruditatem, nauſeam, atque appetitus proſtrationem, aliaq; infinita morborum genera excitare potis eſt. Hęc tamen omnia cum vulgo loquẽtes diximus. Si verò res accuratiùs eſt exprimenda, propriè loquendo ſerum euaſatum non ſemper ex capite protruditur, ſed quia per omnes partes illud eſt diffuſum, ex vnaquaque parte, tanquam domicilio ſuo, poteſt prorumpere.

PARS AFFECTA.

§. 2. Communi omnium veterum Medicorum ſuffragio pars affecta eſt cerebrũ, ſacrum illud Palladis domicilium, vnde & fons pituitæ, & conſequenter Catharrorum, à veneranda antiquitate dictum eſt. Cerebrum eſſe ſedem huius affectus inde probant, quod dolor capitis grauatiuus, vertigo, quod os cribriforme obſtructum ſit, & ſomnus laborioſus, cum turbulentis inſomnijs adſit, ſpecialiùs verò ventriculos cerebri agnoſcunt, perinde, ac alij ex Neotericorum ſubſelijs *glandulam pinealem*, alij pituitariam accuſant. Pars hodiernorum glandulas à *Malpigio*, *Warthono*, alijſq; detectas pro parte affecta agnoſcunt, pauci glandulas plexus choroidei, humorem vitioſum acido-ſalinum præparantes, ſubiectum dicunt. *Nos, & hic* non tantùm cerebrum inundari credimus, ſed pręcipuè omnes partes glandulis, & vaſis lymphaticis, tum in cerebro, tum in toto corpore ſcatentes, quatenus nimirum nimio ſero ſunt refertæ, pro parte affecta agnoſcimus, quibus ob quamuis cauſam ruptis, & diſtentis, cerebrum omneſq; aliæ partes inundantur, & pori, obſtruuntur, de qua re vide *Helmontiũ* de *Delir. cathar.* & Nob. Domini *Waldſchmidii*, Amici noſtri iuratiſſimi, Diſputationem *Aſtrolog. Med.* inſcriptam, qui exactè, & ingeniosè ibidem ratiocinatur.

Vi-

Videmus enim toto die, quod in *coryza* è tubulatis processuũ mamillarium insertionibus per os cribrosum lympha excernatur, mediante meatu vtrimque satis patulo, paululum supra infundibulum ortum trahente, in processuum dictorum tubulata corpuscula desinente, & ad corpora vsque narium spongiosa tendente.

DIAGNOSIS.

§. 3. Catharrus (vt ad *Diagnosin* veniamus) copiosa sternutatione se prodit, capitis grauitate, torpore, & hebetudine sensuum, quandoque dolore capitis, & exspuitione solito copiosiore. In coryza aut obstruuntur foramina ossis ethmoidis, aut lympha tenuis, aut crassa instar aquæ per nares defluit, in brancho siue *raucedine* adest gutturis asperitas, & raucedo vocis, sæpissimè quoque tussis. Cum ergò immodicè in vasis suis lympha exsuperet, tunc partim per nares, ceu dictum, partim per palatum, aliquando (rariùs tamen) per aures, interdum quoque per oculos excernitur, sæpè etiam effluit serum domesticum (non ex capite oriundum) in ipsis pulmonibus, quo ipso percipitur vel tussis, vel asthma, & cum nulla pars in toto corpore humano immunis sit à vasis lymphaticis; sic, & nulla pars est expers à receptione huius aquæ limpidæ; dum enim hæc vascula lymphatica nimium distenduntur, & vel crassescit *latex*, vel acescit, & in hæc vel illa loca se exonerant, vel etiam in externas corporis partes subiectas paulatim sibi sua tenuitate, acrimonià, & salsedine viam parat; dein rimas facit aculeata hæc lympha, hinc dolor, & tumor oritur vel lateris, vel lumborum, vel brachiorum, vel scapularum, vel oculorum, vel dentium, vel humerorum, vel adenum, coxendicis, crurum, diuersorumque articulorum, propter continui videlicet solutionem harũ partium. Ab adiuncto quoque humore dicitur *catharrus* vulgò, vel *calidus*, vel *frigidus*, vbi enim humor crassus, vel viscidus nihil, vel parum salis fixi habens precipitatur, *catharrum frigidum* adesse dicimus, ex quo *dolor* saltem *grauatiuus* percipitur, quod si verò sal admixtum fuerit, quod rigiditate ac acumine ad neruos tubulorum hærens mæandros *lacerationum*, vel *pungitiuum* dolorem producat, *catharrum calidum* appellamus. Nisi enim aculei vnius cum alterius poris dimicarent, sed semper in eundem collimarent scopum, dolor non oriretur prioris generis. *Figuræ* enim rectè motus vniformitatem explicant per simile dentium, & serratorum cuspidum in horologijs, vt enim v.g. dentes vnius rotæ interstitium dentium in altera ad amussim suppleant, h.e. vt vnius corporis spicula alterius corporis poris respondeant, ita his pensiculatè trutinatis, tam certa per schematismos, vera actionum symbola, de naturalibus actionibus cognitio deriuatur, quàm certò, & fortassè certius, ac index rotularum horologii gyris circumactus horam indicat; nõ quòd rotæ aureæ, vel chalybeæ sint, (si corporum particulis applicetur) hæ particulæ vitiosæ non agunt, qui salsæ, vel acidæ, &c. multò minùs quia calidæ, vel frigidæ sunt, aut quia hoc aut illo modo figuratæ, isto vel alio modo coordinatæ, quantæ, &c. sunt; nam hac in re consistit rei cardo. Catharrum ergò sano sensu *calidum* inde dicere possumus, quatenus sanguis vel serum acria sunt, vel sic ab aere redduntur, vel quatenus reliquæ balsamicæ particulæ acutiores, acuminatæ, rigidiores, & pyramidalibus cuspidibus similes fiunt, vnde non potest non fieri, quin hæ particulæ ita figuratæ rimas faciant, continui solutionem pariant, & dolorem excitent. *Calidum* ergò (h.e. acrem) catharrum dignoscere licet ex sensu caliditatis, ex pruritu partium, ex sternutamento crebro, ex sapore acri, amaro, salso, ex oculorum, & faciei rubore, &c. *Frigidus* verò (h.e. stypticus) ex sensu frigiditatis, ex lymphæ crassitie, & visciditate, siue ponderositate. Potiora hæc humoris dominantis vitiosi signa sequentibus versiculis cum vulgo includit *Franc. de Porta lib. 2. de sig. morborum.*

Quum pituitæ mouet malesana catharrum,
Frigus inest capiti, facies fit pallida, murmur

Vox

Vox ciet, & sapòr est, vrinaque crudior exit, Mens stupet, & sensus, motus torpore tenetur.

Euasatio seri vitiosi in partem statim Medico prudenti innotescet, quia pars ea mox dolore, & inflammatione se prodit, quandoque tumore, febris adest, rarissimè enim Catharrus hominem affligit, vbi non etiam febris deprehendatur, quæ consistit in perturbata sanguinis mixtione, vel eius incrassatione nimia, à sero nimio, & salso inducta; sal enim syluestre sanguini communicatum; motum facit diuersum, & inde mixtionem facilè turbat, & febrim producit.

CAVSÆ.

§. 4. Fuit hæc *Diagnosis*, nunc in amœnum campum *causarum* expatiemur. Veteres causam huius affectus proximam, per destillationem seu defluxionem humorum ex capite in partes subiectas explicant simile afferrentes, à vaporibus scilicet è partibus inferioribus ad caput eleuatis, ibidemque in aquam condensatis, & resolutis; v. gr. si consideres destillationem aquæ cuiusdam, vel coctionem aquæ in olla, in qua vapores eleuantur ad cooperculum, & inibi condensantur in guttas, & sic in homine stomachum ollam, caput v. cooperculum dicunt, si ergò ab hepate stomachus calefiat, vapores ad caput ex ipsorum argumento mitti debent, & multum adiuuare aiunt cerebri intemperiem frigidam, ac humidam, vnde cerebrum tali modo dispositum alimentum ad se transmissum, non probè digerere valet, atque hinc superfluitates aggregantur quamplurimæ, & magnus excrementorum prouentus; humores illi, & vapores condensati in subiectas partes tandem protruduntur, mox tumorem, mox dolorem efficientes. Vnde anni tempestas, victus ratio incongrua, crapula, nimia repletio, somnus immodicus, repentina capitis refrigeratio, à sudore in balneo, vel hypocausto, calor solaris, radii lunares caput ferientes, venti austrini, & aquilonarij, fœtor inusitatus, intempestiuæ vigiliæ, & lucubrationes nocturnæ remotè in causa sunt.

§. 5. *Paracelsistæ salinum*, & tartareum esse hunc morbum probant, & ascendit ipsis spiritus *tartareus* in forma vaporosa, vel liquida, qui in cerebro tandem leuiter coagulatur, sunt enim in cerebro *fumi minerales coagulantes*, quos ex aere etiam *Paracelsus* per nares attrahi, *tract. 2. lib. 2. de morb. metall. cap. 1. de fum. metall.* tradit, addens, quemadmodum in calore solis, & siderum ignibusque subterraneis, vapores multi in mediam aeris regionem eleuantur, in qua vi frigoris, vel vt alij volunt, vi salina in nubes condensantur, quæ in aquas, seu pluuias resolutæ, tum grauitate, tum naturali ad terram irrigandam inclinatione decidunt, ita in microcosmo idem ortus meteororum, pluuiarum, niuium, grandinum, & perpetua cœli inferioris, & superioris circulatio, mutuaq; fructuum communicatio locum habet. Et hìc illi cum veteribus ferè consentire videntur, quod vapores ex inferis partibus ad cerebrum eleuari, ac ibidem instar alembici cucurbitæ super impositi condensari credant, à qua sublimatione, vel salsus, vel acris in partes subiectas excidit humor, quòd & per nomen *Slusen* h. e. fluere innuere videntur.

Cum verò in *tartaro* omnes salium species contineantur, communis scil. aluminis, vitrioli, gemmæ, armoniaci, petræ, alcali, aceti, vrtic. &c. Variæ etiam inde morborum tartareorum, adeoque & destillationum differentiæ emergunt. Salibus quoque interdum iuxta ipsos, tincturæ *spirituum arsenicalium* miscentur, ex quibus fiunt fluxiones pernicioſissimæ, summo cum dolore, & rubore. Alio loco *Paracelsus de modo Pharmac.* lib. 2. tr. 1. Catharrum, Rheuma, Branchumque dicit esse *agritudines excrementales stercoris muceſi*.

§. 6. *Helmontius* industrius ille, per ignem mysta rationatur, quod catharri fiant, quoties in spiritum impetum facientem peregrina aura dolor, fermentum, siue semen exoticum suscipitur, to-

toties autem ab *Archeo* contaminatus ille spiritus influus à communione vitæ excluditur, spiritus autem iste alieno fermento deturpatus, non minores partes habet, vt ad dissita loca potiùs, quàm ad proxima mittatur. Lunæ etiam Blas suas vicissitudinum operationes nobis inspirat, maximè in cerebrum imbelle, ac membranas sese ostentantes; hinc ex ijsdem mutationis temporum ac tempestatum futurarum tædiosa scientia, per sensus, ac præsagia. Proinde tortura noctis dicta, subter qnàm recidunt, quæcunque falso vanoque defluxionum, & catharrorum affectuum nomine sęuiũt. Catharros ergò non ex vno fonte, capite humano scil. (vnde nimirum omnes catharros depluere cõminiscuntur Scholæ) sed ex propria cuiusque partis idiopathia siue propria indispositione, fermentis topicis superinducta oriri vult. Reijcit quoque *Vaporistarum* argumenta, & demonstrat ad oculum in Tract. *de Catharri deliram.* impossibile esse, vt vapores illi è stomacho ad caput assurgere possint, *vide tract. p. n. 268. de Catharri deliram.* nec mucum à decantato illo stomachi orificio oriri vult, sed esse inutile excrementum à custode errante genitum; in arthritide non rarò subesse salsum liquorem excrementorum fatetur, ita tamen vt solus latex horum est Vulcanus, cæmentum, & fomes; non autem vaporum è stomacho in cerebrum ascensus, non humores plures, nec ficta pituitæ bili coniugatæ destillatio.

Quicquid ergò *Scholæ* de vaporibus è stomacho sublatis pro Catharri materia garriunt, aniles fabellas putat, elegans afferens exemplum, de dolore dentium, & subsequente tumore, quia vapores desinant assurgere euulso dente, vbi dentes doluere, quod argumento est dentes non dolore ex catharro, id est, vaporibus, vt vetustas credidit, sed quia vel detecta gingiua nimium sensilis factus vel aliàs malè digesta vltimi alimenti sui materia, circa radicem dentis accessit, hinc dolor. Quicquid verò ex capite manat mucus est, & merum excrementum, non autem è stomacho eò deductum. Mucus est albus, crassus, & viscidus, benè constituto custode cerebri; sed eiusdem reuolutis, & perperam affectis potestatibus, mucus est aquosus, acutus, salsus, asper, flauus, tenax, &c. & decurrit, qua sibi via magis apta, è pelui siue suo infundibulo, patet. Non enim pergit author, qui latex coryzæ initio stillat aquæformis, merus mucus est, sed salsus latex, quo natura conatur eluere, quod ossi spongioso cerebri similimo insedit, vt hostis peregrinus. *Prout dixi*, vtut est, & quicquid est, quod è cerebro deorsum ad fauces defluit, eius ne vnica quidem gutta ad pulmonem intrat, quin priùs fussocationis metum ad quamlibet guttam suscitaret. Siquidem si vnica aquæ gutta, incautè deglutiendo in laryngem decidens, præfocationis metum potanti incutiat, quid non faceret tanta muci copia, quæ pelues paruo subinde temporis spatio implet? Expertus ergò scribit, quod libet membrum malè affectum, nedum plurimum excrementi sui, sed etiam aduersi, fabricare; fit enim quod latex peregrino sale contaminatus, spiritum deinde inficiat, vt proinde semper, non ab externa aeris iniuria, vel à proximo intus genito contagij acore, spiritus alienetur: quinimò à latice (vtpotè minus viuo) thymosin sibi assumat suscitatus; comitaturque latex tam prefata acidit ate, quàm quantitate molestus, vt miles importunus, inuito hospite subintrat. Tamquam vana ergò reijcit cauteria ad reuellendos consummendosquo humores fictos, vana quoque potuum exsiccantium pharmaca, cum malum à latice largioriq; potu saltem occasionaliter nascatur. Patet quàm salutiferus potus sobrius, latex namque pro sui instituto insipidus esse debebat; acescit verò multo maracis, & acidioris vini potu. Morbos ergò catharrales admittit quidem Nobilissimus Author, at catharri causas, modum media, vias, finẽ, siue destinationes, quemadmodum Scholę explicuere negat. Sic

ca-

tabem non defluxionem in pulmonem nuncupat, sed interno pulmonis errore ortam putat. Luna quippè cum manifestè respondeat cerebro, sic non quæcunque defluxionum nomine fæuiunt, itaque lues Veneris, contractura, tormina, subter torturam noctis recidunt, quia latici auscultat, Lunæ nostræ dominio subnoxia ad astrorum lationem auscultantia.

§. 7. *Willisius*, Anglorum Medicorum Cicero, existimat in hoc affectu serum à sanguine abscedere, & fieri eius exundationem in partes quascumuis, quod serum acre, & tenue, oscula vasorum lymphaticorum, & glandularum quandoque in tracheam, vel alios musculos, & partes dehiscentia aperit, ita vt serositates in eas partes nimis exspuantur, inde dolores varios molestissimos, inflammationes, & humores acres excitari posse contendit, addens postmodum, per coctionem crassescens serum tracheæ parietibus adhærere, & inspirationis vias validè angustare, materiam quoque hanc ichorosam è lymphæ, aut sanguinductibus in vesiculas pulmonum exudare, & *dispnœam* grauem quandoque phthisin producere putat.

§. 8. *Sylvius* causam proximam esse nimiam abundantiam humoris aquei serosi, acrimoniâ, salsedine, & aciditate peccantis, sæpiùs à capite ad pectus ruentis, catharros varios, & phthisin sæpissimè excitantis.

§. 9. *Cartesiani* supponentes materiam subtilem siue ætheream, pro vario ad nos cum Solis accessu, & recessu varias alterationes, ac symptomata apportantem, admittunt destillationes, vel in fauces, vel in asperam arteriam, vel in palatum, vel in pectus, sed aliter modum destillandi, & vias explicant, ac Veteres. Particulas ergò inprimis sanguinis acriores, & salsas in musculos, vel quascumuis corporis partes delatas accusant, statuentes materiam catharralem non suppeditari à cerebro, sed immediatè è sanguine per arterias in partes illas deferri; per materiam enim catharralem, h. e. serosam, & pituitosam, in sanguine latentem, poros arteriarum de die in diem ampliores reddi, & dilatari aiunt, ex quibus dein sanguis effunditur in tubulos; sanguis enim noster ex innumeris figuris, & magnitudine est conflatus, & quoad magnitudinem, figuras, situm, iuxta sese mouentur, ac variè coniunguntur, vnde diuersos poros efformant, ac materiam subtilem, pro diuersitate pororum seu in maiori, seu minori copia admittunt; sanguinem enim in catharris affici, vel ex sola febri continua, & lenta, catharrosos, vt plurimum concomitante, probare satagunt. Turbata enim sanguinis mixtione plures particulas acriores in glandulosas partes effundi, ibique crassitie, vel acrimonia, vel aliis mille modis peccare, membranas lacessire, & irritare dicunt, idque per sternutationem frequentem, molestam tussim, & raucedinem confirmant.

§. 10. Hæc sunt quæ alij de causa credunt. Nostra hæc est opinio: Existimamus scil. ab abundante sero vitioso, in corpore scatente, inundationem timentem *Microcosmetorem* quasi lachrymas effundere, quibus effusis serum augetur, acescit, indeque facilè euolatur, à qua euasatione seri scil. acrioris siue salsi, siue acidi in partes membranosas facta, dolores inflammationesque deducimus; catharrales enim affectus à vitio lymphæ primariò prouenire, extra omnem dubitationis aleam ponimus.

Videmus enim toto die ab aere inclementiore augeri lympham, quatenus scil. pori cutis obstruuntur, quæ verò effecta morbique ex impedita hac p. n. *διαπνοὴ* consequantur, cuilibet notum est, qui tantum à limine salutauit Medicinam; quia transpiratione subitò cessante, seri copiam in corpore augeri necesse est, vnde sequitur, quod serosa hæc colluuies facilè exundare possit, & instar diluuii partem, quam occupat, obruere. Apud omnes enim est in confesso, catharros, & rheumatismos à subitò facta *ἀποπνοίᾳ* produci, idque etiam euincit experientia; quod si simul serum habeat adiectum sal aliquod fixum

vel

vel ab aere communicatum, vel in ipso sanguine, aut sero generatum, tunc oritur dolor ille pungitiuus, & obstructio augetur, quia sal illud flecti nescium, contrahit partes quascumuis membranosas. Quod si verò euasatio seri, & subsequens stagnatio circa præcordia fiat, tunc oritur difficilis respiratio, febris, anxietas cordis, & suffocatio instans, comites nempè sæpissimi huius casus. Nobis persuademus, & pro certo ponimus, nunquam catharros tantùm à capite prouenire, sed euasationem hanc serosam, in omnibus partibus fieri posse; Viæ enim sunt manifestæ, vasa sc. lymphatica, quæ per totum corpus diffusa sunt. Cur ergò hæc vasa tantùm lacerentur in capite, & non in pulmonibus, collo, hepate, musculis, larynge, &c. & ad quem vsum glandulæ, serum vt plurimum præparantes, in multis alijs partibus existerent? Imò totam cutem dicimus glanduloſam, prout sæpiùs Microscopio talem conspeximus. Cur ergò nosmetipsi, qui caput semper habemus pituitâ madidum, h. e. sero coagulato repletum, tamen rarissimè catharris infestamur? Cur hydropem etiam à capite prouenire haud dicimus? meliùs proinde hos catharrales affectus ex lymphæ per omnes partes diffusæ vitio primariò oriri, non ampliùs dubitamus. Si enim lympha ex suis glandulis, & ductibus euasatur, fauces asperamque arteriam oblinit, nimiaque sua aciditate, & acrimoniâ dictas partes excoriat, vnde dolores, inflammationes, raucedoque oriuntur, qua affecti conqueruntur de dolore inflammatorio, & vrente in faucibus. Et quod ab aere inclementiore ceu superiùs diximus augeatur lympha, id apertissimè videmus in *Coryza*, omnibus hominibus ferè communi, quippè quam semper præcedit aeri frigidioris vitium, & indictis locis, quę transit, insensibilem impedit transpirationem, vnde acriùs, acidiùsque redditur serum, atque in locis prædictis copiosiùs quoque generatur, quæ lympha omnis, datâ semel portâ, toto impetu effluere conatur, præsertim si à potulentis nimium hæc vasa repleantur, ac distendantur, quod accidere solet potatoribus, vnde à cubito, quo vtimur in eleuandis vitris ad inebriandum, catharros oriri iocamur; à nimio enim potu vasi lymphaca turgescere, & serum quà data viâ ruere posse in propatulo est. Quòd si in faucibus fiat lymphatica hæc euasatio, oritur *raucitas*, quam sæpè per annum, & vltra durasse, & quandoque sine phthisi abijsse obseruauimus. Quod si euasatio seri fiat in *ventriculo*, tunc fermentum ventriculi deprauatur, alimenta assumpta corrumpuntur, tunc tenax, & crassa lympha, ad cibos digerendos in idonea, fermentationem inhibet, & subuertit. Et frequenter, dum hæc vascula lymphatica onerantur nimiâ seri copiâ, illud in alia loca se exonerat, per plures dies acescit, vel in externas corporis partes subiectas paulatim sibi suâ tenuitate, ac acrimoniâ viam parat, & rimulas facit, dein sensim crassescit euasata, & acescit, vndè sæpè fluit dolor lateris, lumborum, brachiorum, scapulorum, oculorum, dentium, humerorum, diuersorumque articulorum, nulla enim, vt sæpiùs diximus, est pars corporis, quæ non habeat suos ductus lymphaticos, adeò vt nec pulmones ijs careant, vnde & nulla pars ab euasatione seri libera est. Vias enim, per quas catharralis manat humor, diximus esse principaliter vasa lymphatica, minus verò principaliter vasa sanguifera, quorum priorum vasorum poros, vt dilatari, ita & vela nimia distensione, vel ab acrimonia ipsius seri vasa corrodentis, vel ab aciditate illius vasa discindentis, penitus rumpi posse, quis est, qui negat? Hic quoque obiter asteriſco notatum velimus, quod nos *Catharrum suffocatiuum* haud deducamus à sero tantum in pulmonibus euasato, multò minus, vt Scholæ voluere, è cerebro in fauces subitò proruente prout sat id discussit *Helmontius tract. de catharr. deliram.* sed esse potiùs talem affectum putamus, in quo sanguis ex ramo cauæ tàm ascendente, quàm descendente, in cor influens, indeque in pulmones ruens

in

in harum partium ductibus in motu suo nonnihil impeditur, indeq; stagnare incipit, ob acidum excessiuum, vel in ipsis humoribus generatum, vel ab inferioribus partibus allatum, inprimis à pancreatis succo acido, & austero, tum sanguini tum sero infuso, vnde suffocationis periculum, & respiratio difficilis, quam ex crebrioris aeris fruſtraneà licet reciprocatione, necessariò spuma sequitur, quod experimento, cui interfui, doctus dico, in cane sc. moribundo, moderata quantitas, 3 i. sc. *Spiritus sulphuris per campanam*, aquę sufficienti quantitate diluta, in venam cruralem infusa fuit, vnde post sanguinis coagulationem spuma apparuit. Ex quibus sequitur, quod, si acidum sanguinem coagulet, in pulmonibus oriatur *Catharrus suffocatiuus*, & eum esse quandam speciem *apoplexiæ*, & quidem *pulmonaris*. Inde credimus quod vt apoplexia fit ex motu sanguinis in cerebro impedito, & abolito, *Catharrus suffocatiuus* ex motu eodem in pulmonibus, & præcordiis nonnihil sufflaminato proueniat, qui motus sanguinis, vel impeditur à sanguinis copia, vel eius crassitie, & visciditate, vel ab obstructis vasis, vel ab acido coagulatore, indeque fluunt anxietates, & angustiæ cordis, respiratio anhelosa, & quandoque abolita, & tandem mors repentina, quæ omnia apparuere in exenteratione defuncti hoc morbo ægri, qui per annum, & plus mox catharrum suffocatiuum mox apoplexiam leuiter quidem passus, tandem verò *catharro suffocatiuo* extinctus est, cuius cadauer cum exenterarem, abdomen, & pectus supra os sternum dictum, adeò pinguedine obsessa reperimus, vt ea pinguedo æquaret quatuor digitos transuersos. Sanguis, vel nullibi reperiebatur, quàm circa cor, & pulmones, ibidemque stagnabat, quia scil. vasis per pinguedinem obstructis, sanguini via fuit intercluſa, indeque is aliorsum mitti non potuit, atque ita suffocatus est quod Germani rudius efferunt dicentes *Er iſt im-fette erſticket*. In quo piè defuncto, & hoc, quod in transcursu monemus notauimus, quod cum respirare non posset, inde leuamen senserit, quod pectus tutuderit, & percusserit, cuius rei ratio hæc est, quod commotione hac sanguinis motus fuit redditus. Vnde *Cl. I. G. Greiſel. in Miſcell. Curioſ. Anno 1. obſ. 74.* in omnibus catharro suffocatiuo defunctis aut in corde, aut in cerebro, vel non raro in ambobus, corpora calloſa viscida, & glutinosa ostendit. Haud dubiè in hoc affectu, & nerui ad pulmones transeuntes, vt & pori pulmonum obstruuntur, & hinc talis affectus sequitur, inde, & stagnatio sanguinis, in reliquis catharrorum speciebus vt plurimum serum, ceu supra dicimus, euasari, & eiusmodi affectus sequi, certum est. Hisce præmissis, facilè quilibet explicare potest anginas, raucedines, coryzas odontalgiam, alioſque affectus catharrales.

PROGNOSIS.

§. 11. Fuit hæc causæ explicatio, iam subiungenda *Prognoſis*, quid nempè de affectu hoc prædicendum sit; qua in re vt curiosus sit Medicus necesse est, quippe iuxta illud *Senecæ l. 6. de benef. c. 16.* pro ægroto, & fama artis timere debet. Si è capite in nares cerebri cloacas destillet humor, qui nunc serì vel lymphæ nomine venit, leue est malum, & paucos dies definit. Si in faucibus euasetur, peius est, si verò in pulmonibus, pessimum; inde enim exulceratio sæpiùs oritur, vnde tabes corporisque consumptio. Omnes catharri mites, & breues, si incuriosiùs negligantur, ita vt radices proijciant, periculosum est opus aleæ. A periculo omninò non sunt tuti sæpiùs catharrum incurrentes, varijs enim obnoxij sunt morbis aliis; minatur equidem abundans serum, apoplexiam, paralysin, pleuritidem, cœcitatem, phthisin, odontalgiam, anginam, surditatem, tarditatem vesicæ, renum, stomachi dolorem ac debilitatem, ischiaticam, podagram, &c. diarrhæam, colicam. Catharrus cum capitis continuo dolore est difficilior curatu, quam sine eo, priori enim casu maior denotatur abundantia seri. Autumnale tempus est maximè catharris obnoxium, propter

cœli

cœli mutationes frequentes. Magnus catharrus dicitur qui locum occupat nobilem. Catharrus suffocatiuus semper præsens minatur vitæ periculum,& hominem citissimè interimit, ac si fuerit apoplexiâ tactus. Senibus fiunt facilè destillationes, teste *Diuino Coo*, *Aph.*31. *S.*3.inde in his quoque difficillimè curantur.

CVRA DIÆTETICA.

§.12. Hactenus pensum vnum absoluimus ad alterum nunc transeundum est,ad *Curam* nempè *Diæteticam*, quæ consistit, prout sæpiùs inculcatum, *in sex* rebus non *naturalibus*, Æsculapij filijs ita dictis. Aer prima stat acie quatenus is in se continet particulas subtiles, & salinas; sal enim in aere esse, docent nos saniores Medici, & *Illustris Boyle*. Hæ ergò particulæ salinæ motu, & figurâ peccantes,& massæ lymphaticæ,& sanguineæ sese insinuantes, excitant nostrum affectum. Aer proin sit calidus, & siccus, è contra ventosus, pluuiosus aquilonaris atque austrinus summoperè vitetur; nimium enim frigus quantum hic nocendo valeat, lippis ac tonsoribus notum est, cum inde impediatur transpiratio tam necessaria, atque serum coaguletur, ac in motu sistatur, ipsæ glandulę cutis constringantur. Nocet nimirum maximè illud frigus, quãdo subitò accidit post magnum calorem, quodque cum humido coniunctum est; quæ omnia experiuntur ij, qui regiones maritimas, aquosas, mari,& lacubus vicinas incolere coguntur. Caueat,& catharris obnoxius *Solis,& Lunæ radios*. Si porrò austrini insurgant flatus, quantum sæpè valetudo detrimenti capit! vt collabantur, & languescant resolutæ fluido madore vires, cui ignotum est? (2.) *Cibus* sequitur, cuius magna in generandis humoribus, temperandoque valetudinis statu vis est,eaq; certa atq;efficax in multis alimentis, ad inundandum pituitæ fluxione corpus,iuxta versiculũ *Horat.lib.Serm.*2.*sat.*2.

Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum.
Lenta feret pituita; vides, vt pallidus omnis.

Cœna desurgat dubiâ.

Si cibus probus fuerit ac laudabilis, bonus inde generatur sanguis, qui mentem sensusque illustrat, affectus placidos sedatosque reddit, omnesque animi motus ad rationis imperium componit. Sin verò ex paruo alimento vitiosi humores spiritusque turbidi proueniant, (iuxta Veteres) effumante in cerebrum suliginoso vapore, grauem animus noxam contrahit, sensus obstupescunt, serositates cumulantur, affectus efferati tumultuantur, intelligentiæ nubilum prætenditur Cimmerium. Cibus hoc ergò in affectu sit concoctu facilis, siccus, bonumque succum generans, Ex. gr. Oua sorbibilia, carnes gallinarum, caponum, pullorum, perdicum, vitulinæ; assati sint potiùs, quàm elixi cibi. Moderata quoque sit huius quantitas, & cœna parcior prandio, sub finem cœnæ detur aliquid panis cidoniati. E contra cibi craffi, viscidi, concoctu difficiles, frigidi, & humidi exulent, vt cœpacea, alliata, & caseosa, quatenus hæc, & similia alimenta saburram humorum augent, turbulentis cerebrum spiritibus obnubilant; ex improbo enim difficilique pastu crassis corpus humoribus stagnat, inde, & nocturna horrenda somniorum simulacra offeruntur. Si verò facili bonique succi vtaris victu, aut placidè per summam tranquilitatem, aut in iucundis lætitiæ spectaculis somnus exigitur. Quod *potum* concernit, ijs sit moderatus; in potione enim magnum omninò est spirituum sanguinisque formandi momentum,quæ si tenuis fuerit, pura, & defæcata,sibi similem sanguinem gignit, & spiritibus; crassa verò difficilis, cruda, suæ in corpore indolis vestigia relinquit. Eorum, quæ dico, ex olido ganeorum grege documentum sumite; qui hordaceo vernaculi liquoris potu in popinis se saginant,quàm illi fœdam ex impurissimo corpore animam exhalant, quàm inquieto turbulentoque spiritu aguntur, quanta in ingenijs hebetudo, in sensibus stupor, in membris languor,quanta cerebri inundatio? Vt enim quando terra largiore per-

fusa imbre humectatur, lintea chartæque flaccescunt, paludes,& cloacæ fœdam animam halant: ita liquefactis diffusisq; toto corpore potulentis, pectora, & fauces *catharris* obsidentur, tinniunt aures, lippiunt oculi, pulmones tussi, caput vertigine tentatur, nerui, musculique fluxu humorum lubrici podagricis doloribus infestantur,quæ omnia effectus sunt largioris poculi. Potus aquæ putealis (alia enim ratio est acidularum) tanquam illa Styx ad Nonacrin Arcadiæ vrbem, hominibus bestiisque exitialis,vasaq; vi frigoris rumpens, vitandus est,suppeditat,enim serum copiosum, & vitiosum. (*Somnus* sit hoc in affectu moderatus, non diuturnus, nec diurnus. Caput tegatur *caliendris*, *vulgò Paruken* ne frigore externo, maximè capiti aliisque neruosis partibus inimico,id lædatur. (4.)Motus nec excessu nec defectu peccet; inprimis hic vitetur segne otium quod copiosis, & crudis humoribus vasa lymphatica replet, nec motum illum naturæ, quo vt aliàs, ista & hanc κένωσιν perficere solet; serum enim stagnate, & διαπνοὴν plurimum minuere facit. (5.) Aluus, & vesica sint lubrica. (6.) Quoad animi affectus, hilaritati alijsque iucundis speculationibus, & meditationibus studendum; metus verò tristitia ac desperatio, quatenus sub his sanguinis, & spirituum motus tardiores sunt, & inde cumulantur plurimæ serositates, fugienda sunt. Balnea maximè frigida vitentur, quippe quæ transpirationem prohibent, & corpus nimio replent sero. Natationem piscibus relinquamus, ex *Stenonis* enim obseruatione accuratissima notum est, quòd illi ductus, per quos aliàs fit transudatio, in piscibus longè maiores sint, ac in nobis hominibus,ita vt quod in his aqua non impedit,in homine remoratur multum. Alexandro Regi Macedoniæ quantum ex natatione intẽpestiua periculi fuerit,*Curtius* tradit. Cum enim æstate calidum adhuc corpus Cydni gelidis vndis commisisset, horruere artus,& pallore suffusũ eos flammula vitalis fermè reliquit. Ita namque, & serum,quod sãguini inest, magna vi à sanguine secedit,sanguis ipse inde coagulatur suo Rectore destitutus,spirituum dein pabulo defraudatorum motus subitò sistitur, atque hinc riguisse Regi iuueni artus, viuidum colorem,ac vigorem membra deseruisse, vitæ discrimen ortum duxisse, nemo inficiabitur, nisi qui cerebrum in calcaneo gerit.

CVRA PHARMACEVTICA.

§.13. Fuit hactenus acies velitum, cui nunc adiungenda veteranorum, hoc est medicamentorum nobilium,ac primò eorum quæ Veteribus in vsu fuere. Illi verò Catharrosis clystere leni primùm sẽtinam corporis eluunt, dein humores naturæ obedientes reddunt. Hoc vbi consecuti fuerint, *purgantibus*,siue *euacuantibus* humores peccantes è corpore propellere annituntur. Illa sunt Electuarium de succo rosarum,diaprunum, diaphœnicum, pil. aureæ, mastichinæ,cocchiæ,de agarico, &c. Agaricus trochisc. cassia,rhabarbarum, polypodium, electuarium, Indum diacatholicon. Si vires permittant, aut angina, aut pleuritis,aut febris intensa, aut suffocationis periculum impendeat, & æger sit plethoricus,illicò venam humerariam,aut medianam secare iubent. A validè purgantibus abstinere volunt, ne materiam grauantem magis ad fluxum irritent. Tãdem caput purgantibus errhinis, apophlegmatismis,sternutatorijs, cauterio actuali, & potentiali anteriori parti capitis admoto, catharrum deriuare,& deducere tentant; in eundem quoque finem vesiculas excitant. Demum humorum fluxum prohibẽtia imperant, inprimis si à principio suffocationis periculum impendeat ex catharri vehementia. Sistentia catharrum sunt sequentia: Diacodium simplex,& compositum,spec. diapapau. diatragacant. frig. & calidum(si nempe catharrus sit vel frigidus, vel calidus,cõtraria enim cõtrarijs curanda esse acriter contendunt)pilulę de cyno. glosa,loochde caulibus,de papauere,bolus armenus,succus glycyrrhizę,violarũ,pi ulę,ex rosis siccis,semen papaueris albi,glũmi,iuniperi. Spicã nocturno tẽpore in ore retinendam esse volunt; fu-fumigiũ cũ sola

ni-

nigella, aliisque aromaticis instituunt. Vnguentum ex oleo rosaceo, & emplastrum pro capite raso ex terra Lemnia, rosis, plantagine, bolo Armeno parant applicantque. Prædictis remedijs substituunt illa, quæ cerebrum *roborare*, *reliquiasque consumere* possunt; hæc ipsis sunt diamuscum dulce, diambra spec. arom. rosat. Mithridatium, conserua saluiæ, rorismarini, betonicæ, radices cyperi, stœchas, Gallia moscata, lignum aloes, ladanum, &c. In hunc scopum parare solent globulum odoriferum ex caryophyllis, Gallia moscata, N.M. styrace, calamintha, cucubis cinnamomo, &c. Cucupham, aut pileolum ex foliis lauri, origani, saluiæ, betonicæ, maioranæ, sem. nigellæ, stęchad. Arthure, mastiche, cinnamomo, Macere, N. M. caryophyllis, rosis rubris, componere solent; sacculum quoque ex sale, milio, furfure, aliisq; paratum capiti imponere iubent. Frictiones capitis cum linteolo aspero calente instituunt. Dein seq. emplastrum cõmissuræ coronali imponendum extollunt.

℞. *Sem. nigell. torrefact.* ʒ *i.*
sinapis torrefact.
Thuris ana ʒ *v.*
Mastich. ʒ *iij.*
Stercor. columbin.
Farin. hord. ana ʒ *j.*
Oxymel. squill. f. l. a. Emplastrum

Reliqua studio reticemus.

§. 14. Nunc *Paracelsistarum* scrinium expilemus, qui ad tartarum coagulatum resoluendum, resolutum coagulandum, vtrumque reducendum, astrumque inhibendum, ne ampliùs resoluat, vel coagulet, sequẽtibus vtuntur, inprimis ad fluxus capitis purgandos, vt sunt sarcocolla, sambucus staphis agria, crocus hort. hermodactyli, pyrethrum, euphorbium, sal gemmæ. Item ad fluxus melanch. & sanguine induratum purgandum, commendat Paracelsus polypodium, helleborum, tithymalum, agaricum, quæ sedulò præparanda, & corrigenda suadet. Porrò ex eorum opinione catharros exsiccant essentia melissæ, lunar. hormini, bugloss. minor. flore rubeo, quæ etiam in pileo gestata, ab humoribus è capite fortiter attractis humectari perhibetur. Alij laudibus extollunt purgandi ergò tartarum vitriolatum, elixir proprietatis, confortandi gratia oleum succini, quod ab ipsis in casu catharri inhibendo mirè efficax prædicatur, si quoque succinum pulu. sacculo includatur, & in spiritu vini maluat. calefiat; inspergunturque olei succini guttæ aliquot, & vertici applicetur, magnæ res est efficaciæ; vel etiam si nare vna, & tempora oleo vel balsamo succini illinantur. Alij ad sistendum catharrum ad narcotica, nempè laudana confugiunt. Specifica verò, & singulari vi catharros consumere, & dissipare dicunt oleum vitrioli ad gutt. III. cum aqua menthæ exhibitum, & aliquoties repetitum. Eundem effectum præstare dicũtur spiritus vitrioli, Tartari, oleũ sulphuris, terebinth. terra sigillata. Palmarium ipsis quoque remedium est aqua serpilli, cum spiritu vini chymicè elicita; oleum maioranæ, rorismar. anisi, fœniculi, oleum Lunę liquores sapphiri, smaragdi, musci, arcanas habere hoc in affectu vires clamitant.

§. 15. *Helmontius*, catharros curat soporiferis varijs, pro re nata tamen, & si in stomachum peregrina aduenerit aciditas, cũ visciditate quamdam, ad eluendam hanc & dein eliminandam, *vomitoria* prodesse haud dubitat; sternutatoria etiam hoc in affectu non contemnit, sed, & in hunc finem radices cyclaminis in taleolas oblõgas incisas, & oleo amygdalino imbutas, naribus indere iubet; ex maro etiam efficiri hoc in casu *sternutatorium*, statuit *Grembs*, pullus ille Helmontianus, quæ herba exsiccari debet, vt viriditatem reseruet, sub plumbea patina; ex qua dein puluis viridis amicabilis confici potest.

§. 16. *Willisius*, vt serum aliaque sanguinis recrementa, morbum hunc sæpiùs efficientia, per alias vias euacuentur, *Diaphoreticis*, *Diureticis*, *& lentibus purgantibus* vtendum esse præcipit, adiecta hac admonitione, vt cùm alia remedia interponuntur, phlebotomia haud negligetur, inprimis in catharro suffocatiuo,

& post hanc sæpè exhibere solet lene catharticum, syrupum scil. flor. persicorum vel ros. solut. vel pilulas succini, cochias, &c. Inter sudorifera, & diuretica tanquam præcipua commenda millepedes, sal succini volat. suliginis, &c. aliasque sales, & puluercs testaceos, cum therebinthina in pilulas redacta, dein vasorum & glandularum oscula nimis dehiscentia, ne serositates in partes exteras liberalius exspuantur, modicè abstringenda vult, item ad partes illas affectus demulcendas, & deliniendas, ne à seri acris effusione, aut frigoris externo occursu partes illæ planæ consumantur. In primo casu conducunt conserua rosar. rubr. olibanum, mastix, lohoch de pino, syr. de iuiubis, de rosis siccis; in altero syrupũ liquiritiæ, capill. vener. dialth. & alia pectoralia dulcia conuenire ait. Reliqua chirurgica, vesicatoria nempè, cauteria, frictiones, fonticulos, hirudines, aliaque pro re nata quoque commendat.

§. 17. *Sylui* calculo, sic catharrus in nobilem defluat partem, quoquis modo auertendus, & temperandus est; humores ergò salsi, & subacidi primum corrigendi sunt, dein hydragogis educendi. Ad acrimoniam seri humorumque corrigendam diuretica, & sudorifera medicamenta magnipendit, vt sunt decocta ex radicibus chinæ, sarsaparillæ, bardanæ, contrayeruæ. lign. guaiac. sassafras, buxi, querc. iuniper. &c. Ad humores salsos emendandos commendat pilulas de cynoglossa, & styrace, ad gr. v. exhibendas, eundem effectum habent gummi tragacanth. mastic. olibanum, styrax. radices glycyrrhicæ, semina IV. frigida maiora, cydonium, amyg. dulc. hordeum, opium, succus glycyrrhizæ inspissatus, terræ pingues omnes, bolus Armenus, terra Lemnia sigillata, corallium, margaritæ cinere cancrorum, &c. Fonticulos quoque ad minuendos humores felicissimè adhiberi vult, item errhina quę humorem peccantem per nares euacuant, & simul à faucibus auertunt.

§. 18. Ex Cartesiana hypothesi indicationes à sanguine aut sero nunc crasio, & viscido, nunc tenui, & acri petuntur: In principio ergò conducunt lenia cathartica, pilulæ nempè de succino, aliaque aloetica vesicatoria, fonticuli, & scarificationes ad serositates eliminandas, hisce indicationibus satisfaciunt. Si materia nimis aculeata, & acris fibrillas mẽbraneas nimis irritet, optimè opiata adhibentur, vt sunt pilulæ de cynoglossa, & iam superius dicta, quæ repetere hic supersedebimus. Præterea conueniunt *oleosa*, & *pinguia*, quatenus mollitie sua salis heterogenei spicula in sanguine inuoluunt, item terrestria, & crassa, vt sunt lapides cancrorum, terra sigillata, bolus, quatenus hæc, & similia aculeatos salium angulos limant torbantque. Conueniunt, & gummi, & glutinosa, quæ particulis suis crassis corporis habitum muniunt contra acrimoniam salis. Decoctum lignorum, quatenus sanguinis particelas viscidas, & acres corrigit emendatque, conducere aiunt *Cartesiani*.

§. 19. Nos ita procedimus: Statim abundans serum, ne obruatur *Microcosmetor noster*, & ad lachrymandum moueatur, euacuandum, & viscidum incidendum censemus. Sed maximè hic notandum velimus, vt priùs acrimonia siue aciditas sanguinis, & lympha emendetur corrigaturque. Primæ indicationi satisfaciunt hydragoga, & aloetica, vt sunt *pilulæ Francofurtenses*, quæ multis pilulæ catharrales dicuntur, item *Extractum cephalicum* sequenti modo paratum:

℞. *Colocynth.* ℥ vj.
Agaric. trochisc.
Diagryd. rosat.
Hellebor. nigr. ppt.
Turbith. ana ℥ ß.
Aloes. ℥ j.
Species diarrhod. ℥ ß.

Ponantur in vase vitreo cum Spiritu vini, vt VIII. digitos superemineaut, & digerantur per x. dies in loco calido, postea adijce puluerem diarrhodon, & infunde adhuc per IV. dies, colentur, omnia, & fortiter exprimantur, liquor expressus destillatur in balneo mariæ donec in fundo exhalatũ ad iustam consistentiã redeat;

deat; cuius extracti dosis est ℈ ß. Esto in tyronum gratiam formula:

℞. *Extr. cephalic.* gr. viij.
Resin. ialap. gr. vj.
Sal. volat. succini.
Gummi galban.
ammoniac. ana gr. iij.
Ol. myrrhæ. gutt. j.
M. f. pilulæ. Dentur.

Vel more Galenicorum.

In decoct. lignor. infunde
fol. senn. f. ß. ℥ iij.
sem. anis. ℥ ß.
colaturæ adde.
Syr. ros. sol. ℥ i. *M. D.*

Ad catharrosam materiam penitus absumendam *Hartmannus* suadet pilularum de succino Cratonis vsum, singulis septimanis in syr. de betonica ad ℥ ß. tribus horis post cœnam per tres menses assumere, quarum vsum haud improbamus.

Ad acrimoniam siue aciditatem, siue salsedinem sanguinis, & seri corrigendam & emendandam, imò *Microcosmetorem* consolandum, & sal quodcumuis sylueſtre è sanguine eliminandum, & debitam ipsius crasin restituendam cõducunt liquor C. G. succinatus ad guttas VII. in vehiculo conuenienti exhibitus, spiritus salis armoniaci anisatus, si scilicet adsit tussis, item sal volatile succini, & palmarium illud remedium, essentia nostra catharralis. Sunto quædam formulæ in iuniorum Medicorum gratiam.

℞. *Aq. serpill.* ℥ iij.
Syr. de betonic. ℈ i ß.
Essent. lign. sassafras ℥ ii.

Vel ℞. *Ess. ligni sassafras* ℥ ß.
flor. anthos ℥ ii.
M. Dosis 40. *gutt.*

Vel ℞. *Essent. catharreal. nostr.*
Spir. vitrioli.
cephal. ana ℥ ij. *M.*

Vel ℞. *Spir. lign. guaiac.* ℥ i.
Tinct. antimonii. ℥ ß.
Antimon. diaphoret. ℥ i.
Decoct. lignor. guaiac. ℥ iii.
M. f. Sudoriferum pro tribus vicibus.

Vel ℞. *Essent. succin.* ℥ ii.
Spir. sal. armon. ℥ ß.
Ol. Maioran.
succini
anisi ana gutt. ii.
M. D. ad vitrum, dosis guttæ 30.

D. *Tachenius* commendat specificè Camphoram in oleo appropriato solutam.

Vel ℞. *Spir. tartari sassafr.*
lign. guaiac. ana ℥ i.
Liq. C. C. succinat. ℥ ß.
Decoct. ling. sassafr. ℥ ii. *M.*

Aqua catharralis ex lignis haud erit hic contemnendi vsus. *Brunnerus* enim in Cõsiliis nominat lignum sassafras medicamentum in omnibus catharris nobilissimum. Esto formula;

℞. *Lign. sanct.* ℥ iii.
sassafr. ℥ ij
quere. ℥ ß.
santal. citrin. ℥ ß.
Brasil. ℥ i ß.
Rad. sarsaparill. ℥ i ß.
enul. ℥ ß.
liquirit. ℥ iii.

Cort. guaiac. ℥ vi. infunde concisa in aq. fumariæ, nasturt. cochlear. aquileg. ana lib. iiij. digere per XIV. horas, dein destilla, dosis ℥ j. ß. singulis horis matutinis, & vespertinis, cui succedit potus herbæ theè spir. serpilli sylueſtr. collect. ante ortum solis, destill. cum vino optimo, cohob. aliquoties, & recent. superfus. In hoc spiritu debet infundi lignum sassafras, & fit *Essentia Catharralis*.

Conducunt quoq; in catharris corrigendis, & ad serũ, & ad sanguinem emendandum, sal volatile oleosum Syluij, vt & nostrum, nec non Aqua benedicta serpilli Mynsichti, item spir. vitrioli in omnibus absumendis catharris dicitur medicamen singulare.

Si à lympha acriore, ac aere inclementiore ita reddita, laryx afficitur, & inde tussis contumax sicca, & difficilis respiratio cum anxietatibus, ob simul obortum sanguinis coagulum, *sperma aceti*, quacũnq; ratione, commodissimè, vel in iusculo, vel in cereuisia propinetur. Sit formula sequens.

℞. *Sperma ceti* ℥j.
Succini præpar.
Flor.bentz.ana ℥.ß.
M. pro duabus vicibus, sub introitū lecti,
Vel ℞. *Succin.præpar.*℥j ℈.
Spec.diatragac.fr.℥.j.
Sacchar.in aq.betonic.dissolut.q.s.
F. l. a. Rotulæ.

Opiata etiam maximè conueniunt, vt Theriaca recens massa pil. de cynoglossa, de styrace Theriaca cœlestis, &c.

Si Catharrus partem aliquam occupauerit, & dolorem parit maximum, tunc prædicta opiatis maritari possunt, & simul parti dolenti applicari seq. vel similibus repletus sacculus. ℞, herb. emoll. & discut. q.v. coque in lacte, & applica; tandem curam cum minoratiuo concludere solemus.

Diuretica etiam interponi possunt, vt sunt aselli, ocul. cancri, aliaque salia &c. quatenus serum nimium per vrinam eliminat, hinc oleum scorpionis foras dorso inunctum, apud *Riuerium*, profuisse legimus. Inter *externa* locum habent emplastra varia capiti imposita, inter quæ palmam alijs præripiunt Emplastrum cephalicum *Schræderi*, Epilepticum *Cratonis*. Mastix cum lana carpta vertici capitis imponatur; vertex oleo succini, anthos, alijsque inungatur; nec negligenda sunt hæc, & alia, ad nares temporaque, Ex. gr. ℞. herb. serpilli, sol. maioran. sem. nigell. parum contus. ℥ ij. ol. still. maioran. gutt. iij. F. Nodulus cum filo; potest etiam madefieri cum aq. maioranæ. Pediluuia, quatenus sanguinis, & seri acrimoniam temperant, & poros cutis, seu tubulos à materia crassa, & viscida obstructos aperiunt, atque inde transpirationem promouent, commendamus. *Sternutatoria*, & *masticatoria* quando oculi, & fauces se benè habent, admittimus; item sacculorum, & pileorum ex aromaticis aliisque paratorum vsum approbamus. Præterea experientia hactenus confirmati nouimus; quod caputia ex luporum pelle, quam habent in extremis digitis pedum, in capite gestata summoperè prosint catharrosis. Cataplasma ex fermento accerrimo, & succino capiti applicatum iuuat. Empl. de betonic. de tacamahac. ana. q. s. malaxetur cum ol. mastichin. extend. super alut. & obducatur sindone rubra. Gum. iuniper. extr. est specificum in catharris, *Fonticuli*, quippe qui ichorosam materiam peccantem, per cutis datam portam euacuant non sunt contemnendi vsus. Quoad vsum fumi tabaci, hic consuetudini multum damus, sed auream mediocritatis regulam, *ne quid nimis*, obseruandam suademus, si fumi, venduli misceant nicotianam cum aromaticis aliis herbis, inprimis Theè, conducit. Meliùs rem perage. rent sequenti experimento. Sumito laminam ferream ignitam aceto rosarum irroratam, & ita excipe odorem per nares idque sæpè repetas, Seq. puluis, Catharralis dictus, externus ad hunc finem quoq; conueniet:

℞. *Herb. salu.*
maioran.
roris mar. ana ℥ j.
Caryophillor.
Cinamom. ana ℥ ii.
Lign. aloes ℥ i.
Thuris ℥ i ß. *M.*

Excipe fumum cum linteo, capiti impositio. Valdè, & conuenit amuletum Hartmanni ex radice verbasci.

Hisce pauca addenda censemus de catharro suffocatiuo, affectu certè maximè periculoso, motus enim pulmonum, & cordis cum vita pari ambulant passu, & illo præcluso hominem, vel animal quod vis pulmonibus gaudens, suffocari necesse est. Sanguinem hoc in affectu, ab *acido* vt plurimum coagulatore, in præcordiis stagnare, superius diximus, vnde nihil aliud est, quàm *Syncope Cardiaca* Veterum, vnde si spuma ex pulmonibus in fauces eleuatur, res periculi est pleniſſima: ad hanc ergò stagnationem, & coagulationem seri & sanguinis tollendam, in paroxysmo statim venæsectionē, vel in brachio, vel in pede, vel loco huius cucurbitulas, tū siccas, tū scarificatas timidis instituimus, eum in finem, vt coagulatus sāguis lege circulationis resoluatur; experiētia n. habemus, quòd illi-

illicò sectâ venâ æger respirare incipiat; & si maximũ periculum adesse videatur, ad ventosa,& vesicatoria, tanquã ad anchorã sacram confugimus;dein clysteribus acrioribus ex aromaticis, & colocynthiacis in petia ligatis paratis, aluũ subducimus,E.g.

℞. *Decoct. pectoral.* ʒ ß
Diasol. El. hier. cum agaric. ʒ ß
Meli. anthosat. ʒ j.
Fell. tauri ʒ j.
Nitr. cum antimon. fix. ℈ ij.
Vitell. ou. num. j.
F. Clyster.

Tandem ad resoluentia, vel coagulationẽ sanguinis impedientia, nos conuertimus. Potio verò sequẽs à multis magni pẽditur:

℞. *Sperma ceti* ʒ ß *ad* ʒ j.
dissolu. in s. q. aq. hyssop.
syr. de hyssopo ʒ ij. *M.*

Conducunt quoque hoc in casu salia volatilia quæcunque, vt sunt salia volatilia succini,C.C. fuliginis,& spiritus volatiles, vt sunt spiritus suliginis succinatus noster,qui sequenti modo paratur:

℞. *Fulig. ex camino &*
succin. ana q. v. s. a. per ignem destilla, elue prius spiritus vini recipiens, & modo ord. rectifica. Vinum Papæ Adriani pro arcano est habendum.

Spiritus sulphuris cum aqua fontana commixtus commendatur à pluribus, additâ hac ratione, quia acida non solum sãguinem resolutum coagulant, sed & coagulatum resoluunt. Gummi ammoniacum in aqua hyssopi solutum, & vino exhibitum profuisse sæpiùs nouimus;lapides cancrorum grumescentẽ sanguinẽ,& coagulatũ egregiè resoluunt. Sunto formulæ:

℞. *Essent. myrrhæ* ʒ j.
Spir. fuligin. succinat. ʒ ß
Elix. pectoral. ʒ j. ß
M. D. ad gutt. xx. in sequenti, vel simili mixtura.

℞. *Aq. hyssop.* ʒ
fœnicul. ana ʒ ij.
asthmat. Rudolph. ʒ ß
Oxymel. scyllit. ʒ vj. *M.*

Vel ℞. *spir. gumm. ammoniac. compos. asthmatic. ana* ʒ ß
M. Dosis 40. guttæ.

Vel ℞. *Lact. sulphur.* ʒ ß
Flor. sulphur. myrrhat. ʒ j.
benzoin. gr. viij.
Asell. præpar. ʒ ß *M.*

Succus raphani cum saccharo permixtus est expertum remedium.

Inter externa magnisacimus sequens Emplastrum.

℞. *Tacamahac.*
Thuris, ana q. s.
Mastich. ana q. s.
F. l. a. Emplastr. induc. super alutam.

Conducunt ad motum sanguinis,& seri (ex glandulis saliualibus, nonnunquam materia hæc catharralis per vasa lymphatica ad fauces,& asperam arteriam,ita ruit & euasatur,vt metum suffocationis sæpiùs inducat,quod ex tussi sæpiùs hariolamur) promouendum *sudorifera*, Tinctura, scil. bezoartica Mich. antimon. diaphor. spir. salis vrinos. volat. ebor. fulig. castor. Infusionem medicamentorum volatilium acidum corrigentium, & sanguinem citissimè dissoluentium,inprimis spermatis ceti conuenienti menstruo dissoluti, in venas ægrotorum,cum Nobilis. *Ettmullero* magnisacimus. Sed de his propter ægros, & adstantes nimis timidos,experientiâ destituti,nihil certi addere possumus, quamuis non dubitamus, præstantissimum remedium hoc exoptatum polliciturum effectum. Extra paroxysmum varia linimenta, aliaque superiùs dicta, hìc conuenire haud dubitamus; Ex.gr. sequens Emplastrum suspensiuum.

℞. *Ferment. actior.* ʒ iij.
Succin. præpar. ʒ ij.
Acet. rutac. q. s.
M. Applicetur capiti.

Ad prẽseruationem sequentes, vel similes pilulas commendamus:

℞. *Mass. pil. de succin. Crat.* ʒ j.
Syr. rosar. ex multipl. infus. ℈ ij.
Scammon. rosar. ℈ j.
Cum est. flor. anthos f. l. a. pilulæ instra. aloephangin. pro aliquot vicibus.

Sed ne nimij simus,hìc plura repetere supersedebimus,& ad alia Nos conferamus,

IOH: DOLÆI ENCYCLOPÆDIÆ MEDICINÆ THEORETICO-PRACTICÆ, *LIBRI SECVNDI.*

De Morbis, & Affectibus Thoracis.

CAPVT I

De Tussi.

§. 1. IN libro præcedente non tantùm regimen Microcosmetoris in Palladis arce, capite dico, residentis, sed etiam eius hostes figuratis armis instructos spectauimus. Nunc alterum Regnum, Thoracem nempe, in quo & alium Regentem priori huic certis modis subiectum habemus, & cui nomen indere placet *Cardi Meleeh*, qui sedem suam habet in *corde*, primum viuente, & vltimum moriente, huiusque Regis hostes, quomodo incedant, & quasnam strages, & cædes faciant, atque quibus modis cognoscendi, ac quid inde metuendum, & qui expugnandi, & auertendi sint, videamus. Fines verò ipsius regni sese porrigunt hinc ad asperam arteriam, quam adhuc habet inclusam, illinc ad diaphragma, vnde ansam sumimus statim in principio tractandi de Tussi, qua hostis hanc stragem dans per asperam ingruit arteriam. Accedamus ergò sine vlteriori præfatione ad ipsam *definitionem*.

DEFINITIO.

Tussis vulgò describitur, quod sit valida, crebrior, inæqualis, & sonora efflatio, vel expiratio, quà magna spirituum pars cum impetu foras erumpens, vi suà explodere nititur excrementa acria, ex lympha peccante orta, tracheam, & ipsas fibras pulmonares lacessentia vellicantiaque. Tussis verò omnis est triplicis generis, vel humida, vel sicca, quæ alio nomine conuulsio dicitur, vel stomachica. In humida humor aliquis, intra ductus tracheales prolapsus, tussiendo excernitur per os, & quoad consistentiam, humor ille, vel crassus est, aut tenuis, vel crudus, aut concoctus. Altera verò species tussis sicca est, in qua nihil eiicitur, quæ duntaxat fit à materia subtili heterogenea, fibras tamen nerueas tracheales, & pulmonales perpetuò irritante, quem spasmum, vel conuulsionem pulmonarem appellare libuit. Sic & tussim fieri per consensum non dubitamus; videmus enim si ventriculus saburrà viscidà repletus sit, exinde tussim oriri, quam suprà stomachicam nominare libuit. Consensu quoque reliquorum viscerum fieri posse tussim, omninò credimus.

PARS AFFECTA.

§. 2. Pars affecta tussis habetur vulgò *pulmo*, qui aliàs per se, aliàs per consensum alteriùs partis, pectoris, scil. aut diaphragmatis afficitur; musculi enim thoracem contrahentes, & bronchiorum fibræ motrices, & nerui pulmonares compatiuntur. Sic, & alii nerui, in locis à pectore dissitis lacessiti, mediãtibus spiritibus tussim excitant; neq; hic excluſam volumus

mns *trachæam*, siue *cartilaginosam*, illam fistulam, fibris suis instructam.

DIAGNOSIS.

§. 3. Signa huius mali per se sunt manifesta, tam enim valida frequentesque est tussis, vt prohibere, etiamsi velit æger, id non possit, vnde prouerbium manauit, tussim, & amorem dissimulari non posse, & ratio est, quia contingit thoracem hic admodum comprimi, cum haud aliter id, quod noxium est, in iis locis reduci, & quasi exantlari possit, ac cum tussi, vel cõmotione hac præternaturali, propter situm scil. & conformationem earum partium, quæ respirationi inseruiunt. Sæpè etiam in affectu hoc titillatio in interna oris parte, cum pectoris dolore percipitur, humor quoque siue serum, vel pus, quod in tussi eiicitur, varium est, mox album, mox flauum, aut rubicundum, quandoque cœruleum, quale sputum obseruauit *Nobilis. & Expertissimus Dn. Reiselius, Archiater* Stutgardiensis, *Collega, & amicus* noster suspiciendus, *testibus Ephem. Germ.* Nonnunquam excrementum hoc est atrum, prout sæpiùs eius generis oculis hisce nostris vidimus. Sæpè humor hic peccans procedit è laryngis parietibus, nonnunquam verò profundiùs, materia hæc peccans in bronchiorum, sc. tubis, interdum in ipsorum pulmonum vesiculis hærens eiicitur, recrementa quoque illa peioris notæ intra trachææ vesiculas vltimas deponuntur, ex quibus cum vehementi, & crebriùs repetito tussiendi labore, & conatu eliminantur.

Quandoque sanguis proiicitur in tussi, adest loquela rauca, quandoque ita abolita, vt vix percipi queat, ægri sunt colli oblongi, sæpissimè macri, & catharrales. Pergendum ad causam.

CAVSA.

§. 4. Ex Veterum Medicorum placito tussis humida ab humore, qui à capite in asperam arteriam, & pulmones depluit defluitque, oritur, qui si magnà copià, magnoque impetu feratur, maxima concurrit spirandi difficultas, simul magna grauitas in pectore percipitur, & in dorso interdum, vbi pulmones nonnunquam membranis affiguntur. Pituita ergò crassa obstruit, secundùm eos, organa respirationis, meatusque, & has partes exasperat titillatque. Tussim verò siccam deducunt vel à vaporibus, vel à materia, sed nimis subtili, viscida simul, & adeò glutinosa, vt expui nequeat. A capite contendunt omnem diffluere, & ad pectus ruere humorem; eadem, sed falsà opinione, credunt vapores ascendere posse ex inferioribus partibus, videlicet liene, hepate, ventriculo, vtero, ad illas partes, vnde calefactio, exsiccatio, & obstructio, atque aliquando exulceratio oboriantur. Tussim siccam quoque exoriri posse ab ijsdem vaporibus, in inflammatione hepatis, & febribus, firmiter credũt; in humida quoque tussi detineri aliquando in pulmonibus materiam viscidam, non dubitãt, & per id probant, quod in pleuritide, phthisi, pulmonumque inflammationibus accedat tussis. Ex compressione septi transuersi, ex lumbricis alijsque acribus venenis, illam oboriri posse, cùm Neotericis haud in dubium vocant. Causa verò raucedinis est nimia humectatio mẽbranarum laryngem constituentium, per catarrhum, siue destillationem excrementitiæ humiditatis, in asperam hãc arteriam delapsæ, qua de re pluribus dictum, vbi de Catharro egimus.

Paracelsus magnorum arcanorum possessor, affectum hunc *excrementalem* pronuntiat, & ortum suum habere ex *tartaro*, seu *mucilagine lutosa* contendit, siue illa frustrata separatione, & expulsione in pulmonibus, & vijs spiritus proueniat, siue in forma resoluta liquida, vel vaporosa ab alijs partibus transferatur. Per tartarum verò (quem etiam *mordam*, & stercus cuiuslibet partis appellat,) intelligit quemcumuis humorem excrementitium, syluestrem siue tenuem, siue crassum, qui suapte naturà ad coagulationem tendit, nec in se habet virtutem ad expellendum, sed vim adstringentem, & acidam, seu aluminosam. Mucus enim partibus adhærens sensim sine sẽsu vi caloris siccescit, & crassescit,

scit, ac superuentu spiritus salini in viscum, arenam, bolum, calculum, quæ species tartari, ab ipso habentur, mutatur; vel vt cum aliis loquamur, pituitam salsam, vitream, gypseam, grandinem, tophum, coagulatur, & concrescit. Hic tartarus, lateribus adhærescens meatus anhelitus respirationisque obturat, & acrimonia acquisita membranas irritat, apertà vi pulmones infestat, quia naturæ est salinæ (cuius proprium est, vt ex aqua gignatur, & coaguletur.) Ita à vi salina dissoluente, incidente, abstergente resolutus tartarus, à spiritibus pulmonis mechanicis separatoriis, & expulsorijs sursum per emunctorium proprium, asperam sc. arteriam reijcitur, vt verbis his deducit *Petræus in Nosolog. Harmonica.*

§. 5. *Helmontius* tussim, & raucedinem oriri statuit ex sensu noxii infestantis laryngem, à sui initio, i. e. custodis, vsque ad pulmonum profunditatem, vnde sordes atomorum aeris, vel fumi acres, aut frigus atrox in laryngem, vel in pulmonum substantiam se insinuant, & si à custode larynx non benè deliniatur, sic errant exteræ iniuriæ, & per abortiuam vim excrementa fabricant, hęc de humida tussi differit. Tussim verò siccam prouenire credit ex paucitate muci salsi (nam custos stimulum expultionis habet salsedinem adnexam, vt sensationem laryngis proriret, *an notante Grembs. arbor. ruinos. l. 2. cap. 1. §. 9. de pulmonum affectibus*,) Et quòd senibus tussis familiaris sit, inde probat *Helmontius*, quia extremis laryngis ramis excrementi tantillum residet, quod nec dum arundines obstruit sin tamen præsentia fermentum locale turbat, & minuit, vnde in horas suscitantur excrementa.

§. 6. *Willisiana* ex hypothesi tussis cuiuscunque causa primaria est neruorum, aut fibrarum ad pulmones pertinentium irritatio. Sæpè etiam humor acris intra ἐγκέφαλον aggestus, indeque in capitello neruorum pectoralium decumbens, tussim molestissimam excitat, sic serum ex arteriis in gulæ aut laryngis partes superiores exstillans, absque notabili pulmonum noxa, tussim crebram, & molestam producere posse, haud dubitat ipse Author. Tussis sicca dicitur Nobilissimo nostro idiopathica, quæ & ob varias excitatur causas, horum ductum singulorũ pulmonarium obstructio, siue per compressionem, siue oppletionem, siue contractionem facta, necessariò tussim inducit; item illa, quæ fibras nerueas perpetuò irritare queunt, tussim siccam excitant, inter quæ Author inflammationes, tumores, tubercula, sanguinis, ob plenitudinem, vel depauperationem, stagnationes, concretiones argillaceas, lapideas, polypos, vermes, &c. recensèt. Cæterum tussis sicca, interdum naturæ instinctu, velut antliæ loco, vt loquitur author, excitatur, nimirum vt sanguis, vel ob propriam dyscrasiam, vel ob vasa pneumonica, non satis patentia, pulmones ægrè pertransiens, partium harum successu promoueri, ac in motum rapidiorem vrgeri possit. Quod tussim concernit conuulsiuam, eius causa coniuncta consistit in pulmonum irritatione, partes enim motiuæ, nerui videlicet, & fibræ neruæ, quoties irritantur, tussim conuulsiuam efficiunt. Materia illa irritans est iuxta hunc nostrum Authorem, serum ex massa sanguinea, propter compagem eius nimis solutam, & laxam perpetim exsudans, atque pectoralia molestans, quatenus per arterias tum trachealeis in laryngis cauitatem destillat, inde & raucedo deduci potest. Spasmosdica ergò illa dispositio procedit à materia heterogenea, & elastica, è cerebro, per neruorum ductus, cum liquore nerueo, in fibras pectoris motrices prolapsa. Quare eum spiritus fibrarum incolæ ad motus exspirationis violentos edendos incitentur, motus conuulsiuos ineunt, vide de his *ipsum Authorem dissertentem de Tussi puerorũ conuulsa.*

§. 7. *Syluius*, Medicorum Bàtauorum Coryphæus, omne id quod asperam pulmonum arteriam vellicare, aut quouis modo irritare potest, tussis causam esse existimat, sic quod planè obliniret asperam arteriam raucedinis causam esse putat. Quandoque forinsecus aliquod ad-

adueniens, vel ore assumptum, perperam in laryngem defertur, & propterea tussim excitat, quod etiam faciunt humores à capite depluentes, (humidæ sc. tussis causa) vel sunt pituitosi, nunc acres, salsi vel acidi, nunc blandi, & insipidi, nunc crassi, atque viscidi. Et hæc dicta probat per per phthisicos, quando pus, vel sanies, in asperam arteriam penetrat, tunc molestissima excitatur tussis, de qua sola conqueruntur ægri. Sanguinem quoque, & pituitam, serum nempe coagulatum, ex pulmonum substãtia vel vasis in arteriam translata tussim producere posse, author haud dubitat. Ex tussis verò siccæ causis externis Ipse agnoscit vel aerem, vel potũ frigidum, asperam arteriam molestantem, ex internis verò causis Ipsi est vel catarrhus valdè viscidus, vel nimis tenuis acrisque, aliquando halitus ac flatus, à tenui intestino, ac ventriculo per gulam eleuati, & vnà cum aere in pulmones allecti; vel ab effervescentia inter bilem, & succum pancreaticum orta, eleuati per venas nempe lacteas in cor, & dein in pulmonum vasa, indeque vsque ad tracheam sese insinuantes, ipsam laryngem ad tussiendum cogentes. Raucedinis verò causam adscribit spiritui salino muriatico, non tam rodenti partes voci dicatas, quàm ipsas non satis explicabili modo mali afficienti.

§. 8. *Cartesius* eiusdemque sectarij aceusant, vt solent, particulas sanguinis cuspidatas, acutas, & acriores, quæ per humorum circulationem in musculos inspirationi, vel exspirationi dicatos deferuntur, & ibi in maiori copia existẽtes, inconsuetà molestia partes vellicant, & sic motum hunc conuulsiuum excitant, vnde *tussis illius siccæ* natales apparent; particulæ enim acres, cultellorum, vel stimulorum forma tornatæ, vbicunque existentes vel aduenientes, in dictorum pulmonum, vel asperæ arteriæ ramulorum fibras (nisi vaginis medicamentorum dulcificantium aut viscidorum includantur) delatæ, necessariò producunt speciem quamdam conuulsionis, tussim nempe; eundem effectum habent catarrhi acres, salsi destillantes, & effluxum in fauces, vel asperam arteriam habentes. Simili modo sanguinis extrauasati per moram mutatæ particulæ, & acres factæ, cum bronchia pulmonum irritent, faciunt tussim, prout videre est in hæmoptysi. Si ergò particulę hę sibi imperium rapuerunt circa fauces, & pulmones, fieri non potest, quin excitetur talis motus præternaturalis, nempè tussis.

§. 9. Nos absque verborum ambage, & nostram reuelemus de hoc morbo opinionem. *Cardimelechem* verò Regem nostrum non satis, defendere posse disita propugnacula in hoc affectu haud dubitamus. (h. e. fermentum cordis est minus volatile,) vnde hostis facilè occupare potest ea præmunimenta, puta asperam arteriam, indeque tussim, & raucedinem excitare. Vt plurimum à lymphæ vitio, tanquam hoste prouenire, & non à catarrho, vti vulgò explicatur, hunc affectum putamus. Siquis verò per catarrhum intelligat euasationem seri, & non defluxum à capite, cum ipso non disputabimus, vtpote cùm sub nostro vexillo militet. Hostis ergò nostri Regis est lympha, quatenus ex asperæ arteriæ, & vicinis suis glandulis copiosiùs effusa, fauces, & inprimis asperam arteriam occupat, nimia etiã aciditate sua, quam per moram acquirit, partes has neruosas irritat vellicatque, vnde tam dolorosè dictarum fibrarum motiones, & repetitæ spasmoditę crispaturæ inferuntur, quo ipso tussis illa molesta cõuulsiua oritur; si autẽ serosa illa colluuies ita viscida est, vt planè obliniat asperæ arteriæ rimas, & fossulas, tunc oritur raucedo. Præcedit sæpissimè aeris inspirati vitium, dicta loca, quæ penetrat, lædens, insensilem traspirationem nonnihil impediens, vnde acrior, acidiorque existit lympha, & vberior ex glandulis scaturit, & sic tussim molestam cum Coryza producit. Cùm enim corpus humanum valdè est calefactum, pori cutanei valdè patent, per quas copiosa materia insensibilis transpirationis auolat. Cum itaque tale corpus frigido exponitur aeri, particulæ multæ aeris sese in poros cutaneos apertos insinuant,

sinuant, & eos angustant; quare insensibilis transpiratio ex parte impeditur, avolantibus per poros angustatos particulis subtilioribus crassiores remanent, quæ postea perpetuo avolatu subtilium particularum magis ac magis crassescunt, & indurescunt. Si tunc materia hæc crassa in musculis,& membranis pectoris,& pulmonis hęret,sua acrimonia neruos vellicando tussim inducit.Nec hic excludimus quodcunque heterogeneum, quod vel extus, vel intus asperæ arteriæ, aut *pulmonum* fibras, ac membranas irritare, vellicare, ac crispare valet, siue sit puluisculus, siue aer,siue fumus,siue pituita, siue pus, siue sanies, siue sanguis extrauasatus;sanguinē etiam in raucedine remotè multùm conferre extra omnem dubitationis aleam ponimus, quod nos confirmat puella,quæ ex menstruorum defectu in raucedinem semestralē incidit, & restituto hoc catameniorū fluxu feliciter ab hac liberata fuit. Phlegmata illa in pulmonibus incrassescunt ob frigidum aerem inspiratum, & particulas acidas aeri immixtas phlegmata incrassantes.

Tussis sæpissimè oritur, si fluctuent pituitosa aut salso-acida in ventriculo, qua succesiuè irritant superius orificium stomachi insensa, & molesta sua acrimonia; inde diaphragma,ipsique proximiores musculi exspirationi dicati conuelluntur, indeque concutiunt pectora,qualem tussim obseruare licuit in fœmina cācro in mamma sinistra laborante, quæ ob musculos istos pectorales ferè ob acrimoniam sanguinis demansos continuo asthmate, & tussi sicca laborabat,quæ, & tandem inde vltimum vale mundanis dixit. Hisce prę-missis triplicem statuimus tussim *humidam* nempe, *conuulsiuam*,siue *siccam*,& *stomachicam*. Initium motionis in tussi est vt plurimnm in pulmonibus,tanquam officina respirationis,prout videre est in phthisi pneumonia, pleuritide, &c. Dein pectoris musculi quoque excitantur,& irritantur, qui thoracem validè comprimunt, eà quidem ratione, ad meliùs expellendum id, quod in vijs spiritum continetur, cum sic spiritus feratur foras vehementiùs, qui vehementia secum rapit nonnunquam excrementa in itinere existentia. Hoc enim stratagemate vtitur Cardimelech, ad hostem à se arcendum, prout Microcosmetor in cerebro existens, sternutatione,hoc quod sibi noxium est, eijcit expellitque. Ad vesperam cùm ægri lectum intrant, tussis ingrauescit, quia particulæ salinæ antea immotæ iacebant, nunc à calore lecti magis agitantur, & in neruos impelluntur, & sic irritationem ad tussim efficiunt.

PROGNOSIS.

§. 10. Pergamus nunc ad Prognosin, Delphicum illud Medicorum oracultum, Prognosis verò de nostro affectu institui potest sequens, quod leuis sit quidem affectus, & quandoque citissimè eò laborantes deferat, quod si verò diu duret, tussis illa non contemnenda est, annotante nobiscum *Sylnio* in Praxi Med. Radices enim agens, absque læsione pulmonum vix recedit, quippe latex salsus, seu acris quicunque euasatus, & moram trahens, acrior,& salsior redditur, à quo dein faciliùs pulmo flaccidus,& tenuis texturę erodi potest. Tussis ergò diu perseuerans, ad phthisin ęgrum ducit;aliquando etiam vel ob violentum conatum motumque pectoris, vel ob acrimoniam humorum latentium,vasa,& vesiculæ pulmonum rumpūtur;vnde sputum sanguinis prodromus sc. futuræ phthiseos,seu vlceris pulmonis oritur. Tussis enim ex vlcere spiritualiū partium,aut ex earundem partium absscessu, periculosissima est. Tussis quæ antea humida erat, subitò in siccam desinens cum pectoris grauitate,pulmonum exulcerationem minatur, indeque periculosa est. Tussis continua à veteri obstructione, simul laborantibus pulmonibus, aut etiam ipsis corruptis, difficilis existit curatu. Sicca tussis cum febricula,& quidem à cibo plus ingraueścente, & cum æger nihil expuere possit, febrem arguit *hecticam*. Sic,& illa sicca tussis cum maximo conatu, in prægnantibus oborta periculosæ est aleæ, & nonnunquam obortum infert. Contra

tussis

tussis cum modico conatu, alleuiatione, multa & veloci expulsione, sine labore, & fatigatione, absque periculo est.

CVRA DIÆTETICA.

§. 11. Fuit hactenus ipse morbus, cui subjungenda est cura. Fons Diæteticus præcipuos vtilitatis suæ riuulos περιφυλάξει ostendit, vtpote in qua, exacta victus ratio requiritur. *Aer* itaque eligatur temperatus, & ad siccum vergens, qui in tussi maximè prodest, à temperatura verò sua desciscens, quatenus inspiratur aer, vel corpus circumambit, vel etiã, ceu *Syluius* vult, cum saliua deglutitur, particularum quibus constat acrimonia nitrosa, existente inprimis bruma, faucibus, & pulmonibus irritando nocet, iuxta edictum *Coryphæi Medicorum Hippocratis S. 3. aphor. 13. Fußes fiunt hyeme, & S. 3. aph. 5. vt & S. 5 aphor. 24. frigida, vt nix, & glacies, sunt pectori inimica*, inde mouentur tusses, & destillationes. Cum ergo sol litem sui à nobis recessus extremum in Capricorno tenet, tusses vigent, idem faciunt cum Virgo, & Libra pluuias de nubibus aquas proliciunt. Vitetur angue, & cane pejus aer quicumque impurus, nebulosus, fumosus, humidis vaporibus repletus Quod *cibum & potum* concernit, ille sit temperatiuus, & blandis suauibusque particulis suis demulceat partes membranosas, & fibrosas sensiles, fugiantur cibi acres, salsi, aromatici, aliaque alimenta serum fluxile, & acutum reddentia, ab acribus enim succis fit rosio, & vellicatio harum parcium. Nocent, & salsa quæcunque, vel fumo indurata, vel sale muriatico condita. *Potus* sit ptisana Veterum, aut mulsa, vel decoctum hordei cum passulis, & ficubus, vel ex speciebus pro decocto pectorali, in *Pharmacopœa Augustana* descriptis, vel aqua sulphurea propè Francofurtum *Faus vvaßer* dicta. Nocet frigidissimi potus larga, & confertim facta ingurgitatio, ab vnico enim haustu vel cereuisiæ, vel aquæ molestam obseruaui tussim. Vinum quodcunque nouum, tenuè, acidum, inprimis Franconicum, maximè obest; mustum quoque ob particulas acidas, quas in sinu suo habet, nocet. Tertium inter res non naturales sibi vendicat locum *motus*, & *quies*, quæ mediocriter se habeant; diuturnus enim, & nimis vehemens motus omnes humores inprimis *laticem* acriorem reddit, & eum euasari facit, vnde *Rabbi Moses* 23. *sectione scribit*, tussim, sternutationem; & singultum curari interdum, cum homo sustinet, atque sese ab ijs, quantum fieri potest, motibus efficiendis abstinet. Nocet, & quies nimia, quia Cardimelechem nostrum ad regendum spiritus, & sanguinem ad morum ineptum reddit, & sic hosti manus dat, vnde pituitosi, crassi, acresque humores ingruunt. Eadem ferè ratio esto (4.) *Somni & vigiliarum*, quæ excessu peccantia magna in tussi incõmoda afferre posse, iam olim scripsit *Lud. Septalius* §. 165. *de tussi*. Quintam classem occubant *Excreta Retenta*. Aluus arte soluatur, si natura haud respõdeat; si enim impediatur vel alui, vel vrinæ, vel vteri fluxus ordinarius & naturalis, vt exemplum dedi, tum serum in corpore cumulatur, inde inundatur Cardimelech, à qua inundatione, non potest non fieri, quin tusses serosæ, & inordinatæ excitentur. Agmen classium claudunt animi pathemata, inter quæ eligantur gaudium, & moderata animi excitamenta; obsunt è cõtra curæ graviores, ira, mœror diu continuatus, qui facilè primas tenet, quia indè *Custos laryngis*, & *Cardimelech* offenditur, vnde irascens hisce in partibus vellicationem, & irritationem, fibrillarum neruosarũ, infundendo particulas acres, inducit.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 12. Examinemus nunc illa, quæ ab Authoribus, de huius affectionis curatione proferuntur, eaque pro more in VII. classes, & quasi capita distinguamus, ne multiplex, & confusa rerum imago mentis aciem obtundat. In prima verò classe ponimus Veteres, qui hoc in affectu rumores in corpore redundantes omnium primò naturæ obedientes reddunt, per *præparantia*. Quare si à frigido, crasso viscidoque humore tussis producatur, tunc

vtun-

vtuntur attenuantibus, incidentibus, detergentibus medicamentis; si verò à tenui calidoque humore proueniat tussis, incrassantibus, atque inspissantibus vtendum esse præcipiunt. *Præparantia* prioris generis ipsis sunt, syrupus de hyssopo, de prassio, de glycyrrhiza, capil. Vener. calaminthæ, de stœchade, oxymel composs. scyllit. syr. acet. Mel rosarum, decoctum ficuum, passullar. glycyrrhiz. herb. capill. Veneris, hyssopi, prassij; aqua scabiosæ, marrubii, fœniculi, hyssopi, &c. Posterioris verò generis præparantia sunt, syrupus violarū, papau. iuiubin. nymphææ, myrtin. aqua hordei, quæ admodum iuuare creditur, cum materiam peccantem sic præparauerunt, & correxerunt, purgante medicamine eos humores euacuant. Ipsorum *vacuantia* sunt sequentia: Diaturbith. cum rhab. elect. Indum maius, diaphœnic. elect. rosar. hiera picra, pilul. cocchiæ, aloephang. aureæ, de sarcocolla, de agarico mastich. manna, cassia, decoct. fol. senn. &c. Esto ex veterum scrinio formula vna, & altera.

℞. *Decoct. byssop. & fœnic.* ℥ iij.
adde Diaturbith. c. rhab.
El. Ind. ana ℥ iij.
Syr. glycyrrhiz. ℥ ß *M. f. potio.*

Vel ℞. *Decocti pectoral. c. senna,*
polypodio, vt artis est,
Colaturæ infunde agarici recenter trochiscati ℥ j.
rhab. el. ℈ iiij.
Cinnamomi ℥ j. ß
Expressæ dissolve antidoti Indi Majoris ℥ ij.
Oxymell. scyllytici ℥ j. *f. potio.*

Et hàc potione vtuntur in crassa, & viscida materia, in calidiore verò tussi vtuntur sola cassia, vel vnciis duabus mannæ Calabrinæ in aqua hyssopi solutæ.

Dein *Ipsi* in tussi materiam, quam è capite ad pulmones credunt ruere, clysteribus, errhinis, venæsectione, cauteriis, & balneis auertere conantur; postea illa, quæ sistere possunt materiam ad pulmones descendentem præscribunt, de quibus ad nauseam in *Capite de Catharris* diximus. Postremò, quæ materiam pulmonibus infarctam educere possunt, præcipiūt, quibus addere solent, quæ simul viscus debile roborant. *Promouentia* sputum sunt, syrupus glycyrrhizæ, eiusque succus inspissatus, diatragacanth. looch sanum, è pulmone vulpis de pino, diapenidium, enula campana, rad. ireos Florent. Esto sequens formula.

℞. *Saccbar. violac.* ℥
nimph. ana ℥ ß
diatragacanth. fine spec. ℥ ß
succi glycyrrhiz. ℥ ij.
rotul. bechicor. ℥ j.
styrac. calamit. ℥ j. ß
myrrhæ.
rosar. siccar. ana ℥ j.
tragacanth.
nucum pinearum ana ℥ ß
syr. violac. quantum sufficiet, fiat Eclegma, vel looch.

Externa *emollientia* sunt vnguentum dialth. oleum lini, butyrum recens, ol. amygd. dulc. mucilag. lini, fœnugræc. crocus. Esto formula:

℞. *Rad. ireos pulu.* ℥ ij.
farin. lupinorum.
puln. hyssopi ana ℥ ß
croci gr. vj.
ol. chamomill.
lini,
lil. alb. ana ℥ vj.
M. C. pauca cera f. Vnguentum.

Corroborantia dicuntur Theriaca, Mithridatium bis in septimanà assumpta, spec. diaireos Salom. looch sanum, de pino, diapenid. capill. vener. syr. mellitæ, looch ad asthma, decoctum lignorum, guaiac. sassafras, &c. & cucupha ex rosis siccis, caryophyll. macere, semine nigellæ, rad. cyper. succin. citrin. ladano, styrac. paratum, capitis vertici imponunt. Si propter irritationem nimiam fiat tussis, quidam Veterum Practicorum haud ineptè magni faciunt decoctum hordei cum sacchari modica quantitate paratum; & *narcotica* detergentibus aliis medicamentis admixta exhibent, ex. gr.

℞. *Succ. glycyrrhiz.* ℥ ij. ß
farin. amyli ℥ j. ß

croci,

croci
myrrh. ana ʒ ß.
opii gr. iii.
styrac. balam. ʒ iii.
syr. violar. q.s. f. pilulæ, detur ʒ i.
sub ingressum lecti.

Vel ℞. Diacod. Augusti. ʒ i.

Vbi autem materia maturitati appropinquauerit, satisque attenuata fuerit, plurimum prodesse volunt decoctum ex ficubus, uuis passis, glycyrrhiz. hyssopo, violis, sem. cydonior. rad. alth. &c. suffumigia quoq; hìc sibi locum vendicant. Tandem in casu desperato adhibent cauteria tum actualia, tum potentialia, vesicatoria, hirudines, frictiones, scarificationes, &c.

§. 13. Hæc prima est acies succedunt secundà *Chymici*, qui arcana *Paracelsi*, per depurationem scil. morbum hunc feliciùs tollere nituntur. Si ergò tussis à materia viscida, vel tartaro veniat, magnificiunt flores, tincturas, butyrum antimonij, rubinum, balsamaque sulphuris, cum gummi, myrrha, thure, aloè, croco, terra sigill. parata, &c. oleum quoque vitrioli, & Philosophorum magnæ efficaciæ esse hoc in affectu, deprædicant. Esto formula.

℞. Aq. tussilag.
veronic. ana ʒ iii.
Spir. vitriol. philosoph.
Ol. anisi,
fœnicul. ana ℈ i.
Syrup. liquirit. ℥
violar. ana ʒ i. M.

Opiata quoque hoc in casu commendant summoperè Chymici, adiecta hac cautela, ne viribus valdè infirmis, vel cum pectus recrementis refertum est, præscribantur, nam etsi tussim mitigent, & dulcem mortis sæpè consanguineum somnum accersant, tamen angustiam, & difficilem respirationem adaugent. Minori verò dosi cum abstergentibus mixtum laudanum opiatum esflagitante necessitate, influxione tenui, & acri, in principio scil. exhibendum, admittunt.

§. 14. *Helmontius*, & eius Discipuli reijciunt in tussi purgationes tãquam nocuas, excrementa non cedere per laxantia credentes, etsi videatur diminutum sputum à purgatione, hoc enim euenire respondet ex diminuto mesaraico cruore, adeoq; ex parciori dispensatione alimenti; accedit præterea, quod laxantia totius generale robur debilitent, vnde plus sellis, quàm mellis habent. Tussis ergò Ipsius *Helmontii* consilio narcoticis curabitur. In hunc finem commendat *laudanum Paracelsi*, vt ita citra somnum in pace, quiete, & citra *tussim*, sibilum, & stertores introducatur respirandi libertas. Remedia enim quæuis anodyna, vi restaurante, & demulcente prædita, placant sedantque omnia symptomata furibunda, quæ degener phlegma, & sputum, quamdiu à vitio fermenti digestiui, adeoque defectu regiminis Duumviratus dependet, cohibent, & tollunt; idque iure Duumviratus stomachi, qui solus vi digestiua generali medicamentorum ope adiutus, compescere valet errores vitiaque digestiuorum, productiones excrementorum in pulmone, nisi pulmonum proprio defectu fiant à corruptione roboris innati, qui tunc inuito stomacho in tabem abit. Inter anodynorum arcano refert Cl. Author Anodynum saccharinum è floribus eius aptè resolutis, & apertis præparatum, visque huius medicamenti anodyna inde elucescit, quod & adhuc intra stomachum detenta, sua luce ad regimen pulmonis spirituale citissimè contendat. Aliquid & præstat fumus sulphuris accensi, qui penetrat, pulmonesque adiuuat, quemadmodum vinum à corruptione liberat, ac præseruat. Opium etiam, & opiata, ita præparata, vt lethalia separentur, conducunt; si enim quis nouerit è papauere lethalia segregare, is certè nactus erit in tussi remedium palmarium, & egregium, id quod per liquorem alkaheſt præstabitur, referente *Cl. Grembs in arbore ruinosa lib. 2. c. 1. §. 9. de pulmonum defectibus*. Laudanum ergò Paracelsi, & Elixir proprietatis ipsius, & alkaheſt, solam pacem, & quietem

tem Archej, cohibitionemque erroris, & degenerationis digestiuæ introducunt, & sputa flaua, & humida compescunt, atq; in alba sanaque mutant. Commendat simul, & Author noster remedia *pleuritica*, & *vulneraria* in potu vsurpanda.

§.15. *Willisius* in tussi, stipatus tribus indicationibus, rem ritè peragere nititur (1.) sanguinis inordinationem à qua seri fluxiones fiunt, sedat & tollit, (2.) cruoris recrementa, ab eo secedere apta, à pulmonibus ad poros cutis, aut vias vrinarias, aliaque emunctoria deriuat, (3.) ipsos pulmones contra seri, aliorumque susceptiones corroborat, simulque contra frigoris externi occursus munit.

Prima indicatio respicit sanguinis efferuescentiam nimiam, quà sanguis in vasis suis, propter effluuia cohibita, si *Sanctorio* enim; qui quantitatem amittendorum, & perspirandorum æquà examinauit lance, & librauit, credimus, plus vnà *die naturali* per insensibilem transpirationem euacuatur, quàm per aluum xv. dierum spatio) nimis æstuat, & ebullit, vnde serum aliique humores à complexu suo faciliùs dimittuntur. Ad hanc ergò tollendam, & mitigandam, sedulò vitetur frigoris iniuria, & instituatur tenuis victus ratio, & diaphoresis procuretur, vesperi, ac manè à liquore posseti cum roremarino aut saluia, sudatio leuis prouocetur, his etiam nihil proficientibus ad V. S. modò vires & constitutio permittât, progrediendum est. In hunc finem conducunt quoque decocta pectoralia, quatenus humorum aciditates destruunt, sanguinis dissolutionem, ac in serositates fusionem inhibent aut sistunt, hinc prosunt medicamenta ex sulphure parata.

Secunda indicatio, vt serum aliaque sanguinis recrementa, à pulmonibus deriuata, per alia emunctoria euacuentur, perficitur medicaminibus Diaphoreticis diureticis, & lenibus purgantibus. In hunc finem post celebratam V. S. mite catharticum N. Author exhibet, & id aliquoties repetere solet. Dein decocta pectoralia ex rad. chereſol. ruſci, bruſci, enulæ campanæ parata, exhibenda esse præcipit. Millepedes, sal. succini volatile, aliaque salia fixa, & pulueres testaceos, tanquam diuretica, quoque commendans, in quem scopum quoque magnifacit pillulas de terebinthina.

Tertiâ indicatione catharri suppressionem. Ipse intendit, & contra humorum fluxiones, ac frigoris occursus munit, per linctus, & eolegmata varia. Dein cum primis duo respicit (1.) vt vasorum & glandularum oscula, in tracheam dehiscentia, ne serositates in eã nimis expuant, modicè adstringentibus occludantur, & (2.) vt ductuũ laryngis latera satis demulceantur delinianturq; vt nec à seri acris suffusione, neque à frigoris externi occursu offendantur, inque tussim molestam continuè irritentur. Ad glandularum ora dehiscentia conglutinanda Noster commendat conseru. rosar. rubr. olibanum, looch de pino. Formulas quasdam in iuniorum gratiam, & quidem eas, quas & nos vsu comprobauimus, ex ipso Autore subnectemus, Ex. gr.

℞. *Ol. amygd. dulc. rec. expres.*
syrup. capill. ven. ana ℥ j. ß.
sacch. cand. ℥ ij.

M. terendo in mortario vitreo, vel agitando in phiala, donec albescat, lambatur.

Illustris author non nouit præstantius sequenti remedio in tussi quacunque, modo febris absit.

℞. *Tinct. sulphur.* ℥ ß *d. ad vitr.*
Dos. gutt. vj. *ad* x. *mane & vesperi in cochlear. syr. violar. exhibenda.*

In hunc finem commendat quoque balsamum sulphuris, Peruuianum, opobalsamum à gutt. III. ad x.

Inter trochiscos habet sequentes à Nobis sæpiùs etiam comprobatos.

℞. *Sem. papau. alb.* ℥ vj.
pulu. fl. papau. rubr. ℥ j.
extr glycyrrhiz. ℥ ij.
lact. sulphur. ℥ ß.
saccbar. penid. ℥ ij. *solut. tragacanth. q. s. f. massa pro fermand. trochisc.*

Vel ℞. *Spec. diarreos*
diatragacanth. fr. ana ℥ iij.
fl. sul-

Fl.sulphur.
pulu.rad.enul.camp.
benzoes alb.ana ʒ.j.*adde*
elæosacchar.anisi ℈.j.
sacchar.albiss.solut. & ad tabulat. cocti ʒ.viij.
*f.a.l.Tabulæ pond.*ʒ.ß.

Inter pilulas sequentes commendat Author.

℞. *Pulu.rad.enul.camp.*
liquirit.
fl.sulphur.ana ʒ.j.
benzoes ʒ.ß.

pic.liquid.q.s.f.m.in pilulas exiguas efformanda dos. num.III. vel IV. vesperi, & mane. Sic & iuxta *Nostrum* in tussi conueniunt decocta ex lignis notissimis. In tussi verò conuulsiua, seu suffocatiua, pueros, & infantes vt plurimum infestante, in qua infantes tussientes quasi præfocati eiulant,& ob sanguinem stagnantem in vultu nigri euadunt, potissimum conducere ait sequens.

℞. *Musc.pyxidati* ʒ.iij.
*lact.sulp.*ʒ.j.
*sacchar.candi.*ʒ.ß.
m.f.pulu.subtiliß. dos. ℈.j.*bis in die.*

In hac specie tussis terriculamenta varia conuenire addit Author, quæ, & alia apud ipsum videas,volumus.

§.16. *Syluius* ad pituitosos acidosque humores è capite in arteriam asperam depluentes, & inde tussim excitantes corrigendos magnisacit ocul.℈ corall.margarit.&c.ad salsos verò humores emendandos gummi tragacanth.Arabic.rad.althæę ipsiusque saccharum, radic. liquirit. eiusdem succum inspissatum,pil.de cynoglos. de styrace,aut rotulas sequentes.

℞.*Sem.hyosciam.alb.*
papau.alb.ana ʒ.ß.
Thuris mascul.
myrrh.rubr.ana.℈.j.
croc.optim.℈.ß.
*succ.liquirit.inspissat.*ʒ.j.
sacchar.althææ ʒ.ß.
gumm.tragacanth.in aq.rosar.
solut.f.l.à Rotulæ.

Hisce vt plurimum vtitur Author in casu, quando humores sunt tenues, quando verò sunt crassi, & viscidi,qui sui attenuationem desiderant, tum præscribit oxymel simpl.& squill. syr. de hyssop. vel de duab.radicibus,cochleatim vsurpanda. Sit formula ex scrinio Authoris.

℞.*Aq.hyssop.*ʒ.ij.
*oxymel.squillit.*ʒ.vj.
syr.de hyssop.
capill.vener.ana ℥ j

M.d. ad vitr.de qua mixtura assumat æger cochleatim. Si tussis oriatur à sanguine feruidiore in asperam arteriam è capite, vel alio loco, delato, curabitur V. S. si inprimis plethora austeriusculis compescì debet, in quem finem sequens Author commendat apozema.

℞. *Fol.plantag.*
semper viu.mai.
acetosell.ana m.j.

coq.ex aqua hordei colat. ℥ ʒ.xx.addendo
*syr.de iniub.*ʒ.iiij.
*lapid.prunell.*ʒ.i.

M.cuius apozemat.hausstum assumat æger ad quemuis sanguinis æstum, & subsequentem nonnunquam hæmorrhagiam.

Sicca verò tussis iuxta mentem *Nostri* ab aere, aut potu frigidis orta, curabitur compresso anhelitu, quà compressione semetipsum curauit Author. Si verò tussis sicca ortum habeat à valdè tenacibus, siue viscidis humoribus; tum incidentibus vtendum præcipit, vt sunt trochisci bechici albi,& nigri,rad.helen. pulu. & cum saccharo in rotulas redacta;dein euacuantibus varijs humores educendos suadet. Ad halitus flatusque ab intestino tenui quocunque modo ascendentes ad pulmones,& tussim siccam producentes, dissipandos esse carminatiuis vult, vt sunt aquæ,spiritus,& semina carminatiua, &c. Raucedinis verò grauissimæ, ad plures menses durantis,curationem instituit per solũ spiritũ salis armoniaci, exhibendo in dies in potu ordinario aliquot eius guttas.

Cartesiani feliciter tussim curant particulas illas acutas, & vellicantes neruosas membranas in asperà arterià, vel in pulmonibus existentes, obtundendo, & he-

betiores reddendo, vt & demulcendo, quē in finem commendant *dulcia*, (inprimis si phlegmata sint salina, & gulam erodant, gulam enim, & pulmones à salina acrimonia præseruant, sed non intus sumantur,) & opiata, quę etiam humorum acrimoniā temperant, laudanum videlicet opiatum Paracelsi vide *Aream Mosis Hornij* p. m. 159. Conducit eodem Authore acetū scil. si nempè pituita viscida commixta sit, in summo æstu testacea, vel ponderosa exhibent, quę nempè particulas illas acutas, & scindētes reddunt, vt, & imbibunt, non aliter ac oculi cancri aceto iniecti, ipsi acididitatem adimunt, qualia sunt oculi cancr. lapis prun. corall. &c. Pro purgatione Mercuriū dulcē cōmendant, pituitū enim optimè incidit; sed si phlegmata sint tenuia, opiata præscribunt. In reliquis ferè cū prędictis authoribus, & nobiscum consētiunt.

§. 18. *Nostras* nunc *pixides* referemus, & opium more flores, quatenus videntur mellificij prouentum adaugere posse, delibemus. Si ergo tussis à larynge affecta, vel aere inclementiore irritata oriatur, conducunt opiata, papauerina, opij nempè parentes, tenues enim catharros sistunt incrassando, partim sensum molestum in larynge, & pharynge, irritationis leuant, & hoc modo factam lymphæ vberiorem per fibras coarctatas ex glandulis expressionem impediunt. Exinde conueniens, & tactui laryngis proportionata temperatura interea acquiritur, adeoque coctum, & incrassatum apparens sputum faciliùs post talem paulò viscidiorem consistentiam, impetum aeris elisionis, & excretionis, eijcitur. Exhibere ergò solemus in tussi prædicta felici cum successu opiata, vt sunt nostro modo præparatum laudanum opiat. Theriac. cælest. diacodium, pil. de styrace, anchora salutis, Tinctura opiata *Wedelij* pil. de cynogloss. Esto in iuniorum gratiam formula vna aut altera.

℞. *Spermat. cet.* ℥. β
succin. præpar. ℈. j.
Theriac. cœlest. Hanouien. gr. IV.
m. f. pulu. pro tribus dos. vesperi ante cœnam, & hinc sub introitu lecti exhibēdus, & quidem in iusculo, vel subsequenti vehiculo.

℞. *Aq. fœnicul.*
looch. sani ana ℥. jß
syr. de Eryssim. Lobel. ℥. j. *M. D.*

Alia formula pulueris.

℞. *Spermat. cet.* ℈. ij.
fl. benzoin.
myrrhæ ana ℈. ß.
laud. opiat. gr. iij. M. f. pulu.
pro tribus dos.

Conducunt, & papauerina illa in catharris salsis. Esto formula.

℞. *Looch. de papau.* ℥. j.
syr. myrtin.
diacod. ana ℥. vj.
spec. diatragacanth. fr. ℥. j.
bol. Armen. ℥. ß.
succin. præp. ℈. j.
M. cochleatim æger assumat.

Prosunt, & rotulæ sequentes, quas in catharris serosis semper probatas reperi:

℞. *Spec. distireos simpl.*
diatrag. fr. ana ℥. j.
myrrh. ℈. ß.
bol. Armen. præp. ℥. ß.
conf. alcherm. ℥. j.
extr. sarsar.
enul. camp.
xyloaloes ana ℈. ß.
conserua. rosar. rubr. ℥. vj.
sacch. albi ss. ℥. vi.
M. F. Rotulæ.

In hoc casu pro potu ordinario conuenit decoctum lignorum, inprimis ligni Brasilienſis rubri, additis alijs pectoralibus. Quod si tussis radices egerit, atque ab acido viscido sero pulmonem vesiculis impacto originem duxerit, magnificimus in signum curationis incidentia; & aromatica, salia volatilia, amara, &c. præ alijs decoctum rad. enul. campan. cum vuis Corinthiacis commendantes, item spir. salis armoniac. anisatum ad gutt. aliquot exhibendum, Balsa. sulphur. & liquorem C. C. succinatum, quo posteriore plures inueteratas curauimus tusses; incisà, correcta, & liquefactà materià hac viscosà, & tenaci, ad purgantia confugimus, & se-

sequente, pilulas præ alijs optimi successus reperimus.

℞. *Pil. marocost.* ℥ ij.
extr. enul.
rad. angelic. ana ℥ ß.
ol. sulphur.
anisi,
fœnicul. ana gutt. vj,
pulu. card. bened. ℈ j.
succin. ppt. ℈ ß.
spir. terebinth. gutt. v.
M. f. maß. pilularis de qua capiat. ℥ ß.

Si multùm salis humoribus admixtum est, & gula acredine irritatur, ita vt tussis causa multiplicetur, in ore eclegmata, vel succus liquiritiæ teneatur, vt fauces ab acredine liberentur. In tussi hæc succus simplex, in asthmate anisatus sumi debet.

Si simul adsit raucedo, conducet sal. armon. in potu, ad mentem Syluij, vel seq. Electuarium.

℞. *Succini brassic. depurat.* ℥ ij.
sacchar. penid. ℥ ß.
oxymell. squillit. ℥ j. ß.
pulu. rad. altb. ℥ j. ß.
M. f. Electuarium.
Vel *rob. pasulatum.*

Hartmannus pro incidenda materia viscida laudat liquorem sacchari cum raphani taleolis, & melle paratum, item spir. vini cum saccharo deflammatum, quem vocat oleum sacchari magistrale. Sed nos à saccharinis potiùs abstinemus; homines enim tussiculosos maximè lædũt vulgò vsitata dulcia, sanguinem enim dulcem hæc non reddunt, sed pulmones aliasque fibrillas potiùs exasperant exeduntque, quod per sequens probari potest; ex saccharatis enim destillari potest succus acidus, ità corrodens, vt linguam constringat, dentes stupefaciat, intestina torminibus diuexet, imò metalla corrodat, dissoluatque antimonium, quæ si perpenderent delicatuli non sese saccharati adeò emaciarent, & in multas ægritudines sese præcipitarent. Constat quoque ex his, quàm inconsideratè nostri *Galenici* sæpiùs in hoc affectu saccharatis insistant, vt optimè *Clar. Ioh. Helfr. Iungken, in Medico suo præsenti sæculo accommodando, p. m.* 547, dicat: Nec conijcere possum vias, per quas hæc dulcia pulmones intrent integra, nec resoluta per asperam arteriam in illos illabi haud possunt, cùm nec subtilissimi liquoris guttula absque dolore, & suffocatione transmitti possit, ac propterea valuula obstet; per ventriculum, & longiorem viam absque resolutione haud migrant, & tunc si resoluta illuc peruenissent, quid aliud, quàm malum augendo agunt, resoluæ sc. particulæ acidæ. Est quidem, & saccharatis suus vsus sed nullum vnquam vidi phthisicum inde restitutum.

Potiùs ergò illa dulcia quæramus, quæ non mutant suam essentiam, sed integris viribus ad hostem vehuntur, talia sunt sulphurea exaltata, & volatilisata salina Experimentum ergo *Amati Lusitani* ad tussim inueteratam suademus;

℞. *Sulphur. flau.* ℥ ß.
benzoin. ℈ j.

In ouo sorbilli mane ieiunè, & eundo cubitũ, sorbendo sumatur. Si simul adest raucedo prodest tale, vel simile decoctum.

℞. *Hord. mundat. m.* j.
paßul. minor. ℥ j.
rad. liquirit. ℥ ij.
sem. brassic. ℥ iij.
herb. byßop.
cent. minor. ana m. j.
caricar. ping. n. vj.
Coq. in f. q. aq. commun. pro qualibet dosi adde syr. de eryßim.
℥ j. ß. *M.*
Vel ℞. *Succi brassic.* ℥ ij.
pulu. ireos flor. ℥ ij.
mell. q. f. coq. ad consist. Elect.

Si tussis desperata, & hæmoptysis concurrente simul effervescente sanguinis motu, *Fausto* decoctum pectorale conducet, quod describit prælaudatus *Iungken.* Vel cepæ, vel allium cocta commendantur. Quod si tussis ex stomacho oriatur, qui præ cæteris tussibus est magis furibundus, materiam hancce viscidam, mucilaginosamq; in stomacho hospitantem, eli-

minandam censemus, quo nihil præsentiùs quàm vomitorium, præsens namque leuamen adfert, postmodum ad reliquias materiæ acidæ mucilaginosæ resoluendas, & fibrillas tunicarum ventriculi deliniendas, conducet sequens.

℞. *Aq. hyßop.*
menth. ana ℥ j. ß.
liquor. ex rapban. c. sacchar. parat. ℥ j. ß.
sperm. cet.
syr. de nicotion.
erysimo ana ℥ ß.
M. f. mixtur. cochleat. sumend.

Vel ipsum sperma ceti non rancidum exhibeatur cum iusculo calido à gr. x. ad ʒ j. imò ℥ j. Acida tussim imminuunt, si sint volatilia, non verò fixa, quatenus sal infringunt, & pituitam dissoluunt, quòd acida tussim mouere dicantur, hinc est, quòd acida dum assumuntur, gulam à salinis phlegmatibus iam quadantenus excoriatam irritent, quæ tussis statim potest sedari, si os aqua colluatur, sed acida debent esse volatilia, aliàs enim phlegmata coagulant. Grauida quoque laborant sæpiùs tussi sicca, in qua curanda prosunt pil. de cynogloßa, vel de styrace, bis, vel semel in septimana ante cubitum assumptæ. Esto formula;

℞. *Mass. pil. de styrac.* ℥ j.
M. f. pil. pondr. gr. j.
assumat ægra septem cubitum itura.

Myrrhata in tussi à quacunque causa orta haud contemnenda sunt, aliaque externa, quibus annumeramus sequens linimentum ad pectus inungendum.

℞. *Vng. pectoral.* ℥ j.
axung. taxi,
anseris ana ℥ ij.
croc. oriental. ʒ ß.
M. f. vnguentum.

Vel ad plantas pedum.

℞. *Allij n.* ij.
axung. suill. q. s.
lucij ℥ ij.

M. f. l. a. Linimentum, quo plantæ pedum inungantur. Quod & potest fieri sola pinguedine lucii piscis, quæ peculiari, & ἀφύτῳ motu agit in pulmones, eorumque infarctus inuertit.

Reliqua chirurgica externa in tussi, vesicatoria, cauteria actualia, aut potentialia, V. S. balnea, &c. ex præcedentibus colligantur. Frictiones, & ligaturæ non nisi maxima ægris incommoda adferunt.

In Raucedine cum tussi conducunt pilulæ de cynogloss. & styrac. n. v. ante cubitum deglutiendæ; passul. maior. etiam in spiritu vini, vel anisi macerentur, & assumat æger cochleatim, magnificio & zinziber in China condit. & omnia myrrhata.

In tussi etiam pectori externè applicari potest pellis cygni, vel etiam pectus adipe cygni potest inungi. *Hæserus* commendat in paroxysmo, si pedes deponantur in aquam calidam.

Hisce nunc claudemus riuos, sat enim prata bibere.

LIBRI II.

De Morbis Pectoris,

CAPVT II.

DE ASTHAMATE.

§. 1. IN capite præcedenti descripsimus incommoda tussis, quam sequitur nunc malum periculosius, & difficiliùs, quod Græcis *Asthma* dicitur, aliis Epilepsia, vel caducus pulmonum, non nullis difficilis respiratio, aut anhelatio.

DESCRIPTIO.

Describitur vulgò, quod sit difficilis seu crebra quædam respiratio, nunc cum, nunc sine febre, aliquando cum sonitu, & strepitu, interdum sine illis existens, à bronchiorum, & cellularum pulmonis obstructione quacumuis, vel potiùs, vt aliis placet, angustia eorum, ortũ habens.

DIFFERENTIA.

Hæc definitio est. Nunc differentiæ sunt annotandæ, quarum vulgò tres statuuntur; dum enim difficilis hæc spiratio placidè vrgeat, & neq; sonus, neq; anhelatio fortis fiat, febreque vacet, *Dyspnœa* dicitur, cùm verò patiẽs spirare sine sono & anhe-

& anhelatione non possit, *Asthma* dicitur; si autem malum ita vrgeat, vt nonnisi erectâ ceruice spiritum ducere possit æger, *Orthopnœa*, seu Latinis, *recta respiratio* vocatur; iuxta versiculos memoriales:

Dyspnœa *se celat, cavit* asthma *malumque revelat*.

Expirat latè trahit ad se cum gravitate.

In genere ægri dicuntur anhelosi, & spirituosi orthopnœa enim affecti si decumbant iacentque, suffocantur, & cordis actione planè suppressa mori coguntur. Differunt verò prædictæ species secundùm magis, & minus, omnes enim continentur sub crebra, & densa spiritus suppressione. *Helmontius* duplex statuit asthma, *Asthma muliebre, & vtrique sexui commune*, quod, & subdistinguit in humidum, & siccum.

PARS AFFECTA

§. 2. Succedit pars affecta, qua in re veteres *Galenici* aliique ex Neotericorum subseliis propagines asperæ arteriæ in pulmonum substantiam disseminatas hic affici contendunt; alii ipsum diaphragma pro subiecto accusant, moti hoc fundamento, quod scorbutici vtut difficulter respirantes, nihil tamen de pectore conquerantur, sed affectum locum, vbi grauamen sentitur, sub diaphragmate mostrant. *Helmontius* varia tela spargit, vt scopum feriat, mox enim membranam pulmones ambientem, mox stomachum, mox vterum, & lienem, pro sede affecta agnoscit. Nonnulli *musculos* costas eleuantes tanquam partem affectam culpant. Nos pro subiecto statuimus pulmones, mirabile illud naturæ ventilabrum, vnà cum musculis omnibus costas leuantibus, quorum præcipui sunt *serrati postici* superiores, & inferiores, leuatores costarum *Stenonis*, & ceruicales descendentes *Diemerbroeii*, Micrococosmetoris ac spirituum animaliũ influxu præsuppositio; mediantibus enim scapulis ad tollendum pro inspiratione intensiori thoracem musculos lauatores seu patientiæ, & rhomboideos operam suam in inspiratione conferre posse, probabile est, quia oriuntur à colli, & superioribus dorsi vertebris, ac paulisper descẽdendo scapulis dorso affixis inseruntur. Vnde pleniùs, apau pprat, quod in asthmaticis, & moribundis, extremo conatu spiritum haurire adnitentibus, scapulæ quàm maximè eleuentur, sine pulmonum tamẽ motu, ne pauciſſimis quidèm horæ minutis ab que præsentissimo vitæ periculo esse queamus, quo etiam inhibito sanguis circa præcordia necessariò coagulari debet. Pulmones verò non secundùm omnes partes hic afficiuntur, aliæ enim propiùs, aliæ remotiùs patiuntur. Maximè verò hoc in morbo læduntur bronchia, seu asperæ arteriæ propagines, non exclusis vesiculis, & sanguiferis vasis, materiam vitiosam pulmonibus afferentibus; prout enim ocidæ particulę varijs pituitæ viscidæ particulis obuoluuntur, vel biliosis, vel alkalinis implicantur, ita variant in pulmonibus inducti affectus vel lenti, vel celeres.

CASVS.

§. 3. Libet hic casum valde quadrantẽ annectere. Vir quinquagenario maior, constitutionis sanguineæ summè obesus, iam per triennium, & vltra ita graui vexatus fuit anhelitu, vt vix centum passus facere potuerit absque suffocationis metu. Ille tempore hyberno & pluuio ac existente tempestate, decubuit cum difficillima respiratione, versus noctem semper aucta, qua durante surgere coactus, pectus pugnis, & manibus fortiter percussit, ne immineret ipsi suffocatio lethalis, quam semper timebat, concomitabatur ipsum tussis sicca, sine febre tamen, aerem per fenestras frustra hiante hauriebat ore, nec loqui poterat, vrina erat tenuis, & rubicunda, effluente simul ex ore pituita viscida, tandem cum stertore, & sonitu respirabat.

DIAGNOSIS.

§. 4. Qua ipsa facti specie tyro hunc hostem cum suis satellitibus facili Marte cognoscere potest. Nam respirationis læsæ Diagnosin operosè sectari superuacaneum videri posset, cum, & hæc sensibus pateat, & ex ægrorum querulo anhelitus,

& respiratione haud difficulter colligi possit; verùm ob meliorem cognitionem, & distinctionem affectum, præter ea, quæ accuratiùs ex casu colligi possunt, pauca duntaxat recensebimus. Magna ergo densaque sit respiratio sine febre, aliquando quidem etiam cum anhelatione, atque sono, id quod magis iacentibus quàm sedentibus accidit, pectus graue est, & angustiam arctationemque percipiunt ægri, frequenter, & tussiunt asthmatici, nihil tamen putulenti eijciunt. Malum hoc increscit eò vsque aliquando, in orthopnœa nempè vt recta ceruice spirare cogantur miseri, ne planè suffocentur; adest sibilus, & aliquando stertor, nocte inprimis ingraueſcens, vt, & dolor pungens. Adsunt in scorbutico asthmate inflationes ventriculi, & tensiones dolorificę hypochondriorum, rugitus intestinorum, sputatio frequens, ructus, cardialgia, quandoque vomitus, palpitatio cordis, pauores, & sudores nocturni, facies modò pallida, modò lucida, & inflata, vrina modò flammea, modò pallida, plerumque arenulis rubicundis matulæ latera occupantibus referta, vnde illa obstructio renum, & inde particularum salinarum in sanguine præsertim cumulatio oritur.

CAVSA.

§. 5. Explicatis hactenus signis diagnosticis, nunc de causis, tractandi serie obseruata, mentem nostram exponamus. Primo loco stant veteres *Galenici*, qui asthma omnium frequentissimè à pituita crassa, & viscida, quæ aliquando in asperæ arteriæ ductibus, interdum in ipsis pulmonibus hæret, oriri contendunt, siue illa pituita aliunde, sc. à capite, fluat, siue ibid. generata sit; in pulmonibus enim multas id genus superfluitates generari posse, non dubitant, quàm pituitam in desperato malo mediante calore in vitream, seu gypseam, quin, & in calculos transmutari putant. Hunc quoque affectum propter pectoris angustiam ipsiusq; malam conformationem hominem affligere posse statuentes nec vapores ab inferis ad pulmones ascendentes, & asthma parientes, reiectos volunt.

§. 6. *Paracelsi* sectatores iurati, fumos minerales in *Chao* deliteſcentes, & viribus astrorum imprægnatos, nec non respiratione attractos pulmonesque inficientes culpant; nec tamen ex asse reijciunt opinionē Galenicorū, admittentes quod etiā phlegma in bronchijs existere possit, quo facto aer nequeat penetrare, vnde ægri fiunt anhelosi, vnde vbi in cannulis resiccatur phlegma, tussim inde excitari posse perpetuam autumant. Externas quod concernit causas, varias admittit ipse Paracelsus de *morb. metallor.* Calorē nempè, & frigus externum, pruinas, pluuias, nebulas, resolutionem stellarum galaxiæ, potiones acidas, aciditatem vitrioli, aluminis, aerem subterraneum, fumos salinos, sulphureos minerales, antimoniales, arsenicales, auripigmentales. Alibi, & tartarum in pulmonibus generari, & inde morbum hunc gigni posse haud inficiatur.

§. 7. *Helmontius* omnia prædicamenta, & prædicabilia superare annitens, nauci pendens, & crassō Calphurnij ore vt solet, ridet prædictorum authorum opiniones, quæ huius originem affectus adscribunt pituitæ defluæ in pulmonem, in putatitio sc. catarrho, per tot sęcula canonisatas, idque inde deducit, quia asthma repente inuadit, non secus ac collo iniectus laqueus; hinc, & soluitur absque magna pituitæ excratione. Quod verò interdum aliquid excernatur, non causæ occasionali adscribendum, sed potius producto putat, magnæ sc. coarctationi, & iniuriæ factæ pulmonibus. Reijcit, & sententiam defendentium suligines, & vapores ascendentes asthma parere posse, atque nominat asthma, *caducum pulmonis*, quod nidum suum habeat in duumuiratu, & potius, causam huius affectus ait esse peculiare venenum, pulmones proprietate sua afficiens, indeque insolentiùs vrgere, quàm illud, quod caput, & totum hominem in epilepsiam sternat. Duplex quoque, ceu diximus, statuit asthma *muliebre, & vtrique sexui communi*, ex vtero

enim

enim surgit virus, (cuius vita atque potestas toti imperat mulieri) quod gulam stringat, & pulmonum lobos, & poros coarctet. Item dicit asthma esse vel humidum, vel siccum, hoc ipsi est vt plurimum interruptum, quod tamen totum corpus nostrum concutiat tumultuosè, & interuallum supplicij grauitate compenset, & id asthma sedem habet in liene, hinc asthmaticos lienosos vocat. In mulieribus verò in vtero, vnde sexus fœmineus meritò longè miserrimus, vidit enim, sicut, & nos. Author plures mulieres quæ suaveolentium odore præter cephalalgias, & communitas syncopes in extremam respirandi difficultatem proiectæ sunt. Archeus enim, vel splenis, vel vteri primariò affectat spiritum innatum pulmonum per actionem regiminis, ex hac enim asthma epilepsiæ simile gignitur, vnde, & ceu iam diximus; asthma ab Authore nostro caducum pulmonum vocatur, quod hic affectus cum epilepsia conueniat, quod, & à posteriori, iuuantibus nempè, concludit, quicquid enim epilepsiam curat, ab eo, & curatur asthma. In stomacho asthma quoque sedem habere contendit, & id inde probare satagit, quia aliquando vnico vomitorio exhibito feliciſſimè tollatur malum, tum quod quorundam ciborum corruptorum vitio malum oriatur. Alterius asthmatis humidi à copiosa materia generati nomen deducit, eiusdemque excreatione nimia, id quod fit iuxta nostrum authorem proprio pulmonum vitio, infestatq; potissimum senes, nec non morti vicinos, vt, & phthisicos. Postea quoque mucilagines parit, idque vel ob occultam vomicam, vel aliam iniuriam pulmonibus illatam; de quibus, si plura lubet, videas elegantissimas pagellas *Nobilissimi* Authoris de *Asthmate*, & *Tussi*. Sed ne nimij in audiendo *Helmontio* simus, aliquid temporis etiam dandum celeberrimo.

§. 8. *Willisio*, qui affectum hunc tyrannum reliquorum pectoris affectuum nuncupat, hac ratione, quia huius paroxysmis nihil terribilius occurrit, ab hoc enim morbo ægri tanquam à terræ motu concutiuntur; respiratio enim, quâ viuimus, impeditur, & quandoque penitus aboletur, vnde, & mors in vrna est. Quoad causam verò, hic Noster cum Helmontio reijcit vapores à liene, vtero, mesenterio, stomacho, alijsque visceribus ad pulmones adscendentes, & asthma producentes, quia nulli asthmatici absq; manifesta pulmonum labe paroxysmis asthmaticis affiguntur, absque viscerum prædictorum culpa, & absque iactata ab alijs bronchiorum angustia indeq; aliam causam assignat, & absque iactata alia, pro causa vnica, asthma fieri contendens à partium motricium spasmis; materies enim heterogenea, iuxta ipsum spiritibus inimica, ab ἐγκεφάλῳ in neruorum tunicas excussa in quantitate exigua absque magna noxa se exserit, si verò in molem accreuerit, & fibras nerueas pneumonicas, & musculares respirationi inseruientes occupet, tunc spiritus incolas molestat, inque spasmos asthmaticos concitat. Nec tamen negat Author asthma hoc aliquando oriri posse ab angustia, bronchiorum obstructione per humorem crassum, & viscidum vel materiam purulentam, vel sanguinem extrauasatum, tubercula, scirrhum aut calculos, &c. Inter causas occasionales, omnia quæ sanguinis massam efferuescere faciunt recensent, vt sunt omnes motus violenti tum animi, tum corporis, Venus immoderata, (vnde Ausonius licentia poeticâ concubitum describens in centone nuptiali sub finem ferè ita ait, *Iamque ferè spatio extremo fessique sub ipsum finem aduentant, aut tunc creber anhelitus artus anidaque ora quatit, sudor fluit vndique riuis, &c.*) Ira, lecti calor, &c. quæ omnia insultus accersunt; sæpiùs enim ipse obseruauit, prout etiam in nostro superiùs dicto casu, asthmaticos semper in lecto peius se habuisse, vnde asthma quoque *Willis* dicit aliud conuulsiuum, tum à causa eius coniuncta tum causa procatarctica, mox

intus in pulmone, mox forinsecus in fibris ac neruis spiritibusque animalibus ad respirationis munus destinatis latente.

§. 9. *Sylnius* in asthmate, orthopnæa, & dyspnæa ponit halitus flatusque vitiosos, inprimis austeros in tenui intestino ex pituita per bilem rarefacta productos, & partim per ventriculum, & œsophagum ad os assurgentes, hinc cum aere inspirato in pulmonum bronchia, & vlteriùs sursum penetrantes partim vasa lactea, & ductum thoracicum transeuntes, dein molles pulmonum lobos vel implentes, vel coarctantes, sicque respirationem liberam impedientes; nec excludit prælaudatus Author in asthmate, præsertim in orthopnæa, pituitam viscidam à capite depluentem, & pulmonum bronchia obsidentem, angustiamque hanc excitantem.

§. 10. *Carteſii* famosissimi, & speculabundi huius sæculi Philosophi, eiusque assectarum *Regij*, *le Grand*, *Hogelandij*, *Bræchusii*, &c. castra nunc lustrabimus. Antequam verò ad respirationis vitia accedamus, operæ pretium videtur, prius veram motus pulmonum causam ad mentem eorum exponere, vt eo faciliùs cognoscere liceat ipsius motus defectum. Ad explicandam ergo respirationis actionem, supponunt Carteſiani materiam subtilem, & ætheream, voluntque aerem solo propulsu à pectore, & abdomine motum excitare in pulmonibus, sicque eos explicare. Dein dicunt sanguinis, circulantis motum esse continuum, quem necessariò insequi debet motus spirituum animalium, qui spiritus per neruos pergunt, & traijciunt omnes musculos intercostales, diaphragmatis, &c. Nec miretur quis, quod per vnius in cerebro pori aperturam spiritus fluant in plures musculos, quia tubuli neruorum complures fibrarum sub vna eademq; membrana continent. Musculi ergo iuxta ipsos secundùm totam substantiam inflantur, seu contrahuntur, quapropter fit cum thoraci maius spatium contribuatur, vt præ fuga vacui aer externus aliqua quantitate semper intus pellatur, donec eorum musculi antagonistæ, qui expirationi dicati sunt, spirituum motum excipiant, atque adeò musculi inspirationi inseruientes motus sicut vela præ defectu venti flaccescant, remittantur, & largiores fiant, cum musculi exspirationi dicati à spiritibus priores musculos egressis, & posteriores ingressis contrahantur. Sic igitur inspirationem, & expirationem à spiritibus animalibus, qui iam vitales facti sunt, ita effici credit. Brœchausen in œconomia animal. p.m. 175. vt musculi vigente animali vita semper, & continuo secundùm variã mixtionem, & motum sanguinis inflentur. Quæcunque itaque viam aeri præcludere possunt, asthma seu ortopneam inducunt; & hoc ipsum ex eo colligimus, quod si sanguis è venarum iugularium ramis in partes illas transitum aeri præbentes musculos sc. faucium influxerit, & ibi detẽtus fuerit, prout conspicere licet in angina, maxima difficultas respirandi inde suboritur; quòd si itaque simile quid inciderit in arteriam, oritur quoque asthma. Sic à læsa pulmonum, nec non musculorum inspirationi inseruientium scil. intercostalium substantia, hunc morbum ortum habere posse ex Carteſiana hypotheſi deducitur, neruis sc. ad musculos intercostales aliaque inspirationi inseruientia organa destinatis obstructis, prout fit in scorbuto, & apoplexia, quæ semper orthopnæa vel asthma comitantur. Respiratio enim in ijs ideò impeditur, & aufertur, quod neruorum initio, siue exactè, siue quodammodo obstructo, vel nulli, vel pauci spiritus animales per neruos sc. recurrentes, in illos, qui thoracis eleuationi dicati sunt, musculos mittantur, atq; hac ratione thoracis eleuatione cessante, ipsã etiam respiratio vel aufertur, vel diminuitur; sic puris quoq; collecta moles, cum magnam thoracis cauitatem impleat, facit angustiã; musculi enim ab incumbẽte, ipsius pondere officio fungi nequeũt, indeq; nec fit debita, & exquisita pulmonũ expãsio. Hęc Carteſiana fuit sententia sat speciosa; iam nostram explicationẽ dabimus.

§. 13.

§. 13. In genere *Nos* de respiratione, quantum tamen instituti ratio postulat, aliquid præmittamus. Existimamus ergo aerem, pectore ad inspirandum dilatato, pulmones ingredi, ipsosque necessariò pro thoracis cauitate coextendi; exspirando autem cum pectoris spatium non nisi ab eodem sese rursus deorsum, & introrsum coarctante restinguatur, necessariò etiam aer ex pulmonibus complicabilibus ob tot vesiculas ab eodem thorace simul exprimitur. Pulmones ergo, vt alij voluere, non ex se propriâ vi, nec à corde, nec ob metum vacui mouentur, sed aer est vera, & adequata respirationis causa, idque præprimis saltem in confinijs globi terræ, & certam aeris acquisitam densitatis consistentiam. De aeris elatere, ac pondere hincque resultante illius motu plura pro explicanda respirationis obscuritate, plurimum huc spectantia, addenda essent, ast cum Vir Magnificus *Otto de Gvericken*, Celeberrimus ille Consul Magdeburgensis de Vacuo, & Illustrissimns *Boyle* Anglicæ gentis decus, ac Regiæ Societatis splendor in *Experim. Physic. Mech. de aeris viel astica*, atque Nobilissimus *Majou* Londinensis, in Tractatu de Respiratione, rem penitus absoluerint, superuacaneum duximus, eò magis, quia ad philosophicum tribunal res spectat, hæc omnia accuratiùs excutere. Motus enim pulmonum, & cordis ita est necessarius, vt absque eo ne pauciſſimis horæ minutis absque vitę periculo durare possimus, quod ipsum machina Boyliana probat, in qua dum aer exhauriebatur intra 2. 3. 4. 5. 6. & 7. ad summum horæ minuta aues, & mures non admisso aere extinctæ fuere. Fuit hactenus in genere respiratio cum respectu ad aerem, quomodo vi ille aer respirationem efficiat, id nunc explicandum, & cor quidem per systolen, & diastolen motum exercet, sanguinisque molem nunc excipit, nunc propellit, quem pulmonum expansio, & dilatatio iuuat, ast tamen non à se inuicem dependent, hi duo motus quidem conseruantur beneficio respirationis, quandoquidem, ceu superiùs, dictum, inter Medicos planè non conuenit, quâ ratione fiat respiratio, i. e. pulmo moueatur. Deceptissima verò fuit opinio, pulmonis motum thoracis, & diaphragmatis ritu more follium excitari, implerique eos quia distenduntur, quæ tamen opinio carioso nititur fundamine. Multos dari respirationis vsus, extrà omne dubium ponimus, præter enim cordis refrigerium, sanguinis ventilationem, fuliginosorum effluuiorum exportationem, pabuli nitrosi importationem, partium sanguinis diminutionem, subactionem, pinsationem, in intestina pressionem, & miscelam in corde vltimam, nec non motus sanguinis ex vno in alterum cordis ventriculum promotionem nostro calculo addendam, vltimam sanguinis perfectionem ope particularum salino-nitrosarum in aere existentium, in sinistro cordis ventriculo absoluere; aer enim rarefactus vnà cum sanguine per earum vasa transeunte in sinistrum cordis ventriculum admissus, eum attenuat, & subtilisat, quo facto aptior redditur pro spiritus animalis generatione, sunt enim in aere particulæ salino-volatiles, vnde, & is dicitur occultus vitæ cibus. Probabile verò existimamus pulmones in respiratione, non tantùm Atmosphæræ pressurà, sed, & à vi elastica irruentis aeris inflari ac distendi; Aer enim quacunque datà portà, & viâ ruit, imò quàm difficulter excluditur ab irruptione in machinam suam, per angustissimas, & insensibiles rimas, prout demonstrat sat ingeniosè sæpiùs dictus Nob. Anglus *Boyle de Aere* p. m. 196. Siquidem aer per os, & nares in asperam arteriam, siue laryngem irruens in pulmonum sinus, & cauitates sese insinuat, & istius loci calore multum rarefit, & dilatatur qub expansione facta vim suam elasticam exerit, vnde pulmones inflantur, & attolluntur, maiusque spatium occupant, atque nisi me auguria fallunt, respiratio nil aliud esse videtur, quàm aeris thoraci inclusi resolutio, & reciprocatio motusque pulmonum, & diaphragmatis alteratio, suppositio tamen semper influxu no-

ta-

tabili ſpirituum animalium influentium in muſculos intercoſtales. Nil ergo vetat, quin aerem externum primam totius motus originem dicamus, animalia enim confeſtim moriuntur, quibus aer denegatur, ceu illuſtris *Boyle* in Experimentis ſuis *Phyſico-Mechanicis* abundè declarat. Vnde quoque haud in concinnè *Varro* credidit, animam (corpoream nempè) eſſe aerem ore inſpiratum, calefactum in corde, ſparſam per viſcera. Crudeliſſima, & certiſſima etiam ratio eſt, aerem præcludere, quo penitus denegato reſpiratio, ac ipſa vita, quorum eſt indiuiduus nexus, ceſſat; Aeri enim irruenti tantam vim ineſſe, vt pulmones dilatare, & attollere poſſit, docent experimenta plurima prælaudati *Boyle Experim. mechan. Ex.* 7. 8. 9. 10. 47. 48. quippè veſiculis hiſce pulmonum ab aere irruente inflatis, eorum molem intumeſcere neceſſe eſt, vi enim decuplo, forſan centuplo maiori, aerem pollere credimus, quàm nos eidem aut eius elaſticitati tribuimus; quippe qui hanc vim aeris expanſiui denegare velit, perpendat velim habita tamen proportione eiuſdem calefacti, rarefacti, ſeu expanſi, vim in Æoli pilis, bombardis, & huiuſmodi machinis incluſi, & ex eiuſdem exploſi. Ad hanc ergò continuam aeris reciprocationem, & elaſticitatem, præſuppoſito Microcoſmetoris, & Cardimelechis regimine, & ſpirituum animalium influxu concurrere quoque muſculos omnes intercoſtales, diaphragma, & neruos pneumonicos, haud negamus, vnde infinitæ propemodum exſurgunt exſpirationis læſiones. Diximus enim in reſpiratione naturaliter peragenda duo potiſſimum requiri: (1.) vt tranſitus aeri Armoſphæræ preſſurà ingreſſuro, & egreſſuro liberè concedatur, (2.) vt aer elaſticà ſuà vi pulmones debitè expandere, & extendere queat. Quoties ſtaque viæ hæ occludantur, vel expanſio pulmonum à quacunque cauſa impediatur, diuerſimodè læditur, vêl diminuitur reſpiratio. In aſthmate ergò, vt tandem ad ſcopum veniamus, ſunt aliquando brõchia, vel veſiculæ pulmonum à pituita viſcida tenaci, pura, tubercuſis, tophacea materia, calculis, &c. alioue impedimento obſtructa, quod iluſtrat obſeruatio, quam habet *Nob. Diemerbroccius* in ſua Anatomia p. m. 510. collecti ſucceſſiuè in famulo pulueris ſubtiliſſimi, lapidem in veſiculis pulmonum ſicque aſthma procreantis, quo æger tandem obijt, poſtquam coaceruatus admodum eſſet hicce puluis. Eiuſmodi alia exempla habêt *Ephemerid. Germ.* Sal etiam ponticum in aere exiſtens, & in fauces irruens, inde pulmonum veſiculis iniurias faciens, hoc malum producere poſſe nulli dubitamus. Aliquandò etiam in dyſpnæa, & orthopnæa expanſio pulmonum non à defecta aeris ad pulmones tranſeuntis, ſed impeditur modò ob rarefactionem, atque ebullitionem nimiam ſanguinis, modò ob grumeſcentis eius in anguſtioribus meaculis ſtagnationem, modo ex irritatione conuulſiua neruorum ſpirandi organis inſeruientium, aſthma & ſtrangulationem oriri poſſe plena manu apertè concedimus. In alijs verò paroxyſmis aſthmaticis pulmones eleuati, & diſtenti ſuffocationem penè inducunt, id quod non fit à flatibus, aut à vaporibus, flatus enim in venis, & arterijs pulmonalibus contenti eos inflare nequeunt (cum licet per fiſtulam arteriæ pulmonali adaptatum flatus immittantur, pulmones tamen haud intumeſcant) inde ſuperiùs neque vapores ſi contineantur in veſiculis facilè cum aere expelli poterunt, hunc affectum excitant. Quare vt rem acutiùs tangamus, arbitramur huiuſmodi ſuffocationes à muſculis intercoſtalibus, & ſepto tranſuerſo conuulſis procedere, ab eorum enim ſpaſmo pectus nimis diu in dilatatione detinetur, motus maris ſine vento. Videmus quoque in alio caſu in hypochondriacos ſcorbuticis quos ſæpiùs reſpirandi motus in præſentaneum vitæ periculum conijcere ſolet, ceu obſeruauimus in defuncta quadam fœmina ciuis huius ciuitatis C. propter nimis enim sãguinem coagulatum in pulmonibus, perinde vt in ſimili caſu ob ſerũ acre lixiuũ, & fluxile biliosũ nimis in corde

de præter naturã ebulliens oboriri poterit hic affectus, ita vt pulmones inflati maneant,& respiratio interrumpatur; per arteriam enim pulmonalem cum impetu in pulmones irruit interdum sanguis hic vitiosus bronchia, & vesiculas pulmonum comprimens, vasaque sanguifera distendens, vt pulmones relaxari debitè, ac pro aeris recentratione rursus expandi nequeant. *Asthma* humidũ(statuimus enim cum Helmontio humidum,& siccum) ex mucilagine viscida, tam in bronchijs, vesiculis pulmonum quàm in stomacho p. n. hospitante, deducimus; item quando sanguinem stagnantem nonnihil in præcordiis sequitur affectus,à sangnine enim crudo,viscido, acido,austero,seroso chylo,& similibus asthma oriri posse planè persuasi sumus; chylus enim quandoque in cordis ventriculum dextrum delatus ob cruditatem, & viscositatem haud propediem rarefit,sed in corde stagnare,& residere aptus ipsius oppressionem intendit,in cuius subleuatione respiratio crebrior instituitur,vt sanguine in pulmones exantlato eidem succuratur.Confer *VVillis* de *Feb. cap.* 2.& de *Scorbut*.c.3.Hinc experimur plures hypochondriacos hora vna,aut altera à pastu aut à motu corporis respirandi difficultatem pati, quatenus nempè chylus crudior sanguini infertur,&affunditur;sic acor peregrinus, siue humor acidus sãguini cõmixtus eũdem circa præcordia, & vasa pneumonica plus minus coagulãdo,ac circulationem æqualem turbando,respirationem nõ potest nõ insigniter sufflaminare,quod probat *Excellentiss. Ettmuller Amicus noster obseruantissimus* in *Chirurgia sua Infusoria*, inquiens, Amicus quidam in venam canis subclauiam iniecit spir.nitri,& paulò post difficulter respirante,& tandem extincto cane, sanguis in ista vena, & corde coagulatus, & in grumos concretus repertus fuit.Prælaudatus Medicus aliud experimentum in eundem finem instituit ʒ j. nempe olei sulphuris per campanam in aquæ ʒj. & quod excedit,dissolutam in venam cruralem canis infudit,factaque conuenienti vulneris deligatione canem à vinculis solutum in aream proiecit, qui viuus omninò apertis lucidisque oculis frequentiore respiratione, in area decumbebat, hinc sensim altiorem,crebriorem,& minorem agendo respirationem leuibus quibusdam, inprimis oris conuulsionibus, agitari, hinc crebrius respirare, tandem fortiter diuque ex imo pectore non sine violentia stertere, copiosam spumam effundere,haneque scenam repetitis subinde leuibus conuulsionibus tam diu agere cœpit, donec quasi strangulatus ferè circa mediam horam ab infusione expiraret effluente ex ore mox post mortem copiosa admodum aqua serosa tenui instarque loturæ carnium rubicundà,cum copiosa, & viscida supernatante spuma, aperto post mortem totæ fauces in hoc cane refertæ erant spumà copiosà, ipsa quoque aspera arteria,compresso namque exteriùs laryngе pulmones ex atro rubescebant, inprimis vbi costas respiciebant, ac si ex contusione sanguis concretus in iis retentus esset erantq; pulmones spongiarum instar sero huiusmodi sanguineo spumoso, h.e. bullis copiosissimis minutis, & viscidis repleti, omnesque arteriæ asperæ maiores pariter, ac minores rami huiusmodi spuma tantùm non obstructi. Ex infusione spiritus vitrioli nostro experimento, sanguis pariter concrescebat, canis enim diu quasi conquerebatur de difficili respiratione, & pectore succussato magnorum dolorum indicia edebat, aperto thorace sanguinis grumos æque in venis maioribus pulmonum ac in corde reperimus; Confer *Acta Philosophica Anglica Anni* 1667.n.27.Huc facit quod nuper asthmate defunctum ciuem aperuimus, in eo nihil aliud inuenti cui causam mortis attribuere potuerim, quam sanguinem in vasis pneumonicis, & corde coagulatum, perinde vt iuuenis ad motum quemuis concitatiorem anhelantis, & exenterati cadauere arteriam, & venam pulmonales sanguine grumoso distentas *Nob. Foh. maio Anglus* reperit. *Asthma* verò siccum, & conuulsiuum neruorum,& spirituum animalium culpa nasci posse nemo inficias ibit, modò de limi-

ne

ne salutauerit medicinam, nerui enim pneumonici pulmonum expansioni destinati ob irritationem spasmodicè contracti reciprocum pulmonum motum impedire possunt, sicuti fibræ neruea bronchia amplectentes irritatæ eadem coarctare ita valent, vt larynx penitus constringatur, & inde stranguletur homo, quia aer sufficiens tum ad pulmones, tum ad sanguinem admitti nequit, sic & ijdem nerui spiritibus animalibus viam denegãtes quacunque de causa, v.gr. si obstruatur aut rumpatur, possunt existere causæ huius affectus, quemadmodum à neruis præcisis motum pulmonum sublatam vidit *Schenkius*. In isto conuulsiuo asthmate rarò tussis, vel eiectio excrementorum percipitur, deserit etiam aliquando ad tempus hoc asthma, & periodicè secundùm Lunæ motum ægros affligit, quale exemplum *Nob. Etimullerus* Parisijs obseruauit in commensali suo, & Nos in ciue nostro apoplectico nuper relicta paralysi dextri lateris restituto obseruauimus. Denique nulli cum *Willisio* dubitamus, causam horum asthmatum esse conuulsiuum motum diaphragmatis, aliorumque musculorum respirationi destinatorum, quia inde sanguinis in præcordijs impedito motu stagnatio, & suffocationis inducitur sensus. Affectus ergò hic oriri potest musculorum respirationi inseruientium culpa, quando scil. motus ad expansionem necessarius peruertitur, quod fit quando nerui organis prædictis pulmonaribus inserti, fibræque neruea musculorum, & ipsæ membranæ pulmonem ambientes ab acrimonia quacunque spasmodicè contrahuntur, inde vocatur asthma conuulsiuum, quæ species asthmatis nec vetustati ignota fuit, ceu patet ex *Galen.* l. de loc. aff. c. 7. vbi inquit, aliam quoque esse dyspnœæ speciem, quia velut breui quiete intercipitur opus thoracis ob musculorum thoracis conuulsionem. In grauiore orthopnæa neruos plexus ganglioformis, & consequenter musculos laryngis spasmodicè conuelli sæpiùs experientiâ nostrâ comprobare possumus, neque in hoc affectu cum sibilo, & sonitu homo difficulter respirat, qui affectus non semper ab humoribus phlegmaticis, & viscosis bronchia obstruentibus oritur, sed interdum ex eo, quòd dum diaphragma siue ob viscerum abdominis intumescentiam, & pressuram (videmus enim hoc malum semper in nimis obesis) siue ob propriam imbecillitatem deorsum se constringere nequit, & consequenter pectus duntaxat à costarum motu dilatatur, indeque fieri contingit, vt pulmones inspiratione inflati oh diaphragmatis resistentiam non, vti alias, æqualem positionem sortiri possint, sed cũ lobos huc illuc inflecti necesse sit, ex quo sequitur, quod bronchia incuruentur, ita vt aer eadem liberè permeare nequeat, sed ijs allisis, strepitum vti fit, sibillumq; efficit, à spirituum in organa pneumonica influxu denegato, vnde motus musculorum respirationi dicatorum planè cessat, asthma produci posse sæpiùs didicimus, & sole meridiano clariùs est. Sic quoque extra pectoris cauitatem pulmonum expansio impediri, & sufflaminari potest, tum diaphragmatis culpa ob spatium in abdomine defectum deorsum satis explicari nescientis, quod vt plurimum fit, quando hypochondria, ventriculus, vel totum abdomen aut flatibus, aut viscida saburra, aut aquis distenta sunt, aut in mesenterio spasmodicæ fiunt contractiones, tum enim motu peristaltico inuerso diaphragma versus thoracis cauitatem compellitur prout videmus in hydrope, tympanitide grauiori, nimia excrescentia hepatis, veteri gestatione sublimi, grauidæ enim in fine gestationis nihil, quàm de anhelitus difficultate conqueruntur. Sanguinis quoque coagulationes, atque stagnationes ab acidis, salsis, ponticis aliisque liquoribus inductas producere posse asthma periculosum, noscere possumus ex ijs, quod à tumoribus, scabie retropulsa, arthritide Scorbutica, alijsque massæ sanguineæ vitijs malum hoc sæpiùs oriatur, materia enim heterogenea ex massa sanguinea segregata, atque præcipitata ru-

rursusq; reassusa sanguinis crasin summè peruertere, motumque sanguinis circularem turbare potis est, sicut vino contingere obseruamus, cum fæces priùs ad fundum detrusæ denuò commotæ eleuantur, vel si quid aliud heterogeneum, puta seuũ aut suphur exoticũ ei injcitur, vnde perturbatio insignis existit. Eodem modo in dispositione scorbutica ex ebullitione seri scorbutici,& inæquali circuitu sanguinis diuersimodè lædi respirationem quis negabit?sanguis enim,qui ob musculorum contractionem pleniori flumine ad dextrum cordis ventriculum appellere solet, pulmones liberè permeare, sinistrumque cordis ventriculum subire non potest, quia eo ipso respiratio impeditur. Tandẽ si eiusmodi materia heterogenea in neruos pneumonicos deponatur,& ibidẽ quasi impletur, illi necessariò inde spasmodicè contrahi debent,& consequenter respiratio peruertitur. Videmus etiam aliquando à terreis vaporibus, acribus tamen vel aliàs malignis,fumo nempè carbonum metallorum, arseniki, Mercurii in metallurgis, chymicis,& aurifabris, &c. asthma excitari, quia mineralium horum *Gas* ex proprietate statim suffocat, non secus, atque crypta Sicula canem, prout inquit *Helmontius*, namque fumus Mercurij ob aciditatem hostilem laryngem statim præcludit, & constringit. Sibilus in inspiratione oritur,quia humores crassi fistulæ laryngis osculum obsederunt, ita vt aer subitò hanc viam angustatam transire nõ possit, sed lateribus allisus sonũ acutum edit.Situ corporis erecto respiratio,& præcipuè inspiratio facilior est,quia tũc viscera in abdomine cõtenta faciliùs deorsum premũtur adiuuante eorũ grauitate. Hactenus de difficillimę respirationis materia pro ingenij tenuitate verba fecimus.

PROGNOSIS.

§.11.Nunc sequuntur prognostica salutis spem promittentia, aut futuræ mortis tristia omnia aduertentia, & denunciantia. Læsiones verò respirationis in genere omnes periculosæ sunt, in hypochondriaco scorbuticis in se quidem non existunt lethales,aut incurabiles,ob loci autem nobilitatem, & coagulationem sanguinis in corde existentem periculo non carent, ceu fœminam quandam Hanouiensem scorbuticam sine notabili præcedente, periculosoque symptomate, solo asthmate sicco seu conuulsiuo intra duarum horarum spatium,sensibus internis integris,extinctam non ita pridem obseruauimus. Hoc malum per interualla imò per Lunæ motus, & per tempora anni, hyeme, & autumno præsertim, ceu suprà dictum, infestat ægros remediis etiam adhibitis idoneis ad tempus longum suspendi potest. Asthma verò scorbuticum chronicus est morbus. Meliùs autem, & faciliùs curatu est asthma serosum, præcordiale quàm paralyticum, à sanguine nempè depauperato, & nimis spirituoso inductum, & facilè transit asthma scorbuticum in alium morbum, puta apoplexiam, catharrum suffocatiuum, epilepsiam, phthisin, cachexiam,vel hydropem, prout obseruauit *Timæus* l. 2. Porrò asthma in senibus vix curatur, in iuuenibus verò sæpiùs; affectus hic quoque sæpè acutus fit, & ob vehementissimas accessiones ægros strangulat; sæuitiam verò mali mitigat cœli serenitas, vitæ sobrietas, corporisque quies,de quibus in sequentibus.Qui pectus à natura habent strictum paruosque pulmones,facilè fiunt asthmatici, vt & ij quibus in magnam excreti molem, vnde hic prouerbium ortum, *die lung iſt ihm zu groß*.Asthma cum syncope,& pulsu lãguido intermittente, inæquali, inordinato tardoque,mortẽ in olla esse denotat. Tremula quoque spiratio periculosa est, & eò magis si scapulæ, & homoplatæ cum musculis intercostalibus, vnà cum inspiratione, & expiratione deprimantur, & attollantur, præsertim viribus existentibus debilibus; anhelosi enim ægri noctu non audent decũbere ob metum suffocationis.

CVRA DIÆTETICA

§. 12. Fuit hæc prognosis, quod attinet curã,& primũ dieteticam, ea nunc contẽplanda venit. Victus verò ratio constat re-

rebus non naturalibus, quas inter primum locum occupat Aer, qui sit temperatus, serenus, siccus, minùs tamen æstuans, è contra frigus angue peius vitetur; contenta enim quælibet spissiora respectiuè magis condensata existunt, & ob ambientis conditionem, & pororum maiori conniuentiâ corpus minùs exhalat, vnde condensati humores postmodum per solita emunctoria difficulter eiiciuntur, & dein pulmonibus, vel eius vesiculis, tales insidias struunt. ¶Nimis calidus aer quoq; nocet, quatenus sanguis indè turgescens instar vini recentis copiosum excrementum in pulmonum, & asperæ arteriæ propagines eiicit, atque ipsam massam sanguineam inquinat, qualis enim aer talis vtplurimum massa sanguinea. Frigida verò præ aliis, vt nix, glacies, &c. pectori sunt inimica, testante *Helmontio* nostro, inquiente: *Aliis quoque obseruaui qui spirante Borea, statim vel in hypocaustis asthmate plecterentur insontes.* Vitentur, & odores suaues inprimis à mulieribus, illi enim vterum indiuersos agitant furores. (2.) *Cibus* sit ἐυπεπτος, calefaciens, & attenuans, ne materia crassescat, humectantibus miscendus, & carnes conueniunt gallinarum, pullorum; omnes cibi condiantur herbis aromaticis pectoralibus, saluiâ nêpè maioranâ, thymo, hyssopo, fœniculo, semanisi, &c. Inprimis hic conducit *crocus*, quicquid dicat *Septalius*, amygdalæ, vuæ passæ, ficus, &c. quatenus scil. deliniunt; abstineat è contra æger ab omnibus quæ crassum lentumque succum procreant, vt sunt carnes fumo induratæ, caro suilla, lac caseus, legumina sicca, &c. Quod *Potum* concernit, is sit defœcatus, & tenue vinû, inprimis *Baccharacense* vel aliud, *Mosellanû* vel in nostra vicinia *Michelbacense*, & *Hirsteinense*, & sit vinum medicatum, & variis herbis pectoralibus, & aromaticis paratum pro rusticis verò sit decoctum stercoris equini, inprimis tempore æstiuo colle&ti, vel hordei; fugiatur potus dulcis ex saccharo inprimis paratus, atque vinum Hispanicum, ex quorum vsu præpostero asthma productum} obseruauit *Helmontius Tract. de asthmat. & tussi §.16.* Quoad *exercitium*, sit id leue, ante cibum tamen conceditur deambulatio, & in debilibus loco huius frictiones fiant partium externarum.

Somnus sit moderatus, & nocturnus, vitetur maximè diurnus, & diuturnus; per diuturnum enim somnum cumulantur multa excrementa pituitosa, quæ sæpiùs causam nostro præbent affectui. Sic, & *vigiliæ* nimiùm protractæ, teste magno *Hipp. 2. aph. 3.* pulmonibus noxam inferre possunt. *Aluus* suppressâ quotidie lubrica seruetur, vt omnis irritatio præcaueatur. Pertinent huc aliæ consuetæ, præsertim sanguinis euacuationes suppressæ, quæ ordinariò fluere debent. His tandem coniungenda sunt *animi pathemata* (*affectus*), qui moderati esse debent. Vnde pronum est concludere, quòd gaudium conducat, ira verò nimia, curæ nimiæ, non minùs quàm motus ac vigiliæ excedentes, accersunt asthma; cuius rei ratio ex hactenus dictis, collectu facilis est; ab ira enim tristi nuntio, & obiurgatione hunc affectum oriri posse scribit *Helmontius*, addita hac ratione, quod ad nutum iræ, tristitiæ, pauoris, &c. pulmonis pori obstruantur, ab eaque obstructione pulmo irritetur & propter innatum fermentum excandescat, sicque hunc excitet affectum.

§. 13. Vt verò præter hæc adiuuantia funditus remoueatur, partim impedimentum functionum læsarum, partim periculum vitæ ac sanitatis, quod ex respirationis vitio, asthmate sc. imminet sequentium Authorum, & nostris insistentes vestigiis, fortioribus remediis ex pharmaceutica depromptis, hostem oppugnemus. *Veteres* in curatione huius affectus ad corrigendam, & educendam pituitam viscidam, omnium primò aluum clystere solicitant, sequenti vel simili modo parato, vt:

℞. *Rad. aristoloch.*
iridis ana ℥ß.
Herb. cent. minor.
hyssop.
calamintb. ana m. j.

Aga-

Agaric. alb. ℥ v.
adde colat. ℔ j.
spec. hier. diacolocynth. ʒ j. ß.
diaturbith. c. rhab. ʒ v.
ol. lil. alb.
chamomill.
rutæ ana ʒ j.
sal. comm. ʒ j.
M. f. clysma.

Dein dante inducias ipso malo naturæ obedientes, reddunt humores peccantes, atque pulmones grauantes, vel asperam arteriam occupantes, idque *præparantibus ac incidentibus*. Præparantia ipsis sunt mel rosar. oxymel. simpl. compos. squill. acetum, squill. decoct. rad. enulæ, epithym. rad. liquirit. herb. capill. Veneris, hyssop. pass. scabios. betonic. uuæ pass. caric. dactyl. decoct. guaiac. Aquæ destillar. prædictar. herb. &c. myrrh. gummata, &c. Esto formula ex ipsorum sacris.

℞. *Syr. de liquirit.* ℥ ß.
oxymell. squill. ℥ j. ß.
loch. de pulm. vulp. ʒ vj.
gumm. ammoniac. solut. ʒ j.
M. f. linctus.

Vel ℞. *Rad. enul. camp.*
gentian.
pulm. vulp. ana ʒ ij.
spec. diatreos ℈ iv.
mell. squillit. q. s. f. Elect.

Vel ℞. *Fl. sulphur.* ℥ j.
benz. ʒ j.
myrrh. ʒ ß.
M. f. pulu. subtilissimus, cuius pulu. detur ℈ j. *in uno sorbili cum tantillo salis communis.*

Postea humores correctos, & ita præparatos è corpore blandis purgantibus educere laborant. Vacuantia autem ipsis sunt agaricus, trochisc. diaturb. c. rhabarb. pil. aloephang. &c. Esto formula:

℞. *Mass. pil. cochiar.* ℈ j.
de agaric. ℈ ij.
Rhab. optim. ℈ ß. *F. c. syr. liquir. pil.*

Vel ℞. *Diaphœnic.*
cass. recent. extr. ana ʒ ß.
agaric. troch. ℈ j. *M. f. c. saccb.*
Bulus pro una vice.

Vomitoria quoque in asthmate prodesse Veteres acriter contendunt, quia in stomacho quandoque pituita, & phlegma latet, hinc vomitum cum rad. raphan. & helleb. alb. instituunt, sæpiùs cum maximo leuamine; ab his tamen alijsque purgantibus medicamentis tempore paroxysmi abstinere potiùs volunt, quàm illa temeratio ausu exhibere, ne tunc materia, vi medicamenti agitata in pulmones largiùs ruat. Dein materiam peccantem frictionibus sæpiùs institutis auerruncare, atque humores ad pectus ruentes auertere tentant, errhinis sternutatorijs, apophlegmatismis, cucurbitulis. Demum quæ materiam in pulmonibus sepultam per asperam arteriam leniter emolliunt, & eliminant, offerunt, in quorum numero sunt ea, quæ sputa promouent, & thoracem-pulmonesque corroborant, vt sunt syr. de liquirit. de iuiub. de hyssop. looch. sanum, de pulm. vulp. squill. asel. Decoctum ex ficubus, uuis pass. hyssop. liquirit. mell. &c. paratum, crocus, &c. Vnguentum pro toto pectore conducet ex ol. lini, amygdal. dulc. aneth. rut. lil. alb. chamomyll. butyr. recent. pingued. gall. mucilag. fœnugræc. althææ, croc. rad. ireos commixtum, & paratum. Ex quibus variæ concinnari possunt formulæ, quas apud ipsos Practicos, si velis videas.

§. 14. Hactenus Galenicorum scholam lustrauimus, nunc ad fornaces Chymicorum transitum faciamus. Qui cum magistro duplicem ponunt curam, iuxta indicationem duplicem. Si enim ægri pituitosa, & phlegmata eijciant, siccandum tum esse volunt, sin minus laxandum. Cura ipsis, vt sic dixerim, est desumpta ex sulphur. viuo cum Mirrh. alipta muscata commixto. Paracelsus monet quoad secundam indicationem, quod à frigidis in purgando pulmone abstinendum sit, quia frigida pulmonibus nocua sunt. Cura Paracelsi resolutiua est, quæ nempè sicca resoluit vt eò faciliùs expelli possint, Elix. de tartaro crud. essent. vini elati, hoc est sublimati, &

cum

tum aquis separati à cornibus suis, vinum melissæ, &c. magnorum vult esse virium'. In asthmate verò metallurgorum plura *Paracelsus* præscribit medicamenta, tum præseruatiua, tum curatiua, inprimis laudibus extollit *diaphoretica*, vt & seq. formulam.

℞. *Liq. tartar.* ℥ ij.
ol. colcot. ʒ j.
laud. puriß. ʒ ß.
M. dos. gr. iij. *semel in mense.*

Laudat, & mannam Calabrinam perlat. Arcanum quoque esse dicit aq. panis porcini, qui quoduis asthma sine putredine restituit; probat item omne dulce liquefactum, vt cons. rosar. &c. item sal. vitrioli dulce quod pulmones rectificat; alij ex ipsius natione balsamum sulphuris fl. sulph. balsulph. terebinth, &c. magni pendunt.

§. 15. *Helmontius* acriter contendit, quòd asthma nullo vnquam remedio circumcidatur, nisi remedio arcani, quod per totum penetret, omnes scil. corporis semitas, quod etiam epilepsiam euertit. Conueniunt ergò iuxta ipsum asthmati humido remedio generosa, confortatiua, tam respectu pulmonum quàm custodis. Sicco verò asthmati antiepileptica quæcumuis conueniunt, vnde exemplum alicuius allegat Helmontij pullus *Grembs l.* 2. c. 1. §. 9. *de pulmon. defect.* qui singulis diebus exhibito puluere cinnabaris antimonij ad VII. gr. per integrum mensem, felicissimè restituit ægrum caduco pulmonis, hoc est asthmate laborantem. Balsamum sulphuris quoque terebinth. cum aq. asthmatica ter in die assumptum extollit, item flores sulphur. cum croco, & myrrh. sublimatos, aliaque.

§. 16. *Willisius* circa asthmatis curationem duas indicationes, primarias asterisco notat, *Curatoriam* sc. & *Præseruatoriam*, i. e. vt æger à præsenti periculo in paroxysmo liberetur, dein vt causa morbifica remoueatur, ne paroxysmus tam sæpiùs redeat. Durante ergò paroxysmo æger erecto sit corpore, & ne pulmones, & arteria aspera ab infarctu materiæ crassæ, & oppressione interna aut externa lædantur, omne impendendum est studium, ac ne inferiora viscera septum transuersum sursum pellant, & sic præcordia angustent; opere ergò pretium erit, statim ab initio aluum clysteribus purgare; ne quoque sanguis in pneumonicis vasis nimium efferuescat, & supra modum ebulliat, aut serum in ductus tracheales à nimio ipsius orgasmo depluat indè illico sedandæ sunt hæ impetuositates, & cæteris paribus per V. S. & illa aquæ sanguinis æstuantis serum, ac superfluitates per sudores, & vrinas euacuant, & à pulmonibus deriuant. Esto Authoris nostri formula.

℞. *Aq. fol. beder. terrestr.* ℥ vj.
lacb. san. ʒ j. ß.
prunell. ʒ ij.
salis prunell. ʒ j.
syr. papau. ʒ j. ß.
M. f. Iulapium.

In hunc finem commendat quoque Noster Tincturam Sulphur. ad gutt. vj. vesperi, & mane in prælaudato iulapio exhibendam, vel sequentem puluerem:

℞. *Fœcul. aron.*
bryon. ana ℥ j. ß.
fl. sulphur. ʒ j.
benzoes ℥ ß.
saccbar. cand. ℥ ß.
pulu. liquirit. ʒ ij.
M. f. pulu. subtilis. ad ℥ ß. *exhibend. bis, vel ter in die.*

In casu verò vbi magna moles viscidæ, & tenacis materiæ præsumitur, sequentia suadet:

℞. *Aq. Asthm.* ℥ j. ß.
Syr. de præß.
de allio.
de nicotian. ana ℥ ß.
Tinct. croc.
castor. ana ℥ ß. *M. d.*

Sumat de hac mixtura æger cochleare vnum atque alterum.

Vel ℞. *Aq. limac.*
lumbric. ana ℥ ij.
Syr. de præß.

oxy-

oxymell.Scyllit.
spir.sal.armon.c.gumm.ammoniac. ℥.ij. *M.*
Vel pro pauperibus:
℞. *Pulu.de eryſin. vel beder.terreſtr.* ℥ j
M.c.oxymell.q.ſ.pro Linctu.

Hæc indicatio prima fuit: *Altera* eſt, vt partes motiuæ reſpirationis à ſpaſmis liberentur, cuius rei gratia ad antiſpaſmodica remedia, antihyſterica, & anodyna tanquam ad anchoram ſacram confugiendum Author præcipit; quę enim in paſſionibus hyſtericis conueniunt, illa etiam in aſthmate cõuulſiuo prosũt, vt ſunt Tinct. caſtorei, ſuccini ſpiritus CC. fuliginis, ſal. armon. volatilis, Tinct. ſulphur. aſa. fœtid. oxymell. ſquillit. & niſi obſtet pulmonum infarctus cũ inſigni præcordiorum oppreſſione, opiata mirificè iuuant, quatenus per ea ſpiritus animales debacchantes in ordinem rediguntur, vnde ſæpè bono cum fructu Nob. Author Diacodium, & laudanũ tartariſatum exhibuit. In paroxyſmo verò, vt materia peccans locum affectum deſerat, & ad alium locum inuitetur, veſicatoria, cucurbitas, frictiones, & ligaturas dolorificas applicare iubet, imo in eũdem finem vomitoria in paroxyſmo exhiberi vult. Hæc Excellentiſſimus Author de methodo, & medicamentis in paroxyſmo aſthmatico aduocandis habet; poſt quę videamus, quid extra paroxyſmum agendũ ſit. Illa methodus cauſę morbificę ablationẽ intendit, quæ conſiſtit (1.) in emendãda conformatione pulmonis, & (2.) in tollẽdis anomalijs ſpirituum ad pulmones deſtinatorum. Primæ indicationi ſatisfiet per ſequentium remediorum formulas.

℞. *Gumm. ammoniac. & bdell. in acet. ſcyll. ſolut.* ℥.ß.
fl.ſulphur. ℥.ij.
benz. ℥ j. *M.f.pil.exiguæ.*
Veſperi III. vel v. ſumantur:
Vel ℞. *Milleped præp.* ℥.ij.
fl.benzoes.
ſalis ſuccin.ana ʒ.ij.
extract.elen.
caſtor.ana ʒ.ß.
croc. ʒ.j.
Therebinth.q.ſ. M.f.pilulæ.

Capiat æger IV. omni veſperà, atque matutinis horis.
Vel ℞. *Aqu.looch.ſan.*
limac.
lumbr.ana ℥.j.
elix.pectoral.
ſpiritus gumm. ammoniac. cum ſale armon. deſtill.ana ℥.ij.
Tinct.croci ℥.j.ß.
oxymel ſquillit. ℥.vj.
M. cochleatim ſumenda.
Vel ℞. *Tinct.gumm.ammoniac.*
ſulphur.ana ℥.ij.
M.d.ad gutt.x. vel plures exhibenda.

Magni pendet quoque ipſe Syr. de helenio ab *Horatio Augenio* deſcriptum, quem & hìc notare libet.

℞. *Rad.helen.*
polypod.ana ℥.ij.
paßul.Corinth. ℥.j.ß.
ſebeſten.
farfar.
pulmonar.
ſaturei.
calaminth. ana m.j.
fol. vnic.mag. tabaci.
liquirit. raſ. ℥.ij.
ſem. vrtic.
bombac.ana ℥.ß.

Coq. in mulſa diluta ad libram vnam ſemis, & cum ſacchari tantundem f. ſyrupus, exhibeatur, vel per ſe in forma linctus, cochleatim veſpertino aut matutino tempore, vel alijs commixtus. Vel

℞. *Pulu.ocul.cancr.* ℥.j.ß.
ſalis ſuccin. volat. ʒ.ß.
ſpec.diair.S. ℥.ij.
ſpermat.ceti ℥.ß.
M.f.pulu.pro aliquot doſibus exhibendus in iuſculo vel alio appropriato vehiculo.

Præter hæc dicta, catharctica, venæſectiones, veſicatoria ampla internis brachijs propè axillas applicata prodeſſe nonnunquam, haud dubitat ipſe.

§.17. *Syluius*, primo narium, faucium ac laryngis obſtructionem, ſi quæ adeſt, tollendam præcipit dein dyſpnœam illam, quæ fit præter ſanguinis in corde incendium, & rareſactionem, curãdam vult

per sanguinis eductionem, vt & acida temperatiua, puta salem nitri, vel lapis prunell. &c. Sic & asperæ arteriæ angustia curabitur, sublata angustiæ causa, siue sit pituita viscida, siue humore, siue apostemate, siue sanguine grumoso, vel purè crasso, inducta. Conducunt ergò omnia medicamenta incidentia, in quem finem vomitoria admittit, excipit tamen sanguinis sputum, in quo semper vomitus periculosus existit. Dyspnœam, si à flatibus vel halitibus ex pituita in tenui intestino à bile productis oritur, curandam vult emendando pituitam viscidam, ac eam educendo, itidem bilem, vel corrigendo, vel euacuando. Si redundauerit, esto formula ex gazophylacio Authoris.

℞. *Gumm.ammoniac. acet.sol.* ℥.ß
mastich.elect. ℈.j.
Troch.alband.al.
resin.scammon.ana gr.xxv.
*salis succin.volatil.*gr.v.
ol.myrrh.gutt.ij.

M.f.pil.N.xxx.accipiat æger v. aut vi. mane stomacho ieiuno, & superbibat post horam iusculum.

Vel ℞. *Rad.enul.camp.* ℥.ß.
galang. ℥.ij.
polypod.q. ℥.ß.
herb.card.benedi.
pulmonar.
centaur.minor.
marrub.alb.
scolopendr.ana.m.j.
fol.senn.f. ℥.j.ß.
agaric.trochisc. ℥.j.ß.
ellebor.nigr. ℥.ß.
sem.anisi
asell.præp. ℥.ij.
tartar.crud. ℥.ß.
zinzib. ℥.j.ß.
dentur incis.ad chart.pro iii. *lb.vini.*

Conducunt etiam omnia carminatiua, diaphoretica, & aromatica, becchica, &c. Si iuxta ipsum pituita in pulmones à capite sit delata, ad collectam pituitam hanc incidendam, & euacuandam, suadet Noster aromatica, & phlegmagoga sæpiùs dicta, item errhina, & masticatoria, quorũ ope per nares, & os pituita illa crassa euacuari potest.

§. 18. *Cartesius* eiusque Sectarij commendant omnia illa, quæ obstructiones tum tubulorum neruorum, tum pulmonum tollunt, quæque spiritibus animalibus inordinatè motis iterum ordinem ad influendum ordinatè, & absque impedimento comparant, & sic ad tempus derelicta pneumonicorum regna iterum secundùm naturæ leges illi quærant. Inter quæ palmam alijs præripere credunt blanda aromatica, & volatilia oleosa, illa namque sua volatilitate, quà gaudent, penetrando pulmonum mæandros potentia sunt visciditatem, & obstrectionem tollere. Præferuntur alijs Tinct.bezoart. Aq. theriacal.camphorat.sal volatile oleosum Syluii, diaphoreticum excellens D. D. *Crany Professoris Lugdun.* &c. & quæcunque salia volatilia.

Vt ℞. *Aq.cinamom.* ℥.j.
asthmat-
loch.san.ana ℥.vi.
elix.pectoral. ℥.j.
essent.helen. ℥.ß.
spir.sal.armon.volat.gutt. xx.
syr.de eryfim. ℥.j.M.

Conueniunt quoque ex ipsorum indicatione decocta ex lignis, quæ constant particulis duris, rigidis, quia ob irregularitatem, & ponderositatem in permeando corporis regiones, præsertim hoc in casu pneumonicorum visciditatem auferunt, & fluxilem reddunt. In paroxysmo extollunt pro summo, sperma ceti à ℈.j. ad .j. vsq; exhibendo in cereuisia calida, vel alio iusculo calido. Quod si affectus oriatur à puris collectione in thorace, curabitur facilè euacuata hac materia vitiosa, de qua re vide Caput sequẽs de Empyemate.

§. 19. Postquam itaque aliorum opinionẽ, & medicamenta deprompsimus, restat vt, & *Nos* affectus huius terribilis quantum fieri potest, curationi incumbamus. Affectus enim hic non semper primo actu iactuque (quo nec annosa quercus) cadit, sed quandoque chronicus plurium mensium, imò annorum curam deposcit.

Ergò (1.) eò incumbemus, vt tempore paroxysmi omnem respirationis molestiam tollere, vel mitigare, & sic ægrum à præsenti mortis periculo liberare valeamus. (2.) vt causam morbificam quantum fieri potest inuestigemus atque, extirpemus, ne paroxysmus iterũ recurrat. Prior *curatoria* dicitur, posterior verò *præseruatoria*. Cum autem hic interceptus spirandi motus frequenter scorbuto, & hypochondriaco malo affectos adoriatur, atque in præsentaneum vitæ periculum coniicere soleat, ideo semper ad hos morbos simul eradicandos, tanquam ad causam sine qua non, attendendum iudicamus. Duplex ergò cum *Helmontio*, & *VVillisio* statuimus asthma, *humidum*, vel *serosum*, & *siccum* vel *conuulsiuum*. Per asthma pro vt serosum, seu quod ab ebulitione seri scorbutici ortum est, siue quod fit à subitanea iam tum grumescentis sanguinis coagulatione, in angustioribus pulmonum permeaculis, aut vasis pulmonaribus, aut in præcordiis facta, ne planè obruatur *Cardimelech* noster, illicò opponẽda sunt medicamenta, quæ sanguinem præ sua crassitie in circuitu per angustias pulmonum stagnantem (siue id fit ab acido, siue sale fixo, siue Mercurio venenoso) attenuant, incidunt, & motum ipsis, & circulationẽ necessariam restituunt. Absque mora ergo hoc in casu V.S. instituimus, ita enim imminuto sanguine, eius quę reliqua est pars facilius trãsibit vasa pneumonica, & sic iterum restituetur respirandi libertas. Ad hasce coagulationes sãguinis, vt plurimum ab acido imperiũ circa prȩcordia sibi rapiente, inductas resoluendas inseruiunt omnia volatilia aromatica oleosa, spirituosa, balsamica volatilia, incidentia, præcipitantia cancrina, &c. Si asthma illud humidum ex mucilagine viscida tam in bronchiis pulmonum, quàm in stomacho latente, ortum habeat, conueniunt thoracica calidiora vulgo dicta antiscorbuticis associata, vt sunt omnia spirituosa, balsamica, volatilia, incidentia acorem corrigentia, inter quæ specificè prodesse obseruauimus, spir. gumm. ammoniac. cum sal. armon. paratum, item salia volatilia succin. C. C. fulig. sang. human. spir. lumbric. asellor. formicar. balsam. sulphur. anisat. & spiritum asthmaticum *Michaelis*, qui paratur ex nitro, sulphure, & gumm. ammoniac, &c. Aliis in hoc casu statim ad manus sunt salia volatilia oleosa passim à nobis commendata, præsertim hoc *sal volatile oleosum*, *pectorale* nostrum.

℞. *Tinctur. sulphur. ex sulph.* ℔ j. *sal. tartar.* ℔ ß. *stent in vicem in tigillo per aliquot horas: donec non amplius attollatur massa, sed subsidat, ac hepatis, siue fusco-rubrum referat colorem, dein massam ligno madefacto infusam pulueriza, & superaffunde spirit. vini generosioris mens.* j. ß. *cum per noctem steterit ac colorata videatur Tinctura,*

adde *myrrhæ rubræ* ℥ß.
rad. angelic. ℥ ij.
croc. ℥ ß.
theriac. ʒ iv.
mumiæ ℥ iij.
cinnamom. ʒ j.
camphor. ℥ ij.
sal. C. C. volat. ℥ß.
ol. succin.
anis. ana ℥ v.

Mixta stent per tẽpus vase bene clauso, tũc decantetur, dos. à gutt. v. *ad* x. *& plures.*

Sunto formulæ in iuniorum gratiam in paroxysmo asthmatico humido.

℞. *Aq. asthmat.*
looch. san. ana j. ℥ß.
spir. gumm. ammoniac. j
salis volat. succin.
volat. oleos. pectoral. Nostr. ana ʒß
essent. beleni ℈ j.
syr. ol. cinnamom. ℥ j.
M. pro aliquot vicibus.

Sequens mixtura Serenissimum quendam Principem ab asthmaticis insultibus feliciter liberauit,

℞. *Aq. asthmat.* ℥ j.
hysop. ʒ j. ß.
tussilag.

card. Mar. ana ℥ ij.
veronic. è succ. ℥ j.
syr. de iuiub. ℥ j.
Tinct. propr. ℥ iij. *M.*

Notandum in asthmate enim semper mutanda, & varianda esse medicamenta, iam olim notauit *Ludouicus Septalius* p. m. 160. §. 147. morbus enim hic non subitò, & vi curari potest, sed continuò, & crebrò vsu, quia obstructiones in tubulis neruorum respiratoriorum existunt, & tubuli illi angustissimi, non nisi lentè deobstrui possunt, dein pulmones sunt vi. scus tenerum, quod multam vim non patitur. Esto sequens,

℞. *Spermat. ceti* ℥ j.
fl. benzoes ℥ ß.
myrrhæ,
salis volat. succin. ana ℈ ß.
M. pro IV. *dosibus.*
Vel ℞. *Vin. asellor.* ℨ iiij.
syr. de marrub.
hysop. ana ℥ ij
essent. ennlæ ℥ iij.
M.

Si verò asthma ex infarctu pulmonum à crassa, vel viscida materia ortum sit, sequens in delicatioribus conducit, præmisso tamen pro re nata vomitorio, vel alio purgante.

℞ *Syr. è succ. raphan.*
de cryſmo
de nicotian. ana ℥ ß.
extract. croc. ℥ ß.
aq. menth.
hysop. ana ℥ j.
M. cochleatim exhibenda.

Paroxysmus asthmaticus oritur, cum per accidens adhuc plures neruorum tubuli obstruuntur, vnde spiritus superstites non sufficienti copia fluere possunt ad partes respiratorias vnde magnus nisus, & conamen oritur.

Hic quoque maxime proficua erit *Ettneri* potiuncula asthmatica:

℞. *Gumm. ammoniac.* ℈ j. ß.
aq. hysop. ℨ iv.
vini Rhenan. ℨ iiij.
salu. super ignem s. a. adde.
syr. de præss. ℥ ß. M.

Hic, & asteriſco notanda est mixtura moderno Principi Aureliacensi solennis.

℞. *Aq. carbuncul.* ℨ ij.
mellis squill. ℨ j.
M. cochl. assumenda.

Nec sequens D. *Helfrici Iunkii* in *Medico suo præsenti tempore accommodando* inutilis erit, præsertim in asthmate ab astringente acido descendente:

℞. *Aq. carminatiu. Dorner.*
veron. essentif. ana ℥ j. ß.
asthmat. ℨ j.
essent. hyperic. ℥ j.
sal. volat. human. sang. ℥ ß.
rutæ ℥ j.
theriac. cælest. gr. III.
confect. alkerm. c. ℥ ß.
syr. papau. rhœad. q. s. M.
Vel ℞. *Aq. asthmat. Rudolph.* ij.
fl. rapar. ℥ j. ß.
oxymell. scyll. ℨ ij.
spir. gumm. ammon. c. vitriol. ℥ j. *M.*

Dyspnœa, quæ à chylo, vel sanguine crudiore, viscosioreque, ac minus spirituoso dependet, continuè hypochondriacos, & scorbuticos affligit, & in hoc casu quoad curam ad originalem morbum habendus est respectus, quo curato, & ipsa cessat dyspnœa. Eadem ratio est, si hic morbus proueniat à nimia obœsitate, vel corpulentia, prout sæpiùs obseruauimus, dum corpulentia diminuta etiam asthma desijt, vbi feliciter vti possumus aceto squillitico; idem obseruamus, in grauidis tympaniticis, flatuosis, quibus iterum ex morbo principali restitutis affectus spontè cessat. Porrò notandum, si asthma oriatur ab abdomine flatibus referto, & indè septum transuersum premente, curabitur facilè minuendo, & discutiendo flatus per clysteres, nempè carminatiuos, vel per interna aromatica, & carminatiua vulgò nota. Esto formula:

℞. *Aq. menth.*
zedoar. ana ℥ j. ß.
spir. cort. citr.
balsam. embryon. ana ℥ ß.
M. D. cochleatim.

Hoc

Hoc quoque in casu conuenit spiritus carminatiuus Syluij, essent. carminatiua VVedellij, in Opiologia sua descripta, anticol. Michael. spir. nitri dulc. &c. Et latet nonnunquam magnæ viscidæ pituitę moles in ventriculo, vnde sæpiùs inflationes ventriculi, & intestinorum, spasimi fibrarum neruearum, & per consequens asthma sequitur, quæ visciditas vel in stomachi, vel in intestinorum plicis hospitans debet sæpiùs vomitione extirpari, quibus, inueteratam dyspnæam in sene omnibus reliquis frustra tentatis curauit *Timæus* l. 3. c. 13. exhibita per vices aqua benedicta Rulandi, vnde maxima pituitæ quantitas ἄνωθεν κάτω educta fuit. In asthmate verò præcordiali nullum præclarius medicamen vomitorijs ritè, & circumspectè adhibitis reperimus vnquam cum illa vitium neruis impactum concutione fortiori excutiant, quod & constat experimento *Primerosij de Morb. pueror.* qui prouocato vomitu infantes, & pueros statim ab asthmate liberauit, eiectâ pituitâ hac viscidâ, vt plurimum in ventriculo latente Loco vomitoriorum in delicatulis (quia Medicus pro fama artis timere debet) potissimum, gumm. ammoniac. cum tantillo resinę ialapp. exhibere solemus. Stomacho quoque flatuoso externè sacculos ex herbis paregoricis, & carminatiuis in vino decoctos calidè applicamus, vel empl. ex ladan. *Craton*, vel carminat. *Syluij* stomacho debili imponimus, vel mixturam nostram stomachalem ex succulat. balsam. cinamom. ol. nucist. cum vino Hispanico agglutinamus. Essentia helenij in potu data, mirè conducit; alij commendant essentiam absynthij.

Hæc quæ diximus conducent in asthmate humido. Nunc, & paucis illa videamus, quæ proficua sunt in asthmate sicco siue conuulsiuo, siue caduco, siue epilepsia pulmonum, in quo statu miseranda est ęgrorum constitutio, partim quia malè sępiùs tractantur à Medicis imperitis partim quia causa sępiùs latet in ipsis spiritibus animalibus, qui influere deberent ad musculos pectoris, nec tamen influunt, quo influxu denegato, pectus nec se eleuare vel concidere valeret; Hic conducunt ergo omnia pectoralia, quæ respiciunt coagulantes particulas acidas vario modo inductas, & differentes, ac vel asthma vel anhelationem, aut suffocationem inducentes, & cum secreta parte alkalina dimicãtes; talia sunt antispasmodica, antiepileptica, balsamica, sulphureis salinis volatilioribus particulis prædita medicamina, vel acida volatilia, quæ crudius acidũ rectificant, spiritibus succurrunt, neruea sque fibras demulcent. Excellunt verò præ alijs sperma ceti, asell. lumbr. terrestr. scarabæi in fimo equino hospitantes, formicæ, ex quibus salia, spiritus, & olea volatilia parari possunt, hoc in affectu vtilissima. Sunto formulæ:

℞. *Spir. lumbricor.*
scarabæor. ana ℥j. ß
solut. spermat. cet. ℥j.
essent. croc. ℥ß
M. f. essent. ad gutt. xv. exibenda.

Vel magis antiepilepticum sequens, quicquid enim epilepticum adultum sanat, hoc etiam asthmaticum sanat, teste *Helmontio.*

℞. *Succin. præp.*
vngul. alc. præp.
cinnabar. natiu. ana ℥ß.
asell. præp. ℈j.
castorei ℈ß *M. f. pulu. pro* iii. *dosibus in vehic. conuenienti nempe aq. tiliæ,*

Etiam hìc prosunt omnia cephalica, neruina inprimis castorina, & cinnabarina, spiritus fuliginis, sal armon. C. C. salu. rosm. essent. castor. croc. specif. ceph. Michael. sal volat. succ. cran. human, alcis. rhinocerotis. &c. Ad acrimoniam etiam salinam vel acidam neruosum genus irritantem corigendam, valent & præcipitantia, inuertentia, tum absorbentia antispasmodicis prædictis permixta. Ex. gr.

℞. *Lapid. cancr. præp.* ℥ß
bezoar. or. gr. iij.
spermat. cet.
succin. præp. ana ℈ß.
M. f. pulvis.

In conuulsiui etiam huius morbi paroxysmo, sæpiùs cum admiratione obseruauimus exoptatum successum ab opiatorum vsu, laudanum sc. opiat. paucis gran. in aq. conuenienti dissolut. & cochleatim exhibitis. Hypnotica suà benignitate tanquàm demulcente Mercurii caduceo fibras conuulsas placant pacantque. Si quoque Brunneri potioni addatur sperm. cet. 3 ß. cum momento laudani, sæpiùs efficax est. Vbi à scabie, arthritide retropulsis dyspnæa ortum ducit; in hunc finem prosunt diaphoretica volatilia, vt ad corporis peripheriam recrementa rursus expellantur, sin æstus febrilis simul obseruetur, ac ebullitio humorum, prout in febribus, palmam præripiunt istis fixa, & temperatoria, ad vias vrinarias simul quod noxium est præcipitantia, vt sunt ocul. cancri, antimon. diaphor. &c. Tandem externè adhiberi possunt pectori, & diaphragmati neruina, aut paregorica, & sunt ol. chamomillæ, castor. succin. lauendul. destillat. vng. dialthææ, axung. varia, vel cataplasma ex cepis sub cineribus coctis, Ex. gr.

℞. *Mucilag. althææ*,
sem. lini,
fœnugr. cum aq.
hyssop. extr. ℥ j.
pulu. rad. ireos Flor. ℥ j. ß.
gumm. ammon. in vino beleníj
solut ℥. ii.
tum f. q. ol. irin. amygd. dulc. & ceræ q. s. f.
Linimentum.

Pectus quoque spirituosis variis castorinis, salibus volatilibus, &c. illinendum.

Hisce nihil proficientibus commendat *Nob. Ettmuller* in *Chirurgia infusor.* in ægrorum venas epilepticorum medicaminum, & pectoralium infusionem, quibus maritandam suaderemus nostram mixturam antiepilepticam c. solutione spermatis ceti. Inustionem pectoris per moxam cum bacillis felici cum successu sæpiùs instituimus, & si vnquam mundus voluit decipi, iuxta illud tritum, id certò factum est in adhibita herba, quippe quę ex India Orientali magnis sumptibus allata nihil differt à notissima Nobis Artemisia, eodem modo quo ab Indis fit, & iam quasi iuris gentium est. Auctuari loco adijcimus scarificationes, venæsectiones, vesicatoria, ventosas, frictiones, per fusiones aquæ frigidioris, & id genus alia, quæ tanquam parerga haud planè contumaciter reiicimus, sc. verũ est illud Poetę.

A cane non magno sæpè tenetur aper.

LIBRI II.

De Morbis Pectoris,

CAPVT III.

DE PLEVRITIDE, & PERIPNEVMONIA.

§. 1. IN ipso atrio monemus, Nos cum Excell. *Baronio* sub vno nomine *Pleuripneumoniæ* duos hosce affectus comprehendere, quos ex duobus nominibus conflatos, vel *Pneumo-pleuritidis*, vel *Pleuripneumoniæ* nomine optimè insignire possie, existimamus, ita vt secundùm plus vnius quàm alteriùs morbi naturam redolere videbitur, secundùm id possit denominari, pertinent enim ad inflammationem hi duo affectus, & Peripneumonia dicitur *pulmonum*, pleuritis verò *pleuræ* inflammatio, in quantum scil. cruor inter efferuescendum exuuias suas viscosas modò in hanc, modò in illam partem deponit, quem dein iterum resumit, & transfert. Eò & collimauit *Helmontius in tr. de Pleura furent. p. m.* 247. v. 27. Pleuritis, inquiens, à Peripneumonia causis occasionalibus vt neque remedio differt: Cùm ergo vna sit illius idea, sic etiam vnica eiusdem explicatio esse debet; Differunt enim tantùm loco.

DEFINITIO.

Pleuripneumoniam ergo describimus, quod sit inflammatio, vel pulmonum vtriusque lateris, vel pleuræ, coniuncta cum summa respirandi difficultate, febre acuta, tussi contumaci, nonnunquam sicca modò cum sputo spumoso, & non rarò cruento, dolore, grauitate, & angustijs circa pectus & præcordia, dependens, vt plurimum

mum à cruore feruidiore in motu suo sufflaminato stagnante, & tandem euasato, acriore, reddito, & fibras vellicante, vnde excandescentia Cardimelechis fluit. Datur, & pleuritis pituitosa, quam speciem hac hyeme in diuersis spectauimus. Occasione hic nata in genere, & vt cum Iuris Consultis loquar, per auersionem monemus, Definitiones nostras non ad requisita Logices conscriptas, & dolatas esse, quia medicæ definitiones teste *Clar. Hosmanno Instit. lib. 3.* rigidè semper ad logicas leges non cogendæ, sufficit si tantum morborum naturam exprimamus, vt ab omnibus intelligi possit. Hæc vt diximus ὡς ἐν παρόδῳ adijcere placuit; nunc hoc agendum.

DIFFERENTIA.

Ex deducta autem definitione patet non quemuis lateris dolorem Pleuripneumoniam dici, quemuis enim plures laterum dolores sint, hic tamen de eo tantum, qui morbum acutum sequitur, quique prædictis stipatus symptomatis, & ob memoratam Cardimelechis excandescentiam, & inflammationem membranæ intrinsecus succingentis pulmones, & costas thoracis, inductus est, verba faciemus. Si enim in exterioribus musculis inflammatio consistat, aut si à flatibus ibidem dolor vehemens fiat, iam non hic, sed nothus erit morbus, dolor percipitur in pectoris regione, qui tactu etiam exasperatur ex parte, qui tamen non tam stabilis est, sed remittit aliquando ex applicatione eorum, quę flatus discutiunt. Et quia iuxta illud Philosophi, præcepta docent, sed exẽpla delectant, inde in theatrum hoc talis generis ægrotum ex nostris sistamus.

CASVS.

Iuuenis XVIII. annorum temperamenti Sanguineo-cholerici, satis benè valens, gulæ, & expirandi exercitio nimis deditus, hactenus tamen absque manifesto incommodo, mense Martio aere inclementiore, & frigidiore existente expatiatur, domum reuertens, defatigatus, tamen, assumit bonum cereuisiæ frigidioris haustum, ob sitim valdè vrgentem, & vicium reficiendarum ergo; exinde horror percutit totum corpus, lectum petit, obdormiscit, quatuor horas post euigilat, sentit dolorem obscurum sub mamma sinistra versus hypochondriorum vrgẽtem, sequente die dolor augetur, sitque punctorius, tussicula ægrum vexat cum febre, tandem expuit sanguinem cum virium debilitate, & siti intensa; quæ omnia signa sunt vrgentis pneumopleuritidis.

PARS AFFECTA.

§. 2. *Partem affectam* quod attinet, communi sententia ferè omnes Medici in peripneumonia ponunt *pulmonem*, in pleuritide verò, membranam pleuram, alij tamen negant pulmones partem affectam esse, cum planè insensiles sint; *Diocles* solas pulmonum venas hic affici asserit, *Erasistratus* arterias, *Asclepiades* pulmonum bronchia, *Soranus* Lexicographus totum corpus, sed vehementiùs pulmonem hic laborare defendit. Nos extra omnem dubitationis aleam ponimus, hoc in casu pulmones, inprimis verò eorum membranas (pungens enim dolor nonnisi membranis adscribi potest) tam costas, quàm pulmones vestientes, pleuram nempè interdum solam, nonnunquam pulmones simul cum membranis affici, & inflammari; pulmonum enim substantia est admodum apta ad inflammationem, quia mollis, est, spongiosa, rara, & porosior, vnde & facilè ostrui possunt pori, indeque inflammationes erysipelaceæ sequi, vnde, vel pleuripneumonia, vel pneumo-pleuritis oritur; & album nobis calculum adijcit diuinus noster Senex, qui plurimis in locis, præsertim autem de *loc. in homin. text.* 24. expressè dicit, in peripneumonia ambo latera afficiuntur, in pleuritide vnicum duntaxat latus obleditur. Nec *Demetrius Horophilus* à prædicta sententia dissentit, quando dicit *lib.* 12. *de Passione* peripneumoniam esse in toto pulmonis corpore tumorem, in eius autem parte pleuritidẽ fieri, quod, & confirmat *Bonetus in Anatomia pract.* 1. *Platerus, Celsus*, alijq; id probantes per sectiones demortuorum, in quibus non semper membranas, costas succingentes inflammatas, sed pul-

mones cum sua membrana laceratur, & corrosos se obseruasse dicunt. Pleuritidem quoque fieri posse circa musculos intercostales haud dubitamus; vidimus enim Iuuenem, qui sub brachio sinistri lateris circa musculos intercostales emittebat per vices IV. libras materiæ purulentæ, & serosæ coagulatæ, quem ferè emaciatum iuuenem feliciter pristinę sanitati restituimus, quà & adhuc fruitur; vnde verissimum illud elogium *Hipp.* sect. 5. aph. 8. Quicunque morbo laterali laborantes in XIV. diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur.

DIAGNOSIS.

§. 3. Perspecta parte huius morbi affectâ, ad *Diagnosin* nos conferamus, accurata enim, vt sæpiùs monitum, cognitione opus est in morbis examinandis, nisi in curatione à scopo aberrare velimus. Suppeditat ergo diagnosis, vel ea signa, quæ ipsum morbum, causasque demonstrant, vel ea, quæ nostrum morbum itidem ab aliis affectibus discernunt. Ipsum affectum indicat dolor pungitiuus, quandoq; tantum grauatiuus, cum ardore aliquandoq; coniunctus, & continuà inspiratione sæpiùs auctus magisque acutus factus; subita enim illa doloris ingraueſcentia arguit inflammationem, atque inde locus tactum non fert, si enim è directo musculi intercostales premantur, & fibrillæ neruosæ irritentur, dolor fit intolerabilis, sanguis enim evasatus de hora ad horam maiorem acquirit acrimoniã, à qua membranæ inflammantur, & vellicantur, vnde dolor ille acutissimus fluit. Obscurus verò ille dolor oritur, si musculi secundùm carneam substantiam inflammatio fiat, quæ quidem, & ipsa ob fibras nerueas certo modo est sensilis, ita tamen vt in longè minori gradu talis sit, quàm prior, qui quoque dolor ad hypochondriam, subinde ad clauiculam se extendit, quandoque pulsans cum tumore occurrit, ob inflammatos sc. musculos, & dum abit ad suppurationem, velut in nostro iam dicto ægro. Adest his in affectibus febris continua aucta, haud dubiè exturbata mixtione sanguinis, præsertim accedente pure; quæ quoque febris alternis diebus, præprimis vesperi, aliquam habet exacerbationem, quia vespertino tempore recedente sole pori cutis magis constringũtur, indeque ex impedita διαπνοὴ efferuescentia sanguinis maior, & per consequens mixtio sanguinis turbatior est, inprimis ob particulas acriores siue bilioſas in massa sanguinea delitescentes inducta. Difficilis adest respiratio, quia pectus commodè dilatari nequit, tunc inspiratio interrumpitur, quapropter debilior fieri necessariò debet; cum verò talis respiratio non sufficiat sanguini efferuescenti temperando, paruitas illa resarciri debet frequentia, inde pulsus frequens, & celer occurrit. Pulsus quoque est hoc in affectu mollis, celer, inæqualis, intermittens, aut recurrens, aut bipulsans. Tussis maximè vrget, quatenus scil. sanguis euasatus acrior factus in pulmones laxos sensim intrarè valet, sed ab initio quidem non eà copià in pulmonibus collectus, vt copiosiùs expui possit, quippe materia illa heterogenea adeò intimiùs in pulmones impacta est, vt ad bronchia accedere nequeat, vnde impossibile est, eam per tussim sic excerni posse; sæpissimè tamen fit excretio sanguinea in Pneumopleuritide; sanguis enim acrior factus permeat poros apertos pulmonum; prout enim maior, vel minor est affluxus sanguinis, etiam magis vel minùs sanguinis eijcitur, cum materia purulenta eosdem poros intrare possit; sunt enim pulmones spongiosæ naturæ, & ex vesiculi tantum conflatum corpus. Sputa quoque hoc in morbo variè colorata reijciuntur, hinc fit rubeum, & cruentum, tandem ad maturitatem perductum sit purulentum; si nihil exspuatur malum est, sæpiùs tamen pus absque præcedente eiectione sanguinis eiectum obseruauimus. Adest malarum rubor, & id quidem ob saguinis particulas acriores eò delatas. Sitis simul ferè inextinguibilis ægros vexat, ob particulas prædictas acriores ad fauces, & linguã missas, vnde fauces, & lingua exsiccantur,

& per consequens humida amant ægrotãtes, & vt plurimum supini aut erecti iacent, quæ, & alia signa versiculis inclusit. *Franc. de Port. l. 2. de morb. sign.*

CAVSA.

§. 4. Vt verò his præmissis huius morbi essentia penitius nobis innotescat, ad causas tum Veterum, tum Neotericorum fundamine nixas contemplandas accedamus. Ad mentem ergò antiquitatis medicæ est causas huius morbi proxima immediata, inflammatio *pleura*, atque pulmonum, & in pleuritide quidem membranam pleuram, in *Peri-pneumonia* verò pulmones inflammari probat *Galenus* per anagramma *Angelus lib. 2. de loc. affect. c. 7.* qui hunc affectum inflammationem membranæ pleuræ costas intrinsecus, & latera subcingentis esse dicit cum tussi assiduà penè, & ob doloris acumen plurimum molesta, lateris dolore punctorio graui, febri acuta, eaque nocturna, potissimum respiratione difficillima, & pulsu duro. Confer *Hippoc. 6. aphor. 33. de instit. art. med. c. 15.*

Causa verò *mediata* proxima Veteribus est modò sanguis effluens ex vena caua per venam sine pari in tenues costarum venas, vel membranas, atque subinde id ex sputo rubro, tempore verno, adolescentia, & victus ratione multum sanguinis generante, desumi potest; modò est pituita, & tunc morbus existit magis diuturnus, estque spumans atque candidum sputum, quod excernitur; tempus anni quo fit malum, est hybernum, aeris constitutio ac regio frigida, victus ratio pituitosum generans sanguinem. Et quidem in priore causa sanguis in vera, & exquisita pleuritide secundùm Veterum opinionem, ductu, fluxu, & transpiratione liberiore priuatus, in pleura, venulis, & vasculis ita corrumpitur, vt in illis partibus potissimum excandescat, & illi in hoc quoque differre pleuritidem à Peri-pneumonia, aiunt, quod illa sit à causa subtili bilioſa, & sanguinea, hæc verò vt plurimum à materia crassa, & phlegmatica decurrente per venas, & arterias in substantiam pulmonum.

§. 5. Ordo nunc nos monet, vt *Hermeticorum* officinas, de huius morbi natiuitate, & indole curiosiùs, & exactiùs excutiamus. Illi ergo causam horum morborum *Salem ogertinum* dicunt, quod est de proprietate arsenicali, & auripigmentali, acrimonia sua facilè vasa sanguifera, & membranas corrodens, indeque pleuritidem inducere valens. Hinc hos morbos ex oppilatione tartarea, & mucilaginea ortum suum habere acriter contendunt, huius rei, sed obscuras definitiones ipse *Paracelsus* habet, vbi ita *c. 4. trali. 1. de morb. metall.* fiatur, pulmonia, & resina quæ generatur ex chao in quo decocta est stella, & minera auripigmenti, & quæ alia plura Cimmerijs tenebris inuoluta habet, quorum ideò non meminimus, ne tædiosis hisce figmentis tempus teramus.

§. 6. *Helmontius* in furore pleuræ considerat primò motorem internum siue calcar, ac dein laceratorem pleuræ. Cruorem autem eò effluentem, & effusum indeque natum apostema tanquam productum perpendit, ac adducit exemplum de *Spina*, parti alicui affixa. Est ergo ad mentem ipsius causa pleuritidis peregrina aciditas, concepta in Archeo, quæ ad venam azygos, imò vel in ipsam propinquam costarum carnem expellitur, indeque oritur productum morbosum apostema. Cruor enim acescens mox contra naturam venarum totiusque carnis indolem coagulatur. Aliquod verò acidum esse in pleuritide, probat hac ratione, nempè quòd in pleuritide lotium, & cruor è vena secta elicitus, grumescant etiam exeundo, quæ grumescentia, & caseatio est acoris indicium, & effectus, cùm inde latex hic acescens in intercostales carnes incidens facit dolorem pleuriticum, & sic quasi spina illa pungens, & dilacerans; cruor enim extrauasatus hostilem induit naturam, dilacerat vasa, fibras, membranas, arteriasque, tumque egreditur, & statum

tim coagulari incipit, quod si verò *acor* ille in venam arteriosam vel arteriam venalem dispergatur ab infecto Archeo, tunc iuxta ipsum oritur Peri-pneumonia pulmonis, quæ se tantùm separat non tam acore causæ materialis, quàm subiecti varietate. Cruor igitur ad mentem *Nostri* intra pleuram ad costas sistitur, acescit, grumescit, apostematur, atque ideo pus fit, vbi enim dolor, eò accurrit cruor. In liene aliquando hoc malum residere propriâ experientiâ edoctus haud dubitat, sed plura his addere, *Willisius* sequens vetat.

§. 7. Modò verò clarissimum rei medicæ lumẽ prọ causa proxima pleuritidis ponit sanguinem vitiosum, qui in membranæ pleuræ dictæ vasis minoribus; in Peripneumonia verò in vasis pneumonicis maioribus, ob lentorem, & visciditatem detentus aut extrauasatus est, dein ob turgescentiam copiosius ibidem aggestus phlegmonem excitat; dolorem verò punctorium, ac acutum à solutione continui in parte membranosa facilè sensili deducit, & respirationem difficilem ob fibras musculares læsas, atque febrem ab efferuescentia nimia sãguinis fieri probat. Inter remotiores verò causas, recenset illa omnia, quæcunque sanguinem ad lentescendum simulque efferuescendum exagitant, inque turgescentiam febrilem concitant. Subitæ ergo illæ mutationes caloris, & frigoris Pleuro-pneumoniam inducere possunt, perinde vt crapula vini aut aliorum generosorum potuum ingurgitatio, exercitium immodicum, quatenus scil. hæc sanguinem nimis commouent, & efferuescentiam adaugent, huius affectus fabri existunt.

§. 8. *Syluius* decus illud Medicinæ Batauicum cum plerisque causam horum effectuum immediatam, tum pleuræ (in pleuritide) tum pulmonum (in Peripneumonia) inflammationem statuit, & incendi, & inflammari sanguinem, quando ex vasis ipsis effluit, post subsistit, stagnat, & coagulatur, vnde euanescunt parte volatiles, & subtiles, tum acidas tum salinas temperare solitæ, indeque vtræque acriores factæ, acriùs in se mutuò insurgunt, efferuescentiamque ob partes sanguinis oleosas præsentes calidam excitant, quæ etiam sanguinem paulatim ita corrumpunt, vt in pus vertetur, & quidem pro sanguinis corrupti varietate varium, modò nigrum, modò flauum, modò sanguine adhuc tinctum, &c. Sanguinis effluxus fit ob apertionem vasorum sanguineorum, siue illa fiat ex nimia vasorum à copioso valdè rarefacto, aut retardato sanguine, flatibusq; excitata distensione, siue ab humoris, aut in vasis aut extra ipsa subsistentis acrimoniâ rodente, siue à re dura, & acuta vulnerante, obtusaque obtundente, vnde ipse plures recenset causas remotiores; sed cum hæc ex nostra crisi hauriri possint, superuacaneum ducimus ea hic apponere & dein repetere; crambe enim toties cocta nauseam parit.

§. 9. *Cartesiani* subtilissimè philosophantes causam huius morbi à materia distendente, pungente, & rodente membranam pleuram deducunt, quæ materia nihil aliud ipsis est in pleuritide, quam sanguinis particularum acriũ, acutarum volatiliũ in pleurã, & musculos mesopleuricos, in Peripneumonia verò, in ipsos pulmones delatarum, & inde extrauasatarum portio. Si enim sanguinis nimium commouetur à causis remotioribus, tunc, & facilè euasatur, sicuti fluctus nimij extra ripas flumen propellunt. Sæpissimè ergo hos affectus producunt tum animi, tũ corporis commotiones vehementes, vt sunt ira, terror, exercitia corporis immodica, equitatio, saltatio, pilarũ vel conorum lusus, &c. In hunc censũ pertinet casus si sãguis nimis spirituosis, tenuibus acribusque particulis scateat, vnde is rarioris texturæ indeq; fluidior, citiùs totum percurrit corpus, quod confirmat pulsus frequentior, qui in omni obseruatur incalescentia, propter particulas biliosas, acres, volatiles, quę in tenues illas arteriolas impetu ruũt, earum poros solito plus aperiunt, & quandoque acrimonia perforant, & nimio

motu

motu disrumpunt, quæ particulæ acriores per temporis moram redditæ, inque pleuram, vel pulmones delatæ, cum figuris suis poris partium non conueniunt & ea propter sistuntur, & sic vel Pleuripneumoniam, vel Pneumo-pleuritidem producunt. Aliquando sanguis hisce vitiosis particulis imbutus, effunditur in musculos intercostales, atque hinc respiratio difficilis, & tussiendi desiderium fit, cùm scil. fibræ neruææ, & pulmones, vel bronchia tendentes à particulis prędictis irritantur. Sic quoque febrem adscribunt materiæ subtili in has irregulares particulas agenti, & ita ad calorem, & rigorem incitanti; à pure enim seu sanguine coagulato efferuescentiam augeri posse, argumento est, quòd idem in vulneribus, & tumoribus ad suppurationem tendentibus accedat, etiamsi longè sit à corde remota. Vt verò apertiùs nostræ opinionis penetralia pateant.

§. 10. Hic quædam magis rei illustrandæ gratià præmittamus de sanguine. Ille verò vitæ primus promus continetur in vasis suis, venis nempè arterijs, & fibris muscularibus. Constat quoque suis elementis, lippis, & tonsoribus notis, quæ dum secum inuicem amicè conspirant, & in prædictis vasis sanguis ritè circulatur, inde corpus in vigore suo conseruant, ob vitalis huius liquoris concinnam commixtionem, & agglutinationem ad partes nutriendas. Quæ omnia si ritè, & ordine ita fiant, vt per vias à natura ordinatas munia sua vbiq; rectè obiens sanguis continuò circumeat, & nunquam moras nectat pernicioſas, tunc benè se habere corporis nostri machinam cernimus; vbicunque verò nostro in corpore sanguis effunditur, morulam nectens ibidem quoque in fermentum morà acidiuſculum abit, sanguini aduehendo, & reuehendo inseruiendo idoneum. Quam diu verò sanguis ritè constitutus intra vasa sua est, tam diu durant salubres corporis nostri actiones, veri exactæ sanitatis indices, si verò sanguis per rimas seu continui solutionem ex vasis suis elabatur, tunc adsunt tragœdia pectorales, inflammationes tum pleuræ, tum pulmonum, aliorumque, vnde & in furorem concitatur Cardimelech noster, ob hostis ingruentis varijsque instructi armis inuasionem soluitur vasorum continuum id quod fit, si existant in ipsa massa sanguinea, siue in eam aliunde irruperint particulæ acres, & acidæ siue aculeatæ, hæ enim sunt quæ rimas faciunt, fibrillas nerueas diuellunt, sanguinem nimis commouent, quæ nimium motæ, & impetuosiùs concitatæ fibras cedere nescias dissoluunt, discindunt, quo ipse sanguis per hiatus effluit, id quod fit triplici modo, vel diæresi, vel anastomosi, vel rhixi. Nec solùm effusionem, & euasationē sanguinis in prædictas partes, sed & aliquando seri nimis fluidi, & acris hìc culpamus; humores enim quicunque extrauasati in aliqua parte diutiùs hærere nequeunt quin acquirant acorem ob spiritus, nimirum vinculis suis liberos abeuntes, absente enim spiritu sanguis non meretur ampliùs nomen sanguinis, sed potiùs est lacuna, & iuxta illud Ennij luma lutosa. Quod si ergò particulæ hæ acidæ, cum sulphureis dimicantes, & tunc efferuescentiam efficientes, sibi rapiant imperium circa pulmones, tunc pleuripneumoniam, & hinc aliquando exortum verum vlcus, vomicam nempè, excitant; pleuram perinde, vt si circa thoracis musculos id fiat, pneumo-pleuritis; Si verò circa pleuram, & pulmones simul iunctos, tunc duo illi affectus simul oriuntur, si enim quis particulas ipsas acidas distinguere in morbis norit, & simul locum, vbi hæ dominium in corpore exerceāt, sciat certè quod magnus mihi erit Apollo, & iuxta illud Iuuenalis, gallinæ filius albæ. Inflammationem Nos membranarum, tanquam spinam hisce in affectibus, ponimus, & simul acescentiam ineptam sanguinis, cum sale eius volatili efferuescentem, & eum ad grumescentiam disponentem, atque sic obstructo vase, stagnationem, coagulationem, & inflammationem subsequentem adesse, extra omnem dubitationis aleam ponimus. Ipsa vitia concatenata

pro-

propterea dicimus nihil aliud esse, quàm sanguinis vitiosi extra sua receptacula effusi fermentationem præternaturalem, qua in fermentatione particulæ acriores, per spicula sua partes membranaceas vellicant, & hinc fibrillis nerueis intimiùs infixæ, eas vehementiùs vibrando concutiunt, quod quia ad neruorum principium vsq; continuatum, inde nõ potest non fieri, quin excitetur tristis illa sensatio, quàm dolorem nuncupare solemus, pro ratione partis affectæ, modi afficiendi motus quantitatis, qualitatisq; spirituum sanguinis, & particularum concurrentium, vel pungentem, vel lacerantem, vel pnlsantem vel grauatiuum, vel distẽdentem vel rodẽtem, &c. in parte læsa esse putatur, ex quibus ipsis causis vibratio neruearũ fibrillarũ cõcutiens ad sensoriũ commune resultat. Hæc de causa proxima immediata.

Quoad *causas* verò *remotiores*, quæ quam diximus spinam infigere valent, illarum sunt plures; ab impedita enim insensibili transpiratione sæpissimè hos morbos excitatos vidimus, hac enim impedita, id quod secundùm naturam debet exhalari ad mentem *Sanctorij*, in corpore præternaturaliter continetur, proinde est aer vitiosus vt plurimum huius affectus nostri prohasis. Accedunt exercitia vehementiora, quatenus fermentant, vnde is impetuosiùs per arterias, & venas fertur, indeq; facilliliùs extra vasa sua affluere, potest, inprimis si subitò in suo motu impediatur, & in aliqua parte sistatur, tunc enim vasa nimium distenduntur, atque inde faciliter rumpuntur. Ita quoq; videmus ab assumpto in corpus calens frigido potu sanguinem facilè coagulari, & quasi à motu suo sufflaminari. Sunt & omnia quæ sanguinem facili marte coagulare, & grumosum reddere, indeq; maximè nocere possunt, inprimis in vasis istis minoribus, quæ reperiuntur in musculis intercostalibus, & membrana pleurę, vasis item pneumonicis; grumus enim vascula hæc facilè obstruere valet, quo facto stagnatio, & distensio sequitur, quam excipit ruptura, & dein inflammatio, quod nos docet experientiâ nostra in pleuritico exenterato, in quo sanguinem præter naturam crassum, & grumosum ad ʒ ij in membrana pleura dicta reperimus, cõfer, *Bonet. Anat. Pract. Nob. Etmuller.* alioſq; nobilissimos, & expertos viros, qui quæ diximus suæ authoritatis clypeo, & rationibus à nobis iactis defendunt.

PROGNOSIS.

§. 2. Perspecta ætiologiâ nunc ad proguosin nos conferamus; vt enim medicus de pleuropneumoniæ euentu certus esse possit, eius cognitio opere pretium est, per quam signa ęquè bona, ac mala probè cõsiderare atq; morbi breuitatem, & diuturnitatem aliasq; circumstantias hariolari valet. Certissimum autem elogium est illud *Hippocratis*, quicunq; morbo laterali laborantes in xiv. diebus nõ purgantur, ij ad suppurationem vertuntur. Est autem suppuratio nihil aliud, quàm duus acidum materiâ deseruescente incipit exsuperare, auolantibus plus minus particulis volatilibus, seu spirituosis, & accedẽtibus hinc inde heterogeneis, vnde inflãmationis tragædia catastrophen suam sortitur ex tumore inflammato in vlcus purulentum abscendens. Senibus, mulieribus, ijsq; qui iam bis, vel ter eo morbo laborarũt, pernitiosa dicitur vulgò pleuritis. Vt plurimum quoq; signum desumitur à sputo, quando sc. nec in principio, nec in augmẽto, sputa prodeunt, in pleuritide enim in qua nihil eijcitur, aut in qua aliquid reiectum est, & nunc aut omnino desijt, superstite dolore, res periculi plena est; crudissimus enim morbus est, ita vt, vel celeriter hominem iugulet, vel longo tẽporis spatio deserat. Sputum omninò cruẽtum, vel flauũ, infelicis hederæ res est; vt & nigrum, tale enim habet fœnum in cornu, quippe significat totalem corruptionem, ob acidum, planè corrosiuam induens indolem, indeq; sphacelum minitans, sputũ namq; omne quãto magis cõmistos humores habet, & nõ diductos inter se tantò deteriùs cõmuni authorum suffragio habetur. Pulsus paruus, crebrior

du-

durus atque serratus mortem significat; nullus enim pleuriticus cum tali pulsu fuit sanatus, Hippocrate, & Galeno testibus, modò cetera simul consentiant, aliàs hasta non abijcienda, seu desperandum, ex frequenti nostra obseruatione. Viridia quoque sputa malæ notæ sunt, vt & viscida, glutinosa, ac spumosa, rotunda nonnihil, quæ eiusdem sunt sortis; vires tamen semper sunt considerandæ, & cum morbo conferendæ: ita quando hoc morbo laborantes de anxietate, & angustia conqueruntur, tum quoque in angusto versantur, perinde vt si externa frigeant, interna verò vrantur, aut medicamenta generosa exhibita nihil efficiant, pessimum est. Generaliter verò hìc cautelæ loco obseruandum, quòd iuxta Hippocraticum illud in morbis acutis incerta sit prædictio salutis, & mortis, malignè enim pleuritides vt plurimum sunt lethales, confer. *Ephem. Germ. An. 1. obser. 15.* quod tum tussis desit, adsit verò singultus id malum quoddam portendit, quemadmodum, & alui profluuium, & hæmorrhagia narium, si superueniant. Cæterum breui aliàs terminarur pleuritis, instar reliquorum morborum acutorum, sæpè VII die aliquando, & XI. vel XIV. quibus diebus parcè, aut parcunt, aut nominis immemores non parcunt, quod si hanc metam transeunt, metastasis fit in empyema, vel tabem, vel vlcus sordidum sub brachio, prout tale ex nostra obseruatione notatum est; & qui XI. diebus non sanantur, tabidi fiunt. Interdum materia peccans recipitur in vasa, & vti accessit fluxione, ita iterum in reliquâ diffunditur sanguinis massam, & terminatur mox per hæmorrhoides, mox per menses, mox per alui fluxum purulentum, mox per vrinam, de quibus elegantissima prostat Epistola celeberrimi *Bauchini* edita cum Scholio Exc. *Vedelii* in *Ephemerid. Germ.* ann. III. quales terminationes nos quoque obseruauimus. Sanguinis metastasis est frequentissima, quando sc. sanguis in pus abit, & per expectorationem excernitur. Moriuntur vt plurimũ nostro affectu afflicti cum stertore, & quasi suffocatione, ac si strepitum audiueris, quod si verò omnia symptomata existant leuiora, & vires infractæ sint, quà in re iuxta *Galenum* pleuriticorum, & peripneumonicorum tota salus expectanda, tum res melioris spei est, inprimis si in principio sputa proijciantur, sintque coloris, & consistentiæ laudabilis. Quod si dolor, tussis, & respirandi difficultas minuatur, si pulsus minus durus, & in dies maior est, ea signa vt salutaria significant febrem cum affectu reciprocari. Sed cum prognostica Signa hæc partim ab *Hippocrate de vict. rat. in acut. text. 37. progn. 45.* & *2. progn. aph. 46.* partim à *Sennerto* alijsque ad nauseam fuerint propinata, in ijs repetendis, & recensendis prolixiores esse nolumus, ne tempus, & chartam perdamus, & ne quis nobis obijciat illud Iuuenalis: *Nam quæcunque sedens modo legerat hæc eadem stans Proferet, atque eadem cantabit versibus ijsdem: Occidit miseros crambe repetita magistros.*

CVRA DIÆTETICA.

§. 12 Hisce excussis ad accuratius pensum accedamus, ad curam nempè, & primò *diæteticam* consistentem in victus ratione. *Aer* ergo sit temperatus, modicè tamen ad calidum declinans; is enim quatenus omnes indifferenter ambit, & ab omnibus hauritur, ita omnium morborum acutorum æstimatur causa communis, & vniuersalis. Pessimè ergò hic audit aer frigidus, ille enim acido suos aculeos per corporis poros mittit, qui tunc sanguini sese associantes eundem coagulant; ingressus enim aer poros obturat, sanguinis circulationem pernitiosè suffiaminat, minora vasa sanguifera obstruit, vnde volatiles spiritus in auram secedunt reliqui verò adhuc remanentes inter se dimicant, concrescunt, & in pus abeunt, ex quibus fluit, quod Aquilonius, & Australis maximè nocuus existat, quia talis aer membranis, & omnibus neruosis partibus iuratus quasi inimicus existit; iuxta Hippocratem nostrum *frigida pectori inimica*. Subitæ etiã illę mutationes aeris vel è calido nimis in frigidum, vel è frigi-

gi-

gido intenſo in calidū, facili Marte pleuritides inducere poſſunt. Si putridis quoque aer inficiatur miaſmatis, exinde pleuritides epidemicæ proueniunt, vnde porrò ſequitur, quòd contagium in corpore non infixum locum habeat. Huius miaſmatis mira vis affabrè depicta, & ad naturę genium expreſſa eſt ab acutiſſimo *Syluio* in oratione de *Aere epidemico*, item ab *Hogelando*, item *Ettmullero* in diſputatione de *paruis magn. morb. princip.* *Ten Ryne* de *vet. med.* aliiſque, qui maximè rationibus philoſophicis, & acumine ingenii huius contagii indolem nobis declararunt. *Cibus* verò ſit leuis atque tenuis, vt ſunt iuſcula gallinarum, cremor ptiſanæ, & ex auenaceis parata; vitanda è contra ſunt ſalſa, acuta, acida, acerba, aromatiſata; omnia legumina nocent, inter quæ lentes ſpecifica quadam vi obeſſe à *Galeno* & *Rhaſe* contenditur; & frigidi vulgò ſic dicti cibi maximè obſunt, vt ſunt fungi, cucumeres, melones, (quorum eſu tres Imperatores exſtinctos eſſe refert *Crato*) acetaria quæcunque intempeſtiuè aſſumpta ſummoperè nocent, quatenus acidum vel acorem augent, in eodem prędicamēto sūt hortēſiua omnia, &c. Hinc referente *Polybio* *Agron Rex Vngariæ* id genus liberalioribus epulis indulgens in pleuritidem incidit, quæ ipſum etiam poſt paucos dies è viuis ſuſtulit l. 2. hiſt. *Potus* ſit decoctum conueniens ex rad. liquirit. ſcorzoner. ſ. papau. aliiſque pectoralibus concinnatum, vel ruſticæ gentis hominibus ex ſtercore equino paratum, experimento Helmontii quia in ipſo ſtercore continetur multum alkali, acido pleuritico abſorbendo aptum, vel bibatur ad æſtum in pectore contemperandum per dies aliquot emulſio amygdalina ex ſemin. frigid. cum aq. cichor. borrag. papau. errat. &c. parata; vinum verò non aſſumatur antequam morbus nonnihil fuerit remiſſus, & in conſuetis, concedunt enim vinum aquoſum, album, modicum *Hippocrates* l. 3. de *morbis* c. 40. & 41. atque *Celſus*, ſed noſtra experientiā præſtat id omittere, quàm exhibere, ægro enim blandiendo nobis damnum facimus. Et huc facit illud obſeruatum *Braſſauoli comment.* in l. 1. *Hipp.* de *ration. vict. acut.* l. 22. præſentiſſimum eſſe venenum in laterali morbo vinum, præſertim in principio, ſic quoque frigidus nociuus eſt. Ita exemplum pleuritidis duplicis ex potu frigido habetur elegans in *cent. 4. Obſeru. Chirurg. Fabricij* obſ. 25. qualem potum etiam in magno æſtu accuſat *Helmont.* l. c. dicens in multo æſtu repentinus multuſque affatim frigidæ hauſtus non ſecus aliud acidum pleuram irruens contrahit, ex muſti quoque nimio potu ortam pleuritidem vide apud *Zacutum Luſit.* l. 1. *Prax. Med. obſ.* 108. *Quies* tum corporis, tum animæ hic quoque prodeſt, quo reſpexiſſe videtur *Seneca Epiſt.* 15. ad hunc morbum procliuioribus ſenibus conuenire motus faciles, & breues ad famem vſque, ſcribens; motus è contra nimius, quippe nimiùm commouens ſanguinem, vitandus eſt, natatio etiam maximè nocet, de qua vide *hiſt. Curtij* de *Alexandro Magno* l. 3. c. 5. p. m. 28. *Somnus* protrahatur hoc in affectu ſolito diutiùs; *Vigiliæ* enim modum excedentes non minùs hìc nocent, partim humores diſſipandos detinendo, partim detinendos diſſipando, vt loquitur *Hippoc. ſect. 7. apb.* 71. *Animi affectus* ſint moderati, nocet enim maximè ira, quà nulla peſtis humanæ vitæ peior, & cordi periculoſior eſt, cum ſanguineæ maſſæ ſummam inferat vim; mœrores, curas, terrores, & id genus alia ſępiùs, triſtes huius morbi authores fuiſſe, experientiā ſatis teſtatur. Quod *Excreta*, & *Retenta* illi reſpondeant naturæ, vel arti; qui enim ventrem habent naturā humidum, minus pleuritide corripiuntur, & contrà. Alui ergo excrementa mouenda in dies elogio *Coi. Diu. lib. de Aere Aq.* & *Loc.* l. 6. præſente verò pleuritide meliuſ eſt aluum ſuppreſſam quàm laxam habere, cùm ex ſententia Diu. Hip. vt in omnibus alijs inflammationibus. Sic, & in hoc eius generis morbo purgantia nocent. Retentio quoque aliorum

fluxuum solemnium, vt hæmorrhoidum, mensium, lochiorum, fistularum nocua est, plures enim indè ad hunc affectum disponuntur, vt id multis exemplis confirmare possemus, si noctuas vellemus Athenas ferre. Casus ab alto, ponderis nimia gestatio suum quoque addunt ἐπιβάλλον μέρος.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Campum iam *curæ pharmaceuticæ* decurramus, & primò quidem pro curatione pleuritidis antiquitas sequenti methodo vsa est: dum inprimis, ne incrementum sumat morbus, veteres Medici aluum clystere abluunt, eoque reiecto venam incidunt: & quidem in brachio lateris dolentis, basilicam dictam, & sanguinem emittunt vsque ad eius mutationem; cucurbitulas hypochondrijs affigunt atque ligaturis, frictionibus, suppositorijs materiam ad partem affectam ruentem auertere conantur, & si materia viscida, & biliosa grauat corpus, aut si nondum deflua sit in partem affectam, furiosa tamen, dolorque ad inferiorem thoracis partem vergat leni aliquo purgante medicamine (aliàs exulare ea iubent) euacuant. Vacuantia sunt cassia, diaprun. laxatiu. mann. agaricus, rhabarb. alijs pectoralibus maritata, & decocta; demum materiam pleuritidis, vel peripneumoniæ, quæ in pulmones exudat, vel in ipsis iam existit, obedientem reddunt per ea, quæ thoraci familiaria sunt, quæque sputum promouere possunt, syr. iuiubin. liquirit. violar. capill. Veneris, hyssop. sacchar. cand. diapenid. spec. diaireos, diatrag. fr. looch. de pino, looch. san. & expert. decoct. ficuum, hordei, liquirit. amygdal. dulc. &c. Esto formula ex ipsorum Pharmacopolio.

℞. *Elect. diatragac. fr.* ℥ j.
pinidior.
sacchar. cand. ana ℥ ij.
syr. violar.
iuiub. ana ℥ ß. *f. Looch.*

Sequens, & decoctum ad sputum promouendum maximoperè commendant.

℞. *Liquirit. rasi* ℥ j.
passular.
ficuum.
iuiub.
sebest.
prunor. dulc. ana numero xx.
sem. 4. fr. mai.
malu.
bismalu. ana ℥ j.
fl. chamomill.
violar. ana p. j.
bord. integr. p. j. ß.
f. decoct. cum aq. bord.

In hunc finem instituunt etiam exterè fomentationes, nempè cum decocto maluæ althææ, sem. fænugræc. lini, ficuum, quæ omnia vesicæ indita calidè applicentur lateri dolenti; vel loco horum applicant cataplasma ex prædictis speciebus, alijsque pectoralibus paratum, vel vnguentum ex axungijs anatis, anser. taxi gallin. ol. amygd. dulc. lil. albor. commixtum; fomentant simul partem affectam cum decocto hyssopi atque vngunt totum pectus ol. lil. chamomill. pulu. ireos, croc. Iusculum quoque commendant annosi caponis, in quo coctus est hyssopus, & capill. Veneris. Tandem quæ consolidare possunt, hoc in affectu propinant, lac caprinum hoc in casu alijs præferentes. In pleuritide verò spuria tum quæ leniter resoluere possunt imperant.

℞. *Flor. chamomil.*
melilot.
fol. rut.
aneth.
viol.
malu. ana m. j.

Incisa immittantur sacculo, isque lacte incoctus dolenti lateri applicetur, idque multoties repetatur; sacculo quoque vtuntur ex sale, milio, furfure, sem. anis. carui, si materia flatulenta aut ventosa sit. In peripneumonia, præter iam dicta in pleuritide, cùm ferè eandem curam præcipiant, insuper ventosam homoplatis applicare iubent; quod si, ceu supra diximus, meliùs sidus appareat, & morbi vis fracta transeat in empyema, vel tabem, tunc, & aliter curanda est, qua

de

de re videbimus in capite de empyemate. Succedit iam post hæc centuria.

§. 14. *Paracelsi* filiorum, qui varia præscribunt hoc in affectu medicamina, quæ ex interna signatura pleuritidi congruere iactantur, nitrũ nimirũ, tartarum, sulphur, antimonium, ammoniacum, &c. externa verò maxillam seu crucem lucij piscis consolidam regalem, & flores lappæ siccæ. Sequens compositum quoque laudatur:

℞. 3. *salium ana* ℥ j.
tartar. vtriusque ana ʒ. ß
mumiæ elect. ʒ. j
aq. meliß.
cuscut.
bugloss. ana q. s.

Pro incorporat. destillentur per alembic. Dosis à ℈ j. *ad* ʒ. iij.

Centurio etiam huius centuriæ, Paracelsum dico, curauit multos pleuriticos extractione sanguinis ex interiore vena cubiti eiusdem lateris, vbi hęret malum, & post exhibito in potu spir. tartari, pluresque turpetho, seu mercurio diaphoretico, curasse se affirmat. Clysteres atq; purgationes improbat atque contemnit, quà tamen sub lege comprehensa non vult vomitoria, quæ tamen omittenda. Nos censemus, vel leniora exhibenda. Nuper in milite robusto pleuritico tale exhibitum magnam dedit stragem, dum ipse magnam sanguinis copiam reiecit, & nisi cardiacis opiatis occursum esset, haud dubiè animam afflasset vt ergo cautione hic opus sit.

§. 15. *Helmontium* accedimus qui hoc in morbo culpat acidum, & probat per id, quia in pleuritide lotium, & cruor vena sectà elicitus grumescant etiam exeundo, quæ grumescentia est acoris affectus; latex autem acescens in intercostales carnes incidens facit dolorem pleuriticum, in quo absumendo spernit venæsectionem, & hic tanquam maledictum remedium reiicit, quia per phlebotomiam curata pleuritis sæpiùs tabem post sese relinquit; balsamus enim vitæ ac naturæ venæsectione reiicitur; spina i. e. acidum, si tantùm euellatur, tum statim dolor, sputum cruentum atque febris cessat; & si quid iuuat illa sectio venæ, saltem facit ne affluens cruor acescat, inde experientiâ ipse edoctus est, eos qui venæsectionem admisere, sæpiùs in hunc morbum prolapsos esse. Spina verò pleuritidis, aciditas scil. iam in laticem deposita facilè curatur remediis diaphoreticis, & cum ob idem acidum damnum aliquod in lienem redundare dicat, & id experiẽtiâ confirmet, dum memorat se post curatã pleuritidem dolorem & tumorẽ lienis sensisse, quem coctis in vino oculis cancrinis epotoque curauit, inde & antacida conuenire nullus dubitat; ante tamen ipse assumpsit cerui genitale, & bibit drachmam cruoris hircini, vnde statim cessauit sputum cruoris, & affectus remisit. Remedia ergo in hoc morbo vniuersalia, quæ spinam euellunt, h. e. acidum corrigũt sunt *Helmontio* sequentia, quæ, vt ille iactat, neminem hoc in morbo derelinquent; puluis nempè de virga cerui, vel tauri, succus cichorij syluestris expressus, fl. papau. rhœad. stercus caballinum, dens apri, herba bellis; cruorem verò hirci reliquis præfert, ita tamen collectum, vt hircum suspendat cruribus, alligatisque pedibus postremis ad cornua, & tunc abscctis testibus cruorem illum colligat. Sunto formulæ:

℞. *Sang. hirc. more Helmont. collect.* ℥ j.
pulu. de virga cerui ℥ j.
aq. fl. papau. rhœad. ʒ j f.
M. f. hauſt. pro vna vic.

Vel ℣. *Fl papau. rhœad.*
bellid.
herb. chichor. syluestr. ana m. j.
ocul. cancr.
dent. apri, ana ʒ ß
simi equini ʒ. j. ß
Coq. in s. q. aq bord. colat. adde
syr. papau. rhœad q. s. M.

De quo decocto capiat æger subiendæ hauſtulum. Porrigit quoque author drachmam fl. papau. rhœad. in iusculo repetendo aliquoties.

§. 16. Sequitur *Willisius*, qui sanguinis in-

pulmonibus ſtagnationem citiſſimè auferendam eſſe cenſet, in quem finem, quicquid alij in contrarium moliantur, venæſectionem velut remedium præcipuum extollit æquè in pleuritide, ac Peripneumonia, propter ſanguinis vbicumque exiſtentis remoram, additque hanc rationem, quòd vaſa ſanguifera ſic multum inanita non tantùm morbi fomitem reſcindunt, ſed, & materiam peccantem reſorbeant, & aliorſum deferant, vires tamen vbiuis reſpiciendas eſſe præcipit, nec vllam admittit venarum electionem, ſiue in latere dolente, ſiue oppoſito aperiatur illa. Si verò vires venæſectionem haud ferre poſſunt, loco huius ipſe cucurbitulas ſcarificatas loco dolent; applicandas ſuadet. Catharctica fortiora, & vomitoria ſtibiata contemnit. E contra enematum, & mitiorum laxantium vſum modò febris non admodum intenſa ſit, maximoperè commendat. In æſtu quoque ſanguinis iulapia, & decocta varia præſcribit. Ad ſanguinis quoque lentorem, & acidum deſtruendũ magnipendit *præcipitantia*, vt ſunt ocul. cancri, dens apri, lapis carpionis, os de cord. cerui, priapus ceru. puluis ſang. hirci, lapid. prunell. ſal vrinæ, aut C. C. volat. ſpir. ſal. armon. tartari. mixt. ſimpl. & id genus alia. Sint formulæ nonnullæ ex Authoris ſcrinio:

℞. *Aq fl. papau. rhœad.* ℥iij.
fœnicul. ℥j. ß
lapid. prunell.
ocul. cancr. ana ℥. ß
ſpir. ſal. armon. volat. ℈j.
ſyr. papau. rœad. ℥j.
f. Mixtura.

Ad ſanguinis lentorem, & aciditatem deſtruendam.

℞. *Aq. card. bened.*
cichor. ana lib. ß. ℥
ſtercor. equin. recent. ℥ij.
liquor filtretur, adde
ſyr. papau. rœad. ℥j.
ſpir. ſal. armon. volat. ℥ß.
M. detur ad cochlearia v.

Porrò alia remedia cardiaca, & anodyna, quæ ſpiritus animales blandè refocillant, & ſanguinis plus debito efflagrantis accenſionem prohibent, quoque commendat, quibus intentionibus ipſi ſatisfacit aq. perlar. Officinarum, & cum dolor valdè acutus eſt, & vigiliæ plurimum vrgent ad opiata, & diacodiata confugere haud dubitat, in quem finem ſequentem præſcribit formulam:

℞. *Aq. perlar. officinal.*
papau. rhœad. ana ℥ iij.
laudan. tartariſat. gutt. xx.
ſpir. ſang. hirci ℈ß.
ſyr. viol. ℥vj. *M. pro duabus vicib.*

Externè quoque anodyna, mitigantia, in forma linimenti cataplaſmatis, & emplaſtri adhibenda præſcribit, vt ſunt vng. de althæa, oleum amygdal. dulc. Empl. de mucilaginib. & opio, ol. papau. alth. expr. hyoſcyam. &c.

§. 17. *Syluiana* ex hypotheſi curationem huius morbi quod attinet, conſiſtit illa (1.) in obſtructionis ſolutione, (2.) in motus ſanguinis reſtitutione, (3.) in ſanguinis effuſi, & aliquomodo corrupti correctione, (4.) in maturatione facienda (5.) in ſanguinis maturati apertione, (6.) in apoſtematis aperti mundificatione, (7.) in eiuſdem conſolidatione. Obſtructionem vaſorum tollentia, quia ſimul motum ſanguinis ſtagnantis accelerant, ſunt præ alijs ſalia volatilia, quatenus humorem pituitoſum attenuant, vt deſinat facere obſtructionem, & acrimoniam ſanguinis corrigunt, vt ſunt ſal. volat. C. C. fulig. cuius loco nobis eſt ſal. volat. sãg. hirci, quæ ſalia non tantùm vim habent coagulata diſſoluendi, fluida reddendi, ſudorem mouendi, & ſic materiam peccantem expellendi, ſed & ipſum ſanguinem in pleuram effuſum, & ſpiritu ſuo liberatum, adeoque acidum factum corrigendi, cuius acidi vis cùm eſt fracta, non modò coagulatio impeditur, ſed & dolor ceſſat; ad acidum ergo hoc mortificandum ſequentem laudat mixturam.

℞. *Aq. petroſel.*
byſſop. ℥
fœnicul. ana ℥j.

theriacal.ſ.ʒ.ß.
ſpir.ſal.armon.ʒ.ß. vel
ſal.volat.CC.gr.vj.
laud.opiat.gr.iv
ſyr.papau.rbæad.ʒ.j.M.

Huius mixturæ cochleare vnum, aut alterum ſubinde aſſumat æger, vt ea ratione obſtructio ſoluatur, quo remedio Nos à Syluio in Noſocomio Lugdunenſi plures pleuriticos curatos vidimus abſque veneſectione. Quod ſi autem obſtructio iam altas egerit radices, tunc etiam difficilis eſt, iuxta illum, curatu; ſed ſummum remedium Helmontij commendat, prout ſæpiùs ex illius ore hauſimus, oculos cancri in vino coctos, & bibitos, vel

℞. *Ocul. cancr.*
mand.lucii.
oß.de cord.ceru.ana ʒ.ß.
antimon.diaphoret.ʒ.j.
M.f.puluis.

Quod remedium eſt palmarium ad acidum illud ſylueſtre abſorbendum; grumus enim per acidum coagulatus id genus remedijs reſolui, debet. Inter externa ipſe commendat varia vnguenta, ex axung. oleis lenientibus parata; fotus ex plantis tum aromaticis, tum emollientibus confectos, & pro re nata per ſaculos alternatos applicandos vel lacti, vel vino incoquendos; horum enim vires per cutis poros penetrare poſſe, & ſic obſtructionem tollere contendit. Sanguinis quoque motus reſtituitur, partim ſudoriferis, inprimis modò laudatis ſalibus volatilibus, partim venæſectione à principio morbi, & quidem pro ægrorum natura peculiari, & viribus per iteratas vices inſtituatur, in omni enim ſanguinis eductione is mouetur. Tandem ſi materia tendat ad ſuppurationem (quæ tamen omnibus viribus impediendа eſt) ab eaque in abſceſſum, tunc maturantia, & emollientia, mundificantia, & conſolidantia vſurpanda vult, in quem finem Balſamum ſulphuris aniſatum, vel therebinthin.ad gutt.v. magnipendit, is enim non duntaxat vlcus mundificat, & conſoldati, ſed etiam oleoſitate, & ſale volatili ſuo expellit, & eneruat acidum acre, quod ſpinæ cauſa exiſtit.

§. 18. *Carteſiani* cum cauſam morbi in particulis acutis inſtar cultri ſcindentibus, pleuram diuellentibus, & lacerantibus quærunt, ad haſce euacuandas, & ſimul œſtrum ſanguinis, ab his particulis excitatum, compeſcendum ſuadêt veneæſectionem. Cęterum ad has particulas obtundendas conducere aiunt oculos cancr.mand.luc. piſc. & oſſa, aliaq; teſtacea, quæ partim acidum imbibunt, partim ponderoſitate, quâ gaudent, ſanguinis grumos diſſoluunt, & aciem obtũdunt, ac hebetant, in quem finem, & conducunt opiata parcâ manu exhibita, inter quæ excellit Theriaca noſtra cœleſt. Greiffiana, quæ ſalibus volatilioribus exaltata, & maritata plus efficiet quam alia decantata electuaria opiata; varia etiam externa ex oleis emollientibus, & axungijs parata linimenta, vnguenta cataplaſmata, atque emplaſtra haud vilipendent.

§. 19. Relictis iam aliorum remedijs Nos ad noſtra ſcrinia rectà tendimus pharmaceutica, atque ita pleuritidem ab acido coagulante ortam, & à ſanguinis impedito motu inductam ſtatim curamus veneæſectione, ab initio inſtituto, hac tamen cautione adhibitâ, vt ſi maligni quid nobis ſuboleat, eam omittamus. Conſer. *Obſerv.* 51. *Anni* I. *Ephem. German.* Vicarias tamen phlebotomiæ vices hic ſubire poſſunt cucurbitulæ ſcarificatæ, ac hirudines varijs in locis applicandæ, quæ eò crebriùs repeti, & eò maiori numero applicari poſſunt, quò minori, ſaltem non adeo ſubitaneo, virium cum diſpendio res agenda eſt, ſiue ſolum adhibeantur, ſiue accedente locorum vulneratorum frictione cum ſale, & aceto, ad præſcriptum nempè *Zacuti Luſitani lib.* 3. *prax. Med. obſerv.* 112. reliquum totum opus conſiſtit in reſolutione ſanguinis grumeſcentis coagulati ab acido inepto, ſicque in placando noſtro Cardimeleche; ſanguis enim, qui ex proximis receptaculis effuſus facili Marte corrumpitur, & ad putredinem, indeque acorem præter

ter naturalem contrahit, ſicque ſpiſſeſcit, & coagulatus grumeſcit, & non poteſt ita permanere ſi æger ſit curandus, quod ipſum eo, quo dicimus, reſolutionis modo fit, ob ſubitaneam enim coagulationem ſanguinis Rex noſter Cardimelech offenditur, qui & pacandus placanduſque venit, vnde videmus illos, qui ab exercitio vehementi ſubitò frigidum ingurgitant potum, vel inclementiori aeri corpus calidum exponant, facilè in hunc morbum incidere, ceu hoc obſeruauimus, dum hæc ſcribimus, in virgine, quæ teneræ texturæ ab vnico hauſto cereuiſiæ in hunc prolapſa eſt morbum periculoſiſſimum, & grauiſſimum. Medicamenta erga omnia, quæ Cardimelechem reſpicientia acidum coagulans deſtruunt, & concretum ſanguinem ab acido reſoluunt, & hunc morbum curant, ſunt illa præcipua, quæ alcali conſtant, tam fixo, quàm volatili; volatilia enim non tantùm acidum ſubitò abſorbent, ſed & ſunt alexi-pharmaca, & diaphoretica, vt ſunt ſpir. ſal. armon. vrinoſ. volat. ex Tartaro paratus, Tinctura bezoart. cum eſſentia anodyna VVedeli commixta, parciùs autem ſub initio, ſuccendente verò tempore, preſertim circa declinationem magis eadem maritentur ſpecificis fixioribus, nempè cum antimonio diaphoretico, denti apri, C. C. phil. præpar. lapid. cancri, mandib. lucii piſc. quę & exulante nimià ſanguinis efferueſcentia magis quàm volatilia conducunt. In hunc finem magnifacimus pulu. antipleurit. *Ludouici* ex oſſ. cap. lucii pulu. p. 2. ſang. hirc. ſulph. citr. ana p. j. M. f. pulu. bis, vel ter per diem in aqua papau. rhæad. exhibendus. Sin pleuritis ferocior ſimulque maligna fuerit, ſequentem Tincturam noſtram *antiepleuriticam bezoarticam* inſigniter commendamus, quam & nuper in epidemica illa pleuritide multis experimentis nobilitauimus.

℞. *Pulu. ſal. volat. & fix. viper. ana* ʒ ß.
lapid. porc. ʒ ij.
cort. rad. cinamom.
ſl. papau. rhæad. ana ʒ iij.
rad. enul.
ligni colobrin. aga ʒ ß.
cruor. hircin. ʒ iij.
caſtorei ʒ j.
ſpir. vin. camphorat. & lapid. cancr. impregnat. ʒ viij.

Digerantur, dein l. a. ter. ſeparentur dein fl. papau. rhæad. ad rubedinem tingatur. In defectu huius, vel Tinct. bezoart. famoſiſſima B. Michael. vel ſimplex ſubſtituti, poteſt, ſemper tamen expectorantia interponenda ſunt, vel ijſdem maritanda. Ex. gr.

℞. *Aq. card. bened.*
looch. ſang.
papau. rhæad. ana ℥ j. ß.
Tinct. bezoard. vel noſtr. vel Michael vel ſimplic. ℈ j.
ſal. volat. ſang. hirc. gr. vij.
laud. opiat. gr. j.
ſyr. papau. errat. ʒ vj.

M. f. Mixtura ſingulis ſtv. horis repetendo, præſertim, ceu dictum, vbi concurrit malignitas, interea bibat patiens decoctum priapi cerui. Inter ea quoq; quæ demulcent acidum id reſolutum pulmones, vel pleuram inflammans, magnarum ſunt virium emollientia ſequentia:

℞. *Ol. lini* ʒ j. ß.
ſpec. diair. ʒ j.
M. pro vna vice.

Vel illud Heluetii Friburgenſis Nobilis remedium à Domino *Iuncken*, in Tr. ſuo eleganti communicatum:

℞. *Aq. card. bened.*
Mariæ ana ℥ iij.
ol. olivar. cochlear. j.
nucleor. meſpil. pulu. N. 9.
Miſc. f. potus pro vna vice.

Vel ℞. *Aq. looch. ſan.*
lil. alb.
papau. rhæad. ana ℥ j.
extr. papau. err. ʒ ß.
croc. gr. iv.
ſacchar. cand. q. ſ. M.

Vel ℞. *Spermat. cet.* ʒ j.
ſyr. violar.
dialthæ. ana ℥ j. *f. Linctus.*

Quando pleuritis ad suppurationem pervenit, tunc sequens conducet :

℞. *Syr. nicotian. legit. parat.* ℥ ij.
aq. scabios.
veronic. è succ.
heder. terr. ana ℥ j.
M. pro aliquot vicibus.

Tandem inuertentibus cancrinis, atque corallinis alijsque alcalibus fixis opiatorum grege sociatis, quandoque & absque ijs curam concludimus. Formulas quasdam coronidis loco in Tyronum gratiam annectamus, quibus per Dei gratiam plures felicissimè restituimus.

℞. *Pulu. dent. apr.*
ocul. cancr.
sang. birc.
crystall. mineral.
fl. papau. err. ana ℈ ß.
M. pro 2bus dosibus.

Vel vbi seri sufficiens adest cop. seq.

℞. *Ocul. cancr.*
mandib. lucii pisc. ana ℈ j.
zinab. natiu. gr. vj.
laudan. opiat. gr. j.
corall. rubr. gr. vj. M. *f. pulu. pro vna vice aliquoties exhibendus.*

Cum puluere quoque interst itij interioris nucis iuglandis exsiccati ad ℥ j. in aq. papau. rhæad. ter exhibito plures curauimus pleuriticos, præmissâ tamen venæsectione, vt & portatiles illæ domunculæ cochlearum pulueriſatæ se nobis approbarunt.

Vel ℞. *Ocul. cancr.*
sang. birc. ana ℈ j.
sulphur. citr.
antimon. diaphoret.
rad. bardan. pulu. ana gr. xij.
M. *f. pulu. pro vnica dosi, in aq. papau. rhæad. exhibendus.*

Quod si hoc in affectu sanguis à seri defectu nimium exæstuet, indeque sitis oriatur; sequens, vel similis proderit Emulsio, ad serum copiosius sanguinis submini strandum.

℞. *Sem. melon.*
card. Mar. ana ℥ ij.
amygdal. dulc. ℥ ß.
aq. papau. rhæad.
bardan.
scorzoner. ana q. s.
adde mand. lucii pisc.
C. C. phil.
antimon. diaphor. ana ℈ ß.
Sacchar. cand. parùm M. f. Emulsic.

Detur sæpiùs Tinctura papau. err. ad L. guttas. cùm spir. antipleuritico permixta. In siticulosis, si vomitus, vel diarrhæa absunt, vti solemus, vel clysso minerali, vel spir. salis, vel spir. nitri in decocto appropriato. In *pituitosa* pleuritide spir. salis armoniaci anisatum optimo cum successu sæpiùs exhibuimus. Quod si verò acidum coagulans admodum peccet ex scorbutica dispositione, illud à D. *Cardilucio* publici iuris factum remedium antipleuriticum, *succum* sc. *nasturtij aquatic.* recenter expressum, & cũ vino commixtum, exhibere poteris. Si verò sulphureæ particulæ coagulatæ nimis implicitæ sint crasso atque tenaci muco, tunc is incidendus est per oxymel scyllit. vel simplex. Vbi verò cruor in pus abierit, & vel vlcus factum subsit sordidum, & in magna copia materia purulenta eijcitur, tunc bono cum successu exhibebis, vel balsamum sulphuris anisat. vel eundem therebinth. vel Peruuianum. In casu vbi maximè vrget dolor dimicantibus acidis, & alkalinis particulis oriundus, vnde fibræ ob id partium vellicatarum spasmo, crisparæ, & contractæ dolorem hunc inferunt, ad opiata, & anodyna confugiendum, vbi sępissimè cum magno fructu exhibuimus essentiam anodynam *VVedelij*; opiata enim non tantum acidum, & acrimoniam infringunt, & Cardimelechem furiosum inde factum placant, sed & sudorem proliciunt vnde sæpiùs his aduocatis meliùs habuisse se ægros percipimus. Purgantia autem nonnisi in fine morbi exhibenda etiam vomitoria, quæ sæpè damnum ingens intulisse nouimus, vnde ipsa damnamus. Porrò externa quoque topica approbamus, vtpotè varia vnguenta, olea cataplasmata, fotus, &c. Sunto formulæ;

℞. *Vng. antipleuritic. Mynſ.*

dialt.

dialt. comp. ana ℥ j.
croc. Martis ℈ j. *M.*
Vel ℞. *Ol. cucurbitar. oblongar.* ℥ j.
scorpion. ℥ ß.
chamomill.
lil. alb. ana ℥ ij.
croc. ℈ j. M.
Vel ℞. *Pingued. muris montan.* ℥ iij.
ol. amygd. dulc.
lilior. alb.
chamomill.
verbasc.
papau. expr. ana ℥ j. ß.
hyoscyam. ℈ j
still. aueth.
chamom. ana gutt. vj. M.
Vel ℞. *Rad. alth.* ℥ j.
lil. alb. ℥ ß.
herb. maluæ.
bismaluæ,
parietar. ana m. ß.
fl. verbasc.
melilot.
violar.
chamomil. ana p. ij.
sem. lini.
fœnugræc. ana ℥ j.

Pulu. subtil. & coquantur in lacte pro catapla smate, vel indantur species sacculo, coquantur, applicentur, egregiè enim conuenit.

Alii cepas N. X. cum lacte ad pultis consistentiam coquunt, & lateri dolenti applicant. *Digby* commendat panem recentem clibano extractum, per medium dissectum, & immixtum theriaca Andromachi, calidèque applicandum parti dolenti. Fotu sequenti plures mitigauimus pleuritides:

℞. *Milii m.* ij.
fl. chamomil.
melilot. ana m. ß.
sem. lini ℥ j. ß.
sal. crud. ℥ ij.

Commisceantur in sartagine, & sacculo insuantur pro externa applicatione.

Hisce omnibus nihil proficientibus, quid vetat cum Excell. *Ettmullero* confugere ad *infusionem*; possunt injci ex mente Nobiliss. prælaudati viri liquores volatiles salini v. gr. spir. C. C. sang. human. sang. hirc. fulig. aq. ceresol. vel nostro iudicio ipse sanguis hirci maritatus, quam primà occasione in desperato aliàs pleuritico, DEO volente, tentaturi sumus.

LIBRI II.

De Morbis Pectoris,

CAPVT IV.

DE PHTHISI.

§. 1. NVnc sese offert Phthisis, triste intuentibus spectaculum, viuum nempè repræsentant *Sceleton*, iuxta versiculum.

Ossa tegit macies nec iuuat ora cibus.

SYNONIMA.

Dicitur hic affectus phthisis, phthoe, consumptio, contabescentia pulmonalis, corporis extenuatio, totius corporis consumptio, macies, pulmonum vlcus, exulceratio, & describitur vulgò.

DEFINITIO.

Quod sit totius corporis consumptio cum febre lenta, ac tussi purulenta, à particulis acribus, tuberculis aut lapillis pulmonum substantiam spongiosam exulcerantibus, & corrodentibus, orta. Omnes enim in hoc affectu contabescunt, & absumuntur, & se prodit ab initio per tussiculam absque expuitione continuà.

VARIÆ SPECIES.

Sunt tamen adhuc aliæ tabis species, vt phthisis spuria, cùm pars, vel corpus emaciatur sine vlcere pulmonum, vbi tantùm sanguis arcis existit, & vulgò cordi, ventriculo, epati, & lieni malè affectis adscribuntur. Vermiculi quoque atrophiales, prout vulgò nominatur, infantes valdè extenuant, pluresque aliæ sunt sortes contabescentiarum, quas breuitatis causa nunc haud libet recensere, quarum tamen fiet suo loco commemoratio.

PARS AFFECTA

§. 2. De parte affecta phthiseos authores dissentiunt, *Sylvius* glandulas pulmo-

num accusat; *Barbette* ventriculum, & glandulas culpat mesenterij; sed hic affici pulmones, in confirmata nempè phthisi, nemo est qui inficias it, quod & nos confirmare possumus, qui in plusquam octodecim cadaueribus à nobis apertis pulmonum vlcus offendimus, vnico excepto, qui in membrana illa costas succingente etiã vlcus habuit. Confer *Boneti Anat. pract.* Primariò ergo affici sanguinis ventilabrum, pulmones, secundariò sanguinem, & cor, vt ex febre, & totius corporis contabescentia apparet persuasi sumus, quod & inde manifestum redditur, si ad symptomata, respirationem nempè difficilem, tussim admodum molestam, & excreationem phlegmatum purulentorum attendamus; pulmo enim est corpus ex meris vesiculis conflatum indeque aptum ad eiusmodi vlcera recipienda.

DIAGNOSIS.

§. 3. Ab initio affectus hic difficulter cognoscitur, quæ tamen signa imminentis nempè phthiseos sint obseruanda eleganter attingit *Hippoc. lib. 1. de morb. p. m.* 450. sic inquiens: *Atque ex his quidem causis pus in pulmone colligitur, si pulmonum inflammatione detentus in diebus indicatorijs non purgetur, sed sputum, & pituita in pulmone remaneat suppuratus fit, qui si confestim curetur, plerumque euadit, sin verò neglectus fuerit ab eo quod inhæret putrescente tunc corrumpitur, tunc vlceratur, & pus colligit, neque amplius vltrò ad se effatu memorabile alimentum attrahit, neque ab eo quicquid per superiora repurgatur, sed suffocatur, & semper maiore difficultate spirandi premitur, & inter respirandum flertit, indeque superiore pectore respirat, tandem verò obturatis à sputo meatibus perit.* Signa verò, quæ futuram phthisin denuntiant, diligentissimè sunt animadvertenda, vt si fieri potest, tam pernitiosus morbus præcauetur, & iuxta Hippocratem incipientis phthiseos sunt defluxio lenta, tussis tenuis, sputum solito amarius, & acrius, atque calor tenuis, his addi potest dispositio tabida, quam quoque describit plenius *Hippocrates l. 1. E. c. 1.* nempè si angustum adest pectus, restrictus thorax, scapulæ prominentes, & collum oblongum. Dispositio quoque hæreditaria non leue huius imminentis mali signum præbet, Ex. gr. si parentes phthisi extincti fuerint, ex calculo enim calculosus, ex podagrico podagricus, ex epileptico epilepticus vt plurimum gignitur, quidni ex phthisico phthisicus, semen namque à sanis sanum, à morbidis morbosum decidit; qualis etiã dispositio in liberos transfertur per ideas morbosas, vel per fermentum exoticum, quod cum tempore matureſcit, & defectus hæreditarios explicat, prout multis exemplis confirmare possum, quòd liberi non minus morborum quàm bonorum parentum fuerint hæredes. Inde rectè *Plinius lib. 1. cap. 12. de Corellio Rufo tertio* inquit, *& triceſimo anno, vel ipsum prædicantem audiebam, pedum dolore correptus est, patrius hic illi, namque plerumque morbi quoque per successiones quasdam vt alia traduntur.* Quæ res adeò multos deterret, vt curiosi in contrahendo coniugio ab eiusmodi personis abhorreant; si verò sputum sanguinis præcesserit, & sputatio adsit, si rebellis, & molestissima tussis vexet, difficilem habet æger respirationem cum excreatione sputi subuiridis, flaui, cinerei, purulenti, & subnigro colore tincti, in ignem quoq; effusum sputum fœtorem emittat vel in aqua fundum petat, ob cohærentiam, & grauitatem. Aliquando per totum huius morbi decursum nihil sanguinei in phlegmatibus conspicitur. Hæc omnia tristia exhibent phthiseos signa, maximè si febris duabus circiter horis ab assumpto cibo exasperetur. Idem mali imminet quando videmus calculos albos instar calcis reiectos, quod & docent Annales nostri. Optimum, & notatu dignissimum signum est, quòd hæc signa non sint omni exceptione maiora. Signa vel illa confirmatæ phthiseos sunt emaciatio corporis notabilis, sanguis enim phthisicorum acris nutrit nonnutrit, sed potius

cor-

corrodit, tussis frequentior, expectoratio nunc facilis, nunc difficilis, eaque sæpè cruenta, purulenta, sanioſa, fœtida, & varii coloris est, dolor circa scapulas, & pectus obtusus, inflatio ventriculi, appetitus mox, prostratus, mox deprauatus, mox caninus, sitis interdum intensa, & vrget aliquando tumor pedum, ob humores in pedum tubulis restagnantes, & vasa lymphatica tandem rumpentes, aluus nunc tardior, nunc promptior redditur, sudores copiosi, & acidum spirantes, præsertim nocturno tempore ægros amaciant, ad mentem enim Anglorum succus nutritius non assimilari potest, quamuis ad partes nutriendas deferatur, sed propter poros destructos elabitur, & per ambitum corporis effluit, hinc sudores illi colliquatiui in hecticis. Adsunt quoque in hoc casu Leipothymiæ frequentes, deliria, motus animalis segnior, pulsus frequentior, & debilior, febris lenta aliquot horis, vt diximus, à pastu cum leui faciei rubore, pulsu celeriore, & calore circa vesperam intensiore sese prodens, sanguis enim in phthisi contrahit acrimoniam, quia continuò permeat pulmones purulentos, nouus enim accedens chylus in corde cum sanguine illo peruerso, misceri nequit, quamuis chylus in ventriculo, & intestinis ritè fuerit elaboratus, vnde inæqualis oritur mixtio, & nouica pugna, propter partium scilicet irregularem mixturam, & figuram, vndè etiam non potest, non fieri, quin febris post pastum augeatur. Præter hæc crura aliquando sunt tumida, & dolorifica ob metastasin materiæ purulentæ, in aluinis excrementis, & vrinæ aliquando apparent purulentæ; pinguesque, seu oleosæ excretiones In consummata tabe alui fluxus adest, pori sunt obructi, inde humiditas quæuis effluit; defluuium capillorum in hoc casu quoque accidit, quia pori cutis ab humoribus acribus inuertuntur, & radices capillorum destruuntur; pediculi quoque in nonnullis copiosè generantur, vngues aduncì fiunt, ægri facie apparent Hippocratica, nares nempè ipsis sunt acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, auriculæ frigidæ, & contractæ, cutis circa frontem, & volam manuum dura, & acida, color faciei pallidus, liuidus, niger, &c. Hęc quę diximus signa non in singulis obseruare licet, in alijs enim plura, in alijs pauciora apparent. Pathognomonicũ phthiseos signum constituunt tussis frequens, respiratio difficilis, emaciatio corporis, febris lenta, & excretio purulenta, sine qua tamen vltima plures phthisicos mortuos esse testantur Medicorum obseruationes nobiles. Quod verò Medici nonnulli veram phthisin ex sputi purulenti in aquam tepidam proiecti subsidentia cognoscere, & eius fœtore carbonibus iniecto morbi præsentiam agnoscere volunt, maximè falluntur, cum viscida quoque pituita moram nectens, prout sæpè in spleneticis, & scorbuticis obseruaui fœtorem exhalare, & ob grauitatem fundum petere potest. Vrinis aliquando innatat pinguedo, hinc etiam febris dicitur colliquatiua; pinguedo in vrina oritur, quia acrimonia puris multas particulas pingues, & oleaginosas cum alijs particulis solidarum partium abradit, quæ particulæ oleaginosæ cum vrina excernuntur, ob earum leuitatem vrinis permisceri non possunt, quare superficiei innotant. Cùm superficies ægrorum manu tangitur, calor acer percipitur, qui oritur à sale volatili copioso per poros corporis exhalante.

CAVSÆ.

§. 4. Causarum in amplum nunc descendimus campum, & iuxta nostram methodum, variorum authorum flores colligimus in fasciculum. Ad mentem ergo veterum *Galenicorum*, causa proxima, & immediata est *Vlcus*, cuius causa præcedens est humor acer, & rodens, qui à cerebro, vt catharrus, in pulmones delabitur, & dein illos exulcerat. Humorem illum pituitam dicunt acrem, vel salsam, quæ efficit catharrum serinum, ibidemque pulmones, naturæ præter modum molles, tenellos, ac corruptioni valde deditos, corroden-

tem, denique tandem vlcus putridum producentem. Fit ergò secundùm hos phthisis à catharro, vel ab aura frigidore, vel ab immodica ingurgitatione vini meracioris, item frigidissimi potus, inprimis prægressa incalescentia, largiter assumpti, orto; omnis enim humor, & vapor acris qui modò substantiam pulmonũ tenerem, vel velamina eorum corrodere, & vulnerare potest, hunc affectum faciliter producunt. Apostema quoque vuluæ, quando rumpitur, & inde materia purulenta descendit ad pulmones, & diutiùs in his stagnans acrimoniam acquirit, pulmones corrodere, vlcusque excitare necesse est. Sic etiam quando pleuritis, vel peripneumonia terminatur per saniationem, & sanies, vt in præcedenti capite monuimus, non purgetur intra XI. dies à die rupturæ, tunc quoque excitatur hic affectus tristis. Tussis verò assidua chronica suo motu forti rumpere potest membranas pulmonum, motus enim nimius nocet, inde probant, quòd in cantatoribus, ac concionatoribus, & attollentibus res ponderosas, eiusmodi affectus accidant, & vomitu, vel partu laborioso ob motum nimium, & sequutam ruptionem venarum vel arteriarum, hunc morbum aliquando ortum suum habere, Veteres haud inficias eunt.

§. 5. Quibus præmissis ex antiquo Medicinæ oraculo, recentiorum Hermeticorum nunc non plane contemnendam de hoc affectu opinionem delibare allubescit, quæ haud longè discrepare videtur à priori sententia, consistitque in eo, quòd vlcus sit, & morbus iure prædominij salinus; omnis enim erosio est à solo sale, quamdiu verò sal hic balsamicus viscosa sulphuris dulcedine, & nectarea Mercurij irrigatione contemperatus proportionales confœderationis leges seruat, tam diu talis vnitas, & vigor conseruatur; quando verò efferuescens, & turgescens à reliquis diuortium facit, & seorsim sibi pedem figere nititur, tunc bellum inducit, nec vagabundus quiescit, donec aptum locum in pulmonibus nactus, eum mechanicis validioribus tincturis subiugatis inito coniugio conspiret, & radices fixas agat. Si ergò spiritus mechanici vel ortu, vel morbo infirmiores impuritates mucilaginosas profundiùs alimentis adhærescentes separare, & sal superfluum resolutum per sudores, vrinas, & insensibilem transpirationem expellere nequeant, tunc oritur hic affectus: *Sal enim rei cum sale naturæ* coadunatum tartarum gignit, ex quo generato sequitur obstructio, balsamusque alteratur; vnde transitus alimento, & spiritui vitæ libera ventilatio intercluditur, ex quo sequitur inflammatio, & quia sal denuo resoluitur, putrefactio, ex putrescentia, quia salia corrosiua ruptis compedibus in actũ producuntur, erosio, & exulceratio ergo tota eò recidit, vt chymici tartarum in pulmonibus, vel salsum, vel aliàs vitiosum pulmonum vesiculas exedentem accusent.

§. 6. *Helmontius in singulari eoque peregrino fermento causam huius affectus quærit, cuius ratione error vegetatricis facultatis contingit*, vt ex bono alimento phlegmata, atque oppilantes mucilagines fiant, quoniam *Archèus* impeditur sæpissimè, vt sanguinem acrem corrigat, & quod faciunt aeris iniuriæ, quæ teneram pulmonum substantiam inuadere, fermentum corrumpere, & alienare, atque *Archèum pulmonarium* ad dispositionem tabis facilitare possunt. Cruor enim acrimoniam suscipiens, ineptus pro partium nutritione, ad vasa pulmonum accurrens apertione vasorum producit, vnde sputum sanguinis oritur, quem sæpissimè excipit puris sputum, vnde tabes; Archèus enim ex affluxu illo putrido, acri atque vitioso cruore furore percitus ipsũ profundit; qui cruor faciliùs vitiari potest, à cibis salsis, acribus, fumatis, &c. Negat verò prælaudatus vir constantissimè sputũ pulmonum à capite prouenire, vel aliquid à cerebro in pulmones labi posse contendit, sed id fieri potiùs proprio pulmonum vitio.

§. 7. *Willisius* (qui hunc morbum meritò

ritò inter morbos pectoris recenſet, quia & reliqui thoracis affectus in eum tranſeunt,) *cauſam* huius affectus latere in pectore,& à ſoluta pulmonũ vnitate, indeq; exorto vlcere procedere ſtatuit, quare *Ipſe* ad diſtinctionem *Atrophiæ*, inprimis è ſanguine corrupto, & ſummè inquinato, indeque vim ſuam nutritiuam amittente, ortæ,noſtrum affectum *Atrophiam pulmonalem* dicit. *Pulmonare* verò vlcus iuxta Noſtrum, ab humore copioſiore è maſſa ſanguinea in pulmones depoſito veſiculas tracheales, & pulmonares ſubeunte, implente,& nonnihil diſtendente oboritur, diſruptis enim veſiculis fit euaſatio iſtius humoris peccantis, & putreſcentis, vnde dein producitur vlcus illud ſordidum, quandoque, & pulmones labem illa tabificam à *ſanguine acetoſo*, incompage ſua ſoluto, ſeroſitatesque ſuas ex arterijs, tum pneumonicis, in pulmonum ſubſtantia ſuffundente, concipere contendit, nonnunquam, & à ſucco *nerueo vitioſo*, aliquando etiam ab obſtructione ductuum lymphaticorum, & ſollennium euacuationum ſupreſſione facili Marte phthiſin exoriri poſſe,multis expe. rimentis, & rationibus conuincit.

§. 8. *Syluius* acriùs accuſat ſerum acrimoniâ ſuâ muriaticâ ſalsâ, non tantùm ad ſæpiùs tuſſiendum vellicans, & pulmones fatigans, ſed & tandem abradens aſperæ arteriæ tunicam, quâ abrasâ, ſequitur illud vlcus pulmonum, aſſerens quoque, ſæpiùs ab initio ſuccum pancreaticum malè bili mixtum eſſe, vnde chylum craſſiorem indebitè translocari per glandulas meſenterii contingit, ità ſcil. craſſior ipſius portio in glandulis lacteis hæreat intranſcolata, ibiq; infarcta induretur,ſeroſior autem eius pars tantùm per ductum thoracicum verſus cor transferatur, veſiculas enim pulmonum ex lege circulari ſanguinis repleri poſſe lympha ſeroſiori contendit, inferens facilè ſolutionem continui, & dein vlcus excitari poſſe.

§. 9. *Carteſiani* ex affluxu particularum acutarum, ſiue acrium pulmones exedentium, & erodentium phthiſin oriri, firmis rationibus inducti, ſtatuunt, ſiue hæ particulæ vitioſæ ex arterijs, vel vaſis lymphaticis inſtar catharri acris, vel ex anginæ, vel pleuritidis apoſtemate aperto, effuso nempè pure in cauitatem thoracis, pulmonibus commiſcentur, & id per hoc probant, quòd omnes, qui aquis fortioribus deſtillandis aliiſque laboribus chymicis nimis indulgent, item qui calcem tractant, prout ſunt murarij, & dealbatores parietum, qui ob particulas ex iſta materia ſubiecta reſilentes acutas, ſubtiles, & volatiles infeſtas plerumque phthiſici moriuntur; quam rem id iuuat, quod Medici ad vnum omnes vetant, ne quis in conclaui recens calce obducto dormiat: particulæ enim tales acutæ volatiles, non tantùm ſanguinem volatiliſant,ſed & diſcindunt arteriolarum tunicas, quibus diſcuſſis neceſſariò ſanguis effluit, quem ſequitur puris ſputum, iuxta *Hippocratem*, pus enim à ſanguine fieri poſſe, vt vnanimi noſtræ facultatis Procerum concluſo certum, & conclamatum eſt,ſic & Carteſiani placet, prout id ex *Carteſii* conſtat *Principiis Phil. part. 4. art. 92.* Corpus etiã marceſcit ab acrimoniam puris, nam in pure multùm ſemper ſalis latet.

§. 10. Denique etiam nunc promoto gradu ad noſtrum accedamus ſenſum. Cauſam ergo, phthiſeos immediatam proximam eſſe exulcerationem pulmonum cenſemus, prout enim *Cardimelech* ab hoſte occupatum viſcus derelinquit, ex quo rectore deſtituto,& vegetatore remoto, viſcus ab hoſte ita diſcinditur,corroditur, & corrumpitur,vt Rex & ſolium cum præmunimentis pereat, hoſtis enim proprium munimentum occupans, mox ad interiora penetrare annititur, & ſic tandem Regem noſtrum ad incitas redigit, vlcus enim hoc in affectu adeſſe nemo dubitat cùm in tot cadaueribus, ceu diximus à nobis excenteratis, his oculis noſtris,viderimus apoſtema. Proximam cauſam ſtatuimus eſſe particulas aciditas, & acres, volatiles tamen,pul-

mo-

monum subſtantiam, veſiculas, atque vaſa corrodentes, imò & ſanguinem per diabroſin extrauaſatum in pus conuertentes. Acidum habere vim corrodendi exulcerandi patet ex Spiritibus, puta nitri, ſulphuris, aliorumque acidorum adhibitione, & applicatione ad partes carnoſas, vbi ab iiſdem albedine materiàque purulentà apparentibus corrodi manifeſtiſſimè obſeruamus, vnde in procliui eſt iudicare, eidem acido ineſſe vim ſanguinem in pus commutandi. Si enim ex. gr. Sulphuri vulgari in lixiuio ſoluto Spiritus acidus affundatur, ſubrubicundus eius color in album transmutabitur. Hoc vt ad noſtrum aptetur negotium, ſciendum in ſanguine, pro vt ex eius reſolutione in confeſtìo eſt, partes exiſtere oleoſas, Sulphur conſtituentes, & ſalinas, lixiuas, & acidas, quæ cum particulis dicti experimenti non abſimiles ſunt, idem in corpore ex ſuperantibus acidis. Plura de hac re adderemus experimenta à nobis in hunc finem collecta, ſed breuitatis gratiâ nunc curioſum Lectorem ad *VVillif. c. IX. de fermentatione* remittimus. Inter cauſas verò antecedentes inprimis recenſemus ſanguinis acrimoniam, ſi enim omnes conſideremus phthiſicos eorumque ſymptomata, nihil niſi indicia ſanguinis acrioris pulmones tandem exulcerantis offendimus. Aliquando phthiſis oritur ab acribus halitibus, ex calce recenter extincta. Phthiſis ſpuria oritur ab affectu hypochondriaco, in quo glandulæ meſentericæ, & vaſa lactea ſunt obſtructa, ita vt parum chyli tantum ad ſanguinem deferatur, quare ſanguis aereſcit, & maciem inducit. Quod attinet verò reſpirationem hoc in morbo maximè difficilem, ea fit vt plurimum à puris copia pulmonibus infarcta, & conſequenter eos grauante; reſpiratio enim naturalis, non duntaxat fuliginum explotioni, pro vt veteres voluere, vel ſanguinis refrigerationi, aut eius circulationi, vel ſoni formationi inſeruit, ſed & eius opus ſanguis in pulmonibus attenuatur, & reſoluitur, ſanguiniſque ſulphur hoc modo volatiliſatur, quò ſub aucta fermentatione in corde cum ſalibus ſanguinis volatilibus coeat in Gas ſpirituoſum volatile, ſeu ſpiritus vitales calidos, & probabiliter lucidos, ſicque ſanguis quaſi accendatur, prout illud eleganter annotauit *Excell. Etmullerus*. Nunc etiam noſtro ex calculo paucis principaliorum ſymptomatum hoc in morbo vrgentium cauſas reddamus, eò enim accuratius cauſa vniuerſalis patebit.

Tuſſis ergo cauſam vnde, niſi ab acrimoniâ, aciditate puris, vel alius humoris, ob moram ſtagnantis, pulmoneſque ad illud quod ſibi moleſtum eſt, ejiciendum ſolicitantis deducamus?

Ex tabeſcentia verò, & *emaciationem* corporis, ſanguini ab vlcere inquinato, & acri facto adſcribimus; partes enim hæ ſanguinis acidæ, & acres ſalinæ ſunt voraces, & balſamicas, & oleoſas ad nutritionem aptas planè deuorant, vel per ſudores colliquatiuos eliminant, vnde perturbata maſſa ſanguinea minùs apta ad nutritionem redditur, quando ergo nihil, vel parum in partium deperditarum locum reponitur, non poteſt, non fieri, quin corpus ſenſim atque ſenſim decreſcat atque conſumatur.

Febrim porrò *lentam* ab inæquali commixtione ſanguinis deducimus, quemadmodum malarum ruborem, inprimis poſt paſtum, exinde oriri putamus, quod chylus paucis à paſtu horis accedens maxima ex parte in ſanguinem acriorem conuertatur, qui dein per capillares arteriólas ad exteriorem cutis partem tranſit, & ruborem excitat genarum. *Lipotymia, vel animi deliquia* illa in phthiſi confirmata, & lethali ſeſe prodentia, à ſanguinis efferueſcentiâ vitioſa, vel magè ab acido vitioſa ſanguinem in grumos redigente oriuntur. *Alui fluxus*, (quo ſuperueniente, ægri non duntaxat ex Hippocr. aſſeueratione, ſed & ex noſtra annotatione Libitinæ traduntur) inde eſt, quod propter humorum acrimoniam inſignem, & ſecutam ſpirituum diſſipationem, non

poſ-

possit non fieri ; quin pus è pectore ob acrimoniam totum inquinet sanguinem, ipsamque bilem redeat acriorem , quà ex suo folliculo effusà , statim sequi necesse , vt aluus continuò solicitetur. Vnde in plus quàm sex phthisicis à me exenteratus veiculam bilariam , planè bile vacuam reperi, ex quo semper suspicatus sanguinē ob initio in iis, qui ad phthisin procliues sunt, esse à bile acriorem, quæ bilis quoque in phthisicis vtplurimum est naturæ salinæ oleosæ volatilis, vnde , & phthisici in primo adhuc constituti gradu conqueruntur de oris amaritudine ; quæ omnia bilem euasatam , & volatilem arguunt. Si capilli in phthisi decidant , significat sanguinem tam acrem esse, vt radices capillorum abradat ; pus enim acre sanguini coniunctum , vti in alias partes , ita quoq; in partes capitis deponitur ad glandulas circa singulos poros cutaneos hærentes , qua bases capillorum sunt , vbi enim tales glandulæ sunt ibi & pili fiunt , totumque corpus pilosum est , quamuis pili non conspiciantur. Reliqua verò symptomata,& illorum causæ ex dictis facilè patebunt , vt adeo iis explicandis diutiùs eo magis immorari , nolimus,quòd in aprico sit,omnia hęc mala ab vno fonte vt plurimum , sc. ab acido acri in massa sanguinea , aut bile latente, fluere , vnde phthisicorum nemo absque noxia acidulas Suualbacenses ob vitriolicas particulas acres bibere audet , idem & reliqua iuuantia , & nocentia te docebunt. Hactenus causa , nunc sequitur prognosis.

PROGNOSIS.

§. 11. Tabes verò fiunt maximè ab anno 18. vsque ad 35. quia sanguis in adolescentibus non solum est copiosus, sed & acris , ob bilis abundantiam , vnde Horatium dicentem audias, *Non ego hæc tulissem calidus iuuentâ , consule Blanco* , quo vitioso sanguine vasa repleta facilè tenduntur , rumpuntur & corroduntur. Phthisis est quoque morbus chronicus, & vt ab initio difficilis curationis,ità progressu temporis insanabilis , vnde verè inquit *Timæus Guldenklee l. 2. ep. 2. In tota mea praxi , quam 37. annis exerceo , neminem ex iis qui vlcere pulmonum affecti fuere , integræ sanitati restituere potui etiamsi nihil intentatum reliquerim , quod ad curationem huius mali vllo modo facere poterat* . Pulmones enim exulcerati difficulter sanantur , partim ob substantiæ teneritatem , & raritatem , partim ob continuum motum , eorum consolidationem impedientem , vnde ægroti sæpè in Medicos calumnias euomunt, quia omnia medicamenta ferè in nihilum recidunt. Tabis verò ex fascino eadem est ratio , & pari difficultate sanatur , ac cognoscitur , quia venenum tabificum clam hominem corripit, ac sæpè non nisi malo consummato demum innotescit . Idem ferè de philtris hausti dicendum est, vtpotè quæ noxa in principio , vbi fermenta viscerum adhuc sunt salua , faciliùs extinguitur , quàm si vlteriùs progressa , indeque non solùm viscerum tonus destructus , sed & habitus corporis iam macidus redditus sit,cui rei rarò, imò nunquam, spes medelæ restat.

Sequimur ergò in omni phthisi monitum Galeni prudentissimum , Ingens periculum prædicamus, & mortis nùncium , atque hàc ratione vindicabimus nostrum ab omni culpà , & ignominia. Præ cæteris verò *Anorexia* siue appetitus prostratio tabidis mala; præsertim eleuatis simul hypochondrijs à flatibus atque ventriculo ab humorum vitioforum mole inflato , de quibus omnes conqueruntur phthisici . Præterea *pulsus varior debilis* cum respiratione difficilis , & tussi vehementi ac immani vitam in periculo esse testantur. *Animi* item *deliquia , sudores colliquatiui, diarrhææ,& vrinæ elaginosæ*, atque *pingues , conuulsiones* , atque *spasmi*, certissimi mortis prodromi atque præ. nuntii sunt , *Hippoc. section. 2. aphor. 1. In quo morbo somnus laborem facit mortale ; si verò somnus prosit , non lethale.* Vnde somnus tabidorum inquietus, magisque deijciens , quàm reficiens , phthisin incurabilem subesse indicat.

Ran-

Raucedo verò phthisicorum non rarò (quam tamen per duos annos antecedentem obseruauimus in phthisico) mortem ante fores denunciat, vt & *capillorum defluuium, deliria*, tumor pedum, pediculorum abundantia, mortem in olla esse significat; marasmus quoque senilis incurabilis est. Quãdo folia prorũpunt, tempore sc. veris, aut decidunt, autumno nempe, plerumque moriuntur tabidi; indè nostrates dicunt: *Er VVirdet den kuku nicht mehr hören ruffen*. Ex his nonnulli, qui diutiore tabe pernitiosè consumpti sunt, ante finem rigore apprehenduntur iuxta *Hippoc. coac. prænot.* 3. sputum quoque graueolens etiam malum denotat. Hæreditaria verò phthisis, & quæcunque altas egit radices, nunquam curatur. Suppressionem sputi cita mors sequitur. Sed in genere hoc quoque notandum est, quòd in omni phthisi excreatio illa purulenta benè distinguenda sit, ne serum coagulatum pro pure sumas; è contra spem nonnullam relinquunt, si pus reiectum est æquale, vnius coloris, album, excreatio facilis, æger obediens, symptomataque sint pauciora, & remissiora, vires appetitusque sint integri, & non prostrati, atque humor vitiosus, & acris ad nares, vel alia emunctoria commoueatur per metastasin, quæ tamen, & ipsa signa sunt fallibilia.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Perspectà itaque mali huius naturà operam dabimus, vt illud etiam, quãtum possibile, auferamus, finemque sic artis, quæ sanitas est, assequamur. Et primò deducimur ad fontem *Diæteticum*, auxilijs ditissimum, vtpotè cuius solius beneficio sæpè grauissimi tolluntur affectus, & sine quo etiam plerumque frustra laborare solent Medici. Consistit autẽ in legitimo sex rerum nõnaturalium vsu, ita vt illa, quæ nocua vitentur, alia verò vtiliora obseruentur. Aer itaque primum inter eas occupat locum, quo phthisicus fruitur, qui sit temperatus, serenus ac mitior, potiùs ad frigidiusculum vergens, vitetur calidus, ac siccus, atque intensè frigidus; frigus verò temperatum, & humidũ phthisicis haud inconueniens est; aer autumnalis frigidus nocuus est, quippe qui fermenta pulmonum pessundat, & Cardimelechi iniuriam facit, vnde tabes inter affectus, qui in autumno proueniunt, ab *Hippoc.* recensentur, quòd frigidus quoque aer post totius corporis calorem subitò inspiratus variarum inflammationum, & consequenter phthiseos causa existit. Eadem ratio est, si à particulis contagiosis, & pessimè figuratis sit impręgnatus, prout de prędictis calcis exhalationibus corrosiuis, & acribus, extinctũ murarium *VVolfgangus Hæfernus* in Hercule suo Medic. obseruauit. Ita *Valerius Maximus lib. 9. c. 12. n. 4.* refert *C. Marium* recenti calce illito, multoque igne percalefacto cubiculo se inclusum fatis cessisse. Idem fatũ experiũtur mineraliũ fossores, & separatores, & hoc damno notæ sunt fodinæ metallicæ, ex quibus assurgunt spiritus arsenicales, (quos Helmontius Gas syluestre vocat) qui tũ pulmonibus, tum cerebro admodum infensi sunt; nec non illi, qui illotis manibus ad chymiæ sacra accedunt, antimonialia, & mercurialia imprudenter tractantes, ob aculeatas salium particulas volatiles pulmones exasperantes. Huc etiam referri debẽt contagium; non enim illis cautio damni infecti præstita est, qui familiariter cum phthisicis viuunt, prout exemplum habemus in fœmina minimè ad phthisin prædisposita, attamen ab accumbente marito phthisico phthisi extincta. Alia quoque exempla videas apud *Riuerium*. Vnde Medici prudentiores, quando ipsis ad eiusmodi ægros eundum est, de trochiscis quibusdam sublingualibus alexipharmacis, sibi prospiciunt prudenter. Malum hoc in quibusdam locis, maximè *Hanouiæ*, endemium est. Confer *Theatrum nostrum Theriacæ cœlest.* & *VVillis c. 6. de phthisi pulmonum*, dicentem: *Enim verò nonnullis phthisicis est tanta aeris influentia, vt morbi causa aeris in quo degunt incongruitati quandoque ferè in totum adscribatur, & pro cu-*

curatione soli, aut cæli mutatio cæteris quibusuis remedijs præferatur; hinc Angli plures tußientes, aut tabidi australes Galliæ regiones gregatim petunt. Conducit ergo & nostris eiusmodi mutatio aeris ad humidiorem, siccus enim aer maximè nocet, quapropter etiam tabaci fumus, quia nimis exsiccat, tabidis obest.

Cibus, & *potus* symbolum sum quoque addunt; sint ergo illi boni succi, & facilis digestionis, vt cor pori languido, & emaciato robur inde accedat, quem in finem carnes conueniunt vitulinæ, columbarum, pullorum, indeque parata iuscula, gallinarum oua, cancri fluuiatiles, eorundemque aut cochlearum aut limacum, vel ostrearum vel ranarum brodia cõmendantur. Ex fructibus amygdalę dulces, indeque paratæ emulsiones, vuæ passæ cum carnibus coctæ, dactyli, ficus (ex quorum esu plures phthisicos curatos fuisse testantur Practici) tabidis summè sunt proficua. Lac hic inprimis bonum præbet corporibus emaciatis nutrimentum, & quidem si animal nutriatur hordeo, alijsque plantis antiphthisicis, præsertim si haberi potest, lac muliebre, & asininum, tepide epotum, ità vt illa obseruetur in hoc casu, quę infra præscribemus. Vitentur è contra omnia acida, acria, salsa, amara viscosa, quæ vltima quã vis salsedinem massæ sanguineæ optimè inuiscare valeant, & hactenus prosint, facilè tamen exilia mesenterij vasa infarciunt, & conglutinant, chylo transitum denegant, vt inde corpus tabescat', atque adeo hoc nomine sunt nociua, testante *Mollenbr. in tract. de Artbrit. vag. c.* 13. Fugiantur quoque cepæ, allia, sinapi, porrum, & omnia ea, quæ tabificà quadam antipathià nocent vt, & lepus marinus, de quo ex *Galeno* notant varij authores, quòd hoc malum inducat, penes quos fidem relinquimus, omnis verò inordinatè ingestus, quamuis sit euchymus, cibus, quia cruditates, obstructiones, & inflammationes parit, nociuus est. Dulcibus quoque haud nimium fidendum est, quæ scil. morbosum in sinu gerunt acidum, quod in corpore resolutũ demũ spiculo sua exerit, sanguinemque coagulando, circulationem eius impedit. Malè inde sanitati suę consulunt, qui sacharatis inprimis saccharo rosac. more vulgi nimium abutuntur.

Quod potum concernit, is emaciatos maximè reficere potest, quod præsertim cereuisiæ pingues ex succo betulę tempore veris palatæ præstant, sed quia plures cereuisiam ferre nequeunt, eius loco decoctum hordei cum paffulis, vel decoctum lignorum, inprimis ligni santali, & Brasilienſis, vel serum lactis bibant, vel ipsum lac in quo aliquando chalybis candens, vel ferrum ignitum extinguatur, assumant. Vinum generosum minùs acidum, aut austerum, modicè tamen in cœna potatum, roborat ventriculum, & spiritus auget, adeoque ad nutritionem multum facit, præsertim in marasmo senili, alijsque tabis speciebus, vbi maximè spiritus languent animales. Fugiendæ verò sunt nimiæ ingurgitationes, & potationes nocturnæ, præsertim vini, vtpotè quę cruorem fluxibiliorem, & acriorem reddunt, *Cardimelechem* nostrum in furorem agunt, ventriculis quoque tonum & fermentationem destruunt, spiritus debilitant; quid ergò mirum si corpora Baccho litantium emarcescant, atq; tabescant? Frigidior quoque potus corpore æstuante ingurgitatus inflammationes inducere potest, quidni & phthisin? Omnes enim nostri imperatores corpus nostrum regentes exinde perturbantur, vnde non potest non fieri, quin & corpus totum vitietur. Aqua vitæ quoque cane, & angue peius fugienda, hoc namque in casu audit reuera *aqua mortis*.

Quantum motus, & quies ad huius affectus curationem conferre valeant, satis notum est, cũ motu enim totius corporis insigniori concurrit necessariò vehemens, & detenta respiratio, ac per consequens circulatio sanguinis in corde augetur, vnde sanguis sic inpetuosius ruens haud difficulter vnum, atque alterum vasculum rumpere potest; ita ex nimia etiam vo-

ciſe-

ciferatione inter concionandũtres obseruauimus phthisicos, in motu nimio Spiritus animales simul exhauriuntur, vnde humores intemperati, & acres reddũtur, atque hæmoptyseos, & sæpè phthiseos existunt authores atque fabri. Quies quoque nimia nocet, quia humores reddit segniores, atque torpidiores, vnde alui, hæmorrhoidum, menstruorumque fluxus ordinarius sistitur, sanguisque acris, & corrodens redditur.

Somnus, & vigiliæ hic sint moderati, & ex præscripto *Ludouici Septalij* somno magis quàm vigilijs indulgendum est. Aluus nec sit nimis stricta, nec nimis laxa, oblita tamen muneris sui, quod tabidis ob siccitatem frequens est, per solutiua admoneatur. Reliqua quoq; excernenda aut arte, aut naturà respondeant, si enim excernantur quæ retineri debent, aut retinentur quæ excernenda sunt, facilè hic affectus excitatur, quia sc. hæmorrhoides, ac menstrua suppressa non per vasa hæmorrhoidalia, ac vterina, sed per vasa pulmonalia asperamque arteriam exitum quærunt, vnde tunc facilè aliquid in pulmonibus remanere, putrescere, acescere, & spicula sua exerere potest, semen quoque suppressum eundem affectum excitare potest.

Agmen claudunt *animi pathemata*, quæ sint mediocria, nec motionibus animi, curis, mœrori, terrori, metui, iræ amori, nimio Veneris vsui, meditationibus, & lucubrationibus indulgendum est, quippè quæ omnia Spiritus animales turbant, massam sanguineam particulis hæterogeneis inquinant, sanguinem sistunt, & dein coagulant, nostris regentibus bellum indicunt, & nescio quas turbas excitare valent.

Quoad causas naturales, temperamentum bilioſum quod facilè à re aliqua non naturali incalescit, & excandescit, exinde ad phthisin pronum est, quo etiam respexisse videtur Hipp. iuxta quem ætas iuuenilis, propter temperamentum bilioſum, maiorumque humorum turgescentiam, ac frequentes in dieta errores, huic malo obnoxia est. Sic quoque sexus fœmineus ob vitam sedentariam, & virgines ob arctiorem pectoris constrictionem, vt iuxta illud *Terentij*, *iunceæ appareant, atque iuuenibus placeant*, sibi facilè accersunt hunc morbum, alioſque pectoris affectus periculoſos, quia sanguinem in motu suo ad reliquas partes sufflaminant. Cæterum reliqua noxia tum ex rebus non naturalibus, tum naturalibus ad viuum depicta, & explicata in Praxi *Magni Seanerti* aliorumque inuenies, quibus ergò narrandis diutiùs non immorabimur, properantes ad curationem *Pharmaceuticam*, & quidem ante omnia *Veterum*.

CVRA PHARMACEVTICA

§. 13. Veteres indicationes curatiuas à *Tribus* desumunt 1. ab vlcere pulmonis 2. ab ipsa febre, 3. ab extenuatione corporis, ita tamen, vt ad symptomata, scil. febrem, catharrum, fluxum, & constipationem ventris, sitim & vigilias debito modo reflectant. Ad vlcus ergo pulmonis mundandum præparantia seu abstergentia adhibent, tum intus tum extus, in quorum censum referunt Syr. de hyssopo, de liquirit. capill. Veneris, hydromel, decoctum hordei cum saccharo, ficuum, passularum; glycyrrhizæ, marrubii. Extrinsecus autem commendant cataplasmata, & emplastra ex sem. lini, fænugræc. althææ, cum oleo malu. melle, &c. Dein materiam ad pulmones, catarrhi ad instar, ruentem, auertunt clysteribus, errhinis, venæ sectione, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, cauterijs, atque balneis. Postmodum, quæ sistere possunt materiam ad pulmones defluentem, suadent, prout sunt Bol. Armen. terra sigillata, conf. rosar. sacchar. rosat. diacodium, aliaque opiata, theriaca scil. & Mithridatium. In destillationibus verò salsis, & tenuibus commendant, præter iam dicta decoctum lignorum guaiac. inprimis, santalorum, chinæ &c. Porrò ad vlceris abstersionẽ vtũtur leuioribus purgãtibus

quę

quę simul expectorant, vt sunt syr. violar. rosar. solutiu. Syr. de polypod. de manna, Elect. lenitiuum, diacassia, rhabarb. cassia, polypodium, mel. solut. passulat. &c. Tandem ad ipsius vlceris consolidationem, & curationem adhibent ea, quæ vniunt, consolidant, agglutinant, atque callum inducunt, idque tentant siccando & adstringendo, cuius generis sunt saccharum rosat. cum bolo Armeno, terra sigillat. pulm. vulp. Sang. dracon. C. C. succus plantag. testæ cancror. gumm. Arabic. Spec. diapenid. alijsque; quibus tamen omnibus lac præferunt, quippe quod serosa sua parte abstergit, caseosa consolidat, atque butyrosa lenit, & humectat, vide de huius vsu *Septalium cap. de phthisi*, & inferiùs nostram crisin. Quoad secundam indicationem, adhibent humectantia, & refrigerantia varia inferiùs dicenda. Quoad tertiam indicationem, in emaciatis nempè, vtuntur destillatis varijs, ex epate, & pulmonibus vituli, ex cancris alijsque animalibus viscidi patatis, nec negligunt consummata iuscula, gelatinas, electuaria restaurantia, morsulos refect. syr. resumptiuo, &c. quorum omnium aliorumque externorum vix satisfactorum haud vilis est annona apud Practicos. Hæc Veterum fuere vestigia.

§.14. *Chymici* verò, vt obstructio pulmonum tollatur, & spir. salis hostilis, siue coagulans, siue resoluens, & erodens corrigatur, exhibent spiritum tartari salis dulc. lac. flores, balsamumque sulphuris, spiritus, & oleum terebinth. thus, myrrham, &c. ad modicè verò adstringendum, consolidandum, & corroborandum magnisaciunt Tincturam corallorum, liquorem perlarum, essentiam croci, laudanum Paracelsi; præ alijs tamen laudant corallatum dulce Mercurii diaphoretici, quo remedio *Paracelsus*, prout ipsius Epitaphium habet, tabes multas curauit tincturæ quoque variæ ad hunc affectum oppugnandum proficuæ ab ipsis eliciuntur ex sole, luna, gemmis, mumia, vel sanguine humano, porcino, melissa, & similibus herbis pectoralibus. Paracelsus quoque murem syluestrem in puluerem redactum, & exhibitum palmarium esse remedium in phthisi contendit. Ex diætetico fonte Paracelsus depromit varia, vt sunt liquiritia, vuæ corinthiacæ, portulacæ, lactuca, raphanus vterque, beta rubra, nuc. pineæ, malu. spec. omnes. Hæc secunda fuit scena Practicorum, sequitur nunc tertia, cuius Choragus est.

§.15. *Helmontius*, qui remedium superiùs laudatum Paracelsi, *corallatum* nempè *dulce* Mercurii diaphoretici, magnifacit, additque lac perlarum, quæ omnia eminenti suo balsamo totum tingunt corpus, & spiritum insitum pulmonalem miteſcunt, vt de furore suo remittat; laudanum quoque haud contemnit, vt circa somnum in pace, quiete, & citra tussim, sibilum, & stertores introducatur respirandi libertas. Porrò colchotar in oleo lini coctum, & ad cochleare plenum assumptum, vt omnia vlcera, sic & pulmonaria sanare, idem asserit.

§.16. Sequitur *Willisius*, qui contra phthisin imminentem militans, tribus sequentibus indicationibus vtitur: 1. Sanguinis inordinationem, à qua seri fluxiones oriuntur, sedans, corrigens, & tollens; 2. Cruoris recrementa, quæcumque ab eo secedere apta, à pulmonibus ad poros cutis, aut vias vrinarias, aut alia emunctoria deriuans, vel iam in pulmonibus aggesta eliminans; Ipsos pulmones contra seri aliorumque humorum susceptiones corroborans, simulque contra nimij frigoris externi occursus muniens, à quo aliàs pulmones lædi possunt. Ad primam, sanguinis nempè efferuescentiam, & subsequentem dissolutionem, alioſque humores à complexu suo dimittentem sedandam (cùm plerumque id ab acido quodam peregrino dependeat,) conducunt acidum infringentia ac corrigentia, diaphoretica nempè, quatenus superfluum serum expellunt, item aquea quatenus acidum peccans diluunt, in quem finem commendan-

dantur decocta pectoralia. Esto formula ex Authoris pharmacopolio desumpta.

℞. *Flor.bellid.mai.m.j.*
limac.mundat.num.3
rad.eryng.℥.ß.
pimpinell. ʒ. iij.
ruſci ʒ.ij.
fol.beder.terreſtr.
ſcolopendr.
tuſſilag.ana m.ß.
ſem.fœnicul.℥.ß.
paßul.minor. ʒ.vj.
iuiub. N.vj.

Decoq. l.a. in aq.fontan.colat.edulcoretur ſyr.papau.rhœad.

Decoctũ quoque ex lignis ſanct. faſſafr. ſantalor. omnium, raſura eboris, C. C. ab ipſo, tanquam vtile, præſcribitur. Ad ſecundam intentionem obtinendam, ſeri nempè, atque aliorum humorum recrementa à pulmonibus deriuanda, & materiam tabificam in pulmonibus iam hærentem educendam, conducunt Balſamica quæcunque ſulphurea, quem in finem ipſe exhibet Tincturam ſulphuris, vel antimonij ad gutt.vi. vel x. in ſyrupo pectorali. Balſamum quoque Peruuianum ad gr.iv. in conſerua roſarum præbet, vt & alia plura cum oleo terebinthinæ facta, & illa quæ ex gummi ammoniaco, &c. parantur. Omnia verò medicamenta ex authoris ſcrinio compilare, & huc apponere cum formulis, non operæ pretium eſſe putamus, ſatiùs eſt, ſi præcipuas tantùm ſummo tangamus digito. Tertiæ denique indicationi, vt nempè pulmonum confirmatio læſa, aut conſtitutio vitiata reſtituatur, aut emendetur, ſatisfaciunt omnia illa, quæ putredini reſiſtunt, mundificant, conſolidant, atque corroborant, ad quam rem omnia pharmaca ex ſulphure parata, *balſamica*, & *traumatica* commendat; hinc ſulphuris fumum (de auripigmenti fumo nihil addam) per tubulum aut infundibulum in pulmones hauriendum præcipit, hoc in caſu quoque cœli ſolique mutationem ſuadens ab vrbibus ſcil. ad villam ruſticam, vbi aura magis ſulphurea ob ſimum aliaque fœtida exiſtit. Vaporationes etiam alias ſiue ſuffitus ipſe magni æſtimat: Formulas horum ſuffituum quasdam hic apponamus, V.gr.

℞. *Fol.byßop.*
beder.terreſtr.
marrub.alb.ana m.ij.
rad.enul.campan. ℥.ij.
calam.aromat. ʒ.ß.
ſem.aniſi, carui ana ʒ.j.
inciſ. & contuſ. coq. in ſ.q. aq. fontan.

Colat. efferueſcentis vapor per foramen chartæ conuolutæ in conum, vulgò *Dutten* in pulmones hauriatur mane, & veſperi per horæ quadrantem.

Esto alia formula ex meris balſamicis.

℞. *Oliban.*
ſuccin.alb.
benz.ana ʒ.j.ß.
pulu.roſar.rubr.
ſantal.rubr.ana ʒ.j.

M.f. Puluis ardentibus adſpergendus prunis, & vapor per tubulum hauriendus. Vel ℞. *Gumm.beder.*
thuris ana ʒ.ij.
fl.ſulphur. ʒ.j.ß.
maſtich. ʒ.j

cum ſolut.gum.tragacanth.f.Trochiſci.

Hiſce iam præſcriptis trochiſc. Author vſus nunc eſt in phthiſi incipiente. Nunc ad ipſam confirmatam accedamus (in qua prælaudata tamen non excludenda) & curationem VVilliſianam videamus, in qua potiſſimum ea conducunt medicamenta, quæ ſanguinis æſtum compeſcunt, ſpiritus animales reſtaurant, & blandè demulcent, parteſque emaciatas reſocillant; hinc pro victu lac muliebre, aſinium, caprillum, aliudue, item iuſcula auenacea, hordacea, & pro potu ptiſanam, emulſioneſque laudat, item ſyrupos pectorales, eclegmata, quæ gutturis, & pulmonum inflammationem leniunt, & expectorationem facilitant, adhibenda vult. Hypnotica quoque mitiora, vt moderata quies concilietur, interdum felicis vſus eſſe ſolent. Hæc *VVillis* vult.

§.17. Nunc *Sylvium* conſulamus, qui curationes in tres partes diſtribuit, nempè

in

in phthisin imminentem, & iam inchoatam, dein in planè consummatam, & deploratam. Monet itaque in tempore medicamenta hoc in malo adhibenda esse, cùm rarissimè, vel nunquam confirmata phthisis curetur, & tussim vrgētem quamuis, maximè verò in iis, qui ad phthisin inclinant, restringendam vult. In phthisi ergo inchoata omne periculum à pulmonum vlcere dependet, ex quo pus communicatur toti massæ sanguineæ, vnde non tantum lenta hæc febris hectica, sed & tabes lethalis inciditur. Causa ergò fouens huius vlceris iuxta illum catharrus esse solet isque nunc salsus, acris, & acidus, nunc blandus, & aqueus vel viscidus, aut pus aliunde communicatum; hunc morbum ergo ab initio, vestigiis Veterum insistens, tanquam catarrhum curat, & istum non duntaxat aliunde vertere nititur, sed, & corrigit, quando nempè existit acris, sanat illum per salsedinem, aciditatemque summam temperantia medicamina, pro quo scopo obtinendo etiam præscribit *diuretica*, & *diaphoretica*, quæ acrimoniam humorum quorumuis temperant, quos temperatos dein educit hydragogis, quo nomine ipsi placent fonticuli ad minuendos humores, tum in ceruice, tum in brachijs, tum in cruribus ponendi; eundemq; effectum expectat ab *errhinis*, ac *sternutatorijs*, quę humores vitiosos atque redundantes per nares euacuant, & simul à faucibus auertunt. Ad temperandos humores salsos ex capite depluentes, pilulas de cynogloſſa, de styrace, aliaq; vt & opiata magnopere laudibus deprędicat. Porrò ipse catarrhum blandum, & aqueum curat blando excitato sudore, vel per fumum, vel per suffitum ex mastiche, thure, succino, styrace, benz. &c. excitatum. Ob eandem causam etiam magni facit decocta ex rad. & lin. parata, Ex. gr. guaiac. sarsaparill. santal. querc. iuniper. &c. Quod si catarrhus sit à materia viscida, incidentia, & alterantia conducere ait, vt sunt gumm. bdell. sagapen. galban. ammoniac. vt & mercurialia, Mercurius dulc. &c. Ad pus verò in pulmonibus factum diuertendum, & euacuandum commendat varia, inprimis verò in empyemate instituendam amat paracentesin in pectore. Dein ad vlcus pulmonis mundandum iuxta ipsum prosunt radices helenii, aristoloch. herb. tussilag. scabios. agrimon. hyssopi, veronic. capillor. Veneris, heder. terrest. verben. &c. Ex quibus parari possunt varia decocta, & destillata, laudat quoque terebinthinam Venetam ad ℥. iij. subinde in syr. violarum, assumendam; mel crudum quoque, seu aqua mulsa ab eodem Authore magni æstimatur. Alijs tamen præfert Balsamum sulphuris cum oleo anisi, vel succin. vel iuniperi, vel terebinth. vel nucum paratum. Tandem ad consolidationem vlceris pulmonum decoctum rosarum rubrarum antecellere multis parasanguis putat, conseruæ, adiecta hac ratione, quia propter saccharum conseruæ adiectum vētriculus, & intestina multo phlegmate replentur, à quo non tantùm appetitus prosternitur, sed etiam chylificatio læditur. Porrò conueniunt omnes terræ sigillatæ, & boli, radices, & folia consolidæ, nempè Sarracenic. plantag. sanicul. pyrola, & ceteræ herbæ vulnerariæ. Hic verò asteriſco notandum, quod Author non magnifaciat flores sulphuris aut lac, exinde enim nullum effectum laudabilem se vidisse audacter testatur. Ad huius morbi palliationem plura generosa remedia præscribit, quæ tantùm symptomata mitigant, vireſque restaurant. Ad viscidum proin pus, quod vt plurimum difficiliorem producit respirationem, eliminandum, suadet remedia *incidentia* ex hyssopo, capillis Veneris, enula campan. & similibus parata decocta atque ecclegmata, ad quod perficiendum Balsamus sulphuris anisatum efficax est. Porrò ad appetitum prostratum restituendum commendat Elix. propriet. Paracelſ. ad gutt. v. vel vr. ante pastum ex vino exhibendum. Præterea ad vires restaurandas conuenire dicit præter cibos copiosioris nutrimenti, facilisque fermentationis vinique generosioris vsum,

aromatica quæuis, item ambram gryseam confectionem alKermes, aut de hyacinth. Esto formula.

℞. *Conserv.rosar.rubr.c.parum.*
sacchar.parat.ʒ.j.
confect alkerin.ʒ.ij.
de hyacinth.ʒ.j.ß.
amb.gryss.gr.iij.
balsf.sulphur.terebinth.ʒ.ß.

M.f. Elect.molle c.syr.corallar.de quo capiat æger sæpè ad quant. nucis moschatæ.

§.18. *Cartesiana* ex hypothesi in principio huius mali purgantia, sed mitiora, admittuntur, prout sunt syr.rosar.solutiu. rhab.mann.in progressu verò mali exulare venæ sectionem, & purgationem volùt. Ad vlcus verò in confirmata phthisi mundandum, dein consolidandum, decoctum sequens ab ipsis laudatur.

℞. *Rad.liquirit.*
leustic.ana ʒ.vj.
rasur.lign.guai.ʒ.ij.
baccar.iuniper.ʒ.j.ß.
sem.filer.mont.
anisi ana ʒ.iij.
coq.exs.q.aquæ puræ colaturæ, adde.
syr.de eryssim, & hyssop.ana ʒ.iij.

De quo assumat æger haustulum bis, vel ter de die. Decocta etiam, vel destillata ab ipsis præscribi solent varia. Ad vlcus consolidandum conuenit quoque Mercurius dulcis cum spir. vini ad mentem Helmontii cohobatus, item balsamus therebinth. antimoniata etiam omnia quę fixa sunt, & ad acres acutasque particulas obtundendas, & limandas apta, ne verò tussis, & excretio adeò vrgeat, conducunt *opiata*, vt sunt theriaca cœlestis, theriaca Andromachi, laud. opiat. pil. de cynogloss. &c. Denique ad pulmones ab acribus particulis puris liberandos conueniunt omnia dura, & ponderosa, vt testacea, & decocta lignorum, quæ vim habent humores acres imbibendi, & immutandi; laudatur, & Mercurius dulcis bol. Armen. terra sigillata, pluraque alia, de quibus in sequentibus.

§.19. Perspectis nunc ordine præ laudatorum Authorum curationibus, nunc ad nostram accedamus. Cùm ergò causam huius mali superiùs posuerimus in acido acri quodam, cum visciditate in sanguine latente, & tandem pulmones corrodente, & sanguinem planè coagulante, & sistente, indeque Cardimelechem nostrum in furorem vertente, inde operę pretium est, vt omnem impendamus operam, ad acredinem, & aciditatem corrosiuam sanguinis corrigendam, hac enim correctà, æquè phthisis incipiens, ac inchoata curari potest. Queramus ergò nunc materias auxiliorum, quę vt plurimum ex tribus fontibus, *Dietetico* nempè, *Chirurgico*, & *Pharmaceutico* deprompi solent. *Dieteticum* antea recensuimus restat *Chirurgicus*, & *Pharmaceuticus*; ex quorum priori hìc parum auxilij venit, quia sanguinis, seu balsami vitæ, quo maximè indigent phthisici subtractio rarò, aut nunquam proficua iudicatur, vt adeò quis cum Poeta dicat, *Non dissensoribus istis tempus eget*. Teste etiam *Borello cent.* IV. *obs.* XV. vbi tabidis sanguinem potiùs infundendum, quàm quicquam detrahendum monet, obstante inprimis ætate. Verùm quando ex sola sanguinis abundantia, & acrimonia hic affectus ortus est, antequam corrosio pulmonum facta, V.S. omninò conuenit. Huius rei exemplum affert *Hipp. l.5. Epid. capit. 6.* qui virum in Oenade ex sanguinis copia emaciatum, omnibus alijs medicamentis frustrà tentatis, solà sectà in vtraque manu, sanguineque extracto quousque exanguis ferè redderatur, perfectum restituit. Similem tabem nos curauimus in Nobili virg. S.V.D. quæ cum nil præter ossa haberet, tribus tantùm vncijs sanguinis detractis meliùs habere cæpit, & tandem adhibitis paucis alijs medicamentis pristinam recuperauit sanitatem. Sed cautè hìc mercandum est, omnibus enim haud licet ire *Corinthum*. Loco huius conueniunt fontanellæ in principio, & progressu morbi, plures enim phthisici aperto fonticulo benè se habuere, occluso verò molestiam sensere. Nunc

in

in pharmaceutico campo omnis generis nobiliora præsidia se offerunt, & *spumat lenis vindemia labris*, in primis verò ea quæ materiam peccantem, & morbosam è toto corpore euacuant, suntque vel *vomitoria*, vel *purgantia*, vel *diaphoretica*, vel *diuretica*, vel *alterantia*, & *edulcorantia*, *Cardimelechem nempe placantia, sanguinis congrumescentiam impedientia, seu specifica*. Quod attinet vomitoria, illa hic semper existunt suspecta, si verò certissimè constat, viscera esse haud infirmiora, aut pulmones corruptos, nullum præcessisse sputum cruentum, sed tantùm ventriculum humoribus peccantibus, præsertim biliosis, turgere, nauseæ, & vomendi dispositionem adesse, tunc illa aliis euacuantibus palmam præripiunt, vnico enim vomitorio tum plus euacuari potest, quàm sex sedibus, modo vires ferant, aliæque circumstantiæ non prohibeant, aliàs hæc ob rupturæ vasorum pulmonalium aliorumque symptomatum metum minus tutò exhibentur, optimè monente *Willisio in Pharmaceutic. rat. sect. 3. 13.* Quod verò purgantia concernit, & ipsa minus tuta sunt, quia acidum adeò educere nunquam possunt, sed potiùs acrimoniam magis adaugeant. Ab initio tamen ad particulas biliosas inprimis vijs adhuc hærentes, educendas, illa, sed mitiora admittimus, quia ad phthisin procliues ab initio de amarore oris conqueruntur; præ aliis verò commendamus folia *sennæ*, rhabarb. mannam, pruna Dascena, vuas Corinthias, præsertim ex his parata decocta, & infusa, aliisque pectoralibus associata, quę tabidos plus iuuant quàm pulueres, Hinc Rulandus in Theatro suo felicem prędicat potionem sequentem:

℞. *Fol. senn. Alex ſſ.* ℥ j.
berb. byſſop. m. ß.
rad. zinzib. ℈ ß.
ſaccbar. cand. ʒ ß.

Coq. in ſ.q. vin. de hoc singulis diebus capiat æger ʒ iij. vsque dum vniuersum corpus benè rectèque sit expurgatum, si verò offendas quendam, qui amet vinum, præscribas vinum medicatum, tum ex herbis, & rad. pectoralibus, tum expurgantibus varijs superiùs recensitis, paratum, sed sæpè absque præmissis purgantibus hostem aggredior, puta acidum & acrimoniam peccantem, nisi enim maturè fomes huius mali è medio remoueatur, nempè acrimonia illa acida, tunc quicquid moliare, actum est de ægro; amouetur verò illa, per vsum Balsami ex terebinthina Anglorum ad gut. x. vel plures exhibiti, quo nonnullos restituimus; ad acres quoque, & acidas coagulatas sordes pulmonibus infestas, & iam illatas, & reliquias in massa sanguinea adhuc residuas euellendas, & mitigandas, palmam reliquis omnibus præripit *Balsamus noster pneumonicus dictus*, ex antimonio scil. spiritu volatili & oleosis paratus ad gutt. v. vsque exhibendus, quem communicassem tanquàm palmarium in phthisi remedium, nisi veritus fuissem, ne ille ad Empiricorum, & Agyrtarum notitiam perueniret, quorum est tanta copia, quanta, iuxta illud Plauti, est muscarum cum maximè calet, cuius tamen communicationem artis peritis, non denegaturi sumus: In defectu huius *Balsami* nostri, inprimis si æger iam expuat pus, & vlcus adesse pulmonum Medicus suspicetur, sequens conducit.

℞. *Balsam. Anglic. ex terebinth. de Peruana* ʒ j. ß.
ol. oliuar. recent. ℥
hyperic. ana ʒ j. M.

De quo capiat æger mane, & vesperi dimidium cochleare; verùm cum ægri semper sint biliosi, vnde oleosa vix ferre possunt, substitui potest hoc.

℞. *Terebinth. cyp.* ʒ j.
mell. rosat. ʒ vj.
pulu. liquirit. ʒ iij.
M. *fiat & detur mane nucis muscat. magnitudine.*

In quem & ipsum finem tanquam specifica, quæ simul placant nostrum Cardimelechem, magnisacimus & solutum sulphuris, Elix. propr. Parac. Magni,

Vvedellij, Tinctura antiphthiſ. ex vitriolo Martis, & ſaccharo Saturni cum aceto & ſpir. vini confectam.

Vel ℞. *Vitriol. Martis* ʒ j. *infunde in aceti ſupra minium fuſi, ſeu ſacchar. Saturni lequid.* ʒ j. *ſtent per noctem in digeſtione, poſtea euapora, adde ſpir. vini q. ſ. F. Tinctura, colatur, & ſeruetur ad vſum.*

Vitriolum quoque dulce ab omni ſeparatum acido prodeſt, quæ vitrioli dulcedo, ab eius ſulphure dependens, omnem vulnerum, & vlcerum corruptionem necat. Balſamus quoque ſulphuris aniſatus, vel terebinth. vel ſuccinatus proficuus eſt, modò intra terminos legitimi vſus ſubſiſtatur, inprimis ſi æger biliosus exiſtat, quod & annotauit *Expertiſs. D. Michael.* obſeruans multos ex nimio huius Balſami vſu in phthiſin, vel hecticam incidiſſe. Generoſa etiam, & hoc in affectu proficua ſunt medicamenta, conſtantia parte alcalina volatili, quippè quę peccans acidum imbibunt, & corrigunt, indeque placant noſtrum Regentem, qua tamen in re religiosè, & circumſpectè agendum eſt. Conueniunt potiùs ſudoriſera, quæ ex antimonio defumuntur, quæ ſcil. fixa exiſtunt, & omnem tum aluum mouendi, tum vomitum excitandi vim depoſuerunt, prout ſunt antimonium diaphoreticum, bezoard. mineral. &c. Ex Mercurio quoque depromptum remedium Helmontii proderit, quippe qui dulcis, frequenti cum ſpir. vini cohobatione, redditus, & porrectus, feliciquandoque ſidere ægro ſubueniet. Exſcreationes illæ aſperæ arteriæ, (de quibus conquerintur ſæpiùs phthiſici,) & pulmonum ex acriori acido, tum ſanguineum, lymphæ circa has partes imperium apertè, exortæ, optimè ſanantur, per *acidum abſorbentia*, vt ſunt Antihecticum, & ſtomachicum ſpecif. Poterii fæcula bryon. terr. ſigill. boli. ocul. cancri, corall rubr. ſang. dracon. myrrh. & ſexcenta alia. Eſto formula:

℞. *Ocul. cancr. præp. collar. rub. præp. ana* ʒ. j
antihect. Poterii ʒ ß.
pulu. anonym.
fl. ſulphur. myrrhat. ana ℈ j.
margarit. præp. gr. xv.
ſacchar. cand. q. ſ. in forma pulueris, vel in delicatulis in formula rotular. paretur.

A fortioribus vel alkalinis abſtinendum potiùs ſuademus. Hæmoptoicis ac phthiſicis pro ſalſuginoſioris ſanguinis aut ſeri attemperatione haud incongruum deprehenditur decoctum ligni Braſilienſis rubri, vel ſequens:

℞. *Rad. apij.*
leuiſtic.
tuſſilag. ana ℥ j.
raſur. ligni guaiac. ʒ iij.
fol. tuſſilag. m. j.
flor. verbaſc. p. ij.
paßul. mai. ʒ iiij.
Coq. in aq. pur. q ſ. colat. lib. iv. adde ſyr. de iuiub. ʒ i. *M.*

Acidulæ quoque *Selterenſes*, quia ſulphur vehunt, optimè hoc in affectu ad auxilium vocantur, quibus duos vidi reſtitutos; conducit & aqua ſulphurea Francofurtenſis, è contra Suualbacenſes ſummè nocent. Si malum iam altiores egerit radices, & æger planè emaciatus fuerit, ad lac, tanquam ad anchoram ſacram, quicquid etiam dicant alij, confugiendum eſt, ſeroſa nempè parte non tantùm abſtergit, ſed & ſanguinis acrimoniam corrigit, caſeoſa conſolidat atque butyroſa humectat demulcetque, propinandum autem illud eſt manè, ieiuno ſtomacho, tribus aut quatuor horis ante cibum, recens emulctum ab ʒ iv. ad ʒ vi. vſque, dein veſperi pro libitu, & euphoria) quatenus ſcil. vires augeri cernimus) adijciendum ſemper ſacchari parum aut mellis, ne tam facilè aceſcat, & in grumos abeat. *Mulicbre* præ cæteris, tanquam naturæ eiuſdem, & corpori humano familiariſſimum, ad ægri refectionem maximè conducit, eſt enim præ cæteris nimis ſubtile, citius penetrãs, & melius nutriens. Poſt quod *aſininum* ad phthiſin accommodatiſſimum, vti *Trallianus*, inquit *libr.* 1. c. 4.

c.4. habetur enim cæteris frigidius, humidus ac tenuis, minùs enim coagulatur, facilè tamen digeritur, quod & *Auicenna* confirmat *l.4. tr.2. c.6.* inquiens, non est lac post muliebre quod hecticis æquè conueniat, ac asininum, hecticam enim, si curabilis, ad plenum curat. *Caprinum* quoque phthisicis vtile est, adstringentius tamen habetur. Quo dum hæc scribimus, medicinam facimus sartori phthisico, qui miro modo lac caprinum, ob æstum inde nimis conceptum, ferre non potuit, vaccinum verò melius, quod, & frigidius reperit, quàm metamorphosin alii rei adscribere non possumus, quàm quod æger vaccino assuetior fuerit. In lactis tali vsu probè obseruandum est, ne acidum vitiosum in ventriculo hospitet, & lateat, illudque antequam lactis incipiatur cura, per absorbentia ex illa regione proscribendum, alias ab eo lac assumptum coagulatur, indeque plus nocumenti quàm emolumenti expectandum; si quoque vrgeat febris putrida, & diarrhæa lactis vsus quoque nocet. Sic & animalia ex quibus lac emulgetur non debent esse grauida, sed potiùs optimis herbis balsamicis, & traumaticis debent esse nutrita; vsus autem lactis ad mininium ad tres menses continuandus. Plura sunt quoque ex vegetabilibus quæ internè refrigerant, acrimoniamque obtundunt, & dulcificant, prout sunt fol. endiu. portulac. veronic. lactuc. fumar. tussilag. thee, alsines, violar. fl. rosar. nymphææ, sem.4. fr.maj, santal. omn. ex quibus varia solent parari medicamina, quorum formulas nonnullas in tyronum gratiam huc apponere allubescit, quæ acrimoniam obtundent simulque vlcus abstergent, & consolidabunt, hac tamen cautelà adiecta, ne nimiùm refrigerando sanguinem coagules, & in motu suo sistas, & sic ægro mortem accelleres.

℞. *Sarsaparill.*
rad.filic.
tussilag ana ℥.i.
succ.beccabunus ℔ j.
veronic. ℔.ß.
tussilag. ℔. i.
rutæ mur.
scabios.
pyrol.ana ℔.i.ß.
aq.sanicul.lib.i.ß.
cinamom.opt. ℥.ß.

Infunde omnia benè incisa cum splene bouis castrati repentè excisо, & hepate vitulino incis. limac. rubr. N. xv. per xvi. horas, postea destilla lege artis, adde.

aq-cinamom. ℥.j.ß.
pulu.confort.Aug.cum sacchar. ℥.iiij.ß.

Solemus etiam ex ostreis, cochleis, ranis, & cancris cum sanguine porci aquam destillare antiphthisicam, multis admodum proficuam. Pulmonis vlcus si sc. recens, factum vel ex plumbeo globulo, vel ab inflictu gladij, facilè sanari potest vulnerarijs, præprimis pulu. lapid. cancr. atque hoc ipsum est, quod ait *Tachenius de morb. princ.* pulmonis vulnera quæ ab externa causa, & vitio digestionis proueniunt, potionibus vulnerarijs perfectè curari possunt, non verò vlcera, quando procedunt à corruptione roboris, seu humidi radicalis innati, vel sequens decoctum proderit, quod cohibet acidum puris fabrum in ipsis pulmonibus.

℞. *Rad.liquirit.* ℥.i.
taraxac.
tussilag.
scorzoner.ana ℥.ß.
fol.scabios.
bellid.minor.
tussilag.
hepat.nobil.ana m.j.
fl.scabios.
bellid.minor.
farfar.
trifol.anæ p.ij.

Coq. in s. q. aquæ com. colat. adde syr. de duabus radicib. ℥.j. M. capiat æger subinde hausturn bis vel ter de die. In debilioribus ad nutritionem, gelatinam sequentem cum fructu præscripsimus.

℞. *Rad.C.C. crud.recent.* ℥.iiij.
*affund.aq.font.lib.*iij.ß.
vini rubr. ℥.ß.

In vase benè clauso dirigere in loco calido hor. xii. postea adde,

Rad. scorzoner. recen. ℥ß.
cichor. ℥ij.
herb. endiu. recent. m. j.
passul. mai. excort. ℥iij.
Coq. lento igne vitra dimid. consumptionẽ, colat. adde confect. alkerm. ℥ij.

Reponatur in loco frigido in vase vitreo, vt consistat instar gelatinæ; hinc quoque animalium capita, pedes, ossa, &c. quæ reddunt gelatinam, in phthisi prosunt. Cum verò in phthisicis æstus sanguinis animaduertitur, ad eum sedandum conducunt emulsiones ex sem. frigid. maior b. & minorib. amygdal. d. alijsq; paratę. Ad tussim, tanquam ad præcipuum vrgens symptoma, restinguendam, conducet looch farfar. pulmon. vulp. additis absorbentibus, succin. corall. rubr. præp. Antihect. Poter. margarit. præparat. spec. diatragacanth. fr. addito nonnihil de laudano opiato, vtpotè quo solo sæpissimè catarrhorum, & vt cum vulgo loquamur acrimonia, & tussis tolli potest, imò ab opiatorum vsu sæpiùs phthisicos benè se sensisse, testatur *Exper. Vir D. Ettmullerus in disputatione de Opij vi diaphoretica cap. 1. §. 15.* inquiens: *Sanè phthisici ex pulmone, sensibile beneficium ab opiatis recipiunt, ritè administratis, nam & sordium copia exinde minuitur, non supprimendo easdem, sed continuam regenerationem præcauendo, & eadem meliorem consistentiam nactæ, faciliori cum conatu expectorantur. Et haud semel miratus sum phthisicos etiam diutiùs ac per aliquot septimanas, continuatum opij vsum citra vllam sensilem vel notabilem noxam aut alterationem ferre posse, id quod & olim obseruauit Crollius in Basil. chym.* Et sunt eò gratiora, quia vigilias quoque nimium vrgentes curant. Quoad sudores colliquatiuos, vt & nimias seminis profusiones sistendas, conducunt adstringentia pectoralia, vt sunt sacchar. Saturni, vitriolum Martis Antihect. Poter. palmarium verò remedium hic erit sæpiùs dicta anti-phthisica ex saccharo Saturni, & vitriol. Martis confecta, &c. omnem enim sudorem nimium seminisque profusionem præsentissimè sistit, vt etiam alia innumera, quæ in libris practicis ferè omnibus vberrimè prostant, sicco pede transeamus. Præter remedia hactenus enumerata non rarò etiam adhibentur hoc in affectu *curæ sympatheticæ*, quorum operandi ratio licèt obscura, vsus tamen interdum satis felix visus est. Et mysterium hoc aliquomodo potest intelligi ex ijs, quæ habet Celebris *Comenius in Synop. sphysic. c. x. in Append.* quòd scil. id proueniat ex consensione spiritus in corpore existentis cum eo, qui materiæ separatæ adhęret, prout id quinque exemplis declarare nititur, quorum præcipuum est de medicina magnetica, qua vulnus ipsum non curatur, sed instrumentum, quo vulnus inflictum, aut vestis, lignum terra vulneris cruore perfusa, solummodo inunguntur, vulnus tamen feliciter coit, & sanatur: Ita *Hartmannus* habet experimentum sequens, quod sc. ouum coquatur in vrina ægri, & dein aceruo formicarum inseratur vsque dum consumatur à formicis. Cui experimento coniungendum est, quod nobis à Nobili est reuelatum, sputum nempè purulentum ægroti excipiatur linteo, hoc suspendatur in camino, vbi semper fumus ascendit, quo facto mirabili, sympathia, fortè ex consensione spirituum orta, consumptionem corporis desinere, nutritionem subsequi pristinam compertum est, vlcere scil. vi fumi consolidato. Peiore verò fato nota sunt hæc Empyrica, quorum nonnulla producamus in apricum, inprimis iecur lupi, & lutræ pro arcano hoc in affectu sibi seruat Illustris quidam ix. diebus ad ℥j in forma pulueris assumptum, item sal com. indatur frustulo ligni alni, & dein concremetur, & cinere vtatur æger per mensem, in iusculo conuenienti. Item singulis matutinis horis æger assumat ouū recens à gallina nigra positum., & continuet per mensem, & vltra. In hunc etiam censum referri potest D. *Cardilucij* remedium

dium ex *Raphana rustic.* cum melle mixtũ quo se nonnullos curasse gloriatur. Saccharum rosatum omnes ferè amplectuntur phthisici, quod mihi tamen ob saccharum admixtum suspectum est, ceu supra iam indigitatum. Prodest herba hederæ terr. in puluerem redacta; & pauco saccharo commixta. Caricæ quoque prosunt, quarum vsu mercatoris Francothalensis filium restitutum, & pinguefactum vidimus. Radices aronis cum floribus sulphuris commixtum B. *Beynon*, misericors ille Samaritanus, tanquàm summum remedium, dum adhuc viueret, Nobis in hoc morbo reuelauit, quale & putatur herb. bellid. prat. cum butyro frixa, & sæpiùs commesta; sed quis omnia recensebit? Sequuntur nunc remedia externa, vt pote quæ in phthisi suum quoque habent vsum. Ad vlcus ergo consolidandum præter iam dicta conuenit etiam suffusio, vapor enim ex decoctis herbarum vulnerarium, quibus insignis est vis ad tollendum acorem per occultum suum, quo impregnatæ sunt, alcali, ore ope fistulæ tabaci, seu per infundibulum, ad imitationem *Benneti* Angli attrahatur, quà suffusione perfectum phthisicum curauit D.D. *Dorell*, Practicus expertissimus Francofurthensis, seriore Libitina dignissimus, prout ex ipsius ore hausimus. Formulas verò quasdam harum euaporationum hic annectere in iuniorum Medicorum gratiam libet.

℞. *Rad. aristoloch.* ℥
tussilag. ana ℥ ß.
consolid. maior. ℥ iij.
rasur. lign. guaiac. ℥ j. ß.
fol. byssopi.
veronic.
scabios.
pulmonar. ana m. ß.
maluæ.
althææ ana p. ij.

Coq. in aq. fontan. & sic feruente adhuc decocto, assumat æger vaporem exinde prouenientem.

Vel ℞. *Rad. tussilag.* ℥ j.
thuris,
sem. nigell. ana ℥ j.
tereb. coct. & exsicc. & pulueriſat. ℥ ß.
styrac. ℥ j.
cinamom. ℥ ß.

F. Puluis pro suffitu, vel cum mucilag. sem. lini, & althææ fiant trochisc. & prunis imponantur.

Cæterùm inter externa magnifacimus sequens Emplastrum thoraci imponendum.

℞. *Ceræ flau. odorat.* ℥ j. ß
terebinth. optim. ℥ vj.

Solu. hęc igne, dein adde.
ol. terebinth. ℥ ij.
anisi ℥ ß.

M. f. l. art. Emplastrum.

Vel ℞. *Vng. rubr. potabil.* ℥ j.
resumptiu. ℥ ß.
croc. Martis gr. iij.
ol. anis.
fœniculi ana gutt. vj.
terebinth. ℈ ß.

M. d. ad ollam pro pectore inungendo.

Pro spinali medulla s. dorso sequens.

℞. *Vng. resumptiu.*
ol. ranar.
lumbric. ana ℥ ß.

M, D. Fontanellas quoque cum summo commodo instituimus.

Quod si verò nihil horum iuuare valeat ad chirurgiam infusoriam, tanquam ad vltimum remedium, transeundum est. Infundatur ergo ex præscripto *Magni Ettmulleri* Essentia ex vulnerariis, & ligno sassafras, cum spiritu roris maialis parata, vel transfundatur sanguis alterius sani hominis in venam ægroti. In casu quoque desperato, si à plenitudine malum hoc ortum suum ducat, paracentesis non inutilis erit, modò Medici robustos, & audaces ægros habeant, & qui nihil intentatum velint cuius modum instituendum B. D. D. Ioh. van. *Hoorne* in sua *Microtechne* docet. Peregrinationem quoque ad exteros, ad mutandum aerem & cibum, suademus, hoc enim modo tres ab eo morbo immunes factos nouimus, quod & cõmendat Præclarus Sene. D. *Sydenhã*, amicus noster exoptatissimus

LIBRI II.
De Morbis Pectoris.
CAPVT V.
DE HÆMOPTYSI, EMPYEMATE & VOMICA.

§. 1. COntemplati hactenus sumus affectum, in quo sanguis circa pleuram fuit effusus, transeamus nunc ad considerationem morbi, vbi sanguis protruditur ex arteriæ asperæ, & vt plurimùm è pulmonum vasis; ille verò dicitur Graio nomine Hæmoptysis, Latinis cruenta spuitio, estque quælibet ex ore sanguinis, ex asperæ arteriæ vt plurimùm propaginibus ad pulmones vergentibus euasati, excretio, sicut & in vomica, & empyemate vt plurimùm est purulentæ materiæ per os eiectio. Affectus prior saxis frequens est, & quandoque per tussim leuiorem, nonnunquam sine illa sanguis ex vasis suis effusus excernitur; vasa enim sanguifera in plures, & minimos capillares inde furculos diuiduntur, in quibus sanguis rapidissimè defertur, & facilè propter sanguinis discrasiam, eiusdemque secutam nimiam efferuescentiam arteriarum oscula aperire, rimas facere, seu continuum soluere potest, quibus ruptis necessariò sputum sanguinis sequi debet. Est quoque hic affectus dux, & author morborum pessimorum longorumque, & initium phthiseos, empyematis, & vomicæ. Sanguis enim qui per os excernitur, à multis prodere partibus solet, nimirum à capite, naribus labiorum parte interna, quæ dentes respicit, gingiuis, palato, lingua, gula, faucibus, asperà arteriâ, tonsillis, pulmone, asperæ arteriæ propaginibus gulâ, ventriculo, hepate, pancreate, liene, vtero, &c.

SYNONYMA.

Sed nobis hìc de illa sanguinis excretione agere libet, quæ à pulmone, & thorace ortum suum trahit, quæ vocatur ab *Hippocr. aphor. 29. S. 3. αἵματος πτύσις, Sanguinis expuitio, à Galeno, l. 7. de comp. med. αἵματος ἀναγωγή, Sanguinis reiectio*, aliis cruenta sputatio, sputum sanguinis, hæmoptoica passio, cruenta per os reiectio.

DIFFERENTIÆ.

Obseruandum autem hìc erit diligenter, ad bene distinguendum, num sanguis antea è naribus fluere consueuerit, illinc enim sæpiùs in ventriculum, fauces, interdum etiam in pulmones ruere contingit, sed plerumque concrescit, & in grumum transit. Si itaque sanguis spuatur, neque sanguinis fluxus narium præcesserit, necessariò è parte aliqua subiecta is prouenit, quod & alijs peculiaribus signis innotescet, prout videre est inferiùs in §. de *Diagnosi*. Differentiæ enim excretionis sanguineæ ritè aduertendæ sunt, sanguis enim in laryngem exsudans, post leuem in aspera arteria titillationem excitatam, absque tussi facilè quidem & insensibiliter in os adscendit, si verò euasatio fit in pulmonibus vel alijs thoracis partibus, tum sanguis cum tussi excernitur spumosus, quod si sanguis ex vasorum plexibus euasetur, tunc minore quantitate, & per vices, & mixtus cum sero coagulato eijcitur, si è stomacho, aut pancreate, tunc simul adest nausea, ac quasi cum vomitu, sine tussi tamen, is excernitur eliminaturque.

Empyema verò Germanis nostris dicitur *Apostem*, & differt ab Hæmoptysi, quod, vt diximus, in illo purum pus facilè sine immani tussi eijcitur, in hac verò purus sanguis; iterum Empyema clam in pulmone siue alijs in thoracis partibus generatur, & non rarò malum hoc, vt & vomica, se non priùs prodit, quàm si ægrum interimit, annotante nobiscum *Excell. VVillisio* Sect. I. Cap. II. de pulmonis vomica. Sic & Empyema vt plurimùm sequitur pleuripneumoniam, vt & Hæmoptysin, vti nouimus plures, qui ex pulmonis vomica insensibiliter orta, maturatà, & demum ruptà, pus plures hebdomadas, imò menses, tandem inde debiles ægri facti, tabidi mortui sunt; phlegmone enim circa pleuram excitata suppuratione, tandem apostemate rupto, pus in thoracem decidens hunc gignit morbum, & ob moram id maximè fœtet, eoq; differt à sputo, quòd in peripneumonia;

monia, aut phthisi eijcitur. Huc facit, quod nuper in milite Cæsareo videre licuit, qui ab ictu globi per pectus empyematicus factus est, & durante hoc morbo laborauit angustiâ pectoris, & difficillimâ respiratione cum excreatione, ità vt in fine morbi, atque initio mortis stertor vehemens adesset, aperto cadauere inuenimus in pectoris cauitate, & quidem in ea parte vbi dexter pulmonum lobus est, materiei ichoroſæ putridæ, & fætidæ, nondum verò in pus conuersæ, lib. VIII. quem ergo affectum Empyema aquosum nominare licet. Hoc quoque notandum, quod alter pulmonis lobus per quem etiam globus transierat, iterum miro spectaculo intra VI. dies consolidatus fuit, ac si fuisset noua pulmonis portio, alter verò lobus, haud dubiè ob aquæ putridæ ibidem stagnantis copiam, adhuc læsus, & perforatus mansit. *Per vomicam* intelligunt sanguinem non in pulmonum substantiam, sed in membraneam capsulam sensim effusum, ibidem collectum, & tandem in pus abeuntem. *Syluius* vomicam id intelligit, in quo glandulosa cum pulmonibus tubercula minora vel maiora in pus abeunt, & membranâ suâ concluduntur, quæ & sensim planè ad suppurationem, & inde in phthisin tendunt.

PARS AFFECTA.

§. 11. Pars affecta huius trigæ affectuum, sunt mox pulmonis parenchyma, mox eius vasa, nonnunquam membranæ seu vesiculæ pulmonum, quę vel sunt apertę, vel ruptæ, vel erosę, vel ità rarefactæ vt in Hæmoptysi (in qua omne vas sanguiferum pro parte affecta comprehendimus) tenerior, serosiorque sanguis per tunicas rarò quidem, si modò possibile, transudare queat, item vasa sanguifera costas succingentia, in empyemate, & vomica materiam hanc purulentam in hoc morbo defunctis circa easdem iam dictas vt plurimùm partes reperire licet.

DIAGNOSIS.

§. 12. Post partis affectæ considerationem breuiorem gradum iam faciamus ad diagnosin, vbi ante omnia notandum est, quod præcedant semper hos affectus indicia acrioris sanguinis, hoc est, calor, sitis, pruritus, & id genus alia; item à gingiuis, atque ipso ore sępè additur sanguis per sputum, tumque nascitur, si est sanguinei coloris eiusque parcior expositio, idque sine tussi; solutio quoque continui hìc sępè sensui manifesta est. Si verò à faucibus, siue aspera arteria proueniat tunc screatu, non tussi, reijcitur sanguis, solutioque continui apparet in locis dictis, si nempe lingua specillo vel alio instrumento per manum Chirurgi deprimatur. Si verò à capite deferatur sanguis, præcessit grauitas capitis vt & dolor, auriumque sonitus, adest simul efferuescentia, seu commotio sanguinis, prout videre licet in febribus, in quartana Egomet sæpiùs portiunculam sanguinis, absque vlla pulmonum tabis suspicione, eieci sæpissimè quod & in ipso screatu facilè percipi potest, num id quod eijcitur, à capite, vel pulmonibus trahatur. Quod si à pulmonibus proueniat, tum sanguis erit spumosus atque floridus, semper quoque tunc cum tussi frequenti, atque citra dolorem reijcitur, idque per interualla. Quotiescunque autem sanguis reijcitur, quando rupta est vena aut arteria magna, tunc is magna copia affunditur, etiam nulla notabili causa præcedente, ac quasi vomitu propellitur, ita vt aliquando eo pelues repleantur. Si verò is effundatur propter venæ alicuius in pulmone erosionem, quæ sæpè ab acri fit humore, membranam cingentem dilacerante, tunc sensim per modica interualla, minusque copiosè profunditur, nisi ceu dictum, magna aliqua vena vel arteria sit erosa, tunc etiam copiosè excernitur, & ægrum vt plurimùm interimit, prout hac in ciuitate in duabus ancillis obseruare licuit. Si sanguis ab aspera arteria prodeat, id tunc fit cum aliquali dolore, tussi, is quoque paucus, ruber caliduſque reijcitur; sin à ventriculo deferatur, id fit absque tussi, & potiùs cũ vomi-

mitu, essetque multus, nisi ab alijs partibus eò delatus ob grumescentiam per temporis spatium in ventriculo detentus esset, & tunc excerneretur. Si verò ab hepate prodeat vel splene, vel ventre inferiore, dolor grauans has partes turbare solet, vomitione quoque tunc sanguis redditur. Ex quibus omnibus fluit, sæpe esse onus Æthna grauius, ab inuicem distinguere, & quasi latentes mali scaturigines explorare, sed hìc difficile est, certis enim signis haud vnquam acuratius dignosci diuersitas potest. Illud sanè constare putem, quod sanguis à liene, & pancreate in stomachum exoneratus, grumosus ad nigredinem aliquomodo vergit, qualem eiecit ciuis Hanouiensis P. quem ità qualificatum, & medicanatio tunc adstans pro parenchymate lienis, ridicule scilicet, nesciens iudicare quid distent æra lupinis, habuit, & nescio qualem laxitatem, & distensionem vasorum *brevium*, per quæ viscus hoc ad ventriculum peruenire potuisset, finxere; sed cùm hic ciuis aliquantulum temporis post similes excretiones sanguinis passus est, & tamen etiamnum vitali fruatur aura, crebras etiam iniurias lienis sentiens, haud dubiè aliter iudicandum est. Subinde etiam sanguis reijcitur sputo ex venæ solius etiam minutissimæ apertione, vti in calidiore victus ratione accidit, atque tunc in parua quantitate in principio excernitur, estque tenuis, atque rubeus. Quod si verò fœtidus, purè permixtus, & quidem cum tussi valida, atque frequenti, reijciatur, phthiseos signum est, de quo videas Caput sequens. Prout itaque omnis eiecti sanguinis excretio per os facilè in sensum incurrit, ita certè locus vnde prodit, vt benè dignoscatur, & distinguatur, hoc opus, hic labor est, & pauci sunt, quos æquus amauit Iupiter, ac ardens euexit ad æthera virtus. Hæc fuere signa hemoptileos, nunc quoque empyematis, & vomicę, paucis perpendenda veniunt. Empyema, suppuratio, a pure dicitur, in quo eijcitur continuò materia purulenta copiosa cum tussi, adest respiratio difficilis, & sequitur vt plurimum pleuritidem, & anginam, vel hæmoptysin, vel pectoris plagam, vel vulnus, clam & sicarius hic sua arma gestat, raucedo quoque eam comitatur, sentiunt ægri pectoris grauitatem, nec febris ipsos deserit, pulsus est rarior, & p. n. frequentior, appetitus prostratus, pus quod excernitur, fœtidum, in quo differt à pure phthisicorum, adest oculorum cauitas, & rubedo genarum, præcipuè tres horas post pastum, cum vngium curuatura, aliquando tumore pedum, quæ & alia empyicorum signa optimè delineat *Hippoc. l. 2. de progn.* In confirmato Empyemate sentitur materiæ peccantis fluctuatio, & molestiæ sensus è corpore commoto, non enim in vtroque latere benè quiescere valent ægri, vrgent interdum vigiliæ, cum siti, & totius corporis inquietudine. Vomicæ signa ferè cum his coincidunt, sunt tamen ab initio planè occultata, & fermè nihil præter suspiciones quasdam Medici habere possunt, præcedit tamen, ceu dictum, semper hos affectus acrimonia sanguinis, quæ plurimis indicijs colligi potest.

CAVSÆ

§. 4. Sed & considerandæ veniunt causæ, quorum cognitio Medicis maximè necessaria est, eas enim si sciant feliciùs remedia morbo, & causis ijsdem aduersantia exhiberi possunt, vt adeò non malè pronuntiet Doct. *Fernel. l. 1. Pathol. c. 11.* inquiens: *Morbi absque causarum cognitione nec præcaueri, nec feliciter curari queunt.* Est autem hìc intricata eius inuestigatio, & multis difficultatum tenebris obnubilata, quia inter tot diuersa iudicia, quod eligendum, nescitur.

Veteres Galenici sequentem fouent de *causis* Hæmoptyseos, seu sputationis sanguinis opinionem, quòd vt plurimum fiat à nimia copiâ, & acrimoniâ sanguinis, vnde oscula vasorum reserari, necessariò concludunt, quod & probant per bonam corporis habitudinem, sanguinis matrem, alimentorum calidorum, vi

nique

nique immoderatum vsum, menſium ſuppreſſionem, & id genus alia; quem ſanguinem effluere contendunt, vel per *anaſtomoſin*, vel per *diæreſin*, vel per *diapedeſin*. A ſanguinis ergo copiâ, eiuſdem tenuitate, & aquoſitate facili Marte fieri poteſt *anaſtomoſis*, vt & ab ijs, quæ ſanguinem accendunt inflammantque, vt ſunt curſus, ſaltus, equitatio, & ſimilia exercitia vehementiora, & eius generis commotiones; vnde veteres pro cauſa remota huius affectus culpant tuſſim vehementiorem, vomitum laborioſum, vociferationem magnam, ac ſtentoream, iram, aliasque excandeſcentias tum animi, tum corporis, per hæc enim ſanguinem facilè incaleſcere, ac attenuari, indeque facilè orificia vaſorum aperiri, & ità euaſari poſſe dicunt. Per *diæreſin* Veteres intellexere, cum vaſa perforantur, diſſecantur, contunduntur aut rumpuntur, quæ continuæ ſolutiones, puncturæ, ſectiones, contuſiones, vel rupturæ vocantur. Per *diabroſin* verò indigitare volunt ſtatum, quando vaſa, & pulmo eroduntur ab acribus quibusuis, tum humoribus, tum cibis, tum medicamentis, tum porulentis, tum à ſalſo à capite catarrho ad vaſa ſpiritualia defluente. Per *diapedeſin* autem intelligunt, quando tunicæ vaſorum ſanguiferorum ità ſunt rarefactæ, vt ſanguis tenuis, qualis eſt cholericus, & aliquando ſeroſus aut aquoſus, facilè per eas tranſudare poſſit, per quem verò modum rarò admodum contingere poſſe hæmoptyſin, *ipſi* fatentur. Empyematis cauſa eſt *Ipſis*, pus thoracem implens, & fœtore ſeu acrimoniâ ſuâ graues noxas infligens indè frequenter id naſci ex ruptione præcedentis alicuius apoſtematis, vt anginæ, pleuripneumoniæ, &c. quod ita fieri poſſe aiunt, ſi nempe per ſuppurationem terminatur, puſque in cauitatem thoracis effunditur, vel etiam ſi tubercula cruda per coctionem in puris *Vomicam* ſint mutata. Empyema fieri quoque poſſe à catharro ad pectus delapſo, & intra XIV. dies per ſputum non repurgato acriter contendunt, etiam materiam aliunde influere, vel ex abdomine, per cæcos ductus eò penetrare credentes, hac ratione mori quòd in hydropicis idem ſerum, per ductus ad thoracem tranſeat, atque indè totum pectus ſeroſis ſcatens humoribus deprehendatur, quod & teſtatur tuſſis hydropicorum cum multa eiectione aquoſa. Tandem, per *Vomicam* intelligunt Veteres tuberculum, & abſceſſum alicubi in pulmonum ſubſtantia latentem, quo in caſu materia peccans à natura, prouida matre, ne ſtatim ſincera pars lædatur, propriâ pelliculâ includitur, atque inuoluitur, donec pelliculam illam exedat acris humor, ac intus contentam materiam in pectus effundat, & vel empyema, vel phthiſin, vel repentinam producat mortem.

§. 5. *Chymica* nobis nunc eſt conſulenda genealogia huius affectus. Accuſant verò illi hìc ſalia acria corroſiua, benigniorum lenientium mixturâ deſtituta, & imperium circa pulmonum vaſa ſibi rapientia, tenellas venarum membranas, vel arteriarum pneumonicarum corrodentia, aperientia, & ſic exundationes pernicioſas ſanguineas parientia. Actu enim ineſſe corporibus eiuſmodi ſalia, plurimis demonſtrant experimentis, quibus diutiùs iam inhærere inſtituti noſtri ratio vetat. Quod verò attinet ſuppurationem, & vomicam, id genus ſcilicet vlceris tunc enaſci contendunt, quando fit ſeparatio ſalis liquoris interni, ſeu balſami præſeruantis partes ſingulas à putredine, addentes, quod in puris generatione ſulphur, quod coagulatum eſſe debet, accendatur & reſoluatur.

§. 6. *Helmontius* pulmonario Archèo furore percito ob oneroſum tum quantitate tum, qualitate cruorem, vel pus, cauſam horum affectuum ex aſſe acceptum fert, quòd ſi verò excrementum non expectoratur, ſed induratur, tunc occultæ *vomicæ* ad tabis occaſio contingit

git, annotante Nob. *Helmontij* pullo, *Crembsio* in *Arbor. ruinos.* l. 2. c. 1. §. 9. de pulmonum defectibus. Ipse quoque *Helmont. in tr. delirament. catarrh.* p. m. 275. ait: Tandem aer magis exsiccat opilantes mucilagines, iuxta quas alia suscitantur producta, quæ dierum tandem numero aciditatem, acrimoniam ac malignitatem assumunt, vnde affectus suspirioſi, vomica, vasorum exesio, sputum sanguinis, tabes, & mors.

§. 7. *Willisius* causam horum affectuum quærit in sanguinis acrimonia, dyscrasia, & nimia eius effervescentia, sanguinis vasa tum pneumonica, tum arterias tracheales reserantibus, & sic vnitatem soluentibus; cruor etiam acris existens, circa has partes inprimis accumulatus, arteriarum ostula facili Marte reserare, aut exedere, & sic affectum hæmoptomicum excitare valet, quandoque etiam cruorem hunc crassiorem, & ad coagulandum aptum, cum è venis satis promptè excipi nequeat, effluere necesse est, quemadmodum videmus in scorbuto, & febre pestilente, variolis, in veneno assumpto, & ob hæc sanguinis rarefacti, & dein coagulati vitia hæmoptoicam passionem sæpiùs ortam esse. Multum quoque huc facit, iuxta nostrum Authorem, indispositio pulmonum hæreditaria. Inter causas remotiores recenset *Ipse* fluxus menstrui, aut hæmorroidalis, aliusque è naribus scil. fluentis sanguinis suppressionem, caloris, & frigoris excessius &c. quippe cum sanguis nimium æstuat, & transpiratio per poros cutis impeditur, furioſiùs tunc is effervescens, sæpissimè è suis vasis erumpit, vnde præstò est hæmoptysis, perinde vt si in purelentam transeat materiam acriorem, Empyema, & Vomica natales suas nanciscantur.

§. 8. Aliter splendidum illud Lugdunensium sidus *Syluius* in hæmoptysi bilem arguit copioſiùs genitam fluidiorem, & acriorem sanguini commixtam, & sic effervescentiam maiorem inducentem, atque vasa pulmonum sanguifera apetrientem, siue hæc apertio fiat per nimiam vasorum, à copioso valde, rarefacto aut retardato sanguine, aut flatibus distensionem, siue per humoris in vasis aut extra ipsa subsistentis acrimoniam rodentem, siue per rem duram, & acutam contundentem, siue quouis alio modo. In Vomica verò, & empyemate *Ipse* sanguinis molem ex suis vasis in cauitatem pectoris decidentem, & ob aciditatem id pus ibidem mutatum culpat.

§. 9. *Carteſius eiusque sequaces* hanc inundationem sanguinis non aliunde nasci credunt, quàm exinde, quòd sanguinis materia illa subtilis variam communicauerit diathesin; ab ipsa enim oriuntur p.n. effervescentiæ, & commotiones sanguinis, deinde quoque particulas omnes, quæ vel feriunt, vel rodunt, vel perfodiunt, vel irritant, & sic rimas faciunt, & continuum soluunt, hac effervescētiā p.n. efferas factas, pro causa huius morbi venditant. In vomica verò, & empyemate materiam purulentam pro causa obtrudunt, & inde dolorem grauatiuum in hoc morbo vrgentem ab huius mole incumbente neruis, qui in pulmonibus pauciſſimi reperiuntur, deducunt.

§. 10. Excussis, & perspectis aliorum opinionibus de causa horū affectuum, illos melioris illustrandi ergo, & nostram addamus. Adscribimus ergo immediatè causam Regi nostro *Cardimelechi* furore percito, ob sanguinem acrem indeque extrauasatum, simul imperium circa pulmonum vasa sanguifera rapiente hoste in sanguine latente, & varijs armis instructo, ille enim circa munimenta Regis prædicti tumultuosè debacchatur. Corpus enim nostrum instar machinæ hydraulicæ est, à contento intrinsecus liquore sanguine scil. motæ, quemadmodum motum hunc demonstrauit ad oculum *Excell. Reiſelius Archiater VVurtenbergensis*. Amicus oculissimus maximà nominis iam fama, & æternitate qui *Statuam suam humanam* erudito orbi exposuit; pro huius sanguinis diuersa ratione ex fermentationis, & particularum varietate

oriun-

oriunda, diuersimodè etiam se habet machinæ integritas, & motus indè dependens; particularum verò hoc Nectar purpureum constituentium motus intestinus, & agitatio, fermentationis venit nomine per duplex illud sal acidum, & alkali volatile regitur, quorum solutorum concursu, & in se invicem actione, reliquæ quoque particulę nimis commouentur, & agitantur; actio enim salium illorum in se mutua aliquando oculis sese conspiciendam præbet, estque satis manifesta, quando in legitimis se continet terminis, tunc enim omnia salua, sed quã primum deterioris redduntur naturæ, quàm statim eheu! excitantur efferuescentiæ impetuosæ, quantæ procellæ in continenti corpus nostrum obruunt, quantę inundationes maris? Quanta verò quies, quanta salus, si cruor existit pacificus, amicabilis, si fermentum illud in corde, spiritibus vitalibus impręgnatum, pabulum scil. Cardimelechis præsidis cordis, benè se habeat, quod fermentum radicatum esse Exc. *Ettmullerus* iam in oui puncto saliente ob salinum volatile spirituum animalium ostendit, probatque ità, vt in chylificationis culina summus coquus est de natura acida volatili, ita in sanguificationis, & renouatæ in sanguine fermentationis officina salsum volatile, & luminosum fit, & vt hæc verbo comprehendam, sanguinis dispositionem à salium duorum acidi, & alcali volatilium conditione dependere, omnino mihi cum sæpius prænominato *Nob. Ettmullero* persuadeo, vi enim suà salinà fermentationem illam & circulationem sanguinis excitat, instar fermenti pistorij totam massam farinaceam eleuantis, & porositatem conciliantis. Hæc adijcere placuit ἐν παρόδῳ quod nimirum fermentatio cordis in naturali, & sano perficiatur statu, quo melius intelligatur, quomodo illa in præternaturali vitietur, cum contraria iuxta se posita magis eluceścant. Quibus ergo suppositis, sanguinem ob læsam hanc fermentationem, & vel ob huius vel alterius salis excessum vel defectum, reddi posse, vel *acriorem*, vel *fluidiorem* constat. Hæmoptysin ergo si non semper, vt plurimum tamen prouenire à nimia sanguinis fluiditate, vel seri abundantia, vel à sale volatili simul, & acri, sanguineam massam, non tantùm fundente sed & vasa continentia scindente, persodiente, rodente, & spiculis suis lapsu temporis magis magisque fibrillas arteriolarum, vel venarum diuellente, & rimas faciente, certissimum est. Soluitur etiam continuum nimio sanguinis motu, vndecumque demum orto, quo in has vel illas fibras impetuosius ruens sanguis illarum cedere nesciarum compagem dissoluit. Soluitur & continuum, quando sanguis vno ictu, & impetu delatus, per vasa tenerioris texturæ, seu angustiora, seu tantæ molis non capacia, indeque fibras dilatans, atque ita per rimas raptus effluit. Hostem ergo hic imperium sibi rapere circa vasa pneumonica sanguifera extra omnem dubitationis aleam ponimus, vnde sanguis calcaribus hisce stimulatus, clausstris suis exsolutus cauitatem inprimis pulmonum, sicut equus effrenis ingreditur, & cum ibidem molestiam excitet, fibras ad irritationem concitet, & ad sui excretionem solicitet, inde si non excernatur, non potest non fieri quin mora acrior reddatur, & spiritus cæteræ particulæ temperantes abigantur, sal fluorem concipiat, vnde ex acore illo insigni, resoluto simul sulphure, fœtor ille exitialis in empyemate, & vomica exurgit; in quibus autem affectibus acidum incipit exsuperare; auolantibus subinde plus minùs particulis volatilioribus, & vicissim accedentibus hinc inde heterogeneis, ex eo empyema aliique abscessus oriuntur; pus enim generari ex variorum, ceu supra diximus, miscella manifestum est, quibus fermentum ex mora magis magisque acescens accedit, ex cuius, cum sulphure combinatione tandem etiam albet. Cum *Syluio* enim *Helmontio*, & *Paracelso acidum* in pure accusamus, non verò concoquitur sanguis

in

in pus, vt *Scbola* voluit *Galenica*, nam sanguis venæ sectione missus rubicundus multà coctione, etiamsi fortissimo igne instituta, haud abit in albam materiam, qualem esse pus, negari non potest. Empyema ergò, & pulmonis vomicam, vt breuitati studeamus, à sanguine acriore acidoque, in pus mutato, & in cauitate thoracis collecto, deducimus.

PROGNOSIS.

§. 11. Ordine nunc deuoluimur ad *Prognostica*, vbi, quid de salute ægri sperandum scrutabimur. In quem finem optimè monet *Senec. lib. 6. de benef. cap. 16.* quod Medicus pro ægroto, & fama artis timere debeat, quæ haud dubiè periclitatur, vbi infelix prognosticon ruborem Medico incutit. Sanguinis ergo superna eiectio qualiscunque iuxta Hipp. nostrum *l. 4. aph. 25.* iudicatur mala, perinde vt, eodem obseruatore affectus hic adolescentibus familiaris est, *sect. 3. aph. 29.* Et alibi memorat, sanguinem spumantem extussitum prodire è pulmonibus *sect. 3. aph. 13.* A pulmone vlcerato plurimum impendet periculi, cum inde suppuratio, & tabes certò metuenda sit, ratione enim continui motus, consolidari nonnisi difficulter pulmones possunt; adde quod in spongioso membro hoc, quale sunt pulmones, sanies non solum firmiùs hæreat, sed & vna vesicula pulmonis in aliam facili viâ transeat, vnde non potest non fieri, quin de die in diem pulmo sic constitutus magis exulceretur, respiratio impediatur, calor incrementum sumat, corpusque tabescat, vt adeo hic valeat illud *Iuuenalis Satyr. 6. Grex totus in agris vnius scabie cadit, & porrigine porci.* Arteriâ enim, aut venâ pneumonica ruptâ, si statim sanguis excernatur non tam damnosæ aleæ res, quàm si is in pulmonum substantiam illapsus sit, ibidem detineatur, sicque inflammationem faciat, & dein ob moram, anolantibus nempè spirituosis particulis, putrescat ac pulmonum substantiam tandem corrumpat exulceretque. Præsentissimum periculum imminet ex arteriæ magnæ pulmonalis ruptura, vnde per sanguinis copiam enasatam necessariò cor suffocari debet, quippe aliquando tantâ copiâ profunditur sanguis, vt etiam pelues, magnaque vasa breui temporis spatio impleantur, vnde æger, qui vt ille apud *Maronem*,

——crassum vomit ore cruorem.

In momento animam cum sanguine eius comite effundit, *ceu apparet ex Obseruatione nostra Curiosis communicata in Ephem. Germ. Ann. X. p. 309.* Sanguinis verò sputum sequens puris sputum malum minatur, significat enim vlcus pulmonum, ex quo quamplurimi periere, iuxta illud *Poetæ:*

Cernis vt è molli sanguis pulmone remissus
Ad stygias cerso limite ducat aquam.

Sin è thorace sanguis profluat, & naturæ, ætati, regioni, habitui, & tempori congener sit, tunc morbus minoris est periculi; obseruauimus enim in iuuencis à suppressione mensium eiusmodi sputum cruentum, quibus reseratis exspuitio cessauit. Sanguinis autem sputum diu durans & medicamentis idoneis haud auscultans, in tabem transit, prout nuper in puella xx. annorum hæmorragiâ nariù suppressâ, obseruauimus hæmoptysin, quæ cum anxietatibus cordis, tussi, aliisque signis pessimis in tabem transijt. Quod si exspuitio sanguinis fiat in valetudinario, vel scorbutico, tunc res est periculosior, quàm si accidat in robustioribus, vel non scorbuticis; verbo plerumque grandium pulmonis vasorum vulnera solent esse lethalia, minorum autem vt & empyematis vulnera sæpiùs curantur, teste *Magno Syluio c. 20. l. 1. §. 44.* Nec tamen semper timendum est sanguinis sputum, cum præseruet subinde viscera interna, puta hepar, lienem, &c. secundùm inquientem, *Hæmoptysis est sæpius critica, & liberat quandoque à magnis morbis.* Vomitus quoque sanguinis sine febre, salutare; cum febre verò pernicioſum signum iudicatur, iuxta *Hipp. sect. 7. aph. 37.* post fluxum autem sanguinis singultus, aut con-

conuulsio, malum portendit; aliter autem sanguis, qui ex vasis tracheæ exudat, quippè qui malo sæpè vacat. Vehemens quoque cephalalgia, elogio Hippocratis, soluitur nonnunquam sanguine ex ore prodeunte. Hæc de prognosi in Hæmoptysi.

In Empyemate diuinus noster *Senex* plurima funesta recensetsigna, quòd sc. necare soleat in VII. diebus, item euadentes purulenti fiant. Cæterum Empyici à pleuritide debent intra xl. dies à ruptione purgari, atque tunc liberantur, aliàs si hoc cessset, fiunt phthisici; Illi verò si vrantur, aut secentur, & pus prodeat purum, & album, tunc euadunt. Si febris haud remittat, & interdiu leuior sit, noctuque increscat, multus quoque sudor adsit, & tussiendi cupiditas, nihil tamen exspuatur, oculi cauentur, malæ rubeant, vngues in manibus incuruentur, manus caleant, pedes tumeant, fastidium, vel nausea vrgeat, pustulæ toto in corpore nascantur, tunc illi suppurantur, & præsentissimæ mortis indicium est. Empyici melius in speciem habentes, & qui ferè expurgati, periculoque remoti iam videntur, si sputum fœtidum excernant, cum recidiuâ intereunt, teste *diuino Coo* in *Coacis*. Funesta etiam inter signa recenseas, quando specillum à pure velut ab igne coloratum est, quippè id mortem indicat, quia denotat summum acorem, & extinctionem spirituum volatilium. Ita si hoc in casu febris hectica, respiratio difficilis, dolor maximè grauatiuus pectoris. pulsus debilis, & frequentior, accidant cum sudore frigido, & diarrhæa velut colliquatiua, atque crebris animi deliquiis, tunc de ægro factum est. A periculo iuxta Hippoc. tuti sunt, quibus eodem die, quo ruptio facta est, febris conquieuit, desieruntque vrgeri per cibi fastidium & sitim, ità vt aluus exigua sit, pus album, leue simplici colore, sine pituita, atque sine dolore, leuiq; tussiculâ reiiciatur, vti & reliqua symptomata ab initio magnam sæuitiam exercentia, aliquantum remittant, tunc enim certa salus speranda est, notæ enim sunt salutares, quæ ægros celeriter liberant à morbo. Quod si verò excrementum non expectoretur, sed in pulmonum anguftiis & anfractibus induretur, tunc id occultæ tomicæ, & tabis hedera est.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Inuestigatâ sic pro ingenii viribus morbi naturâ atque cognitione, æquum ducimus curationi vnam atque alteram pagellam assignare, non minimum verò hic pondus diætæ addit *mutatio* 2. *aph.* 5. vnde & illinc petendum auxilium. Aer ergo sit temperatus, & inclinet magis ad frigiditatem, è contra vitandus calidus, ob aculeatas, & subtiles salium particulas, quas vehit, pulmonibus ipsorumque vasis infensas, in quo prædicamento habetur, & intensè frigidus, qui per rigidas suas particulas, per moram, & stagnationem nactas ad exulcerationem, & continui solutionem faciendam, solus sufficere potest. Confer Nobiliss. *VVillisium*, *in cap. de phthisi*. Æger quoque fugiat solares, & lunares radios, ventumque meridionalem, atque solum lucentem; In empyemate verò aer vergat ad siccum. *Cibus* sit refrigerans, & vi emplastica seu glutinandi pollens, viscosus nempè atque glutinosus, vt sunt lac, cremor hordei, pedes vitulorum, hœdorum, gluten piscium, oryza lacti incocta, pulmenta ex milio, auena & amylo parata; pultem quoque similem ex amylo cum vino commixtam in hæmoptysi maximo habet pretio B. D. *Simon Pauli*, Quadripart. Bot. gr. B. p. 332. Conueniunt quoque in empyemate ficca, vt sunt carnes columbarum, perdicum, cuniculorum, auicularum, pisces saxatiles, cancri fluuiatiles, &c. Hic quoque Nuclei pini, in templo Æsculapii olim suspensâ tabulâ hæmoptoicis commendati, sæpissimè in vsum adhibeantur. Ex fructibus in hæmoptoicis concedunturacidiuscula, prout sunt pruna Vngarica, pyra, cydonia mala, mespila, &c. in quem finem commendamus quoque lactucam endiuiam, cichorium, bellidis flo-

flores & herb. &c. Prout reijcimus contoctu difficiles cibos, acres, salitospiperatos, aromatisatos, impensè dulces, occultum acidum in se habentes, vt sunt saccarata omnia, quæ in his affectibus perquam nocua sunt. *Potus* ordinarius, sit cereuisia tenuis auenacea, ritè cocta tamen, extraordinarius verò vinum aquosum, rubellum, hydromel, aqua hordei, emulsiones amygdalinæ, lac caprillum (quo solo se curasse hæmoptysi laborantem, gloriatur Trallianus) vini è contrà generosi, cremati, aliusque fortioris, tum Rhenani, tum Hispanici, vsus planè exulet. In animali functione, *somnus*, & *vigiliæ* non excedant mediocritatis limites. *Motus* nimius, præcipuè pectoris clamores, cachinnus, & cantus fugiantur, per hæc enim immedicabilem pulmonum eorumque vasorum rupturam induci posse, nemo negabit; addere & suum symbolum possunt in excitandis his affectibus saltatio, pilæ lusus, equitatio, vectio curruum, &c. quæ omnia nimia commotione peraguntur, & sanguinem eliminare valent. *Excrementa alui* respondeant in dies arte aut naturâ, hæc & ipsa valent de mensium, narium, & hæmorrhoidum fluxu. *Ab affectibus animi* vehementioribus abstineat æger, & habeat potiùs animum tranquillum. Maximoperè verò vitanda est *ira*, nihil enim eà crudelius est, cuius proin initijs obstandum est, ad præscriptum *Magni Senecæ l. 1. cap. 8. de Ira*, inquientis: *Optimum est primum irritamentum iræ protinus spernere, ipsisque repugnare seminibus, & dare operam ne incidamus in iram, nam si cæperit ferre transuersos, difficilis ad salutem recursus est.* Sic & filiæ iræ vitandæ sunt, rixę scil. & contentiones, furores, &c. Quæ omnia secundùm *Syluium* bilem volatilem massę sanguineę per ductum hepaticum à se inuentum suffundunt, & sic efferuescentiam sanguinis maiorem excitãt vnde radices, & principia tristissimorum horum effectuũ fluunt; iuxta nos verò spiritus animales rebelles facit *ira*. Nocent, & *Venus*, & *balnea*, ob eandem causam, quia spiritus, & sanguinem commouent, inque furores concitant, vnde & sępe succendiculum horum affectuum fluit.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Ad alterum curationis pensum vt accedamus nunc, animi fert sententia, in quo obseruabimus methodum nostram inchoatam, & lustrabimus statim Veterum pyxides. *Qui* in Hæmoptysęos paroxysmo omnium primo *venam* interdum bis, quandoque ter in die secant, vel in delicatioribus malleoli aperiunt venam, inprimis si malum ortum, vt sæpiùs dictum, à menstruorum suppressione; dein cucurbitulis, ligaturis, sangui-sugis, frictionibusque, sanguinis motum auertunt. His præmissis bilis seu sanguinis feruorem *præparantibus* leniunt quæ sanguinis sc. fluorem adstrictione quadam leniunt, & cohibent, sunt verò illa syrupus acetosæ, rosar. myrtil. cydon. succus granator. aq. acetos. rosar. plantag. portulac. &c. Sic & pro re nata pituitosos, nec non bilioſos, acresque humores, sanguini permixtos (à quibus sæpè venarum fit apertura, & aliquando etiam erosio, & per consequens etiam sanguinis sputum) euacuant *vacuantibus* appropriatis, inter quæ referunt rhabarb. cum myrobolan. in aqua plantag. coct. Item cassiam recenter extractam, syrup. rosar. praua laxatiua, aliaque id genus mitiora; post hæc eligunt medicamenta, quæ immodicè fluentem sanguinem, & bilis vim simul *obtundere*, & tenuitatem eius *incrassare* valent, quæ ipsis dicuntur *sistentia*, prout sunt trochisci de terra sigillat. cum aq. plantag. exhibiti, syr. granator. myrtin. cydon. conserv. rosar. C. C. vst. terræ omnes sigillatæ, bolus Armen balaust. mastix. tragacanth. gummi Arab. plantag. & portulac. centinodium, diatragacanth. frigid. corall. rubr. succus plantag. herb. & plura alia, quæ notissima sunt, ex quibus pro re nata variæ concinnari possunt formulæ pro cuiusvis ęgri palato. Narcotica verò volunt in mali principio in vsum tracta, sed

vbi

vbi frustra his leuioribus vtuntur, & malum potiùs incrementum sumit, tunc quidem ad hæc tanquâ ad sacram anchoram confugiunt, viribus ægri tamen constantibus. Si autem à capite ad pulmones sanguinem illapsum esse, ex colore aliqualiter nigricante, & grumoso intelligant, adstringentia intus non exhibent, sed potiùs ea medicamenta præscribunt, quæ extrauasatum, & coagulatum sanguinem dissoluunt, & educunt, vti sunt rubia oculi cancri, vng. rubrum potabiles, sperma ceti, &c. Tandem in *Empyemate*, & *Vomica*, si materiæ collectæ in thorace suppuratio haud inhiberi potest, tunc eam emollientibus, & maturantibus adiuuandam esse prœcipiunt, in quem finem intus, & extus adhibent varia medicamenta, vt sunt Emulsiones; inter secreta verò referunt succum hederæ terrest. si ex eius ℥.iij. & prassij ℥. ij. paretur looch. & addatur thur. myrrh. ana ℥.j. diapenid. ℥ß. M. dein & aquam maluæ, hyssopi propinant. *Externè* emplastra, & cataplasmata ex ficubus, rad. althææ, passul. c. farina lini, fœnugræc. alijsque olei emollientibus confecta, ad partes vocant, de quibus accuratiùs differit *Riuerius*, qui instar omnium esse potest. Ipsis vltimum est refugium, apertionem thoracis tentare, quam nonnulli eorum inter tertiam, & quartam costam; alij inter quartam, & quintam, ab inferioribus numerare incipientes, instituunt, & quidem ope cauterii potentialis, vel actualis, & sic materiam in thorace contentam sensim sine sensu euacuant, certisque decoctis tum per os, tum per vulnus inflictum exhibitis abstergunt, quâ operatione plures se curasse omnes ferè Veteres Practici gloriantur.

§.14. Galenicà perspectà curà nunc ad Chymicos transeamus; qui ea medicamenta præscribunt, quæ salia illa acria, tum arterias, tum venas aperientes, obtundunt, partes demulcent, & balsamum naturalem sanguini restituunt, quales vires obtinent balsama sulphurea, & antimoniata, mitiora inprimis in vlceribus siue apostematibus pulmonum proficua, quod, & confirmat ipse *Paracelsus in in Chirurg. minor. libr. 2. pag. m. 56.* inquiens. *Antimonium* excellentissimum vlcerum exhibet medicamentum, cùm huiusmodi liquor mercurialis plus virium in se contineat, quàm aliæ quæuis margaritæ, &c. quippe solum ex eo curam, & sanitatem suam recipit aurum, quod supremum arcanum, & remedium audit; alia quoque diaphoretica *Illi* vsurpant. Puris verò exclusio in empyemate promouetur ex eorum methodo per ol. & spir. terebinth. cum fl. sulphuris mixt. Terebinthina enim à *Paracelso* vocatur externus balsamus, ob insignem sanandi vim; sunt tamen quidam qui spiritum vitrioli præmittendum putant, nempè quatenus purulentiam abstergat sed cauto hìc opus est. Sic Magister *Paracelsus* gloriatur, quòd nobilem mulierem laborantem empyemate sanauerit ol. sulphuris in aqua cyclamin. meliss. & betonicæ exhibito. Ita *Crollius*, *pullus Paracelficus*, ad hos affectus extirpandos spirit. tartari, & salis summoperè commendat. Putredinis quoque remedia esse scribit sal corallor. ol. cinamom. caryophyllor. aq. theriacal. præsertim sacchar. Saturni item prælaudatus Vir in hæmorrhagijs internis, vbi desperata sùt omnia, iiii. vel iiii gran. compositæ sperniolæ intra corpus in aqua burfæ pastoris exhibet.

§.15. *Helmontius*, eiusdemque assecla curam sequentem in sputo sanguinis obseruant, æger primò quiescat, nec se multum moueat, cui fini, & ne cruor tam copiosè ad pulmones ruat, ligaturas firmas in manibus, & pedibus instituendas Nob. *Grembs*, fidelissimus Helmontij interpres, prœcipit, ad quem cruoris fluxum sistendum laudat, & ipse syrupum corallor. cum croco Martis permixtum seq. modo.

℞. *Syr. corall.* ℥.ij.
croc. Martis. ℈j.
M. pro duabus dosibus.

Idem prælaudatus Vir laudibus effert oryxam cum aqua, vel lacte chalybeato coctam, item emulsiones amygd. pro

potu ordinario virum verò cydonior. cum aqua chalybeata permixtum pro extraordinario. Cum tandem sputum rubicundum steterit, vt ipse inquit, & Archeùs pulmonarius, faber sputorum, mucosa excrementa fabricet, tum ad spiritus furiosi mitescentiam, tum etiam ad detersionem excrementorum lac vstulatum porrigit; sumatur autem per v. horas à cibo; lactis verò vsus, non semper continuandus, quoniam nimium nutrit, & pectus replet sordibus. In vomica verò, si pus acescat, & sanguis aposteme-tur, conueniunt ea, quæ dicta sunt *de Peripneumonia, Capite nempe præcedente*.

§. 16. Pergimus nunc ad *VVillisium*, qui in pulmonis hæmoptoe indicationes habet curatiuas, 1. vt sanguinis effluxus protinus sistatur, & cohibeatur, 2. vt continui solutio absque tabe in pulmoni. bus relicta sanetur. Sanguinis ergò fluxum inhibent, vt is ad partem affectam non effluat, medicamenta tum sanguinis copiam minuentia, tum æstuationem eius compescentia, atque motum ipsius nimium deprimentia, vt sunt varia iulapia, Ex.gr. sequens.

℞. *Aq. nymph.*
plantag.
portulac.
quercus ana ℥iij.
lapid. hæmatit-
sang. dracon. ana ʒ ß.
sacchar. candi q.s. ad grat. dulcedinem.

In quem finem quoque prælaudatus Vir magnificat solutionem vitrioli communis, aut Martis in aqua fontana factam, & ad quascunque hæmorrhagias sedandas tum externè tum internè adhibendam, quo & faciunt venæ-sectio, ligaturæ, & frictiones, post quæ frustra tentata *Hypnotica* mitiora, inprimis *Diacodiata* suscipit, quatenus scil. illa cordis motum sufflaminando sanguinem deferuescere cogunt. Dein ad vasa aperta iteum conglutinanda, & claudenda præscribit varia medicamina *adstringentia*, *conglutinantia*, *consolidantiaque*, in forma mox linctus, mox decocti, mox pulueris, mox pilularum. Sit formula decocti ex traumaticis, & balsamicis parati,

℞. *Fol. pilosell.*
plantag.
sanicul.
ballid. sylu. ana m. j.
fl. rosar. rubr. m. ß.
bord. mund. ʒ ß.
paßul. ʒ j.
Coq. in aq. font. lib. iiij. colatur add. vitriol. Martis ϑ ß.
syr. corall. q.s. M.

Alia formula

℞. *Sang. dracon.* ʒ j.
sem papau. alb. ʒ ß.
lapid. hæmatit.
ocul. cancr.
corall. rubr. ana ʒ ß.
sacchar. rosat. ʒ j.
M. f. pulu. ad plures vices.

Potus sit decoctum chinæ, & sarsaparillæ, cum pectoralibus aliisque commixtum. *In empiemate* verò suadet Ipse sectionem siue lateris apertionem, & in meticulosis, & teneris, cauterium inter sextam, & septimam vertebram, foramine facto cannula argentea intrudatur, cuius ope pus in thorace contentum per vices emitti potest, ne id fœtorem contrahat, & patiens viribus cadat. Post hæc bis terue in die, per syphonem iniiciatur liquor traumaticus, & absterssiuus. Quoad medicamenta interna, Ille simul commendat varia decocta vulneraria, vel sequentem puluerem ad ʒ ß. bis de die exhibendum.

℞. *Pulu. ocul. cancr.* ʒ ij.
fl. sulphur. ʒ j.
sal. prunell. ʒ ß. *M. f. pulu.*

Vel *adiecta terebinthina in pilulas redigatur exiguas.*

Reliqua quæ id hoc affectu, & vomica pulmonum ante sectionem exhibenda sunt, cum illis, quæ ad mentem Authoris de Peripneumonia diximus, ferè conueniunt, ad quæ ergo beneuolum Lectorem missum volumus, & sic quoque missum facimus *VVillisium*.

§. 17. *Syluius* ad æstum sanguinis in hoc morbo sæpiùs vrgentem, temperandum, aci-

acidis, & austeris vtitur, nempè semper-uiuo mai. plantag. acetos. sic etiam ad acrimoniam humorum demendam laudat *Ipse* spirituosa, oleosa, & quandoque pro re nata opiata. Dein ad vasa rupta consolidanda commendat mixturam suam notissimam sequentem.

℞. *Aq. plantag.* ℥.ij.
cinamom. ℥.ij.
acet. stillat. ℥.ß.
corall. rubr. præp. ℥.ß.
sang. dracon. ℈.ß.
laudan. opiat. gr. ij.
syr. myrtin. ℥.j. *M.*

Hæc mixtura cochleatim sæpiùs assumpta curabit pleraque vasorum rupturas. In eundem finem venæsectionē celebrandam præcipit, vel in brachio, vel in pede alterutro. Sic ad corrigendos, tum à capite defluentes, tum aliorsum emanantes, *opiata* & blanda aromatica vsurpanda commendat. In casu verò vbi hæmoptoica passio per inflammatum, & nimis tenuem sanguinem orta est, indeque ad rupturam vsque distenta sunt pneumonica vasa, illicò venæsectione educendus est, & temperandus sanguis assumptis iulapijs refrigerantibus. Sit formula vna aut altera.

℞. *Aq. hord.* ℥.xx.
syr. violar. ℥.ij.
ol. sulphur. q. s. ad grat. acidit.
Vel ℞. *Sem. melon.*
papav. alb.
f. cum aq. plantag.
tussilag. ana q. s. Emuls. quæ edulceretur sacchar. cand. q. s.

In empyemate verò confirmato sanguinis in pus mutatio adiuuanda est, quod præstant medicamenta *emollientia*, & *maturantia*, vt sunt rad. lil. alb. fol. althææ, atriplic. mercurial. sem. lini, fœnugræc. item olea varia, pinguedines, &c. Ex. gr. sit formula cataplasmatis.

℞. *Rad. althææ* ℥.j.
lil. alb. ℥.ß.
herb. malu.
bis malu.
parietar. ana m.ß.
fl. verbasc.
melilot.
violar.
chamomill. ana p.ij.
sem. lini,
fœnugræc. ana ℥ß.
caricar. ping. N.vj.

Quoq; vel in aqua, vel in lacte, ardore verò summo existente, in lacte ebutyroso (pinguia enim haud omnes ferre possunt) ceu nos obseruauimus *ante quatriduum* in viro octugenario, qui ab inunctione pinguiū externa animi deliquium passus est. Maturato abscessu ad ipsam puris eductionem confestim accedendum est, ne pus morà acrius reddatur; quapropter apertio thoracis non procrastinanda est, sed tamen cauendum, ne pus vnicà vice educatur, sed partitis vicibus; & viâ puri factâ, pergendum statim ad vlceris mundationem, ac consolidationem, in quem finem cum admiratione iuuare dicit Author *noster* Balsamum sulph. Anisatum, vel terebinthin. si vlceri instilletur, qui & intus exhiberi potest ad gutt. v. vel plures.

§. 18. *Cartesiana* ex hypothesi ad particulas istas acutas, seu salinos aculeos, in sanguine existentes, & quælibet vasa sanguifera, inprimis pneumonica facilè dissecantes, & aperientes, & hæmoptysin producentes, obtundendas, sanguinemq; temperandum, conducunt omnia *balsamica mitiora* ex oleis, & blandè spirituosis parata, sic & omnia diluentia aquosa, refrigerantia nempè, ex. gr. sequens vel simile iulapium:

℞. *Aq. plantag.*
burs. pastoris. ana ℥j.ß
syr. è rosis siccis ℥ j.
lapid. prunell. ℥.iij
Mis. inlap.

Omnia quoque ponderosa ad volatiliora premenda ab *ipsis* commendantur, prout sunt lapis hæmatites, bol. Armen corall. rubr. terr. sigill & id genus mille, alia. Ad *acres*, & salsos humores corrigendos, & efferuescentiam sanguinis sistendam, conueniunt ex ipsorum scrinio *opiata*, inprimis pil. de cynogloss. de styrace,

præsertim verò theriac. cœlestis Hanouiensis, vide *Theatrum nostrum theriac. cœlestis.* Hæc sunt, quæ vtilia sunt in Hæmoptysi. Ex quibus præcedentibus, quid in empyemate, & vomica eligendum sit, emunctæ naris Medicus sua sponte nouerit. Itaque adhuc restat, vt, & nostræ opinionis penetralia pandamus.

§. 19. *Nos verò* superiùs vbi de causa horum affectuum locuti sumus, aliquid de sanguinis fermentatione naturali diximus, vt contrario simul considerato, melius differere possemus de præternatural. Sanguinis ergo excretio, vel augetur, vel minuitur. Spiritibus enim, & sanguine naturaliter se habentibus, benè dispositis, & partibus suis instructis, homo sanus, & vegetus dicitur, deficiente verò vel nimis auctà hàc fermentatione in corde vel spiritibus animalibus interceptis, vel eorum nimio affluxu cessat pulsus, cessat respiratio, & tandem succedit omnium naturæ terribilissimum animal,

—— *Mors, vltima linea rerum.*

Auctà quippe hac fermentatione in corde, magna inde oritur sanguinis cõmotio in omnibus arterijs, & venis, indè, & eiusdem excretio, & excreatio; sed cùm plerumq; fermentatio æqualis ac blanda depẽdeat à duplicis salis, *vrinosi*, & *acidi*, vel *alcali*, & *acidi*, accuratissima combinatione, inde deficiente ex his vno aut altero, vel in massa sanguinea, vel in ipsis spiritibus animalibus furor, & feruor excitatur; si enim alcali, oleum tartari nempè infuderis in venam animalis, id post mortem tibi exhibet sanguinem fluidum, & rarescentem, sicque nimis dissolutum, è contra acido infuso in venam, vt spir. nitri, post mortem coagulatum inueniens sanguinem. Illud verò maximæ difficultatis apud nostros est, num sanguis ex arterijs, num verò ex venis erumpat, sed cùm multa argumenta, & verè Acchillea militent pro arterijs, præcipuè quòd sanguis arteriosus à venoso consistentiæ ratione differat, & ob spiritus copiosos sanguis arteriosus tenuior, & subtilior, indeq; magis pronus ad euasandum existat, credibilis est indè eorum opinio, qui arterias accusant, attamen quid vetet asserere, quòd, & è venis egredi possit sanguis, hactenus nondum video, præsertim si considerem, quòd pori in venis sint apertiores, h. e. maiores; accedit, quòd hæ tunicis instructæ sint simplicioribus, è contrà arteriæ duplicibus, vt adeò hìc difficilior sit ruptura. Quid quid sit, nos hic vnicuique vsum fructum suæ opinionis relinquimus, & ad ipsam curam accedimus In omnibus ergò sanguinis excretionibus, à quacumque causa ortis, si nihil contra indicet, venæ sectionem instituimus, vel in brachio, vel in pede, præsertim in mulieribus, quibus menses non fluunt; dein sanguinem remanentem restringimus, & cohibemus, & tãdem coagulatum dissoluimus. Totum sanguinis sistendi mysterium consistit in ipsius coagulatione momentanea, vt nempe cruor in apertis vasis pneumonicis coagulatus crustæ ad instar eorum labia atque vulnera occludat, sicque sanguinis exitum prohibeat, quod promittunt tum acida, tum austera, aliaq; ponderosa. Notandum verò est, quòd prout vel sulphureæ particulæ, vel serosæ abundant, sic vel ipsum solum Rhabarbarum, quia simul adstringit, & educit particulas sulphureas, biliosas, ad ℥j. in aq. plantag. vel cum puluere ialappæ, si serum simul abundet commixtum prius exhibere solemus; fortiora enim nunquam exhibenda sunt, quia sanguinem magis mouent, atque ideò impetu facto vasa distendunt, & sanguinis fluxum aut augẽt aut periculum inducunt, ne affluxus cohibitus iterum erumpat. Si cacochymia in sanguine sit, per aliquot dies quiescat, vt interim vasa cõsolidentur, priusquam purgationibus educatur. Sit formula:

℞. *Hord. mund. p. ij.*
liquirit. rasur. ℥. ij
vuar. passar. ℥j.
Coq. in aq. pura, colatur. adde sacchar. q. s.
Vel ℞. *Cassiæ recenter extract.*
conserv. fl. persicor. an. ℥j.
rhabarb. electi ℥ß. *M. f. bolus.*

Vel

Vel ℞. *Aq. cichor.*
farfar. ana ʒ j. ß.
extract. rhabarb. ℈ ß.
pulu. rhabarb. ℈ j.
ialapp. gr. xv j.
fyr. cichor. c. rheo ℥ ß.
tinct. rosar. ʒ j. *M.*

Deinde ad hæmoptysin, & quascunque excretiones sanguinis sedandas, sanguinem cum spiritibus efferatis luxuriantem & sero nimio dilutum, intestinoque simul tumultu efferatum, indeque violenter per arteriolarum oscula prorumpentem, sale volatili acrisiue alcali excedente abundantem, temperandum, commendamus acida mitiora, serosa seu aquea diluētia, vt sunt sequentia. Ex. gr. Iulapium;

℞. *Aq. rosar. rubr.* ʒ j. ß.
plantag. ʒ v.
tormentill. ʒ ij.
Syr. myrtill.
granator. ana ℥ j.
spir. terræ figillat. ʒ ß.
M. d. ad vitr. pro aliquot vicibus.

In difficillimis casibus tandem etiam ad narcotica confugiendum est, in hunc finem proderunt Camphora, requies Nicolai, syrupus papau. laudanum opiat. theriaca Cœlestis, &c. Si verò sanguis debitâ suâ priuatus est consistentia, & orgasmo à spiritibus animalibus impetuosè in cor, & arterias irruentibus excitato ex agitatus, (ruptis enim arteriolarum osculis, & facta apertione cum impetu effluit,) tunc incrassare, & coagulare eum solemus per mixturam Syluianam iam dictam, vel ei simil em sequentem.

℞. *Aq. portulac.*
plantag.
beder. terrest. ana ℥ j.
succ. portulac. ʒ j. ß.
lapid. hæmatit. ʒ ß.
ocul. cancr. ℈ j.
laudan. opiat. gr. ij.
syr. corall. ʒ j. M.

Vel ℞. *Aq. rosar. rubr.*
tormentill.
bursæ pastor. ana ℥ j. ß
acet. rosac. ʒ j.
spec. diarrhod. Abb.
diatrion. Santal. ana ℈ j.
sang. dracon.
terræ figillat. ana ʒ ß.
syr. myrtin. ʒ j. *M. d. ad vitr.*

In casu verò vbi acidum deficit, & potiùs alkali, seu sal volatile acre primas habet, vel in ipsis spiritibus, vel in sanguine (ceu ex peste, aliisque febribus malignis quorum affectuum malignitas consistit in sale volatili ad summum acredinis gradum prouecto, videre licet, in quibus spontaneæ sanguinis profusiones sæpissimè ipsis miseris ægrotis mortem accelerant) ad attenuatum hunc sanguinem incrassandum, & coagulandum, præter acida, à quibus sub iugum mittitur sal illud volatile, ob acrimoniam infame, atque detruditur, nihil conuenientiùs reperitur, quàm sequens arcanum, quod nos nunquam destituit;

℞. *Alum. crud.*
vitriol. Mart.
sacchar. Saturn. ana p. æquales.

Quibus affunde acet. & liquor. terr. figillat. cum spir. vitriol. ana p. æq. & lege artis paretur, dosis à gutt. x. ad xxx. Liquor stypticus alius, ex terra Martiali paratus, neminem destituet. Huc faciunt tinctura laudid. hæmatit. inprimis nostra inferiùs communicanda, coral. tinct. terræ Iaponicæ, sulphur. vitrioli ad lx. gut. In scorbuto sæpissimè exoritur hæmoptysis, quæ antiscorbuticis, inprimis sero lactis, adiectis conuenientibus facilè curari potest. Ad sal illud volatile lixiuiosum obtundendum, figendum, acrimoniamque sanguinis corrigendam, contemperandamque, & consistentiam ei restituendam, idque sui vel olei, vel acidi, vel spiritus volatilis oleosi ratione commendamus emulsiones ex sem. 4. fr. maioribus, & minoribus, sem. papau. alb. adiectis amygdalis pro gustu, in quem finem coducunt, & opiata, laudanum opiatum quoduis, domito ille strenuus spirituum animalium, præcipuè theriaca cœlestis, sulphur minerale arte fixatum, hæc enim magnam habent vim sales acerrimos, & spiritus furiosos figendi. Tandē

ad vasa aperta consolidanda, & fibrillas minutissimas arteriolarum, & venularũ agglutinandas, conducunt vulneraria modicè adstringentia, & simul glutinosa, in quem finem laudamus decoctum sequens:

℞. *Herb. alchymill.*
veronic.
sanicul.
millefol.
agrimon. ana m. ß.
Rad. sympbit.
liquirit.
tormentill. ana ʒ ß
fl. bellid
balaust. ana p. ij.
nucl. pini ʒ ß.
ligni santal. rubr. ʒ *iij.*
lapid. cancr. ʒ j.
Coq. in lib. vj. ad tertiæ part. consumpt.

Vel in Electuarii forma.

℞. *Conserv. rosar. vet.* ʒ ij.
looch de psyll. ʒ j.
conserv. lymphyt. ʒ ß.
pulv. stypt. Heurini vel Croll. ʒ j.
lapid. cancr. præp. ʒ ß.
syr. de ros. sicc.
de pilosell. ana q.s. M.f. elect.

Amygdalatum quoque hic conducet.

℞. *Amygd. dulc. excort.* ʒ iij.
sem. frig. mai.
papav. ana ʒ ß.

Cum aq. hord. f. Emulsio, add. sacchar. perlat. q.s. ad gratiam.

Vel ℞. *Aq. millefol.*
veronic.
burs. pastoris ana ʒ j.
pulv. stypt. Croll. ʒ ß.
sem. byoscyam. alb. gr. xv.
syr. de symphyt. ʒ j. *M.*

Vel in forma pulveris, vt sanguini tenacitas concilietur.

℞. *Pul. anonym.* ʒ ß.
sem. byoscyam.
lapid. cancr. ana ʒ j.
M.f. pulv. pro aliquot dosibus.

Vel ℞. *Corall. rubr.*
margarit. præp. ana ℈ j.
gumm. Arabic.
tragacanth. ana ʒ ij.
M.f. pulvis pro VII. vel VIII. dosibus, quarum binæ quotidiè assumantur.

Vel ℞. *Syr. de symphit. Fernel.*
papav. rhœad.
alb. ana ʒ j.
laud. opiat. gr. ij.
aq. veronic. ʒ j. ß.
M. D. ad vitr. cochleatim sumend.

Laudatur & lac asininum chalybeatum, quia chalybeata adstringunt sine obstructione.

Ad consolidanda etiam pulmonis vasa conducet & balsam. sulph. terebinthinatus, vel anisatus, intus, & extus vsurpatus ad gutt. v. tincturam stypticam Anglor. & infusionem olei oliuarum in venas ægrotorum, tanquam generosa commendamus remedia. Quod attinet *Apostemata pulmonalia*, in iis (vomica sc. & empyemate) si febris deest, sulphurea quæcumuis magnificamus, vt tincturam sulphur. balsam. sulph. terebinth. Balsam. Samaritanum ex ol. oliuarum *l.* 2. & 3. lib. sacchar. albissimi commixtum, tandem vini lib. 2. confectum, item balsamum nostrum vniuersalem certo modo ex antimonio paratum. Illud qnoq; Dygbeanum in vomica haud inconueniens erit, pomum sc. cum thure repletum, coctum, & commesum; pro rusticis quoque ab eodem authore commendatur *ipsis* ferculum dignum, stercus sc. equinum, in vino albo coctum, & exhibitum.

Cæterùm succus nasturtii à D. Cardilucio hoc in affectu magnipenditur, sed sit fides penes authorem; calculum enim ex nostra praxi nondum meruit. His verò omnibus nihil iuuantibus, si pectus repletum atque refertum sit magnà mole materiæ purulentæ, ad apertionem thoracis (quà plures iterum restituti sunt) quidem, sed eà cautelà, confugimus, vt in teneris, & delicatulis ope cauterii inter sextam, & septimam vertebram aperire soleamus, & dein materiam purulentam, per cannulam argenteam sensim atque sensim emittamus; quod tamen non admiserit *Acanthio Plautinus in Mercatore Act.* 1. *Sc.* 2. v. 25. & sequentibus cum

Cha-

Charino ita differens. *Ch.* Loquere, id negotii quid est? *A.* Placidè volo acquiescere. Tuà causà rupi ramices, iam dudum puto sanguinem; *Ch.* Resinam ex melle Ægyptiam vorato, saluum feceris. *Ac.* At tu ædepol. calidam picem bibito, ægritudo abscesserit. *Ch.* Hominem pol iracundiorem, quàm te, noui neminem. *Ac.* At ego pol maledicentiorem, quàm te, noui neminem. *Ch.* Sin ego saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo. *Ac. Apage eiusmodi salutem, cum cruciatu quæ venit.* In casu verò vbi crudele hoc remedium adhibetur, bonæ notæ est, si pus non fœtidum exeat, tunc enim benè sperandum est de salute ęgri, interim tunc vulneri instillare balsamum dictum sulphuris anisatum, vel terebinth. & intus exhibere solemus ad gutt. v. & plures pro re nata. Pro potu ordinario in hoc casu commendamus decoctum sequens vulnerarium.

℞. *Lapid. sabulos.* ʒ iij.
herb. alchymill.
nasturt. aq.
consolid. Saracen:
virg. aur. ana m. j.
veronic. m. j. ß.
rad. liquirit. ras. ʒ j.
fl. bellid. m. ß.
M. f. ex aq. decoctum.
Vel ℞. *Decoct. hord. herb. plantag.*
& beccabung. vel nasturt. lib. iij.
addatur in fine lap. pruuell. ʒ ß.

Tandem variis præcipitantibus curam concludere solemus, vt sunt oculi cancri, corall. &c. Nec neglecta volumus varia externa, tum vnguenta, tum emplastra. Esto formula.

℞. *Ol. amygdal. dulc.*
chamomill. ana ʒ ß.
papau. ʒ ij.
croci ß.
ceræ q. f. M. f. vng. quo inungatur pectus.
Vel ℞. *Empl. diachyl. c. g.* ʒ j.
Pulu. fem. cumin.
rad. ireos Fl. ana ʒ ii.
croci ʒ ß. *M. f. emplastr.*

Hisce nihil proficientibus Medicus vela permittat ventis divinæ prouidentiæ.

In hæmoptysi decantatus ille liquor stypticus conueniet, inprimis *de la Vigne*, Galli. Verb. gr.

℞. *Alumin.*
vitriol. ana ʒ j.
phlegmat. vitriol. ʒ j.

Ebulliat ad dissolut. content. liquor filtratus spir. vitrioli aliquot gutt. adhuc aciduletur. D. S.

Vel ℞. *Alumin. crud.* ʒ ß.
terr. vitriol. dulc. ℈ j.

Phlegmat. vitriol. spir. vitriol. nonnihil aciduletur. ʒ j. ß. ad ʒ ij. M. D.

Sed spiritus vini per se rectificatus, externè applicatus omnibus his præstat, si quidem ab illo quiuis sanguis fluidus, etiam calidus, & adhuc recens, citissimè mirabili cum spectaculo coagulari solet. Et quod adhuc omnibus Philosophis ac Medicis ignotum est, ipsemet spiritus vini in puluerem siccum facilè coagulari potest, quod à me sæpè factum. Centinodium axillis alligatum, sanguinem statim sistere dicitur, vt & buso iusto tempore exsiccatus, & in manu detentus. Extra paroxysmum exhibeatur Essent. traumatica, bis vel ter in die ad 1x. guttulas; & si adhuc aliquid sanguinis expuatur, tunc misceri debet cum tinctura sulphuris vitrioli.

Vel ℞. *Essent. flor. hyperic.*
ocul. cancr. ana ʒ ij. *M. D.*

LIBER II.

De Morbis Pectoris.

CAPVT V.

DE PALPITATIONE CORDIS.

§. 1. ADhuc versamur in explicanda morborum pectoralium natura, quibus & cum alijs similibus morbis cordi ab omnibus nostris proceribus annumerari solet *Palpitatio cordis*, vel saltus cordis, qui Græcis πάλμος καρδίας dicitur, & est affectus, in quo *Cardime-*

Ieeb, Rex noster valde inquietatur, & bello intestino infestatur, & tamen omnem lapidem mouet ad hostem illum abigendum, motusque domesticos sedandos, tandem verò vel vincit, vel vincitur.

DESCRIPTIO.

Describitur verò hic affectus, quod sit *motus conuulsiuus* à sanguine vitioso vel bilioso, vel sero acriore diluto, & in pericardio præter naturam contento, cor & fibras neruosas arteriarum vellicante, indeque Cardimelechi bellum indicente ortum habens. Rex enim, ceu vigilans custos, quod sibi molestum est expellere nititur. Fibras quoque cordis, & arteriarum hoc in casu vellicari, ac spasmodicè contrahi, extra omnem dubitationis aleam ponimus, & causa hæc est, quòd quasi suppetiæ à Microcosmetore socio Cardimelechi mittantur, spiritus nempè animales ad cor impetuosiùs ruentes. In pulsu quidem naturaliter cor, & arteriæ à spiritibus mouentur per systolen, & diastolen, in hoc verò morbo nequaquam, sed violenter irritantur, & conuelluntur contrahunturque. Operatio itaque motus cordis, quę in pulsu fit, naturalis est, quæ verò in palpitatione cordis accidit, præternaturalis habetur, vnde & affectus nomen suum habet, à parte sc. affecta, atque symptomate, quo molestatur æger.

DIFFERENTIA.

Hic verò morbus noster plurimum differt à Cardiacâ passione, hæc enim ipsius oris ventriculi affectus est, noster verò ipsius cordis, & arteriarum; à tremore verò cordis in illo differre vulgò putatur, quod in tremore fibræ carneæ cordis siue motrices per se afficiantur, nec prout in palpitatione fit, causa morbifica in sanguine, aut arterijs cardiacis subsistit, quamuis (nostro quidem iudicio) tantùm secundùm magis, & minus differat, & natura huius morbi accuratiùs patebit ex casu subsequente.

CASVS.

Iuuenis Germanus 25. annorum Medicinæ Candidatus, temperamenti melancholici, varijs per Galliam, Angliam, & Belgium itineribus defunctus, diætam perperam obseruans, & lacticiniorū acidorum vsu nimio in Belgio indulgens, in febrem incidit tertianam duplicem, quam excepit quartana, omnibus frustrà tentatis remedijs in patriam redux, à febre quidem liberatur, remanentibus tamen post cibum assumptum tēsionibus hypochondriorum grauitate, & anxietate cordis, vertigine, & palpitatione cordis intensâ; inprimis post nimium exercitium, aut vini potum, omnium arteriarum, & minimarum quidem, pulsationem sentijt, vrina arenulis referta, æquè in lateribus, ac fundo vrinalis aderat, pulsu existente forti; æger auxilium poscit.

PARS AFFFCTA.

§. 2. *Subiectum* præsentis nostri affectus statuitur communi authorum calculo *Cor*, vitæ antlia, quod cum pericardio aut primariò, aut per consensum putant affici, ab inferioribus partibus existimant vapores adscendere posse ad cor, illudque vellicare. Nos verò præter sedem & arcem sacram nostri Regis Cardimelechis, & arterias secundùm suas fibras hic affici putamus, inprimis verò fibrillas cordis ventriculi sinistri, qui sanguinem in copia recipit à vena caua, & indè primam patitur molestiam cor. Affici ergo hic cor, & arterias idiopathicè, & quoque sympatheticè nulli dubitamus. Et res ideò creditu facilior est, quia facilè materia peccans communicari, & transmitti potest mediante sanguinis circulatione ab omnibus partibus, his enim infectis, cor & non ipse sanguis inprimis inquinari valet. Cor quoque esse musculum, & facilè posse ob fibras contrahi, superius probatum est per experimenta; corda enim si eximantur ex animalibus viuentibus cuspide culti lęsa se contrahunt, & se mouent impetuosiùs, de quà re inferiùs, vbi de causa huius affectus acturi sumus, plura trademus.

DIAGNOSIS.

§. 3. Nunc ad *diagnosin* nos conferamus. Spiratio hoc in affectu est exigua atque rara, pulsus est inæqualis, & impetuosus,

tuosus, cor ægri quasi concussum tremit, & palpitat, modò manum cordis regioni applicet. Concussio hæc aliquando tam vehemens est, vt vicinas quandoq; costas, ab ea fuisse fractas easq; quæ supra mammas sunt, à sede sua propulsas constet, notantibus *Fernelio*, & *Syluio*. Totius quoque corporis arteriæ, quas aliàs in sanis non sentimus, hic commouentur, & inprimis illæ, quæ propè iugulum sunt, imò, & nonnunquam arteriæ capillares in extremis digitorum validè pulsantes sentiunt ægri. In quibusdam illa palpitatio est tam perceptibilis, vt vestimenta, quæ pectus ab externis iniurijs muniunt, videantur ab adstantibus ad motũ cordis, & arteriam per interualla eleuari, atque deprimi, ceu ante tres dies, quo hæc scribo, in iuuene miro, & tristi vidi spectaculo. Subinde quoque sonitum, seu strepitum audire solent adstantes satis manifestum, quemadmodum memorat *Forestus obs.* 1. *lib.* 17. adsunt cordis anxietates, præsertim in constitutione hypochondriaca, & scorbutica, quas hoc malo vt plurimum concussas notaui. Cæterùm hic affectus facilè recrudescit ad quosuis corporis vel animi motus, in specie verò ab ira, equitatione, balneis, crapula, æstu, immodico exercitio, Venere, horrore, tristitia, metu, &c. Symptomata enim, quæ potissimum comitantur hunc affectum, sunt sensus grauitatis post cibum, murmura intestinorum à flatibus excitata, indeque tensiones hypochondriorum productæ, vertigo adest, & vrina arenulis referta; si verò per consensum aliarum partium oriatur, facilè Medico prudenti, & circumspecto ex illarum læsione id innotescet vt ideò huic rei diutiùs immorari nolimus, sed potiùs nos conuertere ad Ætiologiam.

CAVSA.

§. 4. Nunc & *Causa* diuersorum authorum explicationem paucis inquiramus verbis, vt in aliis à nobis factum affectuum explicationibus. Veteres verò *Galenici* huius mali causam, esse dicũt intemperiem cordis calidam, vel nimis frigidam alii eorum accusant flatuosos, malignos crassosque vapores atque spiritus, in pericardio, vel in sinibus cordis conclusos, & detentos, qui vel in corde generantur, vel aliunde mittuntur, ex hypochondriis nempè, aut vtero, aut aliis visceribus malè dispositis, ex quibus per venas in cor remitti posse contendunt, nonnulli ex ipsorum subselliis aquoso atque putrido humori vrinæ simili, pericardio incluso, causam huius affectus adscribunt, inde cor irritari, & ad motum p. n. sollicitari, vt enim affectum remotè ab ira, Venere, crapula, laboribus validis, &c. produci & augeri statuentes, hac ratione commoti, quod per hæc sanguis incendatur, & materia peccans cor quasi obruat, indeque id nitatur quod noxium valido motu seu pulsatione expellere. Idem quoque malum aliquando à polypo cordis, alioque humore aquoso, sanguineo, in pericardio, existente, enasci non dubitant, *Paulus Æginet.* l. 3. c. 34. valentes cordis palpitationes, sæpe ex sanguinis in eo concepti copia, aut feruore fieri statuit. Fernelius bilem retorridam in arteriis effusam, & nonnunquam in præcordiis, sæpiùs in liene, congestam accusat. Verbo quaternionem humorum hic peccare religiosè *Galenica* natio credit.

§. 5. *Paracelsistæ* hic pro more Tartarum suum obtrudunt, qui vaporosà, & resolutà suà substantia omnibus inest partibus, & cum iis ad membra defertur. Quando ergo *Archèus* cordis infirmum hunc non ritè separare, & expellere potest inde non potest non fieri, quin cordis motio turbetur. Accusant quoque ex *Mercurio sublimato cachymiali* ortas tetras, & malignas fuligines, acutis & corrosiuis spiritibus salium stipatas, spiritum vitæ obsidentes, qui, cum vi eluctari conentur, & verò in pugna resistant crassi fumi, inde talem efficiunt trepidationem, & palpitationem. Et solent quoque cum terræ motu comparare, in quo spiritus seu venti copiosi p. n. in visceribus terræ contenti, magnà vi exitum moliantur, variisq; motibus ob-

obsistentes terræ corpus concutiant, dum in contrarium terminum feruntur, & sic simili modo è vaporibus malignis in corde resolutis fieri putant palpitationē cordis. Nonnulli eorum spiritus Mercurij præcipitatos, capsulam cordis vibrantes culpant; alij alimentorum tartarum non ritè separatum, & sic cordi noxium accusant.

§.6. *Helmontius* causam referens ad Gas heterogeneum, vitale nostrum Gas, de natura salis balsamici existens, potentissimè celerrimèque afficiens *Tr. Complex. atque Mist. Elem. num.* 42. in hoc affectu austeram ponticitatem liquorum, spiritum sensitiuum contaminantem, pro causa huius affectus primaria agnoscit, indè enim cordis Archèum irritari, & ad motum inordinatum incitari contendit; simile quid producere etiam posse tetros, peregrinis ideis, tinctos, & versus cor delatos vapores, affirmat; quos tamen aliàs atro notat carbone.

§.7. *Willisius* affectum hunc, ex obseruatione anatomica in Theologo, oriri ex sanguinis in arterijs effluxu impedito, contendit, quatenus in cordis systole conus, & latera simul contracta angustantur, & basis cordis cum radicibus vasorum, ob sanguinem illi aggestum, & nonnihil hærentem, aut repercussum ampliata extumescit, vnde fluit palpitatio cordis. Certum igitur est, hunc affectum à sanguinis, aut vasorum vitio dependere, & per id probat, quod plethorici, & sanguine præseruido nutriti, in hunc affectum proni sunt, indeque facilè obstructio sequatur, tum arteriarum cordi appensarum, tum ventriculorum cordis, tum vasorum pulmonalium vitio, ab humoribus intra ista vasa concretis orto, vnde ventriculi cordis se non perfectè constringunt, atque sanguis egressurus è corde, spatium in pulmonibus non inueniens, vasa cordis cum violentia distendendo cor ipsum quatit, indeque necessario efficit palpitationem cordis. Cor etiam spasmodicè in hoc affectu affici, solidis probat argumentis, inter quæ palmarium est, quod hypochondriaco aut hysterico malo laborantibus solemne malum sit, quorum affectuum causa merè conuulsiua est; cor enim habere suas arterias, & neruos, fibrillasque motrices minutissimas constat, quę si constringantur, aut impetuosiùs moueantur, facilè perfluentem sanguinem sistere possunt, & sic hic affectus excitatur, prout id obseruamus in timore, tristitia, pudore, amore, ex quibus spiritus inordinatè mouentur, & vasa à fibris illis subitò, & diuturnè ità contrahuntur, vt sanguis ægrè, & nonnisi per vices per cordis sinus exiliat. A sanguine ergo nimis in cor aggesto, & stagnante, simulque spasmodica contractione fibrillarum neruearum, vt plurimum orirī hunc affectum defendit, & probat priùs quod palpitatio cordis oriatur à concretionibus polyposis, intra cordis sinus, vel arterias progigni solitis, prout & alii Practici obseruant, posteriùs verò confirmat per motus impetuosos spirituum animalium, facilè spasmum inducentium.

§. 8. *Syluius*, Palpitationem pro motu cordis conuulsiuo habens, per hoc opinionem suam fulcit, quòd sit motus ex parte inordinatus, coactus, ac sæpè vehemens; habitus quoque acres à tenui intestino ob vitiosam ibidem excitatam efferuescentiam ad cor eleuatos culpat, quippe qui sanguinis efferuescentiam conturbant, atque cor molestant, indeque irritant ad inæqualem sui contractionem nec excludit viscosos humores efferuescentiam in corde turbantes, item in cordis substantia tumores carneos, aut excrescentias osseas, cartilagines, vermes, vulnera, &c. cor molestantia.

§. 9. *Cartesius*, Sanguinis rarefactioni, ad vnam, vel alteram guttam factæ, indeque sanguini intumescenti, & ad arterias è cordis ventriculo elabenti, pulsum naturalem adscribit, palpitationis cordis causam sanguini crassiori, vel spirituosiori, impetuosiùs, vel placidiùs efferuescenti, indeque, vel celeriùs, vel tardiùs cordis sinus transeunti acceptā refert.

fert. Quod si ergo plures particulæ spirituosiores simul, & viscosiores in massa sanguinea reperiuntur, non potest non fieri, quin affectus hic excitetur, viscidiores enim particulæ, cùm à spirituosioribus celerrimè commotis non tam citò disiungi queant, propter figuras scil. tenaces sibi inuicem magis cohærentes, hinc quoties hæ particulæ vitiosæ ventriculos cordis ingrediuntur, & quamprimum rarescunt, maius tunc spatium requirunt, vnde necesse est, vt cordi ac arterijs quædam vis inferatur.

Ex deductis ergò liquet palpitationis causam vt plurimum sanguinis tum cruditati, tum viscositati, adscribendam esse, indeque cordis ventriculorum atque arteriarum tunicas affici, & conquassari, quod ipsum exinde probant *Cartesiani*, quòd fermentationis actio aliàs in liquoribus fermentandis languens v. gr. musto, iniectis fructibus crudis, i.e. immaturis, facilè promoueatur; accedit & quia laborantes hoc morbo viscida excernunt, vnde eò magis fermentationem sanguinis auctam concludi potest, crudior enim, & viscosior sanguis in cor reuertês, immodicas, & naturæ haud congruas efferuescentias, & ebullitiones, vehementiores cordis dilatationes, & motus p.n. tanquam ventus procellarum, palpitationum causas facilè excitare solet, quod etiam à iuuantibus, & nocentibus, & sic à posteriori, concludunt; quia ægri diaphoreticis iuuantur, & à viscidis læduntur; à cibis enim viscosioribus inter epulas assumptis, quales sunt lac dulce, saccharo permixtum, pedes animalium, pisces marini ostreæ, &c. hunc affectum ortum fuisse, plures norunt Practici. Nec tamen negant huius sectæ mortales, nasci posse hunc morbum à nimia sanguinis copia, & particulis acribus, acutis, & ex auriculis in eius ventriculos, & fibras irruentibus, hoc argumento persuasi, quod exercitium vehemens, cursus, saltatio, Venus, commouendo, & spiritus agitando hunc affectum producere valeant. Ita quoq; à contractione, & coarctatione ventriculorum cordis, siue à polypo, siue à pituita, siue à verme, siue à calculo hunc affectum produci posse nulli dubitãt; plus solito enim tunc spiritus influunt animales, & fibras cordis, & arteriarum spasmodicè contrahunt, & meritò hunc affectum referunt inter morbos spasmadicos; vide *acutissimi VValdschmidij Fundamenta Medicinæ p.m.* 86. Et hęc de aliorum opinione dicta sunto.

§. 10. Nos verò, antequam ad causam huius affectus explicandam accedamus, priùs quædam de cordis actione naturali præmittamus, vt eo magis elucescat cordis actio prętnaturalis. Primò itaq; ante omnia supponimus, Regem sæpiùs nominatum Cardimelechem à Deo T.O.M. ad huius stationis officia ritè peragenda ordinatum, qui non tantum cordi tanquam habitaculo proprio, (in fermento nimirum cordis) sed & reliquis præmunimentis h. e. toti pectori prospiciat; sacra enim eius sedes Cor instar penuarij est in quod portantur variæ dapes, quod si itaque hæ ob aliquam causam corrumpantur, non tantùm totum cubiculum repletur fœtore, sed, & inde Rex turbatur; & aliquando planè interimitur. Cor enim est officina in quà chyli in sanguinem transmutatio peragitur, & quidem chylus lymphæ permixtus axillarem venam sinistram (vbi rudimenta sua accipit sanguis) per ductum thoracicum (qui in hominibus plerumque in latere dextro, in brutis verò in latere sinistro conspicitur) infunditur, ab eo subigitur, eiusque motu in dextram cordis auriculam, dein dextrum ventriculum propellitur, & postmodum mediante nostro Rege in sanguinem similem transmutatur. Neque tantopere admirandum, quod chylus albus tam citò rubescat, cùm id in chymicis facilè fiat, limpidissimũ enim mihi seruo liquorem, qui affuso spiritu acido in momento rubescit. Cor enim primarium est viscus, dein arteriæ, quibus vlceratis, & læsis, sanguinis effluere, & circulatio impediri debet, vnde omnia cordis vulnera consensu omnium Medicorum di-

dicuntur lethalia, quod & confirmat Nob. Segerus in Triumpho Cordis aiens: Non compertum est vnquam, quendam vulnerato corde euasisse. Interim asteriſco, notandum velim, quod in *Comitatu Naßouico* in apri corde globulus plumbeus, & planè carne obstructus absque vllo incommodo, & vitæ discrimine repertus sit; erat enim aper magnus, & cùm venabulo exceptus esset, id vnicuique deprehendere licuit, non nudius tertius, sed diu ante vulnus esse factum. Paucis hic iam excussis Cordis vsum examinemus, & quidem plures Neotericorum à calore cordis innato, per elixationem sanguinem in corde fieri cõtendunt. Nonnulli sanguinem repetito cursu ad cor delatum à flammula vitali in eius sinu siniſtro flagrante rarefieri, calefieri, accendi, & ita chylum permistum attenuari, sicque in sanguinem mutari sibi imaginantur. *Syluius* verò ex lympha acidula cum sanguine per venas axillares descendente, & ex bile cum sanguine, per truncum venæ cauæ adscendente, iis & in corde confluentibus, ob contrarietatem acidi ex lympha cum sale vrinoso bilis efferuescentiam in cordis ventriculis oriri statuit, hac enim efferuescentiâ excitatâ, sanguis non tantùm incalescit & spirituosior redditur, sed quoque chylus transmutatur in sanguinem. Sed cùm bilis motus, ab ipso suppositus, non adeò certus sit, & lympha non tam ad sensum acida, nec sanguis adscendens non adeò biliosus sit, vt efferuescentiam hanc excitare possit, inde meritò iudicium nostrum suspendimus, quamuis huic opinioni, & *Nob. VVilhel. then Rhyne* subscribere videatur, dum inquit: Bilis vniuersalis in sanguine motus, siue circulationis author primarius, particulari etiam agitationi subiacet, dum sub acidæ lymphæ obuia vitalem excitat efferuescentiam, dum inter se particulis diuersâ figurarum acie instructis dimicant, vt innatum calidum iugiter toto in corpore foueatur. Nos verò potiùs suspicamur sanguinem per fermentationem ex duplici sale acido, & vrinoso, seu alkali volatili, in quo residet noster Cardimelech, in sanguinea massa ab ipso momento concepti hominis existentibus fieri, quorum solutorum concursu, adiuuantibus tamen Microcosmetore, hoc est, influentibus spiritibus animalibus, qui tum cordi, tum arterijs motum tantum conciliant, (& sic sanguinem plus minusue fluere faciunt) & præsertim Cardimeleche, Regibus, in se inuicem agunt, & ita vita perennatur. Vnde *Helmontius* non ineptè in ventriculo siniſtro fermentum quoddam statuit vitale, spiritibus vitalibus nempè inductum, & vitaliter illuminatum. Hoc verò fermentum acidum, & vrinosum, in quo iam residet nostri Reges, Microcosmetor, Cardimelech, & Bithnimalca, inoui puncto saliente iam radicatum esse, ob spiritum nempè salinum volatilem cum *Nob. Ettmullero* audacter statuimus, quod & iam olim nouit *Charleton* in Oeconom. Anim. p. 65. aiens: Luculenter apparet, spiritum vitalem in seminali primo virtutis plasticæ opera excitatum, & igneſcentem esse; nobiliſſimum enim illud principium, quod calore motuque puriorem colliquamenti partem ex albo in rubrum colorem mutando sanguinem in embryone primùm conficit, haud difficile erit id explicare, quidnam chylum similiter in sanguinem conuertat, atque eiusdem operis author per totam deinceps hominis, vel animalis vitam existat. Ad vitam enim diutiùs sartam tectamque retinendam pabulum Cardimelechis h.e. particulæ volatiles suaues hæ balsamicæ, seu sulphureæ sanguinis debent, quantum possibile, conseruari. Cum ergo tunicæ, & membranæ venarum, & arteriarum sint porosæ, & sensim deterantur, & eorum textura rumpatur, indè non potest non esse, quin hæ particulæ volatiles per has aperturas cum tempore auolent, sanguis desinat esse volatilis, & tandem pulset senum corda mors. Principium ergo vitæ consistit, in quantum sanguis in motu per volatiles siue particulas al-

alkalicas h.e. ſpiritus animales continetur.

Ex quibus nunc præmiſſis facilè quis cauſam palpitationis cordis hariolari poteſt, & illam eſſe diuerſam, & variam pro varià, & diuerſa ſanguinis, & ſpirituum textura, volatilitate, & fixitate certum eſt, conſiſtit enim aliquando in coagulatione ſanguinis certo in loco cordis excitata, vt plurimum tamen illa fit noſtro calculo ex eius nimia rarefactione, & inde orta nimia cõmotione, à qua maximè inquietatur Cardimelech noſter. Commotionem enim hanc cordis lædi poſſe à varijs cauſis, nemo, niſi qui cerebrum in calcaneo gerit, negabit, & quidem primùm ab acido in ipſa maſſa ſanguinea contento, vel ab alijs partibus inferioribus affuſo, à ſucco ſcil. pancreatico nimis auſtero, aut à ſero ſcorbutico nimis volatili, in ſanguine abundante, aut ab aqua acri in pericardio latente, & per vices cordi communicata, hunc affectum produci poſſe, ſole meridiano clarius eſt. Nullos enim excludimus humores, ſiue viſcidos, ſiue auſteros, ſiue pituitoſos, acres, modò acrimonià ſuà cordis parenchyma eiusque fibrillas ad conuulſiuum, & palpitantem motum irritare, & ipſi ſanguini grumeſcẽtiam, conciliare queant, vt in medio motu quaſi impediatur, qui, ne ſubſiſtat, motu ſubſultorio à natura excutitur, vnde fluit, cui nunc litamus, palpitatio. Sic, & ſpiritus animales tumultuantes, & ad cor, & arterias impetuoſiùs ruentes, ipſa ſæpius niſi ſemper ſpasmodicè afficere credimus, inde enim deducimus pulſum illum frequentiorem, & vehementiorem, calorem, &c. omnes nodos Gordios promptiſſimè ſoluit, ad cuius oceanum cui volupe eſt, quilibet excurrere poteſt.

PROGNOSIS.

§. 11. Itaque ordine ſic iubente iam ſigna *Prognoſtica* paulum diſpiciamus. Ratione *ſalutis*, & *mortis* in genere malum hoc eſt periculoſiſſimum, atque vitam inde periclitari indè conſtat, quòd pars affecta eſt nobilis, & ſancta ſcil. ſedes noſtri Regentis. Symptomata quoque ſunt vehementioria, vt ſyncope, catarrhus ſuffocatiuus, conuulſiones &c. planè verò funeſtus, & haſta abijcienda eſt, ſi aliquid maligni accedat; proinde vt, & affectus ſæpe lethalis exiſtat, ob impeditam ſanguinis diſtributionem naturalem. Is tamen, qui accidit ſympatheticè, non adeo metuendus eſt, æternæ enim veritatis eſt in ſcholis medicis aſſertum: *Quæ per conſenſum exoriuntur ſymptomata, iis quæ per eſſentiam fiunt minus periculoſa. Timæus l. 2. ep. 32.* affectum hunc quo ad euentum dubium dicit, quia ſæpe in ſyncopen lethalem degenerat. Cæterùm difficilior eſt hic morbus curatu in mulieribus ob corpora impuriora, & viſcoſiora, & ob vitam ſedentariam, quàm in viris; quòd ſi malum ſæpiùs poſtliminiò reuertatur, & ægrum affligat, periculum eſt ne eum è medio tollat. Sin in ſacra arce ſoluta vnitas coniuncta fuerit, æger pro deſperato habendus eſt; & quamuis nonnulli ab hoc triſti malo liberati ſint per venæ ſectionem, victumque extenuantem, & alia medicamenta generoſa, de quibus ſtatim agemus, è contra ſunt qui fruſtra hiſce tentatis poſt annum, vel plures menſes, eo malo rurſus correpti fuere, & ante ſenectutem morte præuenti, quemadmodum alij per acutas febres, nonnulli verò cum ſani viſi fuerint, ſubitò, & ex improuiſo per animi deliquium, & catarrhum ſuffocatiuum extincti ſint. Periculum enim certum repentinæ mortis imminet, ſi hic affectus diutiùs affligat, ſæpiùſque redeat. Quod ſi à cauſa externa malum oriatur, vti à veneni, ictus, vel plagę violentia, res quoque periculi plena erit; attamen hoc in caſu non planè deſperandum, ſed cautela hac ſemper Medico opus eſt, vt ſuſpendat in dubijs prognoſticon, ne artis famæ noſtræ elogio aliquid detrahat, & famæ ſuæ prodigus ſit. Tandem hoc malum non tam ſyncope correptis ſolenne quàm iis, quibus lien tumidus eſt, atro fæculentoque ſanguine ſcatentibus, hypochondriacis nempè. Denique terminatur, vt plurimum palpitatio cordis reſolutione, & correctione materiæ morbificæ, quo facto

facto naturalis fermentatio in corde restituitur,& Regentes nostri Microcosmetor & Cardimelech liberum regnandi exercitium recuperant, modò, quæ nunc requitur,cura obseruetur.

CVRA DIÆTETICA.

§.12. Et quidem primus est fons *dietetic us*,ex quo Medicus auxilia adfert ęgrotanti, quantum verò tum à morbis, tum à morte præseruatoriarum virium sit in iusto diætæ regimine, quotidiana docet experientia, & facit huc aureum id dictum *Senecæ*, de breuit. vitæ c. 1. *Non accepimus breuem vitam, sed (per luxum,) fecimus, nec inopes eius, sed prodigi fumus, ficut amplæ opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento diffipantur, at quamuis modicæ, fi bono cuftodi traditæ fint, vfu crefcunt*. Quare & nos, vt in omni re, ita hìc maximè in palpitatione cordis obseruanda solliciti, non solum agemus in genere, sed in specie designabimus, qualem diætam in hoc affectu suadeamus, & qualem dissuadeamus. Ad hanc autem non duntaxat cibum, & potum pertinere, sed hic, vt notissimum est, omnes res *nonnaturales* extendi, ex præcedentibus iam constat, de quarum singularum vsu, & abusu paucis disseremus.

Aer ergo eligatur purus, nullis inquinamentis, aut nebulosis, salsisque exhalationibus infectus, prout in locis maritimis est,qui nisi voto Medici respondeat, arte corrigi debet, excedente enim frigore, is calefaciendus est fumo fol.laur. iuniper.&c. facto,calore verò vrgente, is refrigerandus est quouis modo, inde licet non loculo,tamen sanitati pe~ num consulit, qui

——*extremos curris mercator ad Indos*,

& inde procellas huius morbi in suum caput,vt cæcius nubes,attrahit.

Alimenta sunto,quæ probum, & laudabilem, nec viscidum nec serosum, nec tenuem, nec salsum acremque sanguinem, & spiritus (qualis enim sanguis, tales spiritus) generare valent, quò simpliciora enim eò meliora teste *Cornelio Celso*. Cibus ergo sit temperatus, boni succi, prò melioris sanguinis generatione iusculà condiantur croco, macere cinamomo, alijsque aromatibus tum herbis, tum radicibus. Huc quoque conducunt brodia, in quibus radices aperientes asparagi, rusc. fœnicul. cort. capp. &c. fuerint decocti; Chocolatam Indicam in iusculo quotidie exhibitam reperi probatam. Fugiantur è contra cibi flatulenti, crassi, viscidi, acres, salsi, & excessiuè acidi, nocet quoque ingurgitatio fructuum hortensium, lactis, carnium fumo induratarum. Cibi enim hi frigidi,& flatulenti per se chylum flatuosum (potiùs acrem) generant, teste *Galeno de palp. c.5*. Saliti cibi maximè hìc obsunt, quia sero scorbutico acriorem addunt stimulum, & per consequens sanguinis, & spirituum motum, & impetum accelerant, scorbutici enim vt plurimum hoc morbo vexantur.

Potus sit vinum tenue, odoratum, aquà dilutum, in palpitatione verò calidiore, vbi vini vsus nocet, loco huius bibat potum cordialem ex corticibus citri, arant. cinamom. paratum, in quem finem conducunt Acidulæ Donigsteinenses, vel Suualbaceſcenses, quorum vsu, & nos triste seueri huius mali iugum excussimus. Vitet è contra æger vina generosa, sulphure item multo corrupta, à quibus furor sanguinis, & spiritibus animalibus conciliatur, & cor ad motum extraordinarium solicitatur incitaturque, monente quoq; *Helmontio*, palpitatio nempè cordis vini helluones exercet, vt & artistas diu multsiq; circa aquas fortes occupatos, quia miasmatis suis sanguinem attenuant, & spiritibus noxam affricant. Nocent quoque hoc in casu aquæ vitiosæ, stagnantesque, & ex hisce aquis parata cereuisia, flatulenta, non benè cocta, ac lupulata, acida, &c. quæ omnia vitiosum sanguinem, & consequenter spiritus etiam vitiosos producunt. Æger ergo ex iuuantibus, & nocentibus cautus factus, ea,quæ noxia videt,vitet,& sanitati potiùs quàm gulæ adblandiatur.

Mo-

Motus corporis sit moderatus, nimius enim sanguinem, & spiritus animales exaltat, furorem ipsis conciliat, & illos facilè ad spasmodicos insultus excitandos elicit. Sic & *Quies* nimia nocet, vita scil. sedentaria, *notante Helmontio*, qui otiosos palpitatione cordis affligi dicit, quia sc. chylus non rectè elaboratus in culpa est, item quòd sanguis non rectè actuetur, qui dein stagnat, crassius viscidusque redditur, & per consequens acrior, & vellicans. Hinc quoque non difflantur per transpirationem particulæ aliàs euolare solitæ, serosæ nempè, acescentesque sed in massa sanguinea, inprimis circa sedem Augustam, permanent, eam cruditatibus atque excrementis multis massæ sanguineæ, & spiritibus animalibus in neruis existentibus infensis, & hunc affectum sæpissimè producentibus, augent.

In procuratione *somni*, *& vigiliarum*, pro generatione huius affectus, maximè omnino faciendum illud *Terentii*: *Ne quid nimis*: & semper in recenti memoria habendus Hippocratis Diuini nostri Coi Aphorismus, Somnus & vigiliæ modum si excesserint, malum; somnus enim immodicus spiritus torpidos, atque sic ad actiones debitas inhabiles reddit, atque simul sanguinem in motu torpidum efficit; vigiliæ etiam nimiæ spirituosas particulas in massa sanguinea absumunt, sicque sanguinem vapescentem, lentum, viscosum atque acrem relinquunt.

Quod *Excreta*, ac *Retenta* concernit, illa ad naturę leges reuocentur, aliàs existunt affectus nostri authores, & fabri. Menstruorum ergò in sexu fœminino, & hæmorrhoidium in vtroque, atque hæmorrhagiæ narium fluxus inhibiti restituantur, ne particulæ vitiosæ in sanguine retentæ illum variis inquinent impuritatibus, ac planè corrumpant.

Animi pathemata seu affectus præsertim *iram*, in qua etiam aliàs in artubus obseruatur tremor, quidni & in corde, tristitiam, metum, gaudium insperatum, Veneris ludibria, inter quæ nuper vir tali actui Venereo operatus, prout mihi retulit, in talem palpitationem cordis incidit, vt nisi receptui cecinisset, suffocatus fuisse, & alia vehementiora sedulò fugiat ęger, & in quantum possibile aliena à se putet magna etenim horum vis est in sanguinem, & spiritus; inflammationes etiam pariunt, tremores, febresque mediantibus spiritibus accendunt, & nescio quæ alia mala ex equo tanquam Troiano prodeunt. Quantum enim etiam in optimè sanis noceant, quanta quoque grauissima inferant mala quotidiana experientia fidissima magistra serà hic peccantium pœnitentià abundè ob oculos ponit.

§. 13. *Præmissis* his curationem *pharmaceuticam* aggredi libet, initio facto secundùm methodum nostram hactenus obseruatam à Veteribus eorundē pyxidibus excussis. Omnium ergò primò illi, si corpus cacochymicum fuerit, humores naturæ obediente reddebant *præparantibus*, vt sunt syr. de duabus radicibus, byzant. oxymel. simpl. compos. squill. aq. betonic. decoctum anisi, betonic. fœnic. In melancholicis in hunc finem vtuntur syrupo de epythim. de lupulis, de pomis, &c. In biliosa verò constitutione, succ. limon. acetos. aq. lactuc. violar. bugloss. rosar. cichor. Quos humores ita præparatos tandē expurgant *Euacuantibus suis medicamentis* Ex. gr. In constitutione calidiore, syr. de multiplici infusione rosar, rhabarb. In melancholica verò dispositione exhibent diasennam, confectionem Hamech, pilul. Indas de lapide lazul. sine quibus esse nolo, senn. epithym. In casu verò vbi morbus hic à frigidis, & pituitosis humoribus oboritur, præscribunt agaricum trochisc. pil. de agaric. &c. vt plurimum quoque pro summo remedio deprædicant venæsectionem, quam ad animi deliquium vsque institutam volunt in calidiore sc. constitutione, in frigidiore natura cordis eam haud admittentes. Demum materiam heterogeneam quamcumuis ad partes ignobiliores deducere laborant, clysteribus, cucurbitulis, frictionibus, & ligaturis dolorificis, &c. tandem *corroborant*, intemperiemque sanguinis. vel calidam,

vel

vel bilioſam, vel frigidam, aut pituitoſam, ſequentibus medicamentis *roborantibus* dictis, emendant, vt ſunt ſpec. diamb. confect. alkerm. aromat. roſar. theriac. cum aq. bugloſſ. exhibita, moſchus, diamoron. diamoſc. dulc. vinum Hippocr. ſucc. bugloſſ. cort. citr. condit. zedoar. N. M. caryophyll. Externè Epithema ex aq. cord. maioran. & ſacculos ex ligno aloes, ſpec. diambr. aliiſque aromaticis paratos applicare iubent.

In calida verò palpitatione, prẽter ſupra dicta corroborantia conducere aiunt, ſpec. diarrh. Abb. diamarg. fr. diatrion. ſantal. Syr. de ſucco granator. acetoſ. de pomis, de bugloſſ. de limonib. cydonior. &c. In hoc caſu externè epithemata ex floribus nymphæę, roſar. rubr. fl. bugloſſ. violar. cum aquis refrigerantibus cordialibus, vel ſacculos iiſdem ſpeciebus repletos parare, & applicare ſolent, varia quoque balſama, & linimenta cordialia præſcribuntur, Ex. gr. ligni aloes, Rhodii N. M. expr. concinnata. Conuenire aiunt omnis ſortis palpitationi ſpecialiſſimè Meliſſam, bugloſſam, borraginem, corallia, margaritas, lapides pretioſos, os de cordę cerui, ebur, vnicornu, &c. ex quibus prudens Medicus facili Marte formulas conſcribere poteſt, quibus verò nunc ſuperſedebimus.

§. 14. *Hermetici* curatione palpitationis cordis ea exhibenda ſuadent, quæ ſpiritus vitæ oppilationem tollunt; ſumos cachymiales diſcutiunt atque balſamum vitæ maximoperè corroborant, inde Paracelſus aurum præparatum ad ℈ j. in aq. lauendulæ per alcohol. vini extracta prepinandum vult. Commendant etiam alii ex ipſorum grege oleum corallorum, tincturas gemmarum, ſaphyr. hyacinth. &c. inprimis auri, ſi eius gutt. IV. vel V. cum vino meliſſato, porrigantur, nonnulli laudibus euehunt, hoc in affectu oleum cinamom. ſuccin. ad gutt. III. Eſſentiam verò margaritarum in ſyrupo cort. citr. & cum moſcho datam. Sic Quercetanus magni facit eſſentiam ex corde cerui cum ſpir. alcoliſ. chelid. C. C. monoc. cum alcohol. meliſſæ, moſch. cum ſpir. vini ther. zibeth. & caſtor. cum menſtruis ſuis extractam. Multi extractum cochinellæ, vel granorum chermes haud malè præferunt confectioni alkerm. tanquam cordialiſſimum. Reliqua, & externa, quæ hinc inde apud autores prodeunt, & hactenus fidem, non conſtituerunt haud libet hinc apponere, nauſeam pareremus.

§. 15. Sequitur *Helmontius*, qui optimè „ait cap. 15. de febrib. num. 7. Deinde, „etſi vegetabilium, & animalium eſſentiæ ſint calidæ, illorum tamen ſalia volatilia, (quæ nunquam vidiſtis) ſunt „temperata. Adeò, vt ſi oleum cinnamomi, caryophyll. lauendul. &c. noueris tranſmutare in ſalem volatilem, „nactus ſis medicamentum temperatum „efficiens quantum de iſtis ſimplicibus „ſperari poteſt in palpitatione cordis. „Hoc in caſu ille quoque magni facit *Opiata*. Obſeruauit enim cap. 6. de *lithiaſi* quendam Chymicum dudum circa aquas regias commoratum, incidiſſe in palpitationem cordis terribilem, tandem in dolores brachiorum, cui & os in latus dextrum fuit conuulſum, noctes quoque paſſus eſt inſomnes, cum brachiorum doloribus profundis, atque inſigni macie corruptus, propter aquarum conceptas ponticitates, fruſtra interim ad affectum hunc tollendum quælibet tentabantur exteriora remedia, ſolo verò laudano per dies 13. exhibito planè reſtitutus ſit æger, habitum dein mox, atque priſtinum robur recuperauit, de quibus & vide inferiùs criſin noſtram.

§. 16. *Willisius* cùm cordis palpitationem, vel à ſanguinis, vel ab arteriarum cordi appenſarum vitio dependere ſtatuat, & cauſas multiplices alleget, proin etiam *curationem* diuerſimodam inſtitui debere aſſerit. Quando ergò hic affectus à ſanguinis vitio procedit, intentio erit therapeutica, ſanguinem vitioſum nimis aquoſum nempè accendere, & ad meliorem efferueſcentiam, & craſin exaltare, eiuſque principia actiua depreſſa, aut dinu-

minuta augere, in quem finem ipse commendat medicamenta *spirituosa*, item *salina*, *sulphurea*, & maximè inprimis *chalibeata*. Sunto formulæ ex authoris gazophylacio.

℞. *Tinct. antimon.* ℥ ß.
Martis aperitiu.

M. d. ad vitr. exhibeatur in seq. iulapio ad gutt. xx. bis de die.

℞. *Aq. fol. ari.* ℥ iij.
pulig.
hyssop. ana ℥ ij.
lumbricor.
mirabilis ana ℥ j.
saccbar. rosat. ß *M. d.*

Quod si verò affectus hic ab arteriarum obstructione, & polyposis concretionibus ortum suum habeat, conducent medicamenta *salina*, & ex sale volatili præsertim parata, vt sunt spir. salis, sal. armoniac. & ope huius cũ milleped. vel aliis volatilioribus parata tinctura, spir. C. C fuligin. ligni guaiac. buxi &c. Sin affectus excitetur à nimia efferuescentia, & acrimonia sanguinis, tunc & ipse venæ-sectionem instituendam præcipit, simulque alia iulapia cordialia temperata, & refrigerantia præscribit. Quia verò Nob. Author hanc affectionem sæpiùs *conuulsiuam* esse arguit, ea propterea suadet, & intermiscet reliquis *antipasmodica*, & quidem specifica longà ipsius experientia nobilitata. Esto formula:

℞. *Spir. succin.*
sal. armoniac. ana ℥ j. ß.
tinct. antimon. ℥ ij.
M. D. *ad gutt.* xv.

In iulapio vel aqua appropriata, inprimis sequente exhibenda;

℞. *Aq. cinamom. bugloss.*
cord. cerui. ana ℥ j. ß.
cord. H. Sax. ℥ j.
confect. alkerm. c. ℥ j. ß.
perlar. præp. ℥ ß.
sal. volat. C. C. ℈ ß.
syr. perlar. Zuuelfer. ℥ j. *Misce.*

Tandem frictiones, cucurbitulas, ligaturas, hirudines, fotus, vnguenta, emplastra epithemata, ex cardiacis, aromaticis parata Medico prudenti concinnanda, & applicanda commendat.

§. 17. *Syluius*, si palpitatio cordis à viscoso, & acri humore exsurgere videatur præscribenda monet medicamenta *alterantia*, *incidentia* nempè, & *acrimoniam temperantia*, in quem finem seq. iunioribus Medicis reuelat:

℞. *Aq. cinamom.*
meliss.
borragin. ana ℥ i.
syr. borrag.
bugloss.
card. bened. ana ℥ ß.
spir. vitriol. Mart. ℈ ß.
F. Mixt. cochleatim sæpius assumenda.

Ad humorem autem istum viscosum, ac pituitosum acrem educendum suadet purgantia, omnibus verò aliis præfert pilulas ex gumm. quæ optimè glutinos. soluunt humores, iniiciuntque;

℞. *Gumm. galb. acet. squill. solut. & iterum inspissat.* ℥ ß
vitroli Mart. ad alb calcin. ℈ j.
Resin. ialapp. gr. xv. *M. f. pil.*
n. xxx. *pro duabus dosibus.*

Superbibendo post horas duas iusculum, in quem finem sequens & commendat apozema:

℞. *Rad. apii* ℥ j.
ari ℥ j.
rasur. lign. sanct. ℥ iij.
baccar. laur. ℥ ij.
palp. colocynth. ℥ j.
sem. carui ℈ ij.
cort. arant.
Coq. in s. q. aq. font. in colat. ℥ xxx. *dissolu.*
syr. rosar. solut. cum senn. ℥ iij. *spir. vini rectificat.* ℥ ij.

Sumat æger huius apozematis ℥ iii. Extra paroxysmum curat hunc affectum sensim per alterantia, & euacuantia lenientia, sæpiùs exhibenda aliisque specificis maritanda, in calidiore verò casu venæ-sectionem, & cucurbitulas haud spernit.

§. 18. *Cartesiani* affectum hunc oriri, ceu diximus, vel à sanguine nimis viscoso, vel à nimia eius rarescentia, vel à coarctatione vẽtriculorũ spasmodica statuũt.

In priore ergò casu indicatio therapeutica erit, vt viscosus sanguis volatilisetur, in quem finem diaphoretica, & salia volatilia quæcumuis tanquam generosa admittunt. Ex. gr.

*. Mixtur. simpl. ℥ iij.
Essent. anodyn. confort. nostr. à ℈ ß. M. d. in vitro.

Vel ℞. Tinct. bezoart. Michael. ℥ j. ſ. antimon. ℈ i.
Essent. opii ambrat. gutt. VI.
M. d. ad vitr. dosis est gutt. x.

Hic & conducet pulu. diaphoret. Nobil. Cranii ex antimon. & caphur. parat. Conducet & hic decoct. ex lign.

Secunda indicatio curationis est, sanguinem nimis rarescentem, & efferuescentem corrigere per venæsectionem, & incrassantia, ponderosa nempè medicamenta, indè sequens electuarium haud inconueniens erit.

℞. Conserv. rosar.
borrag.
bugloß. ana ℥ j.
confect. de hyacinth. ℥ ij.
alkerm. ℥ j.
tinctur. corollar. ℈ j.
spec. de gemm. frig. ℥ iiij.
oß. de cord cerv. ℥. ß
lapid. hyacinth. præp. ℈ j.
syr. acetosit. citr. q. ſ.

F. Electuarium, de quo capiat æger, per vices quantitatem nucis castaneæ, vel sequentem puluerem.

℞. Margarit. or. præp. ℥ j.
C. C. vſt. præp. ℥ iij.
oß. de cord. cerv. n. x.
lapid. v. pretios. ana ℈ ß
santal. citrin. ℥ j.

M. f. pulu. subtiliſſ. detur à ℈ j. ad ℥ j. in sequenti, vel alio vehiculo.

℞. Amygdal. d. ℥ ß.
sem. melon. ℥ ij.
aq. cinamom. ℥ j.
bugloß.
cerasor. nigror. ana ℥ iij.
adde tulap. rosat. ℥ j. M.

Tertia ipsorum indicatio therapeutica est conuulsiuum motum cordis sistere, in quem finem suadent sæpiùs nominata antipasmodica cardiacis commixta, quæ ex nostra sane subsequente cura videre poteris.

§. 15. Reliquum est, vt & nostram sententiam de cura proponamus. Nos ergò ne sine discrimine, Empyricorum de more, remedia præscribamus, qui vno collyrio, prout sonat adagium, omnes sanare morbos satagunt, iuxta Medicorum Dogmaticorum cynosuram, medendi, inquam, methodo vtemur, & iuxta huius indicationes curam instituemus, quantum possibile, quorum tres sunt, 1. *Curatoria* nempè, quæ in paroxysmo potissimum malum abigere iubet, sicque cor & arterias ab extrinseco incursu, & subsultu liberare solet 2. *Præseruatoria*, quæ extra paroxysmum causas respicit. 3. *Vitalis*, quæ vires hìc valdè sæpiùs labescentes respicit. Quoad primam indicationem, depromimus varia medicamenta, tum ex pharmaceutico, ex chirurgico verò fonte phlebotomiam præ aliis præsidiis commendamus, quà plures, obseruatà tantùm victus ratione, perfectè restituti sunt, testibus *Auicenn. Galen. Horstio*, aliisque. Tundi ergò potest vena brachii, vel pedis, & sanguis ad quinque, vel plures vncias emitti, si quis timidus est, eius loco cum Rhase cucurbitulas scarificatas, & dorso affixas suademus. Quod si, ne sic quidem affectus cessauerit, arteriosum, & spiritibus plenum subtilissimum sanguinem, ac serum volatile in arteriis potiùs abundare iudicemus, sectionem arteriarum, præsuppositò tamè perito arteriotomo, & vbi ad manus liquor stipticus Anglicus, admittimus, & indè maximum commodum hactenus vidimus. Sic & insusionem cum Nobiliſſ. *Ettmullero* Amico nostro colendiſſimo, non quidem contemnimus, sed cùm hactenus homines morosi, atq; insciì non facilè hanc admittant, & Medici etiã nouo hoc inuento non facilè famam suam exponant, hactenus cum maximo damno inuentum hoc haud ad partes vocatum. Sequitur nunc fons pharmaceuticus, ex quo generosiora depromũtur remedia, & indi-

cationibus iam cognitis feliciter instituitur curatio. Primò acre illud, siue acidum viscosum, & aliquando volatile peccans, debet corrigi, præcipitari, & quouis modo eliminari, & emendari; in quem finem conducunt omnia illa, quæ specificâ vi prodesse hactenus ab authoribus compertum est, vt sunt, margaritæ, C.C. vst. præp. terra Lemnia, fragmenta lapid. pretios. bezoart. Esto in tyronum gratiam vna atque altera formula.

℞. *Eboris præp.* ℥ ij.
C.C. præp.
corall. ana ℈ j.
margarit. occid. præp ℈ j.
lapid. smaragd. ℈ ß
M. f. pulu. subtilissim. in sequenti, vel simili mixtura exhibendus:

℞. *Aq. meliß.*
borrag.
bugloß. ana ℥ iij.
rub. id æi.
cinamom.
cord. H. Saxon. temp. ana ℥ j.

M. d. ad vitr. & edulcoretur iulapio rosato vel saccharo ad gr.

Si hæc cuncta velis efficaciora reddere, quo simul pituitam viscidã, ac tenacem infringas, & fluiditatem concilies, adde Sal volat. C.C. seu sal volat. nostr. oleosũ. V. gr.

℞. *Aq. bugloß.*
cinamom.
meliß. ana ℥ ij
essent. ambr. ℈ ß.
sal. vol. t. oleos. nostr. ℥ ß
syr. perlat. ʒ j. *M.*

Hoc in casu conducunt quęcunque aromatica, salia volatilia, ex cinamomo &c. & ambra parata; sic & sperma ceti in absorbenda omni hostili acido palmarium remedium. In quem finem egregiè conducit tinctura corallor. cum sale tartari volatil. parata ad gutt. xiii. exhibenda.

Sedato aliquomodo paroxysmo, tunc lenientia, & acrimoniam acidam, flatuum matrem, corrigentia ac discutientia magni vsus sunt. V. gr.

℞. *Extr. rhabarb.* ℈ j. *vel melanagog.*
maß. pil. aloetic.
marocost. ana ℈ ß
croc. Martis aperient. gr. iij.
elix. propr. antiscorb. q. s. f. l. art. pil.

Vel ℞. *Maß. pil. tartar. Querc.*
de gumm. ana ℈ ß.
vitriol. Martis gr. iij.
cum tinct. tartar. q. s.

Vel cui forma apozematis libet seq.

℞. *Rad. v. aperient.*
cort. rad. cappar.
tamarisc. ana ℥ ij
herb. capillar.
cuscut. ana m. ß.
fl. cordial. ana p. j.
sem. fœnicul. ℥ ij
polypod. q. ℥ vj
tartar. crud. splend. ʒ ß.

Coq. ex aq. & vin. ana q. s. in colat. lib. j. ℈ infunde per noctem calidè rhabarb. elect. ʒ ß. express. modiocriter facta adde.

Extract. Cnicopharmac. ℥ ij
syr. de pomis Regis sapor. ʒ ij.
aq. cinamom. bugloß. ʒ ß. *M.*

Riuerius commendat rhaponticum verum exhibitum ad ℈ ij. Vel sequens pro vino medicato parari potest:

℞. *Rad. v. aperient. ana* ℥ j
rhabarb. ℥ iij
fol. senn. s. s. ʒ j
fl. iii. cord. ana p. ij.
cort. citri,
cinamom. ana ℈ j.
sem. fœnicul. ℥ ij. *M*

Vel fiat infusum rhabarb. additio tamen sale tartari, vel alio sale alkalisato; est enim eiusmodi sal instar clauis, qui medicamentum reserat, ex cuius additione, & rhabarbarum melius resoluitur. Quod assertum probatur per id, quòd aqua cui infunditur, nanciscatur colorem rubicundum, quod à solo rhabarbaro infuso non fit.

Post hæc ad reliquias viscidas incidendas, & discutiendas, acidumque simul absorbendum, locum inueniunt commodum *diaphoret.* Esto formula:

℞. *Antimon. diaphoret.*
C.C. sine præp. ana ℈ ß

magist. spinar. viperar. gr. v.
M. f. puluis.

Horstius Tom. 2. pag. m. 481. habet spirit. theriacalem satis egregium, sic aqua theriacalis camphorata, aut tinctura opii eius vices implebit.

Vel ℞. *Aq. card. bened.*
scorzoner.
scabios. ana ʒ j.
C. C. sine igne præp. ʒß.
pulu. bezoard. Senn. ℈ ß.
confect. alkerm. c. ℈ j.
syr. corall. q. s. M.

Si suspicio adsit, malum hoc ortum suum habere à sanguinis nimiâ efferuescentiâ, à salibus heterogeniis, & sylueſtribus, in sero, seu sanguine turbam excitantibus, prout id se manifestat aliquando per pustulas in pectore, & alibi existentes, tunc præter venæsectionem commendamus, temperata *cardiaca*, simulque *anti-scorbutica*, in quem finem conducet sequens, vel simile destillatum.

℞. *Rad. scorzon.*
borrag.
bugloss.
filic. mar. ana ʒ j.
fol. ceterach.
acetos.
rut. mur.
trichoman.
fl. calendul.
borrag.
bugloss.
trifol. fl. cærull.
genist.
anagallid. ana m. j.
Rasur. C. C. ʒ vj.
pom. citr. & auran. ana n. j.

Minutissimè incis. singula ingredientia infunde vini lib. iii. & seri lactis caprill. lib. i. per 11. dies, & noctes, postmodum adde Succi beccabun. card. bened. ana lib. ß. l. art. ex vitreo organo destill. & serua.

Huius destillati assumatur ʒ j. ß. cum ʒ ß. confect. alkerm. singulis matutini, & vespertinis horis.

Vel ℞. *Succi bugloss. acetos. card. bened. beccabung. borrag. ana lib.* j.
fol. meliss. citrat. m. iij.
santal. citrin. ʒ iij.
ligni aloes ʒ j. ß.
cinam. ʒ j. *infund. & destill. l. a.*

Vel præscribatur tale, vel simile in forma Electuarii

℞. *Conseru. rad. bugloß.*
cort. citr. ana ℥ ß.
rosar. rubr.
anthos ana ʒ vj.
C. C. ras.
eboris ana ʒ ß.
margarit. præp. ℈ ß.
croc. Mart.
ambr. gryss. ana gr. vj.
c. syr. granor. cherm. s. Electuar.

Vel in forma pulueris:

℞. *Lapid. prunell.* ℈ j.
camphor. gr. iiij. *M.*

Vel ℞. *Conseru. rosar. rubr.* ʒ ij.
pulp. citr. ℥ iij. ß.
cort. citr. cond. ʒ ß.
confect. alkerm. ʒ j.
margarit. præp. ℈ ß.
spir. salis dulc. gutt. xxv.
syr. rub. idæi q. s. f. Elect.

Conducent, & hic rotulæ ex acido citri, limonum ant ribesium cum sacch. paratæ, adicta confectione alkerm.

Vel in forma pulueris:

℞. *Spec. diamarg. fr.*
el. de gemm. fr. ana ʒ j.
de hyacinth. ʒ ß.
M. f. pulu. pro aliquot dosibus.

Omnes atque frigidæ cordiales apud Practicos prostantes ad partes vocari possunt, præsertim sequens, & apud Veteres laudatissima in omni palpitationes cordis.

℞. *Cor. porc. n.* iij
ceruin. vel bouin. n. iij
galang. mai. & min.
sem. basilic. ana ℥ ß.
maceris ʒ iij.
fl. borrag.
bugloss. ana p. ij.

anthos p. j.

Infundant in vino Malu. & l.a. destill.

Hoc in casu verò nihil excellentiùs, nihil validiùs, & vtiliùs reperiri, quàm acidulas Suualbacenses, quæ omnem implent paginam, ad quas ægros suos mittere possunt Medici conscientiosi. Sæpiùs hoc affectu in vrina conspiciuntur arenulæ lateribus vrinalis adhærentes. Hoc in casu præter iam dicta, & conducent diuretica, ex. gr. spir. salis, lapid. cancr. liquor splenet. Schroder, è tartaro, & nitro paratus. Præterea cùm a nobis in antecedentibus dictum sit, palpitationem cordis sæpissimè, nisi semper oriri ob neruos, & fibrillas cor, & arterias ambientes spasmodicè contractas, indeque sanguinis motum è corde plus minusue liberum efficientes, & ventriculos cordis coarctantes, in quo casu medicamenta antiepileptica, vel ad alios motus spasmodicos proficua, cum cardiacis iuncta, exhiberi possunt, inprimis verò *opiata*, quæ aliis palmam sæpè præripiunt prout exemplum nouimus, quod nempè ciuis Hanouiensis sola, per vices tamen exhibità, theriacà cœlesti Hanouiensi feliciter, ab hoc malo liberatus fuit, & adhuc ab eo immunis viuit. Sit vna atq; altera formula.

℞. *Marg. præp.* ℈ ß.
salis succin. volat. gr. viij.
theriac. cœlest. gr. iiij.
M. f. pulu. pro vna vice.

Vel ℞. *pulu. ceph. nostr. vel Mich.* ℈ j.
oß. de cord. ceru. ℈ ß.
salis C. C. vel sang. human. gr. vj.
M. D.

Si magis volatilia oderata placeant, adde aq. destill. ambram, & moschum in rostro alembici. Aliquando humor glutinoso salsus à latibulosolido in sanguinem defertur, & tum *Capinaccius* applicat leniter adstringentia, vt est mastix, &c. Si palpitatio hæc à consensu reliquarum partium, vteri, lienis, hypochondriorum oriatur, tunc & simul his pro spice partibus læsis, in quem finem conueniunt chalybeata, sic enim vnà fidelià plures dealbabis parietes: si verò affectus excitetur à concretionibus polyposis intra cordis sinus existentibus, tunc cum Experientiss. *Willisio* ad *salia volatilia* non satis hoc in casu laudata medicamenta confugimus. Si à vermibus, conueniunt medicamenta ex nasturtio, aquatico, & miscenda specifica cordialibus, si à causa maligna, conuenit ther. cœlestis, & smaragdina, si à terrore, conducit venæ-sectio. Quod Topica, seu localia externa, concernit, carpis sc. & cordis regioni applicanda, illa namque magnum afferunt solatium, vnde theriacam *Andromachi* tanquam efficacissimum remedium, in Maximiliano Imperatore, cui malum hoc solenne erat, expertum laudat *Mercurialis*. Sequens linimentum verò præscribit *Riuerius Prax. med.* l 8. c. 2.

℞. *Vng. rosat.* ℥ ij.
ol. cinamom.
caryophyll. ana gutt. iiij.
mosch.
ambr. ana gr. iij.

M. f. liniment. quo illinatur regio cordis, sed abstine ab his suaveolentibus in mulieribus. Optimus etiam fit balsamus cordialis ex oleo melissæ, citri & carbunculis. Meliùs sacculi ex speciebus cordialibus confecti cùm aqua melissæ, vel alia cordiali. Vel sequens cum panno scarlaceo applicetur. Epithema.

℞. *Aq. fl. Naphæ.*
carfunc. solar.
meliss. e. vino ana ℥ ij.
acet. fl. tunicæ ℥ j.
croc. ℥ ß. M.

Vel magis frigidum Epithema in casu vulgò calidiore.

℞. *Aq. cord. fr.* j.
buglos.
rosar. ana ℥ i.
acet. rub. idæi ℥ j. ß.
confect. alkerm.
spec. diamarg. fr. ana ℥ j.
M. pro Epithemate.

Cor suillum valde quibusdam laudatur ex quo nonnulli quoque aquam destillare solent, sic & spiritus cordis bouini, & ceruini magnipenditur.

CAPXT VII.

DE ANIMI DELIQVIO.

§. 1. SYncope, aliàs deliquium, vel leipopsychia, animi eclysis, lypothymia; *Aurelio* solutio naturæ, defectio; *Senecæ* concisura; *Paracelso* cordis paralysis, & fulmen Microcosmi; *Scaligero* spirituum subtractio.

DEFINITIO.

Describi potest, quòd sit microcosmi eclypsis, seu præceps virium defectus ex spirituum luminositate, & irradiatione extincta, & Cardimelechis ab officio suspensione, à nimia sanguinis dissolutione, quandoque ab eiusdem nimia coagulatione, orta. Ex data hac definitione apparet, quod hic affectus, quamuis sit sat violentus, ex occasione parui momenti inopinantem adeò deiicere soleat, vt mors præ foribus videatur esse.

DIFFERENTIÆ.

Differentias quod concernit, animi deliquium vulgò dicitur fortius malum, quam lypothymia, indeque diuersitas nominis orta est, id quod tamen ideò necessarium non fuit, quia, vel ex ipsorum sententia, non nisi gradibus differunt. Consequuntur syncopen duo præcipuè symptomata, frigiditas totius corporis, & sudor frigidus, qui inde syncopticus dicitur. Pulsus defectio, & sensus motusque priuatio concomitantur, id quod *Curtius* haud obscurè innuit dum *l. 2. n. 38.* inter alia ita memorat: Animus, in ardore pugnæ corpus substentauerat, *liquit*, *subitoque* ex omnibus membris profuso sudore arboris proximæ stipiti se applicuit. Illud malum (quod rariùs solum, sed vtplurimùm aliis morbis associatum est,) in multis chronicis morbis, ad mortem terminentibus, oritur, partim ob defectum spirituum animalium, in cor non ampliùs influentium, partim, ob alkali in corde inexistentis inopiam, & potiùs acidi copiam sanguinem planè coagulantis, & per consequens cor, & Regem suffocantis, prout inferiùs, vbi cautis litabimus, pleniùs apparebit. Cardiacam, & syncopis speciem nonnulli nominant, quà tamen in re benè distinguendum est, inter syncopen eam, quæ per *essentiam* dici sueuit, & eam, quæ per *consensum* oborta vocatur. Superius diximus, quòd se offert discrimen non tam specierum, quam graduum, horumque respectu animi defectionem aliam esse infimi gradus, dicique *Eclysin*, aliam mediam, nominarique *Leipothymiam*, aliam denique supremi gradus, vocarique *Syncopen*, quæ tamen, ceu dictum, sub vno comprehendimus.

PARS AFFECTA.

§. 2. Atque ex modò dictis facili Marte colligi posse videtur syncopes subiectum, quod communi Authorum calculo dicitur *cor*, sanguinis ille fons, quatenus in hoc primordia naturæ igneæ continentur, & seruantur. Aliis est cerebrum, per id probantibus, quòd subitus animalis potentiæ casus ob retrocedentes spiritus animales ad ipsum cerebrum contingat; hincque instrumenta sensus, & motus spiritibus destituta suas exequi actiones neutiquam valeant. Verùm enim verò si id fiat cum limitatione *subiecti* mali, & causæ, illicò quilibet ex his facilè se extricare poterit, spiritibus enim retrocedere necesse est, si sanguis in corde planè obruatur. Nonnulli sunt, qui & *stomachum* pro subiecto principali agnoscendum putant, inter quos primus est *Hulmontius*, quàm rectè id autem censeat, ex *Galeno l. 5. loc. aff. c. 2.* abundè videre licet. Nos verò partem primariò, & principaliter affectam in lypothymiis cor esse autumamus, vtpotè in quo optimus maximus residet, & cum vicinis suis Regibus Microcosmetore, & Bithnimalca amicitiam colit, vnde vno perturbato alter compatitur, ea propter, vt cum vulgo loquamur, si fermentatio inhibeatur etiam spirituum influxus Microcosmetore cessante denegatur ad cor, & vice versâ, minus verò principalis pars ex nostro calculo sunt arteriæ, per quas sanguis permeat, nec vlli dubitamus, quin per consensum, & reliquæ partes compati, & sæpè ma-

materia peccans cordi ex ijs submini-
strari possit.

DIAGNOSIS.

§. 3. Sed missis his præliminaribus, cursus nostri filum sequuturi ad reliqua, Diagnosin sc. concernentia, pro instituti ratione exponenda accedamus. Signa ergo imminentis syncopes sunt, præsertim in assuetis, improuisa anxietas, animique perturbatio, capitis grauitas, vertigo, alieni & varij coloris viridis, & flaui, (*grungelb*) ante oculos obseruatio, coloris faciei, itemque, & pulsus repetita sæpiùs immutatio. Nullus enim affectus mortis humerosque similior est, quàm hic noster, facie enim est homo pallida, ita vt extremæ corporis partes frigeant, sudor adsit ingratus frigiduſque, anxietas suboriatur: tandem ita animus delinquit vt corpus sentiendi, mouendique vi illicò desistuatur, stans cadat, & manus plicabiles maneant: Præterea tenebræ oculis offunduntur, vertigo adest, quam impotentia loquendi sequitur, & respiratio penè cessat, palpebræ conciduut, pulsus interdum nullus, sæpiùs rarus, obscurus, & quasi planè abolitus, & formicans percipitur, extrema, vt manus, pedes, nasus, & auriculæ, ceu diximus, perfrigerantur, sudor frigidus in temporibus, ceruice, & pectore, aliquando, per totum prorumpit corpus, quod extremè debile, & impotens est; syncopes verò virginum vterinæ (nam inde exurgunt ipsis plerumque deliquia, obseruante *Helmontio*) se indicant per anxietates, & anhelitum ferè extinctum, pulsu tamen semper debiliore, & ferè extincto existente, qualem abolitionem pulsus, & respirationis *Sylnius* pro signo pathognomonico syncopes habet, & circa eandem mirum casum nos non ita pridem in vetula obseruauimus, in qua per 3. dierum interuallum ante mortem planè nullum pulsum in carpis manuum sentire potuimus, & tamen adhuc loqui valuit.

CAVSA.

§. 4. Vnde nam tam seuerum malum verò, quod in syncope experiri coguntur, ægri proueniat? iam proximum est, vt inquiramus. *Veteres Galenici* causam immediatam esse spirituum vitalium defectum, imminutionem, & priuationē, non totalem (quæ mortem subitaneam aliàs inferret) sed tantùm, vt ne vires cordis penitus dissoluantur, residuos spiritus è corpore retrocedere subitò, & in cor affatim concurrere cogantur, quæ retrocessio spirituum concentratio ipsis vocatur. Vid. de his *Riuer. c. 1. de syncop. l. 8.* addentem, quòd quatuor modis defectus vitalis accidat, vel quia spiritus non sufficienter generantur, vel generari dissipantur, & euacuantur, vel alterantur, & corrumpuntur, vel denique suffocantur. Sunt ergo syncopes causæ, frequenter vigiliæ atque immodicæ, tristitia, in magna anxietas, timor grauis dolor acerbus, febres acutæ, in debilioribus quoque febres intermittentes, prolixæ, immodicæ corporis, inanitiones per inediam labores, vomitiones, sudores, diarrhæas, sanguinis euacuationes nimias, per aquæ in hydrope vacuationem subitò factam. Frequenter quoque hunc affectum exoriri contendunt à copia crassorum, crudorum, putridorum, acrium, mordaciumque ciborum, ac humorum in corpore stagnantium, qui assiduà mordicatione vellicant, vt illi aiunt, os stomachi & vias ità obstruunt, vt à motu intercipiantur, non secus atque fit in respiratione prohibità, sicque syncopen vt plurimum excitari posse statuunt. Aeris quoque ambientis malitia, & fœuitia insalubris, nec non venenatus humor, vel vapor ex aliqua corporis parte, vel intrinsecus cordi aut ventriculo communicatus, item inflammatio, & reliqua huiusmodi quæ immodicè alterare, vel corrumpere possiunt cordis, vel stomachi, vel spirituum temperiem, syncopen sæpissimè inducunt, cùm virium robur consistat in eorundem partium bona constitutione. Spiritus quoq; soli prædicto modo læsi, malum hoc principibus partibus illisque consentientibus communicant, earumq;

temperiem infringunt, & sic affectum hunc excitant.

§.5. *Paracelsus* verò causam huius mali ortum suum habere putat è *synoviæ* (quæ ipsi est ipsa radix, & essentia vitæ) à corde sep aratione, quà mediante salutaris stella, interpositis nebulis crassis, eclypsin patitur, hincque tota vitalis regio tenebris horribilibus, & lethiferis vmbris circumfunditur. Sic quoque hunc morbum per consensum, ab ore sc. ventriculi, vndè dicitur syncope, vel cardiaca, vel stomachica) item abutero, ex tetris nempè vaporibus ad cor transmissis, exoriri posse defendit.

§.6. *Helmontius* in benè multis *Paracelsum*, vtut aliàs huius principia chymica exsibilet, velut sub larua quadam æmulans, prout ea, quæ *in Tinct. compl. mist. element. figment.* nomine inscripto *n.* 41. 42. *&c.* alibique habet, si ritè examinentur, satis superque ostendunt, scribit. spir. vitæ nostræ arterialem de natura *Gas* esse, h.e. esse lumen, & balsamum præseruantem à corruptione, quod in palpitatione, syncope, ac lypothymia cernitur. Etenim quantum colori viuido, lumine vitali, humidoque carnis habitui deperit, vultusque statim rugosior concidit, mox à præfatis passionibus; spiritus enim, qui antea placido robore velut omnia viuificabat, euolat mox, atque aliena aura subactus mutatur. Pergit ipse, siquidem Archèus in se sit *Gas*, de natura salis balsamici, si auram alteriùs salis obuiam reperit (prout sc armoniacus, dum obuiat spir. salis petræ) facilè per poros, atque consestim difflabilis, muniorum agendorum atque familiæ oblitus est; neque enim in guttas cogitur, eò quod ex sanguine arteriali paratus. Si quid sub deliquijs, & morte sudoris exhalat, cruoris est liquamen, non sanguinis arterialis. Gas ergo vitale, quia lumen est atque balsamus, præseruans à corruptione incepit solari lumini adequari; post deliquia verò præfata cæterorum membrorum innati spiritus, velut fumigantes prorsus à solari cordis lumine accenduntur, prout fumus candelæ extinctæ, alteriùs flammam attingens, hanc ad extinctum lychnium per medium deportat, quandoque spiritus vitæ nostræ, cum *Gas* sit potentissimè, & celerrimè à quouis alio Gas afficitur, propter eorum nempè contractus immediatos. Qui ipse & causam huius morbi accuratiùs explicat in *Tr. ignot. Act. Regim. n.* 26. vbi dicit, *in syncope esse venenum anodynum, dispersiuum spirituum, hincque tollens statim sensum ac motum*, quod venenum sæpè in stomacho latere alibi docet, & quidem eius orificio, tanquam in centrali puncto atque radice, principioque vitæ, digestionis ciborum, & dispositionis eorundem ad vitam,

§.7. *Willisius* supponit non solùm accensionem, seu deflagrationem sanguinis, (quà mediante supplementa pro spiritibus è sanguine quotidie decedere existimat, sed & fermentum nitro-sulphureum à quo flammam reuera accendi autumat, (quod ipsum tamen negat *Louuerus* de corde) licet enim, vt ille differit, in massa sanguinea particulæ sulphureæ existant, propter copiosas tamen aquosas particulas sanguis deflagrare nescit, verbo hanc actualem deflagrationem à *Willisio* defensam absq; omnimoda vitæ destructione fieri non posse statuit. Ipse verò *Willisius* causam huius affectus latere censet, vel in ipso sanguine, quatenus non satis accenditur nec cum vigore circulatur, h. e. quod cruor, ob particulas sulphureas nimis deflagratas, aut depressas ferè vappidus, & effœtus euadat, proindeque parcus in corde, & pulmonibus accendatur, cui sæpiùs accedit, quod regimine animali etiam fatiscente, cor pleniore spirituum influxu destitutum, sanguinem quo vegetiùs efferuescat, & accendatur, non satis exagitet, prout in multis languidis, ægritudine diuturna defunctis, vel hæmorrhagias, aut euacuationes magnas passis, aut senio cõfectis ob. seruare licet. Sic & quod sanguis nimiùm in corde accendatur, causam huius affectus quoque esse posse *Ipse* defendit, &

per

per id probat, quod sanguis ob particulas sulphureas nimis solutas, & in efferuescentiam actas, plus debitè accendatur, indèque calor nimis intensus producatur, in primis si ab aere non statim ventiletur, prout id docent febres acutæ, aliique morbi calidiores, nec quoque negat, quod & affectus hic aliquando oriatur à denegato spirituum animalium influxu.

§. 8. *Syluius* ferè cum *Willisio* sentiens, præsupponit vitam nostram naturalem dependere è conseruatione ignis, calidique innati in corde perpetuati, & quaqua versum vnà cum sanguine ad partium singularium viuificationem sparsi, quem ignem accendi existimat per fermentationem sanguinis in corde, à bilis sale lixiuo, & volatilis oleoso, & ab alio spiritu acido ortam, siue sit lympha, quam supponit esse acidam, siue succus pancreaticus, modò sanguini commixtus sit. Quando ergò cessat hæc in corde efferuescentia, tunc desinit in corde accèdi vitalis ignis, sanguis quoque non amplius tunc rarefit, nec cor ad sui contractionem irritatur, nec contrahitur, nec magis in arterias propellitur, nec arteriæ expanduntur, per consequens & pulsus nec in carpo, nec alibi percipitur, indeque oritur *syncope*. Quam etiam produci censet ob pauciores, vel nullos spiritus animales effluentes ad cor, vnde cordis contractionem, & actionem cessare necesse est. Porrò sanguinem generari posse à sale volatili acri, inprimis in peste, aliisque malignis affectibus non dubitat, quatenus sc. sanguis solitò fluidior nimisque concrescens, vel vt sæpiùs fit nimis grumosus, & coagulatus ab acido existit, ob diminutam scilicet bilem, vt & nimis acrem.

§. 9. *Cartesius* eiusque sequaces *Hogelandus*, *Broechauſen* aliique, prout spiritus pro subtilitate sanguinis particulis habent, ita eos per rarefactionem quoque in corde produci existimant. Ebullitionem verò istam igni cuidam vitali in corde hospitanti, quem lucentem, & flammulæ vitalis nomine insigniunt, vnicè tribuentes, quos tamen *Cornel. Consent. Phyſ. 7. p. 293. Needham* de forma fœtus p. 130. aliique refutant. Syncopen ergò *Cartesiani* à flammulæ huius vitalis ad tempus extinctione, seu obruitione deducunt, id verò varijs modis fieri posse non dubitantes cùm spiritus peruersi consolitò plus contrahunt, cum scil: per nerulum, quo orificia cordis circumdantur, deferatur; atque hoc pacto præ denegata sufficienti spirituum copia, tum etiam humorum circulantium mutuà, (qua in re vterque motus debet esse continuus) aggerie diminutà, & determinatione in musculos illo tempore cessante, contingit, vt corpus hominis repentino casu, instar trunci, in terram prosternatur, donec sensim ope spirituum humorum circulantium ex sanguine nascentium discussis nubibus in integrum restituantur, idq; breuiter, vel post aliquod præ maiori aut leuiori affectu, intermissu temporis spatium, prout eleganter disserit *Broechauſen art. 105. in Oecon. Anim.*

§. 10. Ad *nostram* nunc accedamus spartam. Doctrina verò de nostro principio vitali scitu necessaria est; antequam ergò ad ipsa morbi penetralia accedamus eam elucidabimus, quia indè omnis motus, sanitas ac vita, (& cum contrariorum eadem sit ratio,) sic & morbus, imò ipsa mors dependet. De hoc verò tanta sese offert authorum aduersa frontem certantium diuersitas, vt cui tutò assentiaris, vix reperias. Sunt nonnulli qui spiritum embryonis continuò in spiritu matris augeri asserunt, hoc innixi argumento, quod fœtus in vterò, non respiret. Et silentio iam præterimus *Willisii*, *Helmontii*, *Cartesii*, *Siluii*, opinionem quam suo loco diximus. Receptissima est tamen sententia eorum qui, vt naturam, & existentiam spiritus vitalis determinent, colligunt, & dicunt, illum esse subtilissimam seu salino sulphuream sanguinis partem, quæ per intestinã huius fermentationem à reliquis euoluatur, & copiosissimè exhalet, spiritus nomine veniès. Huius ergò spiritus vitalis elaborationem ac restitutionem soli adscribunt fermẽtatio-

tioni sanguinis, hincque ex illa non solum amissę sanitatis restitutionem, sed & morborũ causas deriuare non dubitant. Peculiarem verò de hac refouet sententiam *Maiou in respir. pag. m. 156.* dum fermentationem sanguinis produci dicit intra pulmonum substantiam, quatenus spiritus nitro aeri ab aere suggesti cum particulis sanguinis salinosulphureis congrediantur, sicque fermentationem debitam in corde producant, quæ tamen sententia à *D.Bohn.in tr. de Aeris influxu in sublunaria*, in dubium vocatur, quòd sc. sal aeris corporaliter admisceatur sanguini, sed potiùs statuit motum tantùm esse aeris, qui sanguinis, & totius vitalitatem conseruat. Diximus sæpissimè per fermentationem authores nihil aliud intelligere, quàm motum intestinum, in quo acidum, & lixiuiosum seu vrinosum concurrendo simul alias particulas mistum componentes in motum cient. A sale enim mistionis vinculum est, quamdiu itaque salia in mixtis interueniẽtibus aliis particulis sine tumultu quieta iacent, ac alternà fruuntur quiete, tam diu corpora manent in naturali textura, & situ; sin verò mediante resolutione mixti compages laxior euadit, imperiumque liberum sibi rapiant salia, & sese protinus vnire gestant, ob particulas verò materiales mixtas alia salia proximiùs concurrere nequeunt, hinc fit fermentatio, sub ista enim vnione, & mixtura salium partes vnibiles consociantur, hinc noua misti textura, & alteratio oritur, de qua re admodum egregiè differit Celeberrimus *Dn. Ettmullerus in Collegio MSS. Chymico.* Ex his enim patet vbi acidum deficiat, ibi, & nullam fermentationem esse posse, quod & ipsum in massa sanguinea inesse probant ferè Medici, inprimis *Tachenius* per id scil. quod sanguis in statu naturali perfectè sal salsum existat; omne autem sal salsum constat ex acido, & vrinoso, quæ duo dum inuicem congrediuntur, quod nunquam sine effervescentia contingit, dant sal compositum tertium, nempè sal salsum, quod neque est acidum, neque vrinosum, sed de vtroque participans; quod tamen alij negant, & potiùs statuunt quidquid subtilitati, & actiuitati mercuriali in sanguine attribuitur, illud vnicè spiritibus nostris, ac principio vitali deberi, & probare satagunt per id, quod in sanguinis prima generatione in fœtu accidat, vbi non existunt in ouali muliebri particulæ acidæ, quæ cum vrinoso congredientes, & exaltatæ sanguinẽ constituũt, sed fluxu maturitatis particulas salinas pinguesque vi spirituum digestas exaltataſq; purpuræ illius vultum inducere contendunt, & spiritum hunc vitalem deducunt à principio salino volatili, vnde maximè eius actiuitas dependet, prout fecere *VVillis, Syluius*, alijque plures, quam sententiam approbat *Helmontius* dicens de aura vit. p. v. 443. Spiritus nostros subtilissimas ac salinas solum modo esse sanguinis particulas, vitalitate insignitas, idem & confirmat *Barnerus* in phyticis, docens, sal constitutiuum nostri ex vrinosis volatilibus esse. Lux sale gaudet, fallacem in se habet, & vitam, prout *Kircher* de Natura lucis differit; addunt-que alij hanc rationem contra fermentationem, quod nempè principium nostrum vitale absque tumultu eiusmodi intestino peragatur, & ex assumptis separet, quòd suæ naturæ conueniens est. Spiritus vitalis in sanguine residens, solà irradiatione vim luminis superaddit, inq; sobolem spirituosam conuertit; inde etiam pro æterna veritate exclamant illi calorem omnem in corpore nostro esse à sanguine, qui tamen non suapte natura calidus existit, sed quòd omnis hic calor vnicè dependeat ab isto spiritu vitali nostro, qui in, & cum sanguine est. Quoties ergo sãguis spiritu hoc vitali prędito per arterias in membra, & viscera diffunditur, toties partium vigor, & & salutaris existit calor, quo tamen recedente, cum vita, recedit calor, vnde totum corpus friget, atque torpet. Omnem ergo calorem in nobis perceptibilem vnicè adscribunt nostris spiritibus, quorum motus, prout intensior vel remissior est,

est, ita quoque calor vitalis gradibus distingui videtur, quam ipsam sententiam, paucis mutandis mox dicendis mutatis nos adoptare nulli dubitamus. Quibus ergò præsuppositis spontè iam elucescit, vnde *Syncope animi deliquium, extremæ virium postrationes, &c.* imò mors ipsa veniant, nempè à defectu spirituum, qui deficiunt, si vel quantitate sufficienti non generantur, ob materiæ adequatæ defectum, qui prouenit vel ab alimentorum spirituosorum rariore vsurpatione, vel laudabilium licet, infelici tamen digestione, vel nimia eorum euacuatione, v. gr. peralui fluxum, hæmorrhagias, lochia, &c. sic etiam generati diffipari possunt in nimio coitu, in hypercatharsi, quæ haud rarò sequuntur animi deliquia. Quò etiam spectant labores vehementes, passiones animi nimiæ vigiliæ, vel affectus alij p.n. qui spiritus, vtut lucidi, sæpiùs tamen in syncope, & lypothymia à variis causis obscurantur, & lucem suam amittunt, à quorum spirituum lucis diminutione, & extinctione omnem caloris defectum prouenire docet *Helmōt. tr. de aur. vital. p. m.* 441. In propatulo namque satis est, cor nimirum esse musculum, adeoque ad motum eius vibrantem ac continuum non solum vim impellentem spirituum animalium per neruos cardiacos, verùm etiam influxum spirituũ cum sanguine proprius requiri; prout etiam perennis affluxus pro quauis potentia motiua alteranda necessarius semper adesse debet; neruis enim æquè ac arteriis resectis in parte aliqua motum cessare constat. Spirituum quoque opediastole, & systole perficitur, & sanguis fero mixtus ad partes propellitur externas. Sed vt vbique, sic & hic pro fundamento ponimus Regis nostri Cardimelechis actionem, qui cum superiori socio suo Microcosmetore multam fouet amicitiam. Quemadmodum itaque Rex superior spiritus per neruos cardiacos mittit plures vel pauciores, sic & percipitur motus auctior vel diminutior, quos sequuntur affectiones calidiores vel frigidiores. Haud tamen dubitamus plures esse qui hos Reges pro meris suppositis habent. Verùm enim verò præterquàm quòd actiones tale regimen prodant probentque, si quod dubium supersit, peculiari Tractatu eam materiam, Deo volente, exhibebimus, & probatio erit eò facilior, quò certiùs est, & pluribus rationibus probari potest, illos gubernare corpus nostrum, & esse præter vitalem siue salino volatilem in cerebro, corde, & stomacho aliud quid ad actiones peragendas necessarium, & omnem motum tam in sanis quàm in ægris immediatè, & efficienter ab istis Regentibus proficisci; occasionaliter verò à causis occasionalibus non dubitamus, & in alia, quam diximus, arena deducemus. Hæc in genere præmonenda, & præmunienda fuere, ex quibus nunc in procliui est iudicare plures syncopes causas, V.gr. oritur ea aliquando ex nimia sanguinis dissolutione, vnde spiritus animales non amplius generantur in tanta copia, sed plurima pars eorum in auram auolat, quibus deficientibus necessariò Cardimelech ope socii sui Microcosmetoris militibus destitutus ab ingruente hoste facilè interimitur, vel ad tēpus vinculis quasi detinetur, & arx ipsius lumine destituta obnubilatur, vsque dum spiritus de nouo subueniant, & non solùm Rex Cardimelech ab hoste liberetur, sed & hospitium eius de nouo illuminetur, vnde quasi noua vita prodit; qualis spirituum absumptio, fixio, aut degradatio destituit sanguinis energeian, vnde & fluit lypothymia. Ità spirituum dissipatio, vel oppressio ex crudiori acido ortum ducere potest, vnde particulæ volatiles salinæ non tantum supprimuntur, sed, & Rex noster planè obruitur, hostis verò Cardimelechi nostro ita intensus vt plurimum à liene, ab vtero, ab hypochondrijs, aliisquelocis ingruit, & clam quasi per cuniculos irrepit, donec ità clam Regem nostrum obruat. Mirati sæpiùs sumus cur sua veolentia, imò effluuia spirituosa ex sele, ex rosis, imò ex virgine (quale exemplum nos nouimus de studio-

dioso) inducant animi deliquium; cuius rei hactenus nullam aliam rationem assignare nouimus, quàm quod partes hæ volatiles ex istis rebus egredientes cum spiritu nostro peruersè se iungere, & ob diuersæ conditionis particulas certare cogantur. Cùm enim ob motum nimium nostrorum spirituum inquietatorum, & contra Regis voluntatem rebellium factorum (instar apum fumo exasperatarunt) in cerebello commorans Rex expelli, quidni etiam impetu ipso hoc in fluxu arx Cardimelechis, cor nempe, obrui, & ipse ad tempus quasi vinculis detineri possit, adeò multis militibus necatis, & in fugam versis, (secundis etiam armis deficiunt milites) *Rex Microcosmetor* reliquias exercitus colligat, & socio suo suppetias emittat, quo ipso omnia restituuntur. Regem enim ad multum tempus ligari posse, testantur deliquia animi etiam per aliquot dies continuata, in vulgus nota; hinc nonnulli quasi verè mortui, iamiam sepeliendi, vel etiam sepulti reuixerunt tamen. In extrema quoque Muscouia homines quotannis obrigescere rursusque reuiuiscere hirundinum ad instar, prodidere Historici, penes quos sit tamen fides Syncope sæpè à terrore producitur, quia in terrore spiritus maximà vi inordinatè, & violenter in totum corpus, & membra influunt, quare hi spiritus etiam copiosiùs, & inordinatè in cor arteriasque influunt, & cor, & vasa constringunt, vnde sanguis in cor illapsus propter angustiam loci in corde constricto non multum potest rarescere, quare etiam non cum vi in arterias pulmonales, & hinc in sinistrum cordis ventriculum, ac ex illo in arterias propellitur; hinc statim minori copià spiritùs animales secernuntur, & in membra influunt, vnde animi deliquium, & pallor oritur, & quia fermentationes sãguinis maximè sunt imminutę, ideò humor aliquis in sanguine copià peccans non amplius sanguineæ permiscetur massæ, sed è suà copià secedit à sanguine per poros arteriarum in os, vbi oris amorem inducit, id in ventriculum, vbi inter membranas stomachi hærens suà visciditate nauseam, & suà acrimonià neruos vellicans, vomitum facit, cùm æger ad se redierit. Sed hæc de causis indicasse sufficiat, quas ipsas à iuuantibus, & nocentibus sæpè coniicere possumus. Nunc itaque nos aliud vocat pensum, nempè Prognosis.

PROGNOSIS.

§. 11. Omne autem animi deliquium dicitur grauissimum malum, quia est terribilissimum, mortis enim speciem præ se fert, Melãcholicis tamen, vt & mulieribus hystericis familiare, & solenne, atque rarò exitiale est, soluitur enim in his faciliùs, remanente tamen virium omnium languore. *Hippocratis* quoque 2. aph. 41. & in *Coac.* prædictio est, eos qui sæpè, & vehementer animo linquunt sine causa manifesta, derepentè mori. Si syncope correpti caput in humeros aut thoracem delabetur, pulsus atque respiratio ad multum temporis spatium intermittant, facies quoque fuerit viridis, nigra, & liuida, frustraque sumptum sit medicamentum sternutatorium, iam præsens adest exitium. Porrò in phthisi, & tabe deliquia, si sæpè accidant, mortem esse in olla denotant. Quod si verò ex odoriferis vel venæsectione factà, vel aliorum animalium olfactu animi deliquium oriatur, res haud periculi plena est, hàc enim causà sublatà tollitur affectus; nec illa lypothymia tam periculosa est, quæ oritur ex ore stomachi malè effecto; si verò tremor, & conuulsiones accidant, tunc mors in propinquo est.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Post consideratos modos, vnde morbus hic oriatur, & quid inde præcidendum sit, reliquum est, ad remediorum descendamus genera, quę verò subministrantur ex vsitato triplici fonte, *Diætetico*, *Chirurgico*, *Pharmaceutico*, comprehensis *diætæ* nomine, non solùm cibo, & potu, sed more solemni in genere rebus *nonnaturalibus*, quæ vt malè adhibitæ constitutionem peruertere,

ità dextrè vſurpatæ eandem in ſtatu naturali conſeruare, imò à morbo iterũ liberare poſſunt. Quantũ itaque ad *Aerem*, quandoquidem is teſte diuino *Coo*, lib. de flatib. maximus eſt in omnibus, quæ corpori accidunt, & author & Dominus, indè maxima eius habenda cura, vt ſit purus adeoque ſerenus atque lucidus, qui verò naturà ad votum non haberi poteſt, artis beneficio talis reddatur, ſi nempè furori ſpirituum contemperando præſentius inſeruire debeat, eligendus frigidus vel naturà, nempè ſeptentrionalis, vel arte comparandus, ſtrato ſc. pauimento fl. roſar. papau. nymphææ, herb. plantag. portulac. ſemperuiu. &c. Si contrarià opus ſit operatione, calidis vel beneficio ſolis, vel ignis, alioque modo parandus eſt. Ex commotione enim aeris quosdam ſyncope correptos notauit *Salmuth. cent. 111. obſ. 7.* nec minori violentia nocet carbonum fumus, prout notauit *Schenckius*, Iouinianum Imperatorem mediâ hyeme Romam proficiſcentem, & in cubiculo recens cruſtato, & calce obducto, in quo ad calcem reſiccandam, magna vis carbonum accenſa fuerat, pernoctantem, ex hac vita emigraſſe. *Cibus* ſit facilis concoctu, & euchymus, non nimiâ ingeſtus quantitate, ſalubris, ordine, & tempore conuenienti, ætati quoque, & ſexui congruus. Conueniunt iuſcula carnium, conſummata, brodia aromaticis condita. Docet etiã *Galenus l. 7. method. med. c. 6.* teſtibus gallinaceorum ſubueniendum eſſe ijs, qui in ſyncopen incidunt. Aſteriſco verò notandum, quod in hunc affectum procliues non diu manere debeant ieiuni, ſed ſingulis horis matutinis aliquid panis butyro illiti comedant. *Potus* ſit vinum, hoc namque eſt reparator, & reſtaurator ſpirituum potentiſſimus, regum noſtrorum conſeruator vnicus, virium omnium refocillator. Vinum, inquit *Helmontius*, licet calidum ſit, cùm tamen palato, & ſtomacho ſit gratiſſimum, in calidis etiam morbis modicè ſumptum, ſpiritibus gratiſſimum eſt vnicum, & alimentum medicamentoſum; vinum verò glacie, more Italorum, frigefactum, cane, & angue peius fugiendum. Ita ex frigidiſſimi eiuſmodi vini vſu, poſt longum ſub ſole ardente luſum, defecit quidam apud *Schenckium l. 2. de anim. delique, & ſyncop. obſeru. 1.* quemadmodum ſimile quid nos vidimus ex frigido potu cereuiſiæ inter pilæ luſum, aſſumpto in Gallia. Sic ex nimio aquę frigidæ hauſtu ſyncopticus quidam ad cœleſtia raptus eſt, teſte *Hildano cent. v-obſ. 27. Exercitium motuſque* nimius vitentur, quia multi ſpiritus indè exhauriuntur, partes Salinæ volatiles euolant remanente acido, prout exempla, & hiſtoriæ teſtantur, plures inde in ſyncopen incidiſſe, ſed cùm hæc aliunde nota ſint, hàc vice, & breuitati ſtudentes omittamus. *Somnus* pars humanæ vitæ melior, ſi ſit moderatus, & tranquillus, recreat animum, miraque dulcedine totum perfundit corpus, ſpiritus quoque laboribus, curis, ſtudijs conſumptos, & delinquentes reficit, quos contra vigiliæ nimiæ conſternere valent. Omnia verò adſtans Medicus benè iudicet oportet, & conſuetudini aliquid concedat *Animi affectus*, quo ad fieri poteſt, ſanæ rationis imperio perdomandi ſunt, & aduerſus eorum incurſus Theologiæ monitis animus muniendus eſt, quid enim gaudio moderato iucundius, immoderato verò quid damnoſius, quoad cœleſtia abijt Auus coniugis noſtræ; quod & euenit matri cuidam filios ex pugna (in qua eos obijſſe putabat) reduces vidẽti, quæ præ nimio gaudio ſyncoptica moriebatur, teſte *Liuio l. 22. c. 7.* Ex ira furore illo breui ſyncopis lethalis exempla collegit plura *Camerarius*. Ex amore, vid. *Lazar. Riuer. l. 8. pract. med. c. 1.* Ex mœrore, ſtudijs, curis, lucubrationibus, alijsque, annotarunt Practici plures, quare aurea regula vbiuis attendenda eſt, *ne quid nimis*. Sic & accidit ex zelotypia, cupiditate, timore, æmulatone, inuidia, vt ergò hic valeat illud Horatij:

Inuidiâ Siculi non inuenêre Tyranni
Maius tormentum.

Ex

Ex ſpectri quoque horrore ſyncopen ortam nouimus, vt & ex aſpectu ſelis, cancrorum, capitis veruecis, aliiſque antipathiæ caſibus, de quibus vid. *Ephemerid. Germanor.* Excreta naturalem ordinem obſeruent, aliàs magnum hoc in affectu inferunt incommodum, per crebriora enim aut vehementiora catharctica, vomitum, venæſectionem, ſcarificationes, ſudores, hæmorrhoides, menſes, lochia, empycorum, & hydropicorum puris, vel equę euacuationes, hic affectus facilè excitatur. Crebrum Veneris vſum proſcribimus, quale fatum *Cornel. Gallum* & *T. Hatterium* è viuis ſuſtulit, apud Valer. Max. lib. 9. c. 12. qui tamen illud pro vera cauſa mortis non agnoſcit, aiens: Quanquam quorſum attinet eorum cauillari fata, quos non libido ſua, ſed fragilitatis humanæ ratio abſtulit? Fine namque vitæ noſtræ variis, & occultis cauſis expoſito, interdum quædam immerentia ſupremi fati titulum occupant, cùm magis in tempus mortis incidant, quàm ipſammortem accerſant. Nouimus & nos exemplum cuiuſdam, qui, quoties cum vxore ſua coit & ſemen effundit, toties animo linquitur, qui tamen inuitâ Dianâ non venatur.

§. 13. Hæc itaque de huius morbi natura, cauſis, ſubiecto, differentiis, & ſignis dicta ſufficiant. Reſtat vt & curam iuxta dictos Authores adnectamus, & primò Veterum Gallenicorum methodum curandi exhibeamus, qui verò in paroxyſmo huius affectus lectulo, vt quieſcat, imponunt ægrum, dein inſpergunt in faciem aquam roſaceam, vel aliam frigidam vino fortiori dilutam, vt indè excitetur æger. Si verò ſyncope ab hyſterico affectu oriatur, adhibent naribus caſtoreum aſam fœtidam, vel alia ſuffimigia fœtentia. Si ſyncope à defectu alimenti, vel à ſanguinis euacuatione nimia ortum habeat, vino generoſo propinato ægrum reſocillant, & quidem cruſtam panis in eodem madefactam exhibent, tum etiam extra paroxyſmum variis ſorbilibus alimentoſis, & valde nutrientibus, iuſculis nempè reſtaurantibus, conſumatis, brodijs, alijsque, ægri vires reſarciunt. Quòd ſi autem lypothymia à venenoſis vaporibus in corpore natis, vel extrinſecus allatis generentur, tum feliciſſimo cum ſucceſſu exhibent varia alexipharmaca. In caſu verò vbi affectus à veneno hauſto accerſitur, vomitum per vomitorium cient & ſi ſentiatur ardor ventriculi, lac vel butyrum, vel iuſcula pinguia exhibent, propinantque. Affectui verò à ſuperpurgatione orto obuiam eunt per theriacam Andromachi, Mithridat. aliaque opiata, tum internè, tum externè exhibenda, ſic & illum à ſudore nimio exortum, per frigida, vel roſacea, vel acetum in faciem effuſa, vel alia epithemata frigida curare ſatagunt. Quod ſi verò a terrore, & metu, prout ſæpè fit, ceu diximus, paroxyſmum originem ſuam ſortitur, tunc venæſectionem imperant, aliaque ſpirituoſa propinant, ſpiritus quoque ſuffocatos ad ambitum corporis reuocant, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, &c. clamores quoque, atque vociferationes, ſternutatoria, oris, narium, digitorumque compreſſiones, & vellicationes inſtituunt. Extra autem paroxyſmum aliam obſeruant methodum, humores nempè naturæ obedientes reddendo *præparantibus*, & quidem in frigida cauſa ſequentibus: Syr. de cort. citr. de ſucc. granator. de pomis, oxymell. ſimpl. &c. in calida verò cauſa, ſyr. acetoſ. violarum, roſarum, aq. borrag. bugloſſ. acetoſell. &c. Vtuntur poſt hæc leni medicamento ſolutiuo, (niſi affectus ortum duxerit ab hypercatharſi) quo materiam peccantem educunt. *Euacuantia* ipſis in hoc caſu ſunt ſequentia: Manna, craſſia recenter extracta, rhabarbarum, tamarindi, &c. clyſteres quoque lenes adhibent, Quodſi verò effectus ortus ſit à veneno, vomitorium ſuadent cum aqua calida, cum ſyr. acetoſ. ſiue oleo communi permixta, & epota. Vbi verò à phlegmate viſcoſo, aut putridis humoribus, paulò vtuntur fortioribus, & digitis atque pennâ vomitum ſolicitant, reliqua fortiora purgantia, proſcribentes contemnen-

nentesq; *Auertentia* locum quoque habent in paroxysmo, ac extra eundem, frictiones, scilicet, ligaturæ, cucurbitulæ, &c. Tandem ad *roborantia* accedunt; in frigida causa prosunt diamosch. dulc. diambra, elect.de gemm. oleum cinamom. vinum generosum, aquæ cordial. omnes, aq.beton. cort. citr. scordij tormentill. cinamom. vlmar. atque syr. ex ijsdem parati, mithridat. theriac. Andromachi, antidot. Matthiol. & plura alia. In quo casu, & externa quoque adhibent, ex. gr. Epithema pro corpore ex caryophyll. cinamom. croc. ligno aloes, cum vino odorifero, vel aqua rosacea, melisl. maior. paratum, vel suadent sacculum ex ijsdem, &c. refertum, cordi applicandum. In causa verò calida *roborantia* ipsis sunt refrigerantia, vt aquæ simplic. ex floribus cordialibus destillat. Aquam carnis stillatitiam magnoperè commēdat in hoc affectu *Iob. Baptista Sylvaticus*, & vult earum esse virium cum ipsis cornibus ex quibus extrahitur, quamuis leuiùs nutriat; syr. de pomis limonum. granatorū, spec. de margarit. frigid.conseru.4.fl.cordialium. Externè verò epithema cordiale ex lign.aloes santal.cort.citr. cum aqua rosar. bugloss.borrag. paratum, vel sacculos ex ijsdem conficiunt.

§.14. *Chymici* in confortandis spiritibus vitalibus cordis corporisque vniuersis, Essentias, & tincturas, spiritibus multis rationibus præferunt. In hunc finem aurum tanquam summum arcanum commendantes, idque fundamento philosophico adstruunt, quod nempè in cœlo est Sol, in animali cor, in vegetabilibus vinum, id inter mineralia esse aurum, ridentes *Scaligeri* de hoc iudicium, quod scil. natura auri longissimè distet à natura nostra, neutiquam itaque nostrum corpus istud restaurari posse. Laudibus ergò quicquid alij dicāt euehit Paracelsus cum parente suo *Hermete aurum potabile*, ità vt auro subiungat matrem perlarum in forma olei instar balsami, essentiam croci, melissæ, &c. *Antimonium* quoque, quod vocat restauratorem virium omnium in corpore, eiusq; sulphur solare passim auro comparat; magnifacit etiam Arcanum sulphuris, aquam vitæ, smaragd. & corall. item sal margaritarum (quod cordiale esse nobilissimum, & soli potabili in temperatura, & operatione proximè accedere ait *Coll.Basil.chym.p.m.* 282.) His vsibus quoque aptum est Arcanum margaritar. & quinta essentia ap. *Hartmann.* vt & flores margaritarum, & corallor. apud *Schroder. Pharm. l.3.c.6.* inprimis tincturas corallor. varijs menstruis paratas, liquores gemmarum, rubinor. granator. topasior. hyacinth. aliorumque magni pendunt. Inter aquas compositas sunt: Aq.cap on. carbuncul. aurea, confortatiua vsitata, spiritus rosar. theriacal. camphorat.vitriol. spir. vini c. sale diaphoretico Mylii, Antid. lib. 4.c.2. spir. fuliginis, terræ sigillat. &c. item ol. cinnam. succin. macis, ligni rhod. &c. conducit & sal. margar. & corall. angel. scordii, volat. CC. & viperar. item ambra in spiritu vini soluta, de quibus vide *Beccher.* Supplem. ad Physic. subterr. p.79. vina buglossata, angelic. & Hippocratica, seu clareta roborantia prout habet *Querc.Pharm.rest.l.1. c.9.* hic quoque proficui vsus sunt, ex quibus variæ formulæ concinnari possunt, quas tamen cuiuslibet iudicio relinquimus, & ad *Helmontium* transimus.

§.15. Ille verò semet curauit, quando ipsi rotabat, & vacillabat caput cum syncopes metu, leuiculo excitato vomitu, sic enim abrasit sordes è ventriculo, quibus idea illa rotans fuit impressa, in stomacho enim causam latere suspicatur, postmodum assumpto cibo, & vino moderato meliùs habere cepit, sed cùm recidiuas passus esset, sulphure vitrioli plenissimè se restituit. Ad venenum verò anodynum, dispersiuumque spirituum in hoc morbo vrgens tollendum commendat varia spirituosa, & volatilia, vndè spiritus lucidi euadunt, & lux vitæ iterum eluceſcit.

§.16. *Willisius* pharmaca *cardiaca* in duo distinguit genera, alia nempè quæ san-

sanguinem, & spiritus animales potissimum ac immediatè afficiunt, & accendũt alia quæ sang. & spirituum efferuescentiam immoderatam sedant. In primo censu ea ponit, quæ spiritus, & sanguinem exaltant, & accendunt, vt sunt aquę ardentes destillatę compositæ, tinctura croci, elixir vitæ Quercetan. tinctura salis, tartatiri, chalyb. aliaque calidiora, vt sunt aqua mirabilis, cinamom. caryophill. cort. arant. cum vino destillat. quibus spiritus volatiles addi possunt. In secundam verò classem ea refert, quę sanguinis, & spirituum efferuescentiam nimiam, syncopen excitantem, nonnihil sedans pacantque, prout sunt aquæ destillatę frigidę, temperatę cordiales, omnia, acida nitrosa, &c. Esto formula:

℞. *Aq.pomor.redolent.*
rubr.idæi ana ℥.vj.
confect.de hyacinth. ℨ.j.
Syr.violac. ℥.j.
Spir.salis.q.s.ad grat.aciditat.
Vel ℨ.j *Aq.fontan.lib.j.* ℨ.
succi limon.
sacchar ℥.j. ℨ.*M.f.iulap.*

Cardiaca quoque sale volatili prędita tum in febribus respectu sanguinis, tum in deliquiis, & subitis languoribus, vtiliter exhiberi possunt, vt sunt spir.C C. aq. theriacal. spir. salis armon. & sal. viperat.crystal.mineral.pulu. è chelis, fl. salis armon. bezoar.mineral. &c. Nec infirmi subselij sunt cardiaca, quorum basis sal alkali est, vt sunt bezoar.orient. corall. margarit. pulueres omnes testac. & lapid. de quibus omnibus vide ipsum Authorem de cardiacis memorantem p.m.158.

§.17. *Syluius* in syncopes metu, alijsque animi deliquiis leuioribus, cum frigore tamen molestis, & formidabilibus coniunctis symptomatis, sequentem laudat mixturam, cochleatim assumendam:

℞. *Aq.menth.* ℥.ij.
vitæ Matthiol.vel
tinct.cinamom. ℥.ß.
*ol.caryophyll.gutt.*vj.
Syr.cochlear. ℥.j.*M.*

Idem prelaudatus Vir per quotidianam experientiam edoctus commendat hoc in casu *salia volatilia*, & *olea aromatica*, omne viscidum facilè soluentia, ac incidentia, omnem item acidum, & austerum peccans temperantia, & corrigentia quandoque demum halituosum, & flatulentum discutientia hìc vsurpanda suadet, inprimis quod si æger magis mortuo, quàm viuo similis existat, os nec aperire, nec claudere multo minus debitè aliquid deglutire valeat, tunc prædicta olea spirituosis intimius per circulationem maritata ad guttas 111. pluresque subinde in ægrorum os, ac inprimis per infundibulum immitti vult.

§. 18. *Cartesiani* omnia spirituosa salina volatilia, quæ flammulam vitalem accendere valent, commendant, vt sunt omnes aquæ spirituosæ, cinamomi nempè, carbunculi, cordiales odoriferæ spir.citr. spir. mosch. ambr. zibeth. cinamom. & caryophill. (qua tamen in re notandum, quod olea succin. & caryophyll. spirituosis, & camphoratis iuncta efficaciùs operationem suam peragant,) & id genus plura alia, quæ spiritus subtilisant, ignemque sacrum accendunt, de quibus plura in seqq. in scenam producemus.

§. 19. *Nos* inter cardiaca referimus omnia illa, quæ spiritus nostros, prout in amplissimo vniuerso solis radii faciunt, illuminant, volatilesque reddunt, item spiritus suscitare, & vegetos reddere, vel ipsis facilè se iungere, simulque sanguinis æquabilem fermentationem conseruare valent. Vbi ergò syncope, seu spirituum satiscentia, & defectus ex nimia sanguinis dissolutione, ex alKali nempè abundantia, ortus sit, sulphurea, & spirituosa, moderatè tamen acida, sed volatilia, exhibenda sunt, vt ità sanguini debita restituatur consistentia; deficiens eius redeat spiritus, & fermentatio, in quem finem acetum ex vino generoso cum spiritu vini volatilisat. tinct. bezoart. Michael, aq. cinamom spir. ceraso. nigror. vel rosar. ambratum, suaserimus. In Iuniorũ ergo gratiam sit sequens formula.

℞.

Aq.cinamom.ʒ.ß.
acet.cum spir.vini volatiliſat.vnc.j.
ſpir.roſar.ambrat.ʒ.j.
ſyr.de cinamom.ʒ.vj.
Mad.ad vitr.huius miſtur.vnum vel alterum cochl.exhibeatur.

Cinamomum, moſchus etiã & ambra, (qui poſterior ex relatione Anglorum in inteſtinis balenarum reperitur) palmam omnibus cardiacis,& confortantibus præripiunt, indè ſequens Balſamus corroborans ex his odoriferis paratus.

℞. *Ambræ* ℈ j.
moſch.ʒß.
confect.alkerm.ʒij. ſpir.roſar.
ceraſor.nigror.ana ʒ.iij
aq.cordial.Here.Saxon.
elix.vitæ Mattiol.ana ʒj.

Mixta hæc circulentur per III. dies, vel vltrà,vaſe tamen benè clauſo, poſt filtretur balſamus, & ſeruetur ad vſum, qui ipſe ſpiritus recreat Cardimelechem, placat,& refocillat,arcemq; ipſius illuminat.

Vel ℞. *Aq.cord.ceru.*
meliß.cum vin.ana ℥.ij
cinamom.boraginat.ʒ.j
confect.alkerm.ʒ.j
oß.de cord.ceru. xij.
ſyr.ſl.tunic.ʒ.j.M.

Si verò ſimul ratione acidi volatilioris infeſtus ſit, præcipitantia, vel acidum ligantia addere conſultum erit,cui bono ſequens haud infirmæ ſortis eſt:

℞. *Aq.borrag. bugloß.*
roſar.
meliß.
è ſucc.citr. ana ℥.iij
cinamom.ʒij.
margarit.orient. pr.ep.ʒß.
C.C.vſt.præp.ʒ.iij
ſacchar perlat.ʒß.
M.f.Aq. perlar.

Vel ℞. *Aq.cond.cord.H.S.ʒ. iii.*
eſſent.meliſs.ʒi.ß
tinct.corall.cũ pir.cord.ceru.parat.ʒß.
ſyr.ſl.borrag.ʒ.vj
M. detur cochleatim.

Vel ſequens puluis:

℞. *Margarit.or.præp.ʒß*
corall.rubr.
oſſ.de cord.ceru.ana ʒ.j
lapid.ℨ pretioſ.ʒ.ß.
M.f.pulu.doſ.℈ j

Vel ℞. *Magiſt.cordial.ʒij.*
C.C.ſolar.ʒj.
oß.de cord.ceruꝰ ℈j.Miſt.

Omnia enim hic ad partes vocari queunt,quæ acidum ſylueſtre imbibere poſſunt, præprimis ſi ſyncope à coagulatione ſanguinis in corde ortum ſuum habeat in quem finem commẽdat Nob.& Exper. *Dn.Maior.* Spiritum ſalis armon. potentiſſimum illud alkali volatile, cum ſpir. vini camphorato ,& oleo ſuccini combinatum, quippe ex quo ſpiritus ſalinus oleoſus fit; idem præſtare poteſt ſpir. C.C.vel fuliginis cum camphori maritatus,qua & in re *Beati Dn.noſtri Sacbſii Reſtaurativi liquoris ſalino volatilis* vires maximè deprædicamus in reſtaurando, & ſimul illuminando ſole Microcoſmi, quod remedium parari ſolet ex ſpir. cinamomomi, cum oleo deſtillato ſuccini, iuniperini ſale volat.C.C.artificioſè iunctis. Qua occaſione & noſtram corroborantem Eſſentiam communicare libet.

℞. *Spir.vini cum ambra rectificat.lib.ß.*
ſalis tartari puriſs.ʒj.
euoca deſtillando ſpiritum, cui vitè exaltato adde ol.cinamom.
macis,
ſuccini, tantum quantum ſorbere poterit, tunc adde
eſſentiæ ambræ cum ſpir.roſar.parat.ʒj
ſpir.ſal.armon.rectificat.ʒj.ß.& fiat l.a

Eſſentia noſtra corroborans, quæ ipſa eſſentia ad gutt.aliquot exhibita, ſummè ſpiritus, & ſanguinem coagulatum reſoluit, omne acidum deſtruit, & ſanguinis æquabilem conſeruat fermentationem atque motum. In coagulo ſanguinis quoque ſperma ceti, ex balenarum cerebro depromptum, interiùs aſſumptum, reliquiſque cardiacis commixtum,ſeu ſecundum in ſyncope prædicatur præſidium. Quod ſi verò affectus ab inferioribus ſcandere, & aliquid conuulſiui ſubeſſe videatur, inprimis in fœminis, medicamen

ta ita comparanda, vt magis ad spirituosa sulphurea, quàm salina inclinent. In febribus verò ardentibus, & indè ortis lypothymijs optimè conducunt acidis fortificata cordialia, quia hæc spiritus medicaminibus volatilibus exhaustos, & sudoriferis dissipatos restaurant, & concentrant, in quem finem conueniunt sequentia: mixtur. nempè simplex, spir. vitrioli acidus volatilis. Esto formula.

℞. *Conserv. pulv. citr.* ℥ij.
rosar. rubr. ℥j.
confect. alkerm. ʒß.
spir. vitriol. dulc. gutt. xxv.
syr. acetos. citr. q.s. f. Elect.

Vel ℞. *Aq. cord. frigid.* ℥ij.
meliß.
è succo citr. ana ℥j.
confect. alkerm. ℥j.
aqu. porlar. ʒj.
tinct. bezoard. Michael. gutt. xx.
syr. granator. ℥vj. *M. d. ad vitrum.*

In syncope verò stomachicà conducit aq. cinamomi, mentæ, alijs stomachicis tũ externis tum internis &c. coniuncta, spiritus stomachicus Mynsichti, Angeli Salæ & stomachicum Poterij. Extra verò paroxysmum vomitorium exhibendum lene, ad materiam viscidam peccantem eliminandam, ad quem scopum conducunt, & varia absorbentia, & præcipitantia, &c. In omni verò syncope conducet aqua sanitatis Veterum ex sanguine humano apud *Gluskrad* in not. ad *Beguin. lib. 3. c. 1.* item essent. sãguinis hum. apud *Fabr. Myrothec. Spagyr.* lib. 1. c. 8. Essent. zibeth. ibid. c. 26. His nihil iuuantibus cum Nob. *Ettmullero* ad infusionem liquorum tum volatilium acidorum, tum volatilium alkalicorum, pro re tamen nata confugiẽdum esse credimus. Inter externa commendamus varia Epithemata cum panno sc. coccineo applicanda. Esto in tyronum gratiam formula vna atque altera.

℞. *Aq. carbuncul.* ℥j.ß.
nymphæ ʒj.
spec. pro epithem. cord. ℥j.
spir. cort. citr. ℥j.ß.
M. d. ad vitrum.

Vel ℞. *Acet. bezoart.* ℥j.
spir. citri ʒj.
M. pro pulsibus.

Vel sacculi repleti speciebus cordialibus & madefacti in his vel similibus liquoribus applicentur. Vel fiat linimentum sequens, vel simile.

℞. *Balsam. succin.*
cinamom.
angelic.
caryophyll. ana ℥ß.
M. f. Balsamus pro cordis regione illinẽda.

Vel ℞. *Ol. destill. citri,*
meliß. ana ℥ß.
ambræ liquid. gr. viij.
M. cum ol. nucist. q.s.
Vel ad pulsus illinendos.

℞. *O. still. meliß.*
citri ana ℥ß.
carbunc. gutt. vj.
lign. rhod. gutt. iiij. *Misce.*

Vel sale volatili oleoso, vel spiritu volatili regio cordis.

Lypothymiam, & soluit balsamus succini albi naribus illitus, item balsamus caryophyll. cinamom. ad odorandum exhibitus, & quæ alia quis ex varijs aliorum nouerit hortis.

Si fœmina sit patiens, & suspicio sit passionis hystericæ, linteum liuidum accensum teneatur ante nares, & adhibeantur alia antihysterica. Prodest, & hic spirsalis armoniaci cum calce viua præparatus, quia maximè penetrat per nares in cerebrum, qui teneatur ante nares, vt & intus essentia castorei.

Hic & omnia prosunt tum internè, tum externè, quæ in apoplexia proficua sunt; infundatur quoque aqua vitæ in os.

Vrinæ hoc in morbo sæpè perturbatæ minguntur, ob mixturam particularum perturbatam, quę sudoriferis restituitur.

Si quis incidat in lypothymiam ex *hypercatharsi*, optimè conueniet spiritus theriacalis cum aq. cinamomi, vel theriaca externè ventriculo imponatur.

In lypothymia à venęsectione prodest sal ori inditum, quo & lingua fricetur, authore *Horstio*.

FINIS LIBRI SECVNDI. IOH.

IOH. DOLÆI ENCYCLOPÆDIÆ MEDICINÆ THEORETICO-PRACTICÆ,

LIBER TERTIVS.

De Morbis Abdominis.

CAPVT I.

De Cardialgia, Nauſea, Ructu, Vomitu, Rugitu, Ardore ſtomachi, & inappetentia.

1. ANtequam ad deſcriptionem affectuum *abdominis* nos accingamus, operæpretium erit, atque adeo neceſſitas id plenò ore efflagitat, de natura, & vſu ventriculi nonnulla, paucis tamen præmittere. Eſt itaque *ventriculus* arx munitiſſima Rege proprio, & peculiari, ceu gubernatore huius arcis, inſtructa, cuius Regis nomen eſſe poteſt *Gaſteranax*, quia inprimis ſalutari niſu proſpicit ventriculo, & reliquis præ munimentis, orificio nempe, & inteſtinis. Quod ſi ergò in primâ acie examinabimus ſolitos affectus ventriculi, quia duntaxat ſecundùm magis, & minus non ſpecie, vt cum Logicorum filijs loquamur, differunt, ideò ſub vno capite plures comprehendere libet licetque, ne toties repetendo curioſo Lectori nauſeam quaſi crambe bis cocta pariamus. Antequam verò ad præternaturalem ſtatum accedamus, prius paucis naturalem, nempè abſtruſum illud Chylificationis opus, præmittamus, vt eò accuratiùs vitia eius innoteſcant. Medicorum verò antiquorum maxima pars in ea fuit opinione, fieri Chylificationem per calorem adiacentium viſcerum ad modum elixationis ſicut ſcil. caro aquâ affusâ, cuius loco potus eſt, elixatur, ſic & in ſtomacho alimenta elixari putantes. Alij per fictitiam, alij facultatem chylificam quandam : crediderunt fieri hanc chylificationem Nõnulli eorum humorem quendam melancholicum per vaſa breuia à liene in ſtomachum infundi exiſtimant, per quem liquorem acidum alimenta comminui perſuadere voluere: cui opinioni nonnulli Neoterici, inter quos Anteſignanus præſertim eſt ille per ignem Philoſophus *Helmontius*, aſſenſum præbuere; Inquit enim, extra controuerſiam eſſe, cibos, & potus vnà pariterque diſſolui in cremorem planè diaphanum in cauo ſtomachi, atque ſubiungit hoc fieri vi fermenti manifeſtè acidi, *à liene mutati*. Verum enim verò hanc ſententiam curioſior Anatome, vno actu, & ictu omninò inuertit, indigitans in viuis animalibus ſanguinem per vaſa breuia à ventriculo quidem verſus lienem deſcendere, atque in ramum ſplenicum effundi, nihil verò ductu contrario, è liene ſcilicet, ad ſtomachum ferri, imò per valuulam acidi lenoſi communicationem per vas breue prohiberi,

vt adeò in fumum abeat illud commentum. Nostrà ergò ex mente Chylificationem fieri per modum fermentationis virtute *Gasteranacis* nostri, adiuuantibus simul spiritibus animalibus ope humoris cuiusdam acidi volatilis, scil. salino-ammoniacalis, in ventriculo contenti, forsan succi pancreatici, aliusque concurrentis. Dentibus ergò, tanquam naturæ pistillis, cibi priùs debent ritè comminui, qui deinde saliua subacti, & quasi fermèto primo imbuti (gaudet enim saliua teste *Syluio, Disp.* 1. *p.* 8. aquâ, sale, & spiritu, vnde & penetratiua, & fermentatiua illius vis ortum habet) ad ventriculum per gulam dimittuntur, & ibidem à succo illo qui ventriculo proprius, & domesticus est, in pultaceum liquorem, hordei cremori non absimilem, transmutantur. Fermentum hoc in homine vix vnciam vnam quantitate excedit, & hæret in rugis ventriculi, seu internà stomachi tunicà, ex glandulis minutissimis cum spiritibus animalibus quidem eodem delatum, & sic existit pabulum nostri Regis, quod quoque alimenta ritè masticata, saliua probè humectata, & potu benè diluta, & quasi macerata dissoluit, volatilitate suà subtilisat, & fermenti pistorii instar fermentationis actum promouet, salia partim acidula, partim volatilia, quibus alimenta abundè scatent, in apricum deducit, & eorum ope fermentationem auget, tandemque in succum lacteum, nunc acidum, nunc verò volatilem, quem chylum vocamus, mutat. Atque hìc quasi per parenthesin notandum est, quod fermentum hoc in viuis animalibus sit liquidum, & limpidum, in mortuis verò semper viscosum. Certum enim est, quod in ventriculis sanorum semper reperiatur succus quidam acidus, quem & mulierculæ ex animalium enecatorum ventriculis colligere norunt, ad lac coagulandum, quod etiam in sanis ructus acidus manifestat, antequam alimenta in chylum ritè transmutata fuerint. Confirmat id præterea, & authoritas, & ratio in naturalium rerum cognitione versatissimi Archiphilosophi *Hippocratis*, dum *aphor.* 3 *sect.* 6. inquit: In febribus, ac diuturnis hemeriis ructus si superueniat acidus, qui antèà non extitit, bonum, quia stomacho debilitato redit sua aciditas, quà cibum in chylum resoluere valet, & sic consequenter sanitas. Cæterum volatile, seu ex sale volatili quodam, esse debere fermentum, experimentalis probabit philosophia; negari enim nequit, quòd omne id, quod fermentabile quoddam, vt sic dicam, subiectum ad fermentandum disponere debet, semper sit de natura salis volatilis, & ferè eodem modo sese res habeat, ac dum lupulus cereuisiæ additur, vel aroma (prout parari solet cereuisia in Hollandia, quam vulgò *Buttelbier* nominare solent Batani) quo fit, vt in cereuisia maxima sit fermentatio, sic & ipsa florentis vini effluuia volatilia vina de nouo fermentant. Hæc de statu naturali, nunc ad præternaturalem festino pergamus gradu.

Ex deprauato ergò hoc fermentato, & inde perturbato Gasteranace, exoriente simul turgescentià, & orgasmo aliorum humorum cum eorundem eruditate, & coctione deriuantur omnes affectus ventriculi, quos nunc specialius lustrabimus.

DEFINITIO CARDIALGIÆ.

Quid enim Cardialgia aliud est, quàm sensatio tristis ventriculi, maximè neruosi, à succis acribus mordentibus, & sic continuum cum impete soluentibus exorta? *Vomitus* quid aliud quàm exclusio per os rei in ventriculo repertæ, à peruerso ventriculi, tum annexorum intestinorum, peristaltico motu ab acutis, aliisque acribus, & heterogeneis malignis particulis inductis facta? *Nausea* verò dependet quidem à particulis volatilibus, minus tamen acribus, vt adeò nausea, & vomitus non aliter differant, quàm secundùm magis, & minus. Ardor verò stomachi, quem Germani *den sond* nominant, producitur, cùm bilis in ventriculo existentes particulæ subtiliores, & acres dolorem, ac ardorem in orificio ventriculi, & œsophago excitant.

Ru-

Fastus est affectio ventriculi, rugitus verò intestinorum à flatibus tum acribus, & acidis tum viscosis, facilè tamen particulis volatilioribus accedentibus, dependentes. *Inappetentia* verò quæ, & dicitur Anorexia, Asitia, Apositia, cibi fastidium, &c. est deprauatio fermenti ventriculi ex varijs causis præter naturam suborta.

PARS AFFECTA.

§. 2. Ex definitione haud difficile erit colligere partem affectam horum affectuum, quæ statuitur, omniũ ferè Authorum consensu, ventriculus. Et quidem in Cardialgia orificium ventriculi ex neruis penitus consectum, & quodam quasi neruorum reticulum exhibens, imò ventriculi tunicam nerueam pro subiecto agnoscimus: vomitus verò subiectum, fibrillas omnes nerueas ventriculum constituentes ponimus, prout, & nauseæ, & ructus ipsam cauitatem stomachi; Inappetentiæ verò, rugas stomachi, in quibus fermentum vt plurimum hæret. De subiecto secundario, partium scilicet quæ consensum habent cum ventriculo per neruorum, vulgo sexti paris, communionem, nihil addemus, plures enim esse possunt; de quibus tamen in causis ex methodi lege rectiùs agetur.

DIAGNOSIS.

§. 3. Progrediemur nunc ad signorum doctrinam, & quidem ad diagnosticam, quæ cum sit fundamentum rectæ curationis, operæ pretium erit impræsentiarum omnem impendere operam, vt illa ritè rectèque propinetur, & proponatur. Et quidem 1. Cardialgiæ signum pathognomonicum, lancinationes, seu morsus circa scrobiculum cordis vrgentes sunt: percipitur enim ab ægris erosio, morsus atque fortè, quando in sensibili illa parte neruosa, orificio nempè ventriculi, magna adest ventriculi grauitas atque distensio, angunt anxietas cordis, magna spirandi difficultas instar asthmatis præcordialis, accedunt sæpiùs Syncope, vertigo; spiritus enim excubantes in furorem perciti excitant varia hæc symptomata Nausea quoque, & Inappetentia, ob magnam molem viscidorum humorum fermentum ventriculi iners, & quasi obtusius reddentium exoritur; spiritus animales quoque calorem, & tonum communicantes tunc dissipantur, & quasi partem ventriculum scil. deserunt, vnde non potest non fieri, quin pars deserta flaccescat. Ob bilem quoque volatiliorem hunc affectum comitatur sæpe vomitus biliosus per hæc signa iudicamus morbum esse idiopathicum; Simpathicam verò Cardialgiam lęsionum, & morborum partium quarum vitio fit, signa propria cognitam reddent. Vomitus verò signa per se manifesta sunt, quem tamen præcedunt, dolor capitis, vertigo tenebricosa, tremor labij inferioris, morsus oris ventriculi, frequens, & copiosa saliuatio, & si causa lateat in ventriculo, & affectus hic idiopathicè fiat, molestia, & dolor ventriculi euidenter præcedent, sin verò symphaticè tum capitis, vteri, alteriusque partis præsensum grauamen, informationem vlteriorem præbebit. Atque in omni nimio vomitu adsunt anxietates cordis, dolor capitis, animi deliquium, nonnunquam etiam cõuulsiones. Quod attinet ad eructationem, illa vulgò dicitur vel acida, vel nidorosa. Illa melancholicorum propria est: hæc verò biliosorum, & febricitantium. Rugitus signa flatus sunt qui per murmura se produnt, & simul abdomen inflatur. Inappetentia verò se statim prodit, quando scilicet æger omnem auersatur cibum, adeò vt etiam nomen cibi nauseam pariat, multò magis ad eius aspectum nauseabundus reddatur. Ardoris verò stomachi indicium est amarities in ore, & cum dolor ardorque percipitur, simulque tenuis, & instar aquæ ex stomacho profluit humiditas.

CAVSA.

§. 4. Priusquum vlterius vela vrgeamus, operæ pertium, imò, & necesse erit causas ex variorum Authorum opinionibus scrutari, & veriori relatione proferre. Causa igitur immediata Cardialgiæ Veterum opinione dicitur tristis sensus,

siue mordicans dolor, sub cartilagine ossis pectoris, causæ verò proegumenæ sunt humores pituosi acres, bilioſi, porracei, mordaces, in ventriculo collecti, vel flatus vaporoſi, & acres ex cauitate ventriculi in ipsius orificium delati ipsumque irritantes. Quibus causis, & nimium frigus vel calorem adiungere solent. Inter causas procatarcticas referunt, varia alimenta, & potulenta vitiosa venenata, & facili corruptioni obnoxia, vt sunt lac, fructus horarij, & immaturi, pisces, quę ventriculum haud aliter distendere solent, quàm aliquando flatus intestina in colico dolore. Vomitus verò, & nauseæ (quæ, vt dictum in definitione extensione tantum, & remissione differunt, ex ijsdem enim causis oboriuntur,) causam internam dicunt, & dissolutionem, & lubricitatem stomachi exortam ab aliquo heterogeneo humore in ventriculo contento, siue is sit pituitosus, siue bilioſus, siue melancholicus, siue ex his mixtus. Sic & ructus acidus pituitam talem, nidoroſus adustam materiam, amarus bilem flauam in ventriculo hærere indicat. Ardorem verò stomachi vel à bile flaua, vel à vapore bilioſo ad os ventriculi, & ad gulam vsque delatis deducunt. Inappetentiam verò oriri volunt vel ab intemperie quauis, obstructione venarum meſaraicarum, orisque ventriculi, vel mole viscidorum, ac pituitoſorum humorum, quos satietatem parere dicunt, vel à biliosà colluuie, vel alioque malancholico humore ventriculum replente, & sic appetitum tollente.

§. 5. Ad aliud nunc theatrum eamus *Chimici*, in vitijs ventriculi semina, salina mucilaginoſa nempè, & tartarea, multa fœtida sulphura, pauca mercurialia, & sic tales morbos efficere dicunt. Si enim mucilaginoſa, lutoſa, aluminoſa styptica, bituminoſa ventriculi parietes, & rugas obducunt, sequitur iuxta Paracelsum oppilatio spiritus vitæ, omnium actionum naturalium ministri, qui veluti captiuus, victus & vinctus, atq; sepultus vires suas in alimentum receptum exerere, & separationem nutrimenti à fœcibus absoluere nequit, (prout loquitur B. *Petræus* de morb. ventr. Hermet.) vnde tarda coctionum ministeria peraguntur, sequuntur ventriculi imbecillitates, dispepsiæ, anguſtiæ, compressiones, nauseæ, & sexcenta huiusmodi tormenta. Pergit idem §. 17. impuritates istæ plerumque peregrinis qualitatibus insignitæ *mechanicos* ventriculi ijsdem inquinant, quibus transplantata alimenta indissentaneam naturam commutata varios nidores, & ructus producunt. Si vomitiuas, helleborinas & antimoniales proprietates obtinuerint; nauseas, vomitusque suscitant. Vbi verò mucilagines tincturas salium fortiores, acriores, & corrosiuas locum obtinuerint, vt calcis, vitrioli, tartari, &c. tum fortiores, & dolorifici motus, & passiones excitantur, inprimis in orificio superiore exquisito sensu prædito, fiunt orexes, ardores, lancinationes, erosiones, morsus ventriculi, colicis doloribus similes. Sic, & quando sulphur in stomacho accenditur, & resoluitur, ardores, & calores stomachi, phlogoses, nempe induci necesse est. Quid verò *Helmontius*?

§. 6. Ille supponit vitium nimiæ digestionis esse cruditatem, si ergò cibus vtrumq; fermentum; proprium scilicet, & lienare non benè receperit, tum intendit acorem, & fit orexis, cuius comes est ructus *ex pontico rodens*. Ructum enim censet aut insipidum, aut acidum, aut ponticum, aut nidoroſum. Stomachus debilissimus incipidos eructat ructus; minus autem debilis acidos, vitioſos, nidoroſos, amaros, acres, &c.

Cardialgiam verò in orificio stomachi, tanquam centrali puncto atque radice, & principio vitæ, digestionis ciborum, & dispositionis eorundem ad vitam, fieri existimat, dum nempè pylorus furioſi instar vteri excentricum suum Blas mouet, & mirabile est, prout dicit *Grembs*, quod Ianitori Pyloro tanta sit potestas, vt diuersas tempestatũ scenas ille solus excitare possit; in vomitu enim Pylorus semper

per vt claudatur necesse est, & contendit *Helmontius* propter illius pertinacē clausuram humorem in ventriculo contentum fieri quandoque æruginosum, vndè vomitus pertinax sequitur, imò nonnunquam lethalis, quippe *Helmontio* commemorante, sectum quoddam cadauer cuiusdam nigricantia vomiturientis, præter pylorum exactè clausum nullum aliud vitium exhibebat. Vomitus ergo ex sententia *Helmontij* dupliciter fit, vel proprio pylori Blas, atque tum est indolens, vel à lacessentibus rebus, tunc equidem per pylorum fit, sed non proprio motu, vnde est molestus. Bilios us autem vomitus oritur, quando saburra biliosa è vicinia, stomacho suffunditur, tunc clauso pyloro magis corrumpitur, & fermenti qualitate contenta vel cœrulea, vel viridia redduntur, flauus, porraceus, ac amarus vomitus, vt à corrupto œconomo. Sic si fermentum fellis malè se habeat, ardores, ebullitiones, & inappetentiæ, ructus, nausea, & vomitus oriuntur; quod si fermentum lienis exorbitet, tunc iuxta Authorem nostrum contingunt vomitiones sanguineæ. Pylorus ergò vel furit sponte, vel irritatur à causa occasionali, quæ sæpiùs ex fellis defectibus scaturit, quando in recessu habet sal ponticum vel austerum, pylorum facilè constringens, mitigato ergò pylori furore, facili marte vomitus cessat, qua de re in cura dicamus.

§. 7. *Willisius* accusat in Cardialgia particulas biliosas acres, alcalinas, lixiuiosas, aliasque heterogeneas ad orificium stomachi delatas, ibidemque fibrillas nerueas diuellentes, corrugentes atque distendentes, & mediātibus spiritibus animalibus tristem sensationem inducentes. Vomitionem enim esse stomachi motum violentum, & conuulsiuum nullus dubitat, quem ea propter oriri dicit à spirituum animalium in fibras ventriculi impetuosè in silentium explosione siue magna expansione quæ fibræ repentè inflantur, & consequenter ita abbreuiantur, vt stomachi latera, & fundus ad se inuicem propiùs adducantur simulque verius orificium sinistrum sursum corripiantur, contenta quæque in œsophagi ductum *injici* faciant, vndè non potest, non fieri, quin omnia quæ spiritus stomachi fibris carneis insitos multum aut grauiter irritare valent, vomitionem, vel molestam, vel leuem producant. Irritamenta verò possunt esse, vel humores, vel vapores, vel alimenta, vel potulenta, vel pharmaca, vel toxica, modò acria sint. Cum *Helmontio* tamen censet vomitum fieri posse, & à solo clauso-pyloro. Ructuum, rugituum, nauseæ, & inappetentiæ causas, *Willisio* iudice ex prædictis colligere facilè est, & inferius ex nostra crisi accuratiùs id patebit. Pergamus.

§. 8. *Syluius* pro causa mediata solutionem continui supponens hoc in affectu culpat fermentum acidius, fixius, acrius ob varias causas tale redditum, atque vapores, halitusque eiusmodi acres orificium stomachi maximè sensile incidentes, ac irritantes, & sic dolorem hunc producentes cardiacum. Vomitionis autem causam immediatam esse motum ventriculi, & intestinorum peristalticum inuersum existimat, ab humoribus ad intestina delatis acribus, acidis, austeris, salsisque inductum. Et hæc motus inuersio ex ipsius sententia, incipit frequentiùs à loco vtriusque ductus, bilarij scil. & pancreatici insertionis. Remotè verò ad vomitum excitandum symbolum suum addunt fructus hortenses, venena, & alia alimenta putrida, & corrupta. Vomitum verò sanguinis non à liene aut hepate, vti plures voluere, sed à solo pancreate fieri suspicatur. Ructus autem causam esse flatus stomachum distendentes, & tandem per os cum violentia emissos ex pituita viscida ortos acriter contendit; Appetitum postratum ab eadem causa, nempè humore pituitoso, viscido, aliquando etiam à bile nimis volatili deducens, ut ardorem stomachi sæpiùs vrgentem. Fastidium verò ciborum deriuat à vitiosis halitibus in tenui intes-

stino vitiata effervescentiâ productis, & ad os ventriculi assurgentibus; atque adscribit etiam tum bili, tum succo pancreatico, & pituitæ intestino malè confluentibus, & se non ritè habentibus, & sic has turbas excitantibus.

§.9. Defendunt *Cartesiani* in Cardialgia tristem esse sensationem, quæ mediantibus neruis animæ oblata percipitur: particulæ enim acres vel acidæ, rodentes nempè, seu scindentes, pungentesque spiculis suis cum tempore sensim magis impactæ, fibras diuellunt neruosas, & hinc eas vibrando concutiunt, quod dum ad neruorum principia vsque continuatur, sensorium eo, vtpote inconsueto, vehementiùs mouetur, & cum auersatione tristem sensationem ruptionis periculum tum minitantem, tum sæpiùs afferentem, anima recipit, quam perceptionem ad sensum relatam dolorem nunc vocamus, vndè particulæ sanguinis acres per metastasin aliquando ad orificium stomachi delatæ, neruosum id orificium superiùs nimium vellicantes intolerabilem producunt sensum. Nauseam verò, & vomitum, cæteraque symptomata exoriri putant, si scilicet acres, & viscosæ particulæ, vel ibidem detentæ, vel sanguinis per arterias in ventriculum delatæ poris ventriculi suis figuris haud correspondeant, & sic prius filamentis ventriculi vim inferant, quâ spiritus animales irritantur, & motu, quo fluere debeant impediuntur, vnde motus inuertitur, & ventriculus necessariò quasi abortire debet. Ardorem stomachi inde deducunt, dum sulphureæ particulæ volatiles versus gulam delatæ membranaceas partes feriunt, & ardorem excitant.

§.10. Nos præmissis ijs, quæ paragrapho 1. diximus, censemus in omnibus his affectibus maximè inquietari nostrum Regem *Gasteranacem* Monarcham in metropoli Regni sui, puta ventriculo, residentem, & ibidem Dominatorem agentem, quem hostis ex sua metropoli expellere nititur, vndè is per internuntios spiritus animales Microcosmetori, & Cardimelechi suum denûtiat periculum, qui accurrendo furiosi facti spiritus animales, fibrillas stomachi vibrant, & sic necessariò stomachus euertitur, & omnia contenta foras protruduntur. In Cardialgia ergò solutio continui consentiente Medicorum choro fit, dum nempè obiectum improportionatum siue hæreat in ipso vêtriculo, siue aliundè in eum aduenient, fibras nerueas oris ventriculi distendit, diuellit, rimasque quærit, vnde spiritus in fibris suis excubias agentes extra ordinem moueantur. Rex quoque superiori, & animæ vndulatione horum spirituum tristem denuntiat nuntium, & sic dolor fit, qui vel pungens vel lacerans, vel lancinans, contundens, grauans, distendens, ardens, percipitur, prout materia peccans, vel fermentum ventriculi crudius, acrius, fixius est, vnde, & in illa parte dolor esse creditur, ex qua fibratio neruea fibrillæ concutiens ad sensorium commune resultat. Quod si mucus acidus, aut fermentum copioso acore inquinatum, & cum multo viscido ex bradypepsia collecto iunctum est, non potest non exinde affectus hic tristis, Cardialgiâ oriri. Bilis verò ex intestino duodeno in ventriculum præter naturam suffunditur, quæ ratione particularum acrium lixiuiosarum, alcalicarum, quibus abundè scatet, sæpissimè fibras vellicare, & tristem hunc dolorem excitare potis est, hinc ieiuno stomacho (vbi menstruum, quia obiectum in quod agat, habet nullum, à bilis in ventriculum accersitæ particulis acribus salinis maiorem acquirit acrimoniam, & consequenter fibras lancinat sensiles, quæ vibratio ad commune sensorium defertur, maximè oritur hic dolor cardialgicus. Maximè enim salia, siue acria, siue acida, siue salsa, vel in massa sãguinea, vel in sero (prout videre est in scorbuticis sæpè hoc morbo laborantibus) existentia, & dein imperium sibi circa orificium ventriculi rapiẽtia, membranis, neruosoque generi ob spicula sua rigida infesta, sæpiùs fabri

huius

affectus esse solent. Si ergò in febribus balsamicæ, mitesque particulæ dispelluntur, vel inuertuntur, contra verò lixiuiosę, bilioſæ acres exaltantur, & ob metastasin ad orificium stomachi deferuntur, non potest, non fieri, quin Cardialgia excitetur. Salia quoque illa volatilia acria, caustica prout videre est in peste, alijsque morbis malignis, facilè hunc morbum producere possunt, modò circa orificium stomachi cumulentur, & ibi locorum tyrannidem suam exerceāt. Flatus acres ad superius ventriculi orificium halitus forma ascendentes, dum se fortius in fibras nerueas infinuant, easque valde distendunt, vellicantque, & in causa huius mali sunt. A vermibus tandem per os expulsis in fœmina Cardialgiam excitatam obseruauimus. Nunc quid in specie de vomitu sentiendū sit paucis exponamus. Quòd si hostile supra dictum oneret totum ventriculum, & inde omninò obstruatur pylorus, & fiat huius conuulsiua contractio, necessariò vomitus violentus subsequi debet. Quod enim in stomacho molestū est à Gasteranace nostro eijcitur, siue id peccet acrimonià salina, lixiuiosa, siue aciditate hostili. Quòd si ergò vitiosius mucus aut acris latex in plicis ventriculi hæret, vel fermentum in ventriculo deprauatū existit, (suppresso enim fermento ingesta non ritè contemperata facilè acescunt,) sicque fibræ, nerueæ interiorem villosam constituentes tunicam tinctura aliqua acida sensim atque sensim saturantur, tunc propter obiecti incongruitatem vellicantur aliquatenus, donec in consensum tractis fibris carnosis superstratis ope spirituum animalium in spasmum concitentur, & primò quidem leuiores fiant motus, vnde nausea, & stomachi perturbatio. Dein fortiores, & vehementiores, vnde vomitus. Hic quasi per discursum facienda est mentio variorum per vomitum eiectorum. D. *Tobias Matthæi*; Medicus Friburgensis in Misnia, ex puteo, in quo felis proiectus erat, aquæ haustum hauriebat, vndè maximos sentiebat dolores vētriculi, & assūpto vomitorio, euomebat fellem. Alia fœmina hàc in vicinià plus quàm centum lacertas vomitu reddebat, & statim mortua est. Aliam noui in proximo pago Diezensi, quæ ranas; Aristoteles aliam, quę mustelam viuentem euomebat.

Si verò vomitus fit per consensum, à peruerso regurgitationis motu ex superioribus intestinis in ventriculum, vel ex arteria, vel vena rupta in ipsum, tunc sanguis non corruptus citra tussim cum vomitu excernitur. Sanguis enim ad orgasmum citatus, quà datà portà ruit. Cruditas enim quęcunque acida cum caustico quodam alcali mixta, tam ad intestina, quàm ad vasa etiam sanguifera demissa deiectiones, & inprimis vomitiones cruentas producere solet. Sic in fœminis, vel virginibus ob stagnationem mensium sanguis quandoque deponitur in ventriculum, qui deinde eijcitur ob moram grumosus, & sic alię consuetę euacuationis suppressiones hunc morbum excitare valent, de quibus iam sat dictum in antecedentibus, vbi egimus de Hæmoptysi. Grauidæ quoque ab initio euomunt non tantum ob consensum vteri cum ventriculo, sed & quia non amplius per emūctoriū vteri expurgari possunt sordes quæ nec partus maturitatem queant expectare retroeunt, & conditionem excrementi nanciscuntur, & cum acore induta sint, foras per vomitum, aliasque sentinas protruduntur. In ructu verò pastam acidam, viscidam, siue ad mentem Galenicorum, pituitam, siue ad Paracelsi, tartarum fæcalem, nominare velis, nobis perinde est, qui verbis sumus faciles, modo in rebus conueniamus, hic peccare putamus. *Si enim* pasta illa viscida vitioso acore fermentata sit, concurrente simul alcali lixiuioso, bile scil. (cuius stimulo Gas flatuosum eructatur, quod liquet ex intenso acore nimia quantitate ingestorum ciborum corruptorum, vel tandem eiectorum,) Digestio ventriculi in intestino duodeno peius absoluitur, vnde assumpta, & contenta ex acore illo fermentatiuo pastę instar farinaceę intumescūt,

&

& flatus excitantur, ex quorum impetuoso prouentu præcordiorum generantur constrictiones, difficilis respiratio, præcordiorum anxietates, inquietudines, vigiliæ nimiæ, hypochondriorum inflationes, murmura, & rugitus totius abdominis, prout hæc omnia symptomata hoc die, quo hæc scribo, in viro à nimia aquæ ingurgitatione obseruaui. Cruditas ergò volatilis acida ructus acidos parit, si enim minima saltem volatilis ad ventriculum assurgentis adsit portio, vtpo e cùm inde mox excitentur ructus, qui ventriculum distendunt, vel mordent, vel rodunt, & sic ardorem stomachi (*den Gohd*) excitant, & nunc oua frixa, nunc pisces fœtentes, nunc ipsam bilem amaram redolent. Ructus etenim imminutum calorem, & deprauatum ventriculi fermentum, tanquam ineptum Regis nostri pabulum indicant, ob fermentationem enim debilitatam assumpta quæuis in acidam pastam, & viscidam, appetitum planè prostern entem degenerant; quæ dein vi fermentationis desinunt in flatus, & pro ratione cruditatum in ventriculo alij sunt nidorosi, alij acidi, alii insipidi, qui flatus sæpè sensum vellicationis, ac tensionis, quem viscida illa ac limosa ventriculum grauans saburra inferebat, cum dolore insigni exasperant. Iidem quoque flatus impetuosius per amplitudinem intestinorum delati, exituque prohibiti, reuoluuntur identidem, & in seipsos quasi resiliunt, quæ ipsa deinde reuolutio atque resultus murmura ista, ac rugitus intestinorum inducunt.

Ex acidi seu salini seminali, aut formalis fermenti defectu nausea, anorexia, inappetentia, aliæque stomachi debilitates pleno alueo fluunt. Fermentum enim sæpiùs crudioribus alimenti particulis obruitur, & supprimitur, vnde non potest non fieri, quin appetitus prosternatur atque aboleatur.

PROGNOSIS.

§. 11. Accedamus nunc ad signa prognostica, quæ ad gloriam famamque aucupandam plurimum faciunt, & quidem primò ratione salutis, & mortis lethalem obseruauimus Cardialgiam, atque miris stipatam symptomatis in Consiliario quodam Nassouico, nec periculo vacat, vbi syncope, frigus externorum, & sudores frigidi vrgent. Iuxta *Hippocr. nostr. sect. 4. aph. 65.* Morsus ventriculi in febribus malum, inprimis verò in pestilentialibus, alijsque morbis variolis, dysenteria maligna sæpè hìc affectus lethalis existit, accedente inprimis singultu. Hic affectus enim in accedentibus ad mortem, vel syncope, vel conuulsionibus, &c. terminatur. Repentè, & ij vitam cum morte commutant, quibus ventriculus scatet lumbricis. E contrà signa melioris euentus sunt sequentia: Ventriculi morsus extra febrem signum est, quod purgandum sit, per vomitum, monente *Hippocrate lib 4. aph. 17.* Extra febres ergò ardentes Cardialgia adeò periculosa non est, sed bile per vomitum eductà spontè cessare solet. Sed cùm à causa maligna, vel bile causticà inflammatio, & eschara facta, tunc periculosioris aleæ res est. Malum hoc non tam citò terminatur, Medicus igitur hic cautius mercari discat. Sæpè tamen per interualla affligit, & chronicorum morborum naturam induit, quæ non tam periculosa est. Quandoque degenerat in quartanam, quemadmodum obseruauit *Nob. Horstius* l. 1. obseru. 13. Iuxta *Hippo. ratem* si cardialgià laboranti vesicula, vel tumor in dextro oboriatur erure, mortiferum est. Vomitum verò quandoque bona, quandoque mala hedera esse potest. Si enim accidat die critico in febre, bona, sin semper peioris notæ res est. Vomitus ab ileo malum est. Post vomitum singultus etiam pessimum est, vt & rubor oculorum teste *Hippocrate s. 7. aph. 3.* Vomitus atræ bilis in quocunque morbo incipiente lethalis, & sic *Helmontius* in *26.* cadaueribus hoc morbo exstinctis nihil præter liquamen nigrum in stomacho, & pilorũ clausum reperit, quod indicio est. Si quis liquorem subnigrum, siue cruorem corruptum

ptum euomat, malum id indicium esse. Sic & viridis, liuidus cum fœtore, mortale est. Horror verò, cardialgia, nausea, vertigo, sputationes, vt plurimum denotant instantem vomitum. Malè & suæ sanitati consulunt ij, qui se ad vomendum cogunt, cloacam enim sibi ex suo ventriculo comparant, & senectutem properanter accelerant. Qui quotidie vomunt, & quidem à pastu, facilè in hecticam incidunt. Sunt enim bilioli, indeque macilenti. Omnis quoque vomitus symptomaticus in febre maligna, aut peste, alijsque morbis nocet, & vice versa omnis vomitus. Criticus est salutaris. Optimus, & vomitus dicitur *Hippocratis*, qui bilem pituitæ mixtam habet, *Alui* profluuio laboranti vomitus superueniens morbum soluit, vt testatur *Hippocrates sect. 7. aph. 15.*

Prognosin in vomitione sanguinis quod attinet, illa à quacunque demum causa, vel parte, proueniat, semper periculosa existit. In magna quantitate erumpens sanguis, aut in periculum repentinæ mortis conijcit, quales obseruauimus, vel in stomacho coagulatus acorem acquirit, vnde postmodum animi deliquia, virium defectus, ac si coaguletur in cordis sinu suffocationes præcordiales fiunt; minus tamen periculi pertimescendum ex eo, qui à mensium suppressione oritur ad mentem *Hippocratis l. 5. aph. 32.* Vomitus sanguinis muliebris tam cessat erumpentibus mensibus, quàm si sit à splene, hepate, pancreate, &c. Post vomitum sanguinis sæpè hydrops sequitur, prout nos in duobus ciuibus Hanouiensibus obseruauimus, qui hydrope defuncti sunt. Verissimum ergò elogium *Hippocratis l. 4. aph. 25.* Sanguis supra erumpens qualiscumque, malum est. Si verò constitutio sit vegeta, tunc sæpiùs haud multum nocet. Sic nouimus tres ciues Hanouiæ, qui per vices ante xv. & xiii. annos plus quam iii. mensuras sanguinis per vomitum reddebant, attamen sani viuunt. Mentionem quoque ructum facit *Hippocrates in sequentibus suis elogiis, lib. 6. aph. 33.* Acidum ructantes, non admodum pleuritici fiunt. *Item l. 6, aph. 1.* Ructus acidus in diuturnis lienterijs superueniens, qui prius non exstitit, signum bonum. In fastidio verò ciborum, siue inappetentia pueri plus læduntur, quam mediæ ætatis homines. In initio etiam alicuius morbi fastidium minus nocet, quam post diuturnum quendam defunctum affectum, vbi appetitus vnicum restaurationis remedium est, alias corpus planè exarescere cogitur.

§. 12. Felici nunc sidere ad ipsam prouoluimur curationem, & quidem primò diæteticam.

CVRA DIÆTETICA.

Aer ergo sit, quantum fieri potest, purus, temperatus, ad calidum tamen magis inclinans, quia ventriculus frigus ambiens ferre nequit, ob plurimas neruosas partes, quod docet. *Sennertus l. iii. prax. part. 1. sect. 2. c. 15.* Vitetur omnis inquinatus ab atomis nempè acribus venenosis arsenicalibus, antimonialibus, item, qui à particulis salinis aculeatis refertus est, acida salina diathesis malum hoc si non producere, augere tamen potest.

Cibus sit hic, si vnquam, euchymus, & eupeptus, facilis nempè digestionis, & fermentationis & condiatur variis aromaticis, maiorana, thymo, anisо, & semine paradisi. Vitandi viscidi cibi, flatulenti, acres nimium saliti, & fumo indurati, vt sunt omnia ferè legumina, raphanus, cæpæ, allium, castanea, quæ iuxta *Suualbium* ventriculo faciunt laborem, illiusque orificium innumeris laxant ructibus, vt & fructus hortenses. Nocent & hic dulcia, lac & pinguia, quæ sæpe acorem acquirunt, & omnes ferè prædictos affectus producere valent, inprimis verò ardorem stomachi. Plures quoque committi possunt errores, in quantitate, ordine modoque assumendi. Nimià enim in copia aggesti fermentum stomachale obruunt. Nocet, & varietas ciborum vno conuiuio assumptorum. Potus sit vinum, inprimis si ægri antea assueti fuere, vel Rhenanum, vel Neccarinum, aliaque probæ notæ. Sed ne quid nimis! vti enim

ex-

excessiua ingluuies ventriculum, eiusque fermentum pessundat, sic & ingurgitatio vini, & inprimis spiritus vini, acidum in ventriculo absorbet, prout experiri licet, confundendo spiritum vini, cum acidis, quæ dulcescunt. Ex qua causa videmus strenuos potatores non multum comedere, sed frustulo panis per diem contentos viuere, qui & tandem pro mercede accipiunt hydropem. Motus corporis sit moderatus, & tempestiuus, & in paroxysmo placidæ quieti studendum. Culpandus verò est motus quicunque statim à pastu institutus, quatenus in cibis volatiliores particulas dissipat, chylique subtilitatem impedit, spirituſque absumit, consopitos humores commouet; & flatus latentes in actum deducit. Curruum quoq; & in naui vectio nocet, quæ sępissimè vomitum inducunt, quia spiritus animales peruertunt, & inordinatò influere faciunt ad stomachum, vnde is conuellitur, prout ii ferè omnes, qui primà vice nauigant, per aliquot dies grauissima nauseà, & vomitu vexantur. Aspectus etiam rerum sordidarum ob imaginationem vomitum producere valet.

Somnum hic suademus, & vigiliis prospiciendum esse opiatis putamus. Inter affectus animi gaudium eligatur, grauiores verò, vt sunt ira, mœrores, tristitia, curæ, solicitudines angue, & cane peius fugiantur, quæ vel iucundo colloquio, vel musica sedanda sunt. Ne massæ enim sanguineæ balsamica, suauisque consistentia dematur videndum, & reddatur è contrà acris, effætaque, sic enim fermentum in ventriculo corrumpitur.

Quod excernenda, & retinenda concernit, aliius quotidie voto respondeat, fœces enim aluinæ præter naturam retentæ putridos, & acres vapores ad stomachum mittunt, & acorem concipiunt, vnde, & per consensum harum partium, & stomachus inuerti potest, vnde mille molestię generari possunt. Eadem est ratio obstructionis mensium, hæmorrhoidum, &c. Quod si hi fluxus naturà haud respondeant, arte prouocandi sunt.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Curatio cardialgiæ, nauseæ, vomitus, ructus, rugitus, & inappetentiæ ad mentem *Veterum* iuxta causę diuersitatem variat, quam tamen in genere sic instituunt: primò humores peccantes naturæ obedientes reddunt *præparantibus* ita dictis medicamentis. In frigida causa exhibent sirupum de mentha, de absinthio, cum aqua saluiæ, maioranę, betonicæ fœniculi, &c. In calida autem præbent sirupum de cichorio c. rhabarbaro de succo acetosæ acetositatis *citri*, cum aqua cichorii, acetosę, plantaginis, buglossę, &c. deinde electo purgante humores euacuare annituntur *euacuantibus* medicaminibus, quę ipsis sunt rhabarbar. quod scilicet purgat, simulque adstringit, ventriculumque roborat, sirup. rosar. solutiu. de cichor. cum rhabarbaro. Vomitoria leniora, vt vitriolum album decoctum raphani aliquando admittunt, si nempè adsint crassi, ac glutinosi humores, quia simul incidunt, vomitus enim sæpiùs vomitu curatur. In quem finem, & glandes, seu suppositoria, & clysteres ad reuellendos humores præscribunt. In cardialgia, & vehementissimo vomitu ad opiata confugiunt, theriacam nempè Andromachi, requiem Nicolai, philonium Romanum ad ʒ j. exhibendum atq; ad plura alia. Tandem partem affectam corroborant medicamentis *corroborantibus* dictis, vt sunt sirupi cydoniorum, granatorum acidorum, limonum conserua rosar. miua cydoniorum, terra sigillata bolus Armen. margarit. mastiche, & mille alia, quę hinc inde apud Practicos colligi possunt. Externè stomacho applicant cataplasma è fermento cum aceto, & succo menthę subactum, regionem quoque stomachi inungunt oleo cydoniorum; rosarum, absinthii, menthæ, vel parant cataplasma ex carne cydoniorum cum herba absinthii stomacho tepidè applicandum; ceratum quoque suadent in hoc casu ex mastiche, thure, herba menthæ, cum oleo therebinthinę, & cera parandum. Interdũ in vehementissimo vomitu ad ventosam

sto-

ſtomacho imponendam confugiunt. Eodem ferè modo procedunt in vomitu ſanguinis. Hæc generalia ſunt. At in cardialgia verò ſpecificè prodeſſe ſcribunt aromaticum roſar. Meſues, diamargarit. frigid. & caldi. lętificans Galeni, diacinnamom. roſat. nouell. aq. theriacal. conſeru. borraginis, bugloſſæ, angelic. cortic. citri, &c. Et ſi poſt paſtum dolor ſit acerbior, tunc concludunt, affectum hunc eſſe à pituita viſcida, ſi verò ante cibum, bilem eſſe in cauſa, inprimis ſi concurrat amarities in ore, atque ſic pro diuerſitate huius, vel illius humoris præſcribunt purgantia, & ſi appetitus vrgeat tunc pituitam acidam culpant, indeque quilibet facilè medicamenta præſcribere poteſt. Appetitus proſtratus verò ſecundùm eos facilè recuperatur, ſi diuerſam huius obſerues curationem pro diuerſitate ſc. cauſæ. Quod ſi quis nimium ſe ingurgitauerit, vel ieiunium, vel vomitorium imperant, inprimis ſirupos purgantes acidos præſcribentes. Si bilis peccat, hieram, & rhabarbarum ſuadent, in cibis quoque aſſumant varia acida condimenta. Quod ſi pituita abundet, præſcribunt varia phlegmagoga, clyſteres ad inteſtina ab omni muco liberanda, dein varia incidentia, quibus libri Practicorum pleni ſunt, vt hic prolixiores eſſe nolimus.

§. 14. Chemici cardialgia præter vomitiua medicamenta, & ſtupefacientia ſuadent laudanum nempè Paracelſi, & quidam ex alcali ſpir. vini cum oleo iuniperi eſſentiam in hoc affectu maximè proficuam componunt, aliaque olea deſtillata tum internè, tum externè adhibenda haud omittentes. In nauſea verò, & vomitu ſequentia, atque ipſorum Magiſter, *Paracelſus, in commentar. ad aph.* 2. *Hippocratis*, vomitum vomitu ſæpiùs curandum dicit, ſi vires valeant, eliminantur enim ea heterogenea, quæ vomitus cauſa ſunt, extractà hellebori, poſt hæc vomitus *compeſcitur*, per ſpiritum vini cum fragmentis pretioſis, & corallijs. Egregiè vomitum ſiſtum oleum vitrioli in vino maluatico, vel conſeru. roſar. menthæ, exhibitum, item oleum maſtiches, tinctura auri, laudan. opiatum, cruſta panis, vino, & aceto madefacta, & aromatis aſperſa. Puluis pomicis in vino ſumptus palmarium dicitur remedium. Gillam quoque *Theophraſti* commendant ab initio dandam. Externè præſcribit Magiſter eorum fermentum panis cum ſucco menthæ, & aceto coctum ad conſiſtentiam emplaſtri, calidè ſtomacho applicandum. Suadet, & hoc in caſu, medicamentis fruſtra vſurpatis, cucurbitulam cum multa flamma ad os ventriculi appoſitam. In ructu verò, & rugitu flatus diſcutientia, & attenuantia ſuadent. Chemici, cuiuſmodi ſunt anethum, aniſum, carum, fœniculum, dauc. amm. ſeſ. bacc. lauri, galang. & omnia aromatica, oleum aniſi, chemicè præparatum in vino ſumptum, ol. ocymi, menthæ, laudan. &c. In appetitu excitando præſcribit præter vomitoria medicamina acetoſa naturalia, vt ſunt acidulæ, & alia artificialia medicamenta, quæ ex metallis, mineralibus, & vegetabilibus extrahuntur, ſuntque ſalia ipſorum. Cùm enim ſalia in comminutione, & confectione cibi primas teneant, inde per ſalia meritò reſtaurantur. Hic prodeſſe ſcribunt ſalia abſinthii, menthæ, cardui benedicti, gemmæ, margaritæ, &c. Spiritus quoque ſalinos, nempè vitrioli, veneris, magniſaciunt, ſic & olea deſtillata iuniperi, aniſi, abſinthii, fœniculi, menthæ, cumini, piperis, caryophyllorum, &c. tum intus, tum extus addito oleo nucis moſchatæ illita, tanquam nobiliſſima medicamenta laudan. *Paracelſus degrad.* ſtomachum conſeruari dicit per galangam, tanquam externum ſtomachum. Opium item, balſamitam, & centauream præſcribit. Pullus Paracelſicus. Quercetanus ſequentem puluerem ventriculum corroborantem notat;

℞. *Rad. aron. præpar.* ℥ j.
ator vulg.
pimpinell. præp. an. ʒ ß.
ocul. cancr. calc. ʒ ij.
ſem. naſturt. ʒ j.
ſaccbar. at pond. ſit omnium.

M. De-

M. Detur cochl. j. manè

Idem extollit vires croci Martis, & TRam ruumiæ. Huius generis plura adscribi possent, nisi fortè extra limites rueremus.

§. 15. *Helmontius* in cardialgia, seu cardiogmo, quando orificium stomachi à viscida acidaque saburra oneratum est, tum præter vomitoria commendat oculos cancri, aliaque acidum absorbentia, sic & in vomitu ad placandum stomachum irritatum ipse potum frigidæ aquæ, suadet, inde enim Archèi furentis impetum citò, tutò, & iucundè compesci credit. Quod si & pylorus à causa occasionali, à tenaci sc. vel acida saburra molestetur, tunc ad viscidam hanc aciditatem absorbendam laudat oculos cancr. cum vehiculo potos; vomitoria, nec semper certum præstant effectum, sed aliquando pylori furor magis ab ijs exasperatur, prout in tonsore vidit *Grembs* l. 2. c. 1. §. 3. *De Stomach. defect.* Si verò contingunt vomitiones sanguinis, in quibus fermentum lienis, & fellis exorbitant, vnde & Practici lieni remedia applicant, sequens emplastrum experientiâ edoctus *Grembs* approbatum reperit.

℞. *Farin. hord.*
gland.
vad. sympbyt. ana ʒ j. ß.
lapid. hæmat. ʒ ii.
santal. rubr. ʒ j. ſ.
mastich. ʒ j.
C. aq. plantag. & vino rubro a. q. f. M.

Nec contemnit prælaudatus Nob. Author opiata, quæ furoreum tum Archèi, tum Pylori mirè compescunt, & omnibus his affectibus probata existunt remedia.

§. 16. *Willisius* æquè in cardialgia, ac ructu, & vomitione acida à fermento corrupto dependentibus suadet præter vniversalia *absorbentia* varia, vt sunt oculi cancr. succinum, cinnamomum, ebur, &c. inprimis sequentis pulueris vires maximè deprædicat.

℞. *Rad. aron. præpar.* ʒ vj.
pulu. acori.
pimpinell. ana ʒ ß.
ocul. cancr. ʒ iij.
cinamom.
sal. absinthij,
cranij humani præpar.
pulu. corall.
ebor.
vitrioli Martis ana ʒ j.
M. F. pulvis c. saccharo q. v.

Vel ℞. *Pulu. ebor.*
ocul. cancr.
corall. ana ʒ ij.
santal. rubr.
cinnam. ana ʒ ß.
M. Dosis est ʒ ß.

In vomitione acri, & calida conueniunt iuxta Authorem hunc nostrum medicamenta sale acetoso, & vitriolo prædita. ℞. sal. absinthij, detur in cochleari succi limonum.

Vel ℞. *corallior. rubr. præpar.* ʒ ij.
Salis absinth. ʒ j. ß.
succi limonum, ʒ iiij.

stent in vitro capaci, add. l. aq. cinamom. ʒij. Dosis cochlear. j. vel ij. Conducunt & acidulę ferratę, & nitrosę. Nec Author iste vilipendit opiata, aliaq; pro re nata narcotica, tum intus, tum extus adhibenda aliaque emplastra, vnguenta, olea, fomenta stomachica ventriculo debili applicanda.

§. 17. *Sylvius* æquè in cardialgia, ac in vomitu, nausea, ructu, ortum suum habentibus, viscidis, acribus humoribus in paroxysmo exhibet aromatica blanda. Esto formula.

℞. *Aq. fœnicul.* ʒ
menthæ ana ʒ j.
cinam. ʒ vj.
syrup. de menth. ʒ ß. *M.*

Accipiat æger per interuallum vnum, vel duo cochlearia. Et si nimis vehemens vomitus cum intensissimo dolore coniunctus sit, ipse haud vetat, sed potius suadet vnum, vel alterum notum granum laudani opiati huic mixturæ adijcere.

Vomitũ sanguinis ex ventriculi, & intestinorum, vel pancreatis, aliusque visceris vasis vel ruptis, vel erosis, ortũ, sanat notissimâ suâ, & in omnibus sãguinis excretionibus approbatissimâ mixturâ sequente.

℞. *Aq.*

℞. *Aq.plantag.* ℥ij.
cinnamom. ℥vj.
aceti ſtillat. ℥ß.
corall.rubr.præpar. ʒß.
ſanguin.dracon. ʒß.
*laudan.opiati gr.*iij.
ſyrup.myrtin. ℥.j.M

Si ſimul metus ſit coagulationis ſanguinis prædictæ huic mixturæ addit oculos cancr. vel antimonium diaphoreticum; vel balſamum ſulphuris aniſatum, ſi pus adfuerit.

Ad flatus verò in ructu, & rugitu in ventriculo, ſeu inteſtinis hoſpitantes diſcutiendos ſequentem probat mixturam, vel ſimilem:

℞. *Aq.menthæ.*
fœnicul. ana ℥ij
vitæ Matthioli,
carminativ.Syluij ana ℥ß
nitri opt.gr.xx.
*ol.macis ſtil.gr.*vj.
*laudani opiat.gr.*ijj.
ſyrup.de mentha ℥.j.M.

Spiritum enim nitri ferè omnibus præfert carminatiuis, dum & pituitam incidit, & bilem corrigit, flatuſque in ſui generatione impedit, & genitos diſſipat. Idem, & faciunt aromatica omnia, & ſale volatili prædita.

In ardore ſtomachi, commendat abſorbentia, cretam, corallia, oculos cancr. N.M. & id genus plura alia.

Faſtidium ciborum à præiudicio ægrotorum ortum curabitur iuxta ipſum liberando mentem ab omni præiudicio, aut ſenſim aſſueſcendo vſui alimentorum faſtiditorum. Si verò ab humorum vitio dependeat faſtidium, curatio ſequetur, ſi humores peccantes corrigantur, vel expurgentur. Corrigentur humores vitioſi per ſupra memorata medicamenta, & tandem vel eos expurgabimus per vomitoria, vel alia expurgantia per aluum, inprimis ſi ſint valde tenaces.

§.18. Nos nunc cum *Carteſianis* hunc affectum paribus armis aggrediemur, & medicamenta, quæ in hunc vſum approbata reperimus, communicabimus in iuniorum Medicorum gratiam, non item in ſeniorum, & in arte noſtra conſummatorum, qui noſtra informatione haud egent, ſaltem ex præiudicijs aut inuidia erga iuniores, malunt errare, quàm cum ipis veritatem amplecti, & ſi, quod tamen rariſſimum, eam amplectantur, diſſimulant.

Quod ſi ergò cardialgia oriatur à ſolo ſpirituum animalium impetuoſo impetu à Microcoſmetore facto ad Vice-Reges Cardimelechem, & Gaſternacem ad obedientiam redigendos, ſuademus variâ antiſpaſmodica, ſpecifica tamen ſtomachalia maritata cum opiatis quibus admiſcere ſolemus puluerem cinnabar. natiu. vel ſuccin.cran.human.aliaque. Sic vietorem cardialgia laborantem cum ſumma anxietate Nob. *VVedelius* aſſumptâ doſi eſſentiæ carminatiuæ cum anodynæ paucis guttis extemplo curauit. Alium curauit exhibito puluere præcipitante ex conchis, & lapid. cancr. puluer. bezoart. ol. caryophyll. & opio parato. Si verò à viſcida acrique materia tum ſpiritus animales in ἀταξίαν turbante, tum Cardimelechi noſtro inſidias ſtruente præter vomitoria commendamus inuertentia, *appropriata* tamen, ſunt enim abſorbentia maximam partem generalia, & magis vniuerſalia anterantia, adeoque ſpecialibus affectibus præter naturam haud adeò directè oppoſita, & *haud ſufficiunt, quæ*, pro acidi ſpecifici peccantis varietate, eiuſque ſomitis materialis plus minus glutinoſi diſtinctâ conditione partium item vel primariò, vel ſecundariò, vnius, vel plurium, ſolidarum, vel fluidarum affectarum diuerſa habitudine, & in ſpecie humorum vna plus minus alteratorum contraria ſubinde diſpoſitione, morborum item diuerſorum complicatione, & ſymptomatum plus minus moleſtorum ſyndrome, variant his ipſis frequentiſſimè, ceu coindicantibus, per appropriata, & quaſi particularia auxilia occurrendum veniat, & hæc ipſa illis abſorbentibus dextrè adiungenda ſunt, quemadmodũ annotauit experientiſſimus *Dn. Ettmullerus* piæ memoriæ, ſeriore Libiti-

bitina dignissimus in disputatione de Præcipitantium vsu & abusu. In cardialgia ergò specificè conduxisse inter illa reperimus oculus canc. bezoar. succinum, C. C. vstum ebur sine igne paratum, &c. Si materia nimis vixida, & tenax fibras neruea vellicet, tunc conducunt spirituosa, & magis incidentia. Sequenti mixturà plures ex nostris ægris conualuere.

℞. *Aq. menth.*
ocymi ana ℥ j.
tinct. succini,
acodyn.
cinnamom. ana ℥.
ol. macis gr. ij.
sirup. de menth. ℥. ß.
M. Detur cochleatim.

Cui mixturæ vel pulueri absorbenti felicissimo cum successu granum vnum atque alterum laudani opiati, vel theriacæ cœlestis, & in fœminis castorina admiscere solemus, & nec negligenda volumus varia olea aromatica, emplastra, vnguenta externè stomacho applicanda. Si verò flatus anxietates circa præcordia, seu cardialgiam, distensionem abdominis, difficilemque respirationem producunt, tunc prosunt carminatiua.

In nausea, & vomitu hoc spasmodico si adsit ventriculi motus, morsus, & dolorosæ fibrarum neruearum fiant motiones, & crispaturæ, à forti animalium spirituum perturbatione, ad opiata confugimus, & præsertim ad laudanum opiatum cydoniatum *Hoffmanni*, vel nostrum laudanum aromaticum in forma pilulari. Præcipuè & addi possunt vel theriaca, vel confectio alkermes, vel ol. cinamomi, vel menthæ gr. j. blandè enim hæc demulcent partes membranosas, & sensiles fibrosas, quibus sæpè cinnabarina adiungimus, non omissis salibus volatilibus, oleosisque, liquori sc. C. C. succinato addimus essentiam opii tartarisatam: inprimis puluis stomachicus Poterij in hoc casu conueniet seq.

℞. *Pulu. stomach. Pot.*
conchar. præpar.
cinnabar. nativ. ana ℈ j.
croc. Martis sacchar. ℈ ß.
laudan. opiat. gr. j. M.

Sed hic ante omnia asterisco notandum est, quòd non omnis vomitus statim sistendus sit, inprimis qui est per essentiam, sed quandoque adhibito vomitorio curari debet, inprimis si multum viscidæ, & tenacis pituitæ hæreat in ventriculo, qui vitiosus, viscosus, tenax, & acris latex euacuandus est. Post hæc materiam peccantem corrigimus, & Gasteranacem placamus varijs stomachicis, vt sunt puluis stomachicus Birckmanni, Poterij, Mynsichti, Schrœderi, &c. puluis vitæ, decoctum Ioelis ex caryophyll. ℥. ß. mastich. ℈. ii. cum vino rubro paratum. Sit formula vna atque altera.

℞. *Aq. menth.*
cinnamom. ana ℥. j.
Elix. panis gr. xx.
laudan. opiat. gr. ij.
sirup. de cinnamom. ℥. ß.
F. Mixtura cochleatim assumenda.

Vel ℞. *Elix. propriet. Par.* ℥. ß.
essent. menth.
tinctur. succini ana ℈ j.
M. Dosi gr. xv.

Vel ℞. *Aq. Zedoar. anisat.* ℥. i.
rorismar. ℥. vj.
tinctur. succini ℥. ß.
ol. calaminth. sacchar. gr. vj.
sirup. cydonior. ℥. j. *M.*

Vel ℞. *Pulu. ocul. cancr.*
Salis absinth.
croc. Martis,
margarit. præpar. ana. ℈ j.
laudan. aromat. nostr. gr. iij.
M. pro duabus dosibus.

Ad vomitum sistendum valdè conducit sequens.

℞. *Ol. N. M. expreß. gr. xv.*
Salis absinth. gr. xxv.
croci ℈. ß.
laudani opiati gr. j.

M. in vino, & exhibeatur, poros valde aperiet, oleum enim N. M. huc valdè conducit, quia oleum temperat acredinem, & spirituositate sua, & penetran

tà

tià poros aperit, præcipuè si addatur Sal absinthij.

Si bilis nimis volatilis ad orificium ventriculi assurgat, &.vomitum producat ad hunc prohibendum Salis absinthij ℈. j. cum succi limonum ʒ. ß. exhibeatur, vt & Sal card.bened. per se aliquoties datum. Sic, & bilis pro re nata expurgari potest rhabarbaro. Fiat talis potiuncula.

℞. *Rhabarb.el.* ʒ.iij.
macer. ʒ.ß
Salis tartari ℈.j.

Infunde per noctem in aq. plantaginis, menthæ, cichorei, colaturæ ʒ ij. add.sirup.de chicor.c.rhabarb.ʒ.ß. aq.cinnamom.ʒ.j.M.

Balsamica maximè conueniunt.Magnum Principem à vomitu chronico liberatum vidimus singulis matutinis horis exhibendo cochlearia duo vini Hispanici optimi. Vel

℞. *Aq.vitæ Matthioli* ʒ.ij.
cinnamomi ʒ.iij.
♎ *Sal.armon.gr.xv.M.*

In scorbuticorum vomitibus enormibus, vbi spiritus animales impetuosè mouentur, martialibus,& alijs sale volatili acriori, & penetrante impræg natis opiata admiscere poteris, & sic vno actu plures proderimus. Sic & sal volatile oleosum Syluij, siue volatilia sulphurea, vt amara,& aromatica in omni vomitu nobili auxilium præbent. Vtut autem larga seges aliorum sit auxiliorum pharmaceuticorum, quibus vomitus curari solet, hic tamen plura hàc vice non addemus, præter externa nonnulla sæpe laudatum affectum habentia. Sunt verò emplastra varia de Tacamahaca, de mastiche, de crusta panis, de theriaca, vel fermentum panis cum aceto subactum, & stomacho applicatum. Cataplasma sequens nos rarò fefellit.

℞. *Succolat.* ʒ.j.ß.
confect.alkerm. ʒ.iij.
ol.N.M.express. ʒ.ij.ß.
balsam.Peru.nigr ʒ.i.
cinnamom. ʒ.j.
c.f.q. vini maluatici F. cataplasma.

Olea varia aromatica ventriculo illita, vinum Hispanicum per se applicatum,& id genus plura alia Practici tibi indicabunt.

Quoad sanguinis vomitum illa,quę Capite de Hęmoptysi diximus suademus,inprimis, si cruditas illa acida caustico alkali commixta tam ad intestina, quàm ad vasa alia sanguifera demissa (non enim solùm scil. in fodina sua primarium virum acidi sapores, & ardores p. n. delitescunt, sed etiam altiùs penetralia corporis subeunt, vt *Helmontius* loquitur *paradox.* v. §. 9. *In nobis non rarò oberat sal quoddam resolutum minerale, planè excrementitium, tartarus* inquam *resolutus*) deiectiones, & vomitiones cruentas excitant, tunc conducunt absorbentia stypticis, varijs maritata, vt sunt ℞ Rastoptica Zuuelferi, & nostra ℞ Ra coralliarum, & mille alia superius dicta, quæ repetere haud libet. Omni electo inspergatur puluis sympatheticus, & celebretur pro re nata venęsectio. Reliqua vide sis in Capite de Hęmoptysi.

In ructu, & rugitu ad acidum peccans corrigendum, ac flatuum vrgentium impetum,ipsorumq; generationem inhibendam, suademus carminatiua, seu flatus discutientia, Ex. gr. Cort. aurant. siccato, ʒ.j. vel eius aq.c. vino maluatico destillata, decocto eius c. flor.chamomillæ, ol. anis.caru.cort.aurant. & ex ijs parata elæosacchara.

℞. *Aq.fœnicul.*
carminat.
chamomill.ana ʒ.j.
♎ *carminat.Sylu.*
theriac.cœlest.gr.iiij.
spir.nitr.dulcis.gutt.v.
syrup.de cinnamom. ʒ.j.
F.Mixtura cochleatim assumenda.

Vel in forma pulueris palmarium est medicamen sal nostrum stomachicum, quod paratur ex capite mortuo ♎ salis amoniaci cum sale tartari, & sale absinthij, quod & appetitum excitat. Item tinctura nostra è terra Iaponica c. spir. vini parata in omnib. ventriculi affectib.

pro arcano nobis est. In acida ista pituita digerenda conducunt vin. absinth. menth. &c.

Vel ℞. *Conserv. absinth.*
cent. min.
rosmar. menth.
confect. alkerm. & spir. sal.
Conducet & elix. propr. Par. & Elixir nostrum Catholicum, seu polychreston.

Acida hæc visciditas curabitur propinando pharmaca acidum spiritum temperantia, vel concentrantia, sedulò cauendo à purgantibus antequam temperati fuerint humores acidi, & ad seri naturam deducti, quos tunc demum perhydragoga educi nil vetat. Pituitam hanc acidam flatus producentem, per consuetam portam educimus clysteribus carminatiuis, vtpote aromaticis, quæ eorundem vim, & impetum optimè compescere possunt, quo solo clystere fœminam Diezensem per annum, & vltrà flatibus in abdomine hinc indè discurrentibus, & dolorem colico non absimilem producentibus feliciter curaui.

℞. *Herb. maluæ,*
marrubii,
Mercurial.
pulegii hort. ana m. j. ß.
rad. lilior. albor.
althææ ana ʒ j.
flor. chamomill.
sambuci ana p. j. ß.
rad. Zedoar. ʒ ß.
sem. lini,
fœni græci ana ʒ j.
carui,
cumini ana ʒ vj.
F. Decoctio in aq. maluæ q. s.
Colaturæ ℔ *j. adde, in eaque dissolue.*
Electr. philon. Romani ʒ iij.
de baccis lauri.
cassiæ pro clysterib. ana ʒ ij.
ol. rutæ.
chamomillæ ana ʒ ij.
M. f. clyster.

Ab opiatis quoque in hoc casu *stomachus* intestinaque egregia, & præsentanea percipiunt solamina, vnde & à dolorosis contorsionibus *cessant*. Reliqua interna, tum externa *carminatiua*, non libet attingere, cum quilibet ex Practicis ea eligere possit, sed tamen cautè mercandum est, ne rem peiorem reddas, & Diabolum per Beelzebub eijcias. Inter chirurgica, vētosa cōueniet maxima vmbilico apposita.

In ardore stomachi, seu soda, ebullitionem figit prę alijs creta, aut C. C. vstum societate nucis moschatæ, hoc in affectu inprimis gaudens, idque præsentaneo magis successu, si conseruæ aut syrupo summitatum, siue gemmarum quercinarum in foliola sese explicantium electuarij sub forma permisceantur, vel ex his alijsque fiant morsuli sc. seq.

℞. *Cret. præp. ʒ j.*
ocul. cancr. ʒ ß.
abluantur ter, vel quater aq. borrag. adde bol. Armen. ℈ ij. ß. corall. rubr. præpar. ℈ ij. margarit. præpar. ℈ j. ℳ. M. ℈ ß. sacchar. candit. ʒ viiij. c. aq. rosar. f. l. a. morsul. dosis ʒ ß. vel in pueris.

Opiata in extremo casu, attamen minori dosi conducent, vt:

℞. *Theriac. ℈ j.*
laudan. op. gr. j.
cret. præp. ℈ ij.
succin. alb. ℈ ß.
f. l. a. bolus in cereuisia calida.
confect. & spir. sal. elix. propr.

Reliqua absorbentia hic adduci possunt, quatenus vitiosum acidum fermentatiuum in ventriculo, & primis vijs corrigunt, absorbent, inuertunt, & indè humorem peregrinum fugant ac cohibent, sicque sodam sistunt. Oculi cancr. bolus Armena, quæ acribus, & acidis liquoribus acrimoniam præcipitatione quadam adimunt, hìc quoque prosunt.

In appetitu prostrato, seu fastidio ciborum, vel acidi defectus, vel excessus obseruandus est. Ab ipsius defectu *nausea, anorexia, dyspepsia*, & aliæ ventriculi debilitationes fiunt, quare in hoc casu acida tēperata propināda, inter quæ sequens excellit.

℞. *Elix. prop. Par. ʒ j.*
℥ salis dulcis.
sal. brmon. ana ℈ ß

M. de-

M. *detur ad vitrum. Dosis gr.* xv. Et hic prosunt salia absinthii, cichorei, cardui benedicti, centaurei minoris, sal nostrum stomachicum:

Si simul visciditas coniuncta est magis amara, & aromatica eligenda sunt, vt sunt aloetica, absynthiaca, TRa absynthij. Sit formula.

℞. *Elix. propr.* ℥ j.
essent. absynth. comp.
menthæ ana ℥ ß.
M.D. dosis x. *ad* xv. *gutt.*

Vel ℞. *sal. arm. acid.* ℥ j.
essent. menth. gutt. xx.
TRæ succini ℥ ß. *M.*

Si simul scorbutus, vt sæpè fieri solet, inappetentiæ adiunctus sit, tunc proderit sequens electuarium: ℥

℥. *Conserv. cochlear.* ℥ j.
cortic. aurant.
enul. camp. cond.
zingib. cond. ana ʒ ß.
elix. propr. ℥ j.
TRæ cinnam.
succini ana ℥ ß.
M.F. conditum.

Vel ℥. *Aq. zedoar. anisat.*
antiscorbut. ʒ j. *M.*

Et si acidum viscidis alijsque biliosis humoribus intricatum sit, tum vomitoria exhibenda; materia enim hac vitiosa ejecta, acidum absorptum iterum libertate pristina donatur.

Si fermentum crudioribus alimenti particulis obrutum, & suppressum animaduertatur, indeque ventriculi tonus læsus, & Gasteranax, quasi oppressus videatur, maxima adiumenta sunt aromatica sulphure suaui volatili pollentia, & spirituosa, præmissis tamen vomitoriis. In hunc finem propinandi sunt varij spiritus stomachici, inprimis Myntichti. Dosis cochleare j. Valet enim præcipuè ad malitiam appetitus, & corruptionem digestionis. Vinum quoque maluaticum, per se sæpiùs assumptum pluribus appetitum restituit, TRa VVedellij stomachica, quam vocat essentiam carminatiuam, cum anodyna in hisce dictis omnibus casibus misceri solet. Est verò hæc:

℥. *Rad. zedoar.* ʒ i.
carlin.
galang. ana ℥ ß.
cortic. aurant.
sem. anis.
carui,
flor. chamomill. Rom. ana ℥ ij.
caryophyll. aromat.
bacc. lauri,
acori veri ana ℥ j. ß.
macis ℥ j.
M.c. spiritu cortic. citri acidulato satis spiritu nitri. Dosis gr. xx.

Si verò præter cruditates has *acidum* simul copiâ, & acredine peccet, tunc antacida, absorbentia varia præscribere solemus, & prioribus alcalia volatilia, & absorbentia alia addimus. Hic quoque conducet TRa vitæ nostra, quæ est sequens:

℥. *Aloes.*
myrrhæ ana ℥ j.
croci ℥ ß.

c. ♎ salis volatil. ammoniac. opt. rectific. extract. Nec verbis exprimere possumus, quantum hoc in casu ab hac tinctura effectum viderimus. Dosis consueta à gr. x. ad xv. spiritum salis ammoniaci c. salis tart. volatilis vnitũ addito oleo macis habebis istud vitiosum absorbendum. Sequens quoque proderit.

℥. *Cremor. tartari* ℥ ß.
vitriol. Mart.
ocul. cancr. alcolis. ana ℈ j.
spec. diarrhod. Abb.
♎ *salis coagul.* ℈ ß.
salis absynth.
cichor. ana gr. v.
M.F. Pulvis.

Dosis, quantũ cuspide cultri excipi potest.

Vel ℥. *Oculor. cancr.*
corall. præpar.
ebor. ſ. ignis.
croci Mart. aperitiv. ana ℈ i. *M.*

Si hisce pulueribus olea aromatica addideris acidum magis concentrabis.

In fastidio ciborum, & externa haud negligenda sunt, & tunc conueniunt va-

ria balsama, emplastra, linimenta, cataplasmata, externa etiam aromatica oleosa huc optimè faciunt. Sit formula:

℞. Ol. N. M. expreß. ℥ß
mastich.
ment. ana ℥ij.
calam. aromat. ℥ß
carui,
cinnamom. ana gr. x.
macis gr. v.
balsami Peruuian. ℥ij.
ceræ alb. q. s. M.

quod admodum stomachum debilem roborat. Conducit & oleum stomachale Cratonis, Tacamacha, ceratum ex laudano Stokeri. Hæc mixtura pluribus palmam præripit.

℞. Spir. theriacal.
stomachal. c. aq. vitæ alb.
ana ʒ j. M.

Si arrideat emplastrum præter scutum stomachale Hartmanni sequens in vsu nobis esse solet;

℞. Mastich. elect. ℥ j.ß.
tacamahac. ʒ j.
resin. storac. calam. ℥ß.
ol. nucistæ ʒ iij.
absinth. destill. ℥ j.
balsami Peruuian. ℥ij.
ceræ q. s. D. Emplastrum.

Nec infimæ sortis est mixtura nostra balsamica ex Succolada, oleo N. M. expresso, & balsamo Peruu. cinamom. c. vino maluatico parata, & ventriculo debili applicata. Sed cum vbiuis talia remedia inueniantur, nolumus hac vice prolixiores esse, sed ad alia pergere eo magis quia adhuc latissimum est curriculum nostrum.

CAPVT V.

DE SINGVLTV.

§. 1. NVllus Regum in toto Microcosmo confœderationem maiorem habet cùm partibus, quàm Gasteranax noster in ventriculo residens. Dispensat enim singulis sua, omnibus compatitur, à singulis noxa in eum redundat, omnibus amicus, & patronus existit, à quouis ergò sympathiam insignem mutuatur, omnibus præest, vnde & primus peccat facilè, & primus alijs peccantibus afficitur. Qui tamen affectus Rex misero planctu machinæ totius catastrophem prænuntiat: quod ipsum videre licet in affectu hoc periculosissimo singultu nempe, in quo afficitur ventriculus, & per consensum diaphragma. Constat enim ex Anatomicorum demonstrationibus, propinquum non modò esse ventriculo diaphragma, sed & communem tunicam, imò eosdem neruos orificio ventriculi habere insertos, necesse quoque est, vt affecto hoc diaphragmate in molesti sensus consortium trahatur ventriculus.

DESCRIPTIO.

Describitur vulgò singultus, quod sit conuulsiuus diaphragmatis motus, per interualla repetens, ab irritatione, & vellicatione fibrillarum neruearum orificii ventriculi ab acrimonia salinà dependens.

PARS AFFECTA.

§. 2. Plurimis ex veteribus pars affecta est ipse *stomachus*, tam secundùm superiorem eius partem, quàm inferiorem. Ipsum enim primariò totum affici, per consensum verò laborare diaphragma venditant. Per signa enim indicantia has partes esse læsas id probare satagunt, quia scilicet præcedit plerumque ciborum, & assumptorum noxa, atque comitantur hunc affectum, vel vomitus, vel nausea, intestinorum dolor, stomachi grauitas, aliquando à flatibus distensio. Alii ex prædictorum subsellijs, inprimis *Syluius* L. 1. P. M. c. 23. §. 9. pro parte primariò affecta venditant solum diaphragma, siue septum transuersum, id inde probantes, quia voluntarius est motus, & à *Syluio*, alijsque omni tempore pro lubitu excitare potuit. Nos verò stomachum secundùm fibrillas suas, & neruos, seu tunicam cum diaphragmate neruoso, & inde ad motum interpolatum valde procliui, communem, & ei firmiter annexam pro parte primariò affecta habemus ob rationes superiùs dictas, & maximè eò

quod

quod ob cumulata diætæ vitia, vitioſorumque humorum in ſtomacho collectorum ſaburram affectum hunc quotidie produci obſeruamus. Meliùs rem elucidādi ergò caſum proponamus ſequentem filiæ cuiusdā, cui iam medicinam facimus.

CASVS.

§.3. Puella temperamenti cholerici, tredecim annos nata, iam ab integro anno ſingultu laborare cœpit admodum moleſto, qui quater, vel quinquies in die nunc per dimidiæ horæ ſpatium, nunc per totam horam durat: atque tota præcedente hyeme ſingultus ipſam grauiter afflixit, æſtate verò hac ab eo ferè fuit immunis, ita vt per longa interualla interdum tantum per tres menſes ſemel rediret, aduentante verò autumno redijt cum priſtina moleſtia, & vehementia, atque etiamnum durat. Parentes de filiæ pulcherrimę ſanitate ſolliciti implorāt opem medicam noſtrā, quam Deo ſit laus infra dicendis remedijs feliciter reſtituimus.

DIAGNOSIS.

§.4. Operæ pretium duximus ſigna in proſcenium ducere, quibus vel imminentem, vel præſentem morbi conditionem definimus. Præcedit ciborum nauſea, dolor ventriculi, & grauitas, nonnunquam vomitus. Signa verò eſſentialiter inhærentia non anxiè huc quærenda ſunt, cum viſu, auditu, & tactu motus ille deprauatus ad diſtans perceptibilis ſe manifeſtet. Non duntaxat enim frequenti admodum ægrum impetit inſultu, ſed adeò vehemens eſt nonnunquam, vt totum cum diaphragmate corpus concutiatur, imò vt coſtæ à motu hoc violento frangi videantur. Sequuntur in deſperato caſu animi deliquia, & conuulſiones ſeu ſpaſmi. Si ſuperueniat hic affectus febri, prout ſæpiùs fieri ſolet, tunc adſunt ſitis magna, debilitas, pulſus celer, vigiliæ, & motus maxillæ inferioris tremulus, delirium, impudentia, diarrhœa quandoque viſcoſa, & plurima alia ſigna, quæ Medicus prudens facilè dignoſcere valet.

§.5. Præmiſſis, & examinatis Phænomenis reſtat vt paucis etiam huius affectus cauſa proxima non ſolum ventiletur, ſed vt remotæ quoque in ſcenam introducantur, vbi equidem in varias hactenus in Medicorum ſcholis itum fuit ſententias, quas tamen omnes ſub examinis incudem reuocare animus impręſentiarum non eſt, ſufficiat, ſi Autorum præcipuorum ſcrinia, & primò quidem Veterum, qui vt conuulſionis, ſic & huius affectus cauſam mediatam proximiorem eſſe *inanitionem*, & *repletionem* ſtatuunt, & addunt *tertiam* nempè *irritationem* à materia acri, vel vaporibus acribus malignisque inductum, & probant per id, quod in peſtiferis ardentibusque febribus multi pernitioſi vapores atque acres ad os ventriculi deriuentur, imò ad diaphragma vſque, indeque homines graui ſingultu, & ſemper ferè lethali, vexentur atque affligantur. Bilioſi, acres, & viſcidi humores, vt & flatus facilè affectum hunc iuxta ipſos inducere poſſunt, ſic & iecoris, alteriuſque viſceris inflammationes malum id efficere aptæ natæ ſunt. Fieri & ſingultum poſſe à corruptione alimenti in mordacem mutati, atque ex pituita viſcida acri in tunicis ventriculi impacta haud negant. Ex inanitione quoque eſſe hunc affectum poſſe *probant* per id, quia accidit ſæpiùs ex immodica euacuatione, vel per aluum, vel per vomitum, vel per ſudores, item quia poſt menſium, lochiorum, &c. fluxum nimium, item poſt dyſenteriam, longam inediam, vulnus magnum & id genus alia.

§.6. Progrediendum nunc ad Chymicos Paracelſicos, qui accuſant tartarum vitioſum in ſtomacho exorbitantem, & ventriculo ac diaphragmati iniurias facientem.

§.7. *Veterum* errorum *vindemiator* acutiſſimus *Helmontius* hoc in affectu ſtomachum contrahi vult, & quidem ab acido peregrino ſyluestri à quo exoſo hoſpite anguſtiatur ſtomachus, & ad quem expellendum inſurgit quidem Archeus per ſuum Blas motiuum, ſed potentia eius inualida ſuccumbit. Fiunt nimirum in membranis ſtomachi contracturæ inter-

polatæ, quoties infestans causa occasionalis mouetur, recurritue.

§.8. *Willisius*, & *Syluius* spiritus animales hoc in affectu circa diaphragma tumultuosè furentes, & ad talem spasmodicum motum incitantes culpant, nec tamen negat *Syluius* vt plurimum humorem, halitumque acrem, vel flatum, qui tantum acrimonia sua ventriculi neruos, & fibrillas irritare, & sic per consensum diaphragma necessariò in hunc motum conuulsiuum trahere possunt, hunc affectum excitare posse. Sic ex alimentis corruptis, & acribus, venenis nempè, & purgantibus malum sæpiùs excitatum obseruauit. Omnia enim, quæ superius ventriculi orificium ita rodendo afficere possunt, vt diaphragma simul afficiatur, hunc producere valent affectum, perindè ac si idem in thoracis abdominisque cauitate concluſum immediatè diaphragma mordicet, vel ad ipsum per vasa sua deferatur, ac in eius substantia hærens partes ipsius sensiles rodat, vel quouis alio modo ad molestam illam, conuulsiuamque sui contractionem solitariam, & subindè continuò repetentem ipsum adigat.

§.9. *Cartesiani* defendunt ortum habere singultum à particulis improportionatis, & asperis diaphragma vellicantibus, & ad motum talem inordinatum agentibus; fibrillæ enim neruorum sextæ coniugationis ventriculo, & septo transuerso implantatæ ita hic vellicantur, vt illæ suo motu ad cerebrum delato tales in cerebro subinde aperiant poros, per quos spiritus animales vehementiùs in os ventriculi superius influentes fibras expulsioni per superiora faciendæ destinatas ita vicissim contrahant, vt ægri aerem œsophago contentum certis vicibus tanto impetu expellant, vt indè singultiuus sonus frequenter percipiatur: discussio autem per motum singultiuum isto humore acri cessat singultus, eoque iterum ad œsophagum delato, fit singultus iteratio.

§.10. Nos putamus Regem nostrum Gasteronacem in stomacho residentem peculiari artificio sal volatile quoddam elaborare, & omnibus partibus, imò toti corpori necessarium ac vtilissimum elargiri, quod si verò degeneret in acidiores & tenaciores sordes, æque superari stomachi orificio firmiùs adhæserint, tunc per consensum connexionis diaphragmatis id irritari, & conuulsiuè contrahi, & per conuulsiuam hanc contractionem fieri tunc sonum, & excitari singultum. Inde & credimus tale sal volatile posse inuerti, si ab alijs partibus sordes allatæ hoc infringunt, quemadmodum videmus in febribus malignis, dysenteria, &c. eiusmodi sordes ad locum hunc infaustum mitti hunc morbum excitantes. Spiritus animales quoque hic multum contribuere possunt, quando nempe amicabili irradiationis motu *fluida ventilant*. Sic enim sal naturæ gratum, salsum, ritè temperatum, & saturatum, nec erodens esurinũ, ideoq; etiam nec dolorificum comprò ducitur. Acidum esse, & acre sal causam mediatam proximiorem, si circa tunicam ventriculi cum diaphragmate commune imperiũ sibi rapiat, planè, & plenè persuasi sumus, quod & nostro casu liquet; infestauit n. molestum istud malum puellam tota hyeme, quia acidum per frigus magis augebatur, è contra æstate inducias pepigit: autumnali verò frigore iam redeunte materiam acido acrem in corpore retinente, redijt singultus magna frequentique molestia puellam lassans. Nec excluſos volumus flatus circa hunc locum affectum coagulatos; & quasi incarceratos acrimonia suâ fibrillas istas lacessentes, & ad motum hunc conuulsiuum excitantes.

PROGNOSIS.

§.11. Quantum ad prognostica: Morbus propter nobilissimam partem affectam est grauissimus, & sæpissimè incurabilis, eoque peior euadit, si iecori inflammato superuenit, vel est à vomitu, vel ab ileo, vel à superflua purgatione, vel hæmorrhagia nimia, vel si cõpinctus est cum febre maligna, vel dysenteria. *Hippo-*

cra-

crates enim in Coacis inquit; *Singultiens in laboriosa febre, morbo laborat pessimo.* Singultus quoque animi deliquio, aut neruorum distentionibus aut delirio superueniens mortiferum habetur. Inflammationes hepatis, vteri, cerebri, vulnusque notabile comitans periculo haud vacat, inprimis si delirium subsequitur, vel conuulsiones, tunc enim mors in olla est. Si verò in febribus tempore criteos affectus hic excitatur, & reliqua signa bona sunt, non desperandum. Nos enim plures tali modo liberatos vidimus, vnde falsum est, quod *Vallesius* testatur, se nempe nullum vidisse seruatum, qui extenuatus, vel febre ardente, vel maligna decumbens singultu correptus fuerit. In hystericis affectibus nec timendus est singultus: recedit enim sæpiùs hoc in casu absque periculo vitæ.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Diætæ regimen nunc est addendum, quod magni hic est momenti. In vitali aer neque calidus nimis, neque calidus nimis, neque frigidus esse debet. Non excessiuè calidus, ne acrimonia inde augeatur: non frigidus, ne acidum adaugeat, prout in nostro suprà dicto casu obseruare licet. Purus ergò sit, & temperatus, non inquinatus peregrinis fœtidisque atomis; sin talis, corrigendus per suffumigia ex mastiche, thure, succino, styrace, calamita, ligno aloes, &c.

Naturalis, victum suadet, & quidem cibum eupeptum, omni acrimonia, salsedine, aut aciditate nimia carentem. Proderunt hinc decocta auenacea, hordeacea, iuscula, & carnes pullorum, caponum, gallinarum, attamen sine notabili pinguedine, oua sorbilia, & tremula probantur. Frigida verò acria, salsa nocent, vt sunt carnes salitæ, infumatæ, vt & pisces, item fructus horarij, & omnia flatulenta, quæ stomachum cruditatibus replere possunt. Ex his enim, & similibus vitiosis cibis cumulantur putridi, salsi, bilioſi, acres, acidi, viscidi peccantes humores. Potus sit cereuisia benè defœcata, pura, nec adeò vetusta ob acidum in sinu gerens, cui immergatur panis tostus. Conducit quoque vinum correctum variis stomachicis, & tinctura cordiali, bellidis, vel violar. vel C. C. alteratum.

Animalis, suadet motum temperatum ne morbus producatur, quies placida in lecto calido sumatur; motus enim nimius exagitationem particularum heterogenearum promouet, inde acidum in sanguine, vel alibi latens ad locum affectum propellit, vnde facili marte affectus hic produci potest. Somno indulgendum omni studio. Vigiliis enim non adeò conniuendum, cùm turbent, & inquietos reddant tum spiritus, tum humores, & postmodum Reges.

Animi pathemata decenti sese habeant modò. Ab ira commoti, aut mœrore correpti, malum deterius reddunt. Quantum enim neruos conuellendo, & humores exagitando, atque bilis ferociam ciendo furias exserat ira, cuilibet notum est. Sic & mœror nocere potest, quatenus spiritibus fugandis aptus est, indeque & huic morbo ansam dare potest.

Ad Excreta, & retenta quod attinet, illa ad naturæ leges conformentur, vel arte, vel naturâ.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Curam Pharmaceuticam, & Chirurgicam paucis subiungere necesse nunc est, & quidem primò ad mentem Veterum Galenicorum, qui materiam peccantem (à repletione scil. si ortus sit affectus,) siue frigida, siue calida fuerit, naturæ obedientem reddere conantur *præparantibus*. Si nempe à viscido, & pituitoso humore sit singultus, tunc vtuntur syrupo de duabus radicibus de stœchade, oxymelle squillitico, decocto rad. asari, galangæ, enulæ campanæ, marrub. semin. cumin. &c. Si verò ab acri calido nempè humore generatum sit malum tunc præscribunt syrup. rosar. acetos. simpl. de succo endiuiæ, aquam hordei, aliaque refrigerantia temperata. Demum conuenienti medicamento purgante è corpore humores peccantes quoscumuis educere annituntur *vacuantibus* phar-

ac tenues, sequentes pilulas magni facit superius iam communicatas de gummi.

Quarum pilularum tres pluresue sumat subinde post cœnam cubitum iturus æger.

Proderit & hoc casu apozema Prax. l. 1. c. 2. §. 35. descriptum.

Quod si per assumta tum vomitoria, tum purgantia eliminati fuerint humores peccantes, & à vomitu defatigati ægri, conducet mixtura aromatica æquè ad molestos halitus circa ventriculum hærentes dissipandos, ac ad ipsum singultum sedandum Ex. gr.

℞. *Aq. menth.* vnc. ij.
vitæ Matthioli, vel
theriacalis simpl. ℥ß.
confect. alkerm. ℥ i.
laudani opiati gr. ii.
sirup. menth. ℥. i. *M.*

Huius mixturæ cochlear unum atque alterum assumat æger, & se ad somnum disponat.

Vbi verò singultus alterius affectus grauis febris nempe acutæ, aut inflammationis, &c est symptoma, sponte quidem illo curato remittere solet, non nocet tamen interim diaphoreticis, & alexifarmacis acidis volatilibus associare opiata; sic enim unà fidelià plures dealbabis parietes.

§. 18. *Cartesiani* ad aculeatas & asperas diaphragma vellicantes particulas limandas, & tornandas commendant omnia dura, & ponderosa, prout sunt oculi cancr. corallia, limatura Martis, aurum, Mercurius dulcis, imò & opiata. Nec negligenda volunt varia purgantia pro re nata instituenda.

§. 19. Ordo nunc poscit, vt ad *nostram curandi methodum* accedamus. Ex quacunque ergò causa singultus adfuerit, si tantum pertinaciter persistat, ad eliminandum hostem Gasteronacis vitæ insidiantem foras, h. e. ad evellendas sordes acres, acidas, vomitum ciemus, modò vires id ferant, vel oxysaccharo emetico Angeli Salæ, in cuius Authoris scrinio multa adhuc latent medicamenta sacra, vel tartaro emetico Ludouici, vel pulueре radic. asari ad gr. xxvij. Si verò nausea, aliaque signa vomitus deficiant, ad lenientia purgantia nos conuertimus: fortiora enim purgantia, inprimis si motus planè conuulsiuus sit, propter tumultum maiorem spirituum, & humorum, quem inducunt, omittenda volumus, quia malum potius augent, quàm diminuunt, Possunt tamen mitiora sequentia exhiberi in varia forma, Ex. gr. rhabarbarum, sena correcta, passulæ, mechoacanna, cuius infusum in pertinacissimo viginti dierum singultu præsentaneam tulisse opem Ferdinando, scribitur. Sequentes ceu vtiles laudamus:

℞. *M. Pilul. Marocostin.* ℈ i.
extr. theriacal. gr. iv.
essent. castorei gr. i.
M. F. Pilulæ pro duabus vicibus.
conspergantur C. C. præp. quæ simul corrigunt ac purgant.

Vel ℞. *Radic. scorzoner.* ℥ ß.
rhabarb. flau. ℥ i ß.
fol. sen. or. ℥ ii.
semin. cumin.
cinnamomi,
zedoaria ana ℈ i.
passular. min ℥ i.
flor. 4. cord. ana p. ii.
cremor. tartari ℥ ii.

Coq. in sufficient. quant. aquæ fontanæ, & F. Apozema pro duabus vicibus.

In debilioribus loco purgantiũ cõmendamus, & clysteres edulcorantes, Ex gr.

℞. *Decoct. carmin. & emoll.* ℔ i.
add.
electuar. bened. laxat.
ol. rutæ ana vnc. i.
salis antimoniat. ℥ i.
vitell. ou. n. i.
M. F. Clyster.

Purgantia excipiunt absorbentia, quæ ferè vnicè hunc affectum curare possunt absorbendo acres, acidasque scorias, ventriculo, & diaphragmatis fibris adhærentes, impactas, & ad motum elasticum solicitantes. Eligi tamen hic debent appropriata, seu specifica, nam acidum in singultu peccans differt ab alio acido, imò

vi-

varietas horũ acidorum vix determinari poteſt, negotio enim huic tota ſpecialis innititur praxis, imò inde & experientia requiritur, quia ſpeciali acido obtundendo ſpeciale requiritur antacidum. Hic Rhodus, hìc ſalta! Sic in hypochondriaco aliud eſt acidum, in ſoda aliud, in gonorrhœa aliud, quę & ea propter ſpecifica ſua habent medicamina. Ad acidum ergò in ſingultu peccans ſpecificè abſorbendum Ioel commendat puluerem C. C. aduſt. in vino rubro exhibendum à nobis ſæpiùs comprobatum remedium; excellentius erit, ſi addantur corallia præparata, adiectà vnà vel alterà guttulà olei cinnamomi, vel caryophyll. vel aniſi. Puluerem ſequentem ſpecificum, quem inde *Gaſteronacalem* nominare libet, in ſingultu vigeſies expertum reperimus, quem iunioribus, non ſenioribus, atque in artis operibus verſatis, nec inde informatione noſtrà egentibus, multò minus præfractis, & quæuis aliena ex inuidia, aut præiudicio reijcientibus, & tam imperitè, quàm improbè culpantibus, communicare placet.

℞. *Cinnabar. nat. vel*
Mercur. dulc. ℈ j.
corall. rubr.
C.C. ſine igne præp. ana gr. xv.
margarit. præp. gr. x.
theriac. cœleſtis Hanou. gr. xij.
ol. caſtor.
caryophyll. ana gr. ij.
M. F. puluis ſubtiliſſimus.
Doſis ℈ j.

Hic puluis nos nunquam fefellit in aqua cinamomi cydoniati, vel menthæ exhibitus. Eſt enim acidorum, & acrium temperatiuum, & blando poppyſmate non tantùm placat Gaſteronacem noſtrũ, ſed & demulcet, lenitque omnes partes membranoſas, & fibroſas ſenſiles à ſuccis acribus roſas, vel vellicatas. Omnia enim opiata vi ſuà polychreſta, nec vnquam ſatis laudatà, non tantùm ſomni dulcedinem conciliant, & dòloris ſuaue lenimen præſtant, ſed & acidum corrigunt, atque quæuis in republica noſtra microcoſmica pacatiora reddunt, quæ ſi maritentur, alijs præcipitantibus appropriatis, res ſuccedet feliciùs, & optatiùs, quemadmodum obſeruauit *Excellentiſſ. VVedelius in Opiolog. ſua l. 2 ſ. 2. c. 4. p. 116.* qui egregio cum ſucceſſu in ſingultu tum alio, tum inprimis conuulſiuo aliquoties vſus eſt, commiſcuitque ex caſtoreo parata in liquida, vel ſolida forma, neque vnquam fruſtratus eſt euentus, prout & nos in ſingultu cum epilepſia ſociato opiatorum effectum, non ità pridem obſeruauimus, refrænant enim ſpirituum impetum, & ſegniores quaſi reddunt eosdem, quod notiſſimi eorum in corporibus effectus, ſomnolentiæ, & indolentiæ, teſtantur. Spiritus enim animales omnis in corporis œconomia non tantum localis motus, ſed & vitæ exiſtunt Authores primi. Hi enim rota ſunt ſuprema, quæ alias rotas in corpore tanquam in artificioſiſſimo horologio) circumgirat, vt ingeniosè diſſerit. B. de *Verulamte*.

Quamdiu ergò durat impetus ille elaſticus ſpirituum ad diaphragma, ſeu diximus ſuperiùs in §. *de cauſa*, tandiu ſingultus haud ceſſat: ſufflaminato autem nonnihil ſpirituum illorum impetu motiuo, & inhibito quadantenus radioſo illorum influxu, ceſſabit etiam fibrarum tonus, remittet vnà ſenſiliũ facilis receptio, & langueſcet fibrarũ diaphragmatis motiuus nixus, & ſic omnia ſedatiora erunt, quod per opium obtinere poteris, ſtrenuus enim eſt ſpirituum domitor. Sunto formulæ:

℞. *Extr. caſtorei.*
zedoar. ana gr. iiij
laudan. opiat. gr. ij. ß.
M. F. pilulæ num. vi. *pro duabus doſibus*
Vel ℞. *Eß. caſtor.*
theriacal. ana ℈ j.
Tinct. anodyn. VVedel. Vel
cum ſpir. tartariſat. ℥ ß.
M. ad xx. *vel plures guttas*
pro doſi.

Si ſimul febris maligna, vel dyſenteria, vel variolæ, &c. comitentur ſingultum, tunc alexipharmaca reliquis antiſpaſmodicis, & opiatis permiſcenda ſunt. Ex. gr.

℞. *Pulu.*

℞. Pulu. Pannon. rub.
bezoart. Senn. aua ℈.j.
specificocephal. ℈.ß.
lapid. bezoar.
theriac. cœlest. ana gr. iiij.
M.F. Pulus, quantum cuspis cultri capiest, in seq. vel simili vehiculo præbendus
℞. Aq. borrag.
bugloß.
ant spasmod. nostr. ana ℥.j.
cinnamomi. ʒ.ß.
sirup. de beton. ℥.vj.
M detur ad vitrum.

In singultu flatuoso sequens commendat Cl. Hoffman. in Claud. Schræderiana

℞. Aq. anethi,
cymin. ana ℥.ß.
ol. anisi.
carui.
cumin. ana gr. iiij.
M. Dosis cochlear. j. vel ij. mane & vesperi.

Hoc in casu continuò æger masticet semen anisi. Hic quoque conducent, & omnia salia volatilia oleosa.

Hæc fuit interna cura. Externa remedia topica quoque hoc in affectu maximam merentur laudem, & quidem nostrâ experientiâ inter quæ aliis palmam facilè præripiunt cataplasma de theriaca, de fermento panis, nec non illud contra singultum, quod habet *Mynsichtus*, calidè ventriculo inter duo linteamina applicatum. Idem promittit *Timæi à Guldenklee* ex cineribus quernis vino maluatico imbutis paratum cataplasma. Vel sequens Michaelis.

℞. Ferment. acerrim. ʒ ij. ℥.
pulu. herb. ment. ʒ.j.
zedoar. ʒ.ß.
sem. cumini
carui,
anisi ana ℥.ij.
acet. rosac. q. s. F. Cataplasma.

Vel Emplastrum nostro vsu comprobatum sequens.

℞. Emp. de bacc. laur.
stomachal. Crat. ana ℥.j.
succolad. seu. l. ʒ.ß.
ol. castorei ℈ß.
M.F. Emplastrum.

Vel mixtura nostra balsamica, inprimis in infantibus non facilè effectus frustrabit.

Vel crusta panis irrorata cum aqua Anhaltina, & stomacho calidè imposita sæpissimè iuuit.

(Vel hirundines calidè dissectæ, & stomacho viui, & calidi applicati, quemadmodum & omnes Reges tum capitis, tum pectoris, sic & mirè placant, pacantque nostrum *Gasteronacem*, & per consequens singultum, tanquam motum conuulsiuum diaphragmatis sistunt.

Rodericus à Fonseca tom. 2. Consultat. 17. magnificat, & extollit fotum ex ateto acerrimo cum castoreo, sinapi, beneficio spongiæ calidè ventriculo applicandum in forma sacculorum. Sequentes pro iunioribus sufficient:

℞. Flor. chamomill.
calaminth.
rotismar. ana p. iij.
summ. ment.
absinth. Pont.
marub. ana m.j
cortic. citri,
macis,
galangæ ana ℥.ij.
semin. cumin.
carui,
anisi ana ℥.ß.
castorei ʒ.ß.

Concisa, & contusa grosso modo insuantur sacculo interpastato, & irrorentur.

ol carminat. Mynsi. vel
ol. ment. destill. q. s.
Pro pauperibus.

℞. Herb. absinth.
ment.
baccar. iuniper. ana m.i.
macis,
semin. anis.
carui,
N. Moschat. ana ℥.j.

Irrorentur aceto, & vino, & ventriculo applicentur.

Hæc fuere ex fonte pharmaceutico. Sequitur nunc chirurgicus, ex quo in cu-

ran-

rando hoc affectu desumimus quoque generosa remedia. 1. Cucurbitam siccam cum luculenta summa ventriculo ex monito *Fonsecæ*, *Zacuti Lusitani*, aliorumque experientissimorum Autho. rum, applicare solemus, sic & extremarum partium ligaturas, frictiones reuellendi gratia, vti cùm vulgo loquimur, haud contemnimus. Ex *Claudini* etiam suasu fasciam ventri obducendam, & circum ligandam laudamus, vt ità diaphragma detineatur, ne tanto cum impetu contrahi possit. Confer *VVillisium de hysterica passione*. Sic quoque lenior, & non ità ferocior singultus facilè sisti potest halitus compressione, quam cum Syluio suadere nulli dubitamus. Etsi homo plethoricus, & inflammatio alicuius partis adsit, ad seruorem sanguinis compescendum, & spiritus animales segniores reddendos venæ sectionem instituendam esse, Authores sumus. In leuioribus quoque singultationibus non solùm prædicta spiritus retentio, sed & sæpiùs sternutatio iuuat. Sic nouimus quendam, qui nescio quæ verba in aures insusurrat, & sic singultum curat. Cuius rei fortè hæc est causa, quòd singultiẽtis cogitationes hoc modo aliorsum trahantur, inde illud Germanorum: *Man solle an seinen Schatz gedenken, so Vergehe der Schlucken.*

CAPVT III.

DIARRHOEA, LIENTERIA, & COELIACA.

§. 1. Qui benè ingerit, digerit, & egerit eleganti paranomasia sanus rectè dicitur. Quam enim necessarium sit, vt homo quotidie cibo, & potu corpus suum reficiat, abundè constat, atque æquè necessariò requiritur, vt excrementa inde collecta quotidiè diligenter eliminentur, hincque est, quod prouida natura plures quasi canales, & cisternas educendis corporis excrementis extruxit, & fabricauit. Harum vna, vel altera si lædatur, aut emunctoria hæc nimis sollicitentur, varii oriuntur alui fluxus, quorum tres species in proscenio sistimus, & quidem *Diarrhœam* quæ à διὰ ῥέω fluere ita dicitur, & describitur vulgò, quod sit deiectio frequens, & copiosa, quà excrementa varia & liquida excernuntur: *Lienteriam*, quasi diceres læuitatem intestinorum, quæ describitur esse alui fluxus, in quo cibi adhuc integri, & quidem eadem facie, quà deglutijt patiens, per aluum deijciuntur: & denique *Cœliacam passionem*, quæ dicitur esse alimentorum fermentatorum quidem, sed adhuc confusorum, per aluum excretio. Et cùm affectus non multùm inter se differant, simul illos pertractare animus est, ne eadem sæpiùs repetendo cramben bis coctam proponamus, & nauseam B. L. pariamus.

DESCRIPTIO.

Diarrhœam ergò ad nostrum palatum describere libet, quod sit variorum, sed liquidorum humorum eiectio, Gasteronace, non benè prospiciente, à spasmodica fibrillarum intestinalium irritatione & coarctatione nuper inuentarum glandularum intestinalium (ex quarum plexibus tanquam ex fontibus scaturiunt humores) orta. Sic & lienteriam, & cœliacam ventriculi, & in specie fibrarum orbicularium, quæ in secunda eiusdem tunica obseruantur, morbos esse putamus.

PARS AFFECTA.

§. 2. Sunt quidam Authorum, qui subiectum horum morborum maximè dubium esse volunt, modò intestina sola, modò ventriculum, modò intestina, & ventriculum simul culpantes, vt sanè nescias, cui sententiæ vexilla tua iungas. Nos verò pro subiecto ponimus fibrillas stomachi, & glandulas intestinorum, in quibus vt plurimum læsio, irritatio, & coarctatio spasmodica fit. Fibrarum enim harum motricium contractionem sequitur fluidorum contentorũ multiplex motio: nempè quoties pars quædam sensu molesti, vel noxii afficitur, fibrillarum sensilium inordinatà, & impetuosà vibratione, spirituũ ad eã prouocatur impetus

petus, à quibus aucta, & plus minus spasmodica earum læsio perficitur: Contractis his fibris, & glandulis vasa lymphatica, chylifera, & quicunque partis meatus, & emunctoria stringuntur plus minus, indeque vel remorato aliquantisper contentorum transitu horum circa locum ità affectum stagnatio, vnde superueniens tumor, vel copiosior per vias aut consuetas, aut insuetas, apertas tamen, vel haud difficulter aperibiles pro circumstantiarum ratione effusio; quæ hasce turbelas excitat.

DIAGNOSIS.

§. 3. Multorum signorum enumeratione horum affectuum, triga licet non opus habeat, cùm sint tales affectus, qui seipsos defluxione produnt, & ab adstantibus, Medico facilè reuellari possunt, ast cùm inter se differant pauca ad distinctionem addamus. Adsunt in genere ructus, flatusque, inquietudines, strepitus, ac eleuationes ventris, item murmura hypochondriorum, lumborum dolores, ciborum fastidium, sitis, fluctuationes, tormina, tandem accedit ipsa, & quidem creberrima eiectio. In Diarrhœa excrementa sunt, vel biliosa, i. e. flaua, vel nigra, i. e. acida, vel pituitosa, vel serosa, vel stercorea, & fœtida, vel cineritia, vel alba instar chyli, vel cretacea, qualia non ità pridem in sutore obseruaui pinguia, vel sebacea, vti sæpiùs fit in phthisicis, sabulosa, quæ nuper vidi in sene vnà cùm calculo vnciam pendente. *Lienteria* cognoscitur autem à simili assidua excretione nihil ab assumptorum consistentia, colore, odore differenti, ità vt cibi ipsi cognosci queant tales, quales assumpti. Sed non statim pro lienterico affectu habendum est, si quis lentes, vel alia dura, & concocta difficilia comederit, & per aluum excreuerit, sed cùm simul adsint superiùs dicta signa, & deiectiones acres, & biliosæ simul appareant. In Cœliaca vt plurimum excrementa alba instar chyli prodeunt, nutritio diminuitur, & simul adsunt ructus, & ventris distẽsiones. Hisce missis ad causas accedamus.

CAVSA.

§. 4. *Veteres Galenici* immediatam causam horum affectuum statuere expultricem facultatem à quadriga humorum esse stimulatam atque irritatam, nec flatus excludunt: vapores enim, & flatus ob caloris debilitatem respectiuam peccare probant per murmura, & fluctuationes in intestinis, sic & teste Cœo. l. 2. de Diæta cap. 19. Chylus corruptus calefacit, & turbat corpus, vnde & à *Paulo Ægineta* Diarrhœa vocatur corruptio alimenti. Excernuntur ipsis in Diarrhœis modò biliosi, modò melancholici, modò pituitosi, & quidem mox cocti, inde & in reliquis affectibus intemperiem ventriculi culpant.

§. 5. *Chymici* ex suis principijs accusant sal resolutum, quod suà acrimonià ventriculum, & intestina, eorumque fibras & glandulas, quibus adhæret, stimulat, & irritat, vnde diarrhœas plures, lienterias, & cœliacas ortum suum habere haud dubitant.

§. 6. *Helmontio* verò furor pylori patrator vnicus Diarrhœa dicitur, cum pylorus rector sit totius œconomiæ stomachicæ vsque ad intestinum rectum. In genere vitium digestionis accusat, in specie fermenti aciditatem peruiuacem, pylori, & fermenti fellis dissensum, huiusq; exorbitantiam, chylum acidum, corruptum, quodque mucosum intestino adhærescens Ex quibus varios deducit alui fluxus.

§. 7. *Willisius* humores quosuis acres, serosos, & biliosos in massa sanguinea fluorem passos versus stomachum, & intestina per vasa cœliaca transferri, ibidemque exundantes varios, & horrendos alui fluxus producere posse affirmat.

§. 8. *Syluiana* ex *hypothesi* plerumque oritur Diarrhœa à vitiosa succorum in intestinis effervescentia, ratione bilis acrioris, & salinæ intestina stimulantis. In cœliaco fluxu motum chyli præter naturam vitiari autumat, in quo per annum vna cum fæcibus aluinis excernitur chylus, vnde ille fluxum chylosum nominare voluit, & adscribit causam huius affectus

ſus obſtructioni venarum lactearum, & cruſtæ pannoſæ, vnde in cura earundem reſerationem ſuadet.

§. 6. *Carteſiani* exiſtimant magnam à ſanguine præcipitari humorum copiam, per vaſa quæ inteſtina hiant, vnde inteſtinorum fibrillæ vellicantur, & irritantur, ita vt ſpiritus animales maiori fluxu affluant, & ſic motum periſtalticum augeant, conuulſionemque inducant. Separationis verò, & præcipitationis huius cauſam putant eſſe ſanguinis efferueſcentiam auctam, & gladiolis acribus, biliosis ſpiculis in ſanguine, & ſero præexiſtentibus, fibraſque ſuis cuſpidibus irritantibus. In Cœliaca autem & Lienteria fermentum ventriculi vitioſum culpant, quatenus cibi non ſatis ab hoc diminuuntur.

§. 10. *Nos* perſuaſi ſumus in cunctis his affectibus Regem noſtrum *Gaſteronacem*, qui præeſt œconomiæ ſtomachicæ vſque ad inteſtinum rectum, valde inquietari ab hoſte externo, & qui aliquando adeò fortiter ingruit, vt Microcoſmetor huic ſuppetias ferre debeat, & ſæpiùs bini trucidentur, totumque Regnum corruat. Stomachum, & inteſtina mirè torqueri in his alui fluxibus cuilibet notum eſt. In Diarrhœa hoſtis incedit varijs armatus ſpiculis, quibus ſi occurrit fibrillarum contractus mox neceſſe eſt corrugari pro fibræ motricis natura, vndè, & ſimul glanduloſæ texturæ, emunctoria in inteſtina hiantia conſtringuntur, & comprimuntur, à qua conſtrictione liquores quaſi ex ſpongia exprimuntur, & ſic per aluum educuntur. Sed in coarctationis hoc negotio tam glandularum inteſtinalium, quàm aliorum meatuum, & ductuum fibræ nonniſi inſtrumentaliter ſe habent, ipſo impetum faciente ſpiritu animali, & ceu principali agente, id muneris exequente, vnde ad hæc loca, & emunctoria concitatum impetum ſequitur ſaltem talis coarctatio, & ſtrictura hęc, vnde meritò hunc affectum conuulſiuum inteſtinalem dicimus. Hoſtis ergò ille, clam inſidias ſtruens eſt quilibet humor vitioſus, acris, acidus, in prima corporis regione congeſtus, ſeu eo ex arterijs aut vaſis lymphaticis, vel criticè quidem, vel ſæpiùs ſymptomaticè affuſus vſque adeò afficiens fibrillas inteſtinorum, & quidem lixiuiali ſuâ acrimoniâ, vt fibras neruoſas fortiter conſtringendo ope ſpirituum animalium humores cogantur foras exire per inferiora.

Diarrhœæ ergò ſuboriri poſſunt, vel ex nimia ſeroſitate aut acrimonia ſanguinis lixiuiali, vnde ſcorbutici ſępè his ſubiecti ſunt: vel ex impedita chyli per ſpongioſam, & glanduloſam inteſtinorum cruſtam in lacteas tranſcolationes, vti fit in *Cœliaca paſſione*, quando ſcil. chylus plus minus vnà cum excrementis aluinis excernitur: vel ex ſucco pancreatico ſeroſo eijcitur ſeroſa colluuies, quod adſcribi debet ſanguinis recrementis ſeroſis. Accidit enim ſæpiùs, quod ſerum in maſſa ſanguinea halitus forma debeat diſſipari, condenſatis verò poris meatibuſque cutis reſtagnet, vnde ſerum augetur, & ſępiùs alui fluxum excitat, quare in praxi in alui fluxu ſudores commendamus. Sępiùs accidit, vt bilis ſpiculis fibrillas inteſtinorum infeſtet, & illud corroſiuum ſellis alcali adeò exiſtat corrodens vt inteſtina corrodat, & gangrenam inferat, atq; tunc ſpiritus animales in inteſtinorum fibrillis hoſpitantes peſſundet, & *Gaſteronacem* planè abigat, ſicque mors ſequitur. Sic ab acido vitioſo, & corroſiuo excretorij hi tubuli ſolicitantur, vnde & varij alui fluxus excitantur, quo caſu excreta apparent nigra, quod acidum corrugando fibrillas ſenſiles ſæpiùs tormina horrenda ſimul inducit. Et maximè variant alui fluxus pro diuerſa acidi ſcheſi. Nec tamen abnegamus in lienteria, & cæliaca paſſione ventriculi fermentum vitiari, & iners reddi ad comminuenda alimenta, vndè neceſſariò cruda deijci debent, & hic affectus facilè oboriri poteſt à debili, vel prorſus denegato ſpirituum animalium influxu.

PROGNOSIS.

§. 11. *Prognoſin* Medico ſcitu neceſſariam

tiã esse diuinus *Cous* in proœmio prognosticorum suorum inculcat; quare & nos, qua in præsẽtibus affectibus spe niti possint ægri paucis contemplaturi sumus. Vexantur præsertim alui fluxibus diuturnioribus ex mente *Hippocratis aphor.30.s.3.* Illi, quibus adolescentiæ anni proximè præteriere, & illi, quibus senectus proxima est. Diarrhœa reliquis speciebus tutior, & curatu facilior est, in quos tamen facilè transit. Diarrhœa ab *Helmontio* lethalis dicitur, quæ fit ob lapsum naturalis œconomiæ sc. fermentorum actiuitatibus abolitis, vnde hecticis hęc semper exitialis existit. Quæ autem prouenit à Blas venenoso purgantis medicamenti ope curari potest. Symptomatica fluxio critică peior est. Bona est, quæ in grauida vltimis mensibus facit partum faciliorem. Item quæ sequitur lochia retenta, dentitionem; quæ fit tempore verno, quæque in serosis subiectis. Mala verò, quæ sequitur pleuritidem. In febribus malignis coniuncta cum cæteris malis signis plerumque lethalis existit diarrhœa, prout id præter alios obseruaui in *Commissario Generali Cæsareo, Illustrissimo Comite Foanelli*, qui per octiduum *Limburgi ad Lanum* laborabat febre maligna, & superueniẽte diarrhœa bilioſa, tertia die diem obiuit, in cuius cadauere à me exenterato, & balsamato nihil reperire potui, cui mors adscribatur, præter folliculum fellis vacuum, imò absque guttula bilis repertum. Diarrhœa ex se non minatur periculum. Vno enim die fluere aluum teste *Celso l.4. c.19.* salutare est, si modò febris adsit, & intra septem dierum spatium conquiescat. Hinc non debet Medicum terrere, si euacuentur, qualia oportet, & facilè fert æger: quando humores paulatim, & cum euphoria purgantur. Bona quoque alui fluxio est, si ophthalmiæ superueniat, teste *Hippocrate l.6. aphor.17.* item cordis palpitationi, lochiis retentis, leucophlegmatiæ, surditati *4.aph.28.* Mala sunt excreta valde alba, spumosa, graueolentia, mordacia, cruda, multa, viscosa, aquosa, purulenta, farinæ vel paleæ speciem præ se ferentia, æruginosa, præsertim nigra, in splenecticis verò, & à martialibus assumptis sunt salutares. Mulieri vterum gerenti, si aluus multum fluxerit, periculum est, ne abortiatur, elogium est *diuini Senis 5. aph. 34.* Sed hoc intelligendum est cum alijs pessimis signis, & inprimis Mensibus. Noui enim casum, vbi Medici virgini formosæ grauiditatem dissimulanti exhibuerunt purgantia fortia, quæ inde nullum incommodum sensit, sed filiam viuam vegetam in lucem editam, laqueo collo circumposito occidit, vnde & decollata fuit. Si à nimia ciborum ingestorum copia diarrhœa prouenit, vt plurimum periculo vacat. Periculosior verò est, si ob paruos, & venenosos cibos accidit; sic & Hydropici diarrhœa correpti forti, licet aliquando euadant, sæpe tamen moriuntur.

Ad salutem diarrhęa terminatur, quando mutatio excrementorum in meliùs vertitur, h. e. si inspissentur, & propiora statui naturali euadant. Si verò mutatio in deterius fit, & excrementa viridia, cineritia, nigra, pinguia atque graueolentia fiant cum singultu, alijsque pessimis signis, hæc metastasis mala dicitur, & plerumque ad mortem terminatur.

CVRA DIÆTETICA.

§.12. Aer sit temperatus, humidus enim & frigidus diarrhœam magis promouet, Ex. g. Si quis lapidi frigido insederit, vel pedibus, pauimentũ frigidũ, & humidum calcauerit, facilè in diarrhœã incidit: vnde & autumno, & hyeme ob impeditam transpirationem per poros, & meatus cutis facilè affectus oritur; æstiuo enim tempore hiant apertius meatus illi, & perpetuà seri transcolatione corpus sudore perfunditur continuò, vehiculi illius serosi per cutim factà traiectione parcior mictus, & alui obstructio, ast dum hyberno gelu quælibet regeat occlusis istis meaculis copiosior vrina, & alui maior lubricitas superueniunt, quod & confirmat Practicus celeberrim. *Gabelchoferus centur.3. cur.73.* inquiens: *Qui sunt densæ texturæ, & habent cutim spissam, & poros arctos,*

erctos, sæpiùs quotidie egerunt, quã qui poros habent apertos, ex quibus vapores, & humiditates possunt resolui, egestiones exsiccantur, & corpora magis sunt constipata. Hinc ergo colligi potest, quare in fine æstatis, & in principio autumni alui fluxus sæpiùs grassentur. Hinc etiam commendatur sudorifera in alui fluxibus ad diuersionem faciendam.

Cibus sit succi laudabilis, & in exiguà quantitate assumatur; non sit fluidus, longis parasangis assata, & aromatisata elixa antecellunt. Nocet bestialis ingurgitatio ciborum quorumvis sine præuia masticatione, & saliuæ imbuitione. In eodem prædicamento sunt omnes cibi crudi, acidi, horarij, inprimis nostra brassica Germanica sale condita; malè ergò suæ consulunt sanitati ij, qui hanc brassicam pro purgante assumunt medicamine, cùm hoc potius fiat ob digestionem vitiatam. Nocent & hoc in casu fungi varij, qui spicula habent cuspidata, & meritò *Senecæ venenum voluptuosum* dicuntur. Eiusdem notæ sunt melones, & cucumeres, præsertim crudi cum pipere, sale, oleo, & aceto conditi, alijsque cum cibis comesti, à quorum esu nimio plures diarrhœa, lienterius, disenterias, & enormes vomitus, &c. obseruaui, ità vt meritissimè quidam Medicus Gallicus Parisijs limini suarum ædium superbifica quadantenus manu structarum hoc Gallicum distichon aureis inscripserit literis:

Les concombres, & les melons
m'ont fait bastir cette maison.

Nigro carbone & hìc notantur omnia legumina occultum in se continentia acidum: item omnes cibi saliti, fumo indurati, caro suilla, omnia pinguia atque dulcia, quæ corrosiuum in se habent acidum, à quo fibrillæ intestinales facilè irritari, & dein spasmodicè affici possunt. Eodem stigmate notantur purgantia venenosa, & sorticri dosi propinata, quæ sæpissime hypercatharsin, & diarrhœam incurabilem producunt; sunt enim nonnulli, qui habent fibrillas stomachi tenuissimas, inde ventriculum possident (sit venia verbo catachrestico) papyraceum, & si simul scatent acribus serosis humoribus à leui stimulo ad diarrhœam concitantur. Sic nuper filiæ exhibui duas vncias mannæ Calabrinæ cum ℥.ß. acidi tartari, & dictu mirum quantas excitauerint turbas, imò hypercatharsin. Vndè noui quendam extremè hypochondriacum, qui tot pilulas Francofurtenses assumpsit, quot sedes expectare voluit, humido enim serosò citra siccitatem gaudebat, salino inprimis stimulo acuato. E contra ij, qui habent intestina sicca absque sero, & fibrillas fortiores, & durissimas non facilè mouentur, inprimis vbi acidum simul est forte, à quo purgantium vis quasi castratur; sic & vbi defectus est seri: dependet enim agendi purgantium vis præter ventriculi dispositionem à seri in corpore præsentia, & quantitate maiori, vel minori, magis, vel minus acido, hinc humidior, & laxior ventriculus, & intestina difficulter irritantur: qui verò excrementitijs, serosis, acribus, salinis humoribus scatent, leui stimulo etiam concitantur. In his ergò cautus mercari disce, & caue à venenis, quæ spiculis suis arsenicalibus, dulci viscedini commixtis massam sanguineam non tantum perturbare, sed & fibrillas neruosas ventriculi, & intestinorum, Spasmodicè irritare queunt, vt sæpissimè, imò necessario alui fluxus impetuosus subsequi debeat.

Potus in alui fluxibus sit modicus; specificè prodesse scribitur vinum granatorum, vel cydoniorum, vel maluaticum iuniperinum alijs permistum. Nocet verò largus potionum vsus. Cereuisia in pauperibus benè cocta, & fermentata, in qua chalybs, vel lamina auri exstincta est, concedi potest. Melius verò conducit decoctum C.C. rasi rod. scorzoneræ c. tormentill. vel cydon. sicc. vel cynosbat. aliisque modicè astringentibus paratum. E contra angue peius fugiendum vinum ardens, item mustum de quo schola Salernitana.

Impedit vrinam mustum;

sol-

soluit citò ventrem, &c.

Hepatis motus, & quies sint temperata, intempestiuè instituta, vt saltatio, equitatio, cursus, pilæ lusus nimius, hanc sæpe tragœdiam excitare val t; sic, & vitam nimis sedentariam, dum transpirationem impedit, & corpus multis serosis remanentibus humoribus replet, necessariò alui fluxus subsequitur.

Somnus, & vigiliæ haud mediocritatem excedant. Somnus enim, quantum fieri potest, concilietur, hic enim omnes, præter sudorem, euacuationes compescit. Excreta ac retenta cum natura respondeant. Consuetæ enim euacuationes, vt sunt vrina, sudor, laticem serosum vel sensibiliter, vel insensibiliter per meatus cutis euacuare solitus, mucus, saliua, fluxus hæmorrhoidum, mensium suppressi, aut nimis impetuosè fluentes, magnam possunt inferre noxam.

Animi pathemata sint moderata, sic ex valida commotione bilis (per ductum enim felleum, & pancreaticum scorię istæ sanguinem inquinantes è sinu sanguinis vt plurimum deturbantur) in ira sæpiùs animaduerti ortas diarrhœas biliosas; sic ex mœrore (quatenus humores acriores reddunturin corpore humano) hunc fluxũ obseruauit Platerus. Ex terrore, & timore animaduertit ortas diarrhœas *VValæus*. Omnes itaque vitæ leges μέσον ἄριστον respicere debent.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Curatio iam subnectenda, & quidem ad palatum veterum Galenicorum, qui in alui fluxibus humores primò corrigunt *præparantibus*, vt sirupo de mentha, aquâ eiusdem, plantagin. zedoar. &c. Dein euacuant humores correctos. In calida vel biliosa constitutione exhibent lac caprinum, rhabarb. tamarind. sir. cichor. c rhaba rb. &c. In frigida vel melancholica constitutione melanagoga mitiora, in pituitosa phlegmagoga substituentes. Post hæc ad corroborantia tanquam ad anchoram sacram confugiunt. Ad querũ classem referunt omnia adstringentia, vt tormentilam, bistortam, plantagin. portulacam, sem. lapathi myr. till. cydonior. granat. mespil. ribes, sorba, pruna acida, corallia, bol. armen. terr. sigillat. sanguin. draconis, lapid. pretios. spod. miu. cydoniorum. In pituitosa commendant aromatica, quæ & incidunt, & roborant, vt sunt, mentha, carduus benedictus, cortices aurantiarum, citri, zedoaria, cinnamomum, nux myristica, lignum aloes, succinum, mastiche, coagulem leporis. Ex his mille formulas concinnant, & composita efficiunt. Tandem, & necessitate id efflagitante ad anodyna confugiunt, inter quæ laudant theriacam Andromachi, philonium Romanum, requiem Nicolai, diascordium, &c. Inter chirurgica venæsectionem proscribunt, cucurbitulas scarificatas scapulis, & dorso admoueri posse concedunt, quia euacuandi, deriuandi, & reuellendi vim obtinent. Cucurbitulam magnam ventri applicatam, egregiè in hoc casu iuuisse, tradit *Auicenna l. 3. fen. 16. tra. 1. cap. 1*. Sic & vesicaria, frictiones, & ligaturas haud contemnunt; De quibus videatur, qui est instar omnium *Sennertus*.

§. 14. *Chymici* ad salia illa resoluta corrigenda commendant præcipitantia, & infrigentia cum adstrictione fixiora plurima, vt sunt crocus Martis adstringens, vitriolum Martis, tinctura Martis, coralliorum sulphuris vitrioli, liquor. stiptic. saccharum Saturni, & plurima martialia, aluminosa, & sexcenta alia.

§. 15. *Helmontius* in diarrhœa, quæ à furore pylori prouenit, dedit duo vitella oui dura, aceto rosaceo tẽperata. Hanc Pylori dispositionẽ iuxta ipsum mitigant vngulę equorum non luxuriantium in butyro frixæ. Acidulæ item serratæ ab ipso summoperè commendantur.

§. 16. *VVillisius* inter alia commendat præmissis vniuersalibus V. gr. rhabarbar. puluerisat. ℥ij. salis tartar. gr. vj. aq. cichor. vnc. v. Stent per noctem in digestione in loco tepido, & assumatur: dein theriacam Andromachi ad ℥j. superbibendo sequentis iulapij ad vnc. ij

℞. *Aq. ment b.*
cinnamom. ℥
hordei ana ℥ iii.
theriac. ʒ ß.
margarit. præpar. ʒß.
saccbari crystall. vnc. ß.
M. F. Iulapium.

Eodem tempore prædictus Autor placentam ex pane tosto theriaca illitam, & vino generoso aut rubro calefacto tinctam ventriculo tepidè applicare, & subinde mutare iubet. Nec negligit varia styptica hinc inde præscripta, & si pulsus, & respiratio robusta fuerint, ad opiata confugit, inter quæ aliis indubiè palmam præripere credit laudanum liquidum cydoniatum ad guttas xx. in haustu superioris, vel alius iulapii propinatum.

§. 17. *Sylvius* in diarrhœa biliosa commendat cuncta, quæ corrigunt bilis acrimoniam salinam, & quidem per diluentia medicamenta, & acida, seu blandè adstringentia, vt sunt cydonia, fructus berber. immatur. vel omphacium, plantago, portulaca, & terræ pingues atque sigillatæ. Si fluxus verò, & sorosus, tunc præcipit evacuantia hydragoga, Ex. gr. pulverem ialappæ, sudoriferа, & diuretica, inter quæ magnificat decoctum ex radic. chinæ, sarsaparillæ, petasitidis, ligni guaiaci, quercus, buxi, &c. Rhabarbarum verò tostum cum nuce Moschata, omni in diarrhœa à quacunuis causa orta commendat. Post correctam, & euacuatam bilem accedit ad temperantia, in quem finem præscribit diascordium, theriacam, confectionem hyacinthi. Hinc sequentem laudat formulam:

℞. *Diascordii Fracast.* ʒ i ß.
confect. hyacinth. ℈ i.
sirup. mycbin. ʒ i.
Aqu. cinnamom. ℥ ß.
plantagin. vnc. i ß.
F. Mixtura cochleatim exhibenda.

In cœliaco verò fluxu, quando chylus per anum vnà cum fæcibus aluinis excernitur, (qui sæpè ex vasis lacteis obstructis, & postea ruptis fit,) consolidantia, & paulatim adstringentia adhibet; si verò ductus lactei à pituita viscida obstructi fuerint, & chylus nullum transitum inuenit, in eo casu conueniunt medicamenta de obstruentia ad crustam carnosam à visciditate liberandam.

In diarrhœa cum terminibus coniuncta, si à flatibus habeat ortum, (quod nonnunquam euenire scribit prænominatus Autor,) illi erunt discutiendi per carminativa exhibita; sin ab humorum acrimonia, illa temperanda, & corrigenda est, per anodyna, narcotica, spirituosa, oleosa medicamenta; nec negligenda vult varia externa topica, (de quibus infra ipse latius dicam,) imprimis clysteres ex lacte dulci, addendo ouorum albumina, terebinthinam, &c.

§. 18. Ex *Cartesianorum* suppositis spicula illa vel in primis viis obuersantia, vel in massa sanguinea præexistentia, & turbationem magnam excitantia, obtundenda sunt, vel quoad fieri potest, eliminanda; quapropter ab initio in alui fluxibus commendant rhabarbarum, gialappam, ocul. cancr. aliisque miscenda.

Acidum vitiosum per aromatica, & salina alkalia corrigendum est; tonus etiam, tum ventriculi, tum intestinorum, labefactatus, modicè adstringentibus restituendus. His nihil proficientibus confugiunt ad anodyna, quæ acrimoniam humorum quorumuis fibrillas nerueas vellicantium demulcent, & spasmodicas corrugationes tollunt, imò quæ spiritus animales impetuosè influentes parumper figunt, & sic iuuare possunt.

In lienteria atque cœliaco affectu omnia balsamica, stomachica dicta, tum externè, tum internè usurpata præscribunt.

§. 19. Expandamus *iam nostra vela*. In omni ergò fluxu alui ab initio exhibere solemus, in fortioribus, & adultis, purgans conueniens; in delicatulis verò, & infantibus clysterem abstergentem. Si ergò biliosa, & multa spicula in nostrum insurgunt *Gastronomeum*, tum fundemus

rha-

rhabarbarum ad ʒ i. cum vno vel duobus granis theriacæ cœlestis; vel pilulas stomachales cum gummi mastiche. In seroso verò alui fluxu laudamus mitiora hydragoga, seri reliquias per aluum sensim ac sensim eliminantia, Ex. gr. pulu. ialappæ, Mercurium dulcem cum cinnamomo, nuce moschatà mixta. Nos tamen in tanta humorum fluentium varietate curandi rationem variandam esse pro circumstantiis præcipimus. In natura ergò biliosa potionem sequentem exhibere solemus.

℞. *Rhabarb. opt. non tosti* ʒ i ß.
santal. rubr. gr. xv.
cortic. myrobalan. ʒ ß.
cinnamomi ℈ i.
salis absint. ℈ ß.

Infund. per noctem in aq. persic. vel menthæ foliorum quercus vnc. iii. in loco tepidò, manè coque, & exprime;

Adde sirup. chalyb. ʒ ß.
C. C. vsti ʒ ß.
corall. rubr. præp. ℈ ß.
M. F. Potio.

Vel: ℞. *Radic. rhabarb.* ʒ ii.
N. M. ʒ ß.
Salis tartar. ℈ ii.

Infunde per noctem in aq. rosar. vel
plantag. q. s. add. mane
sirup. chalyb. vnc. i. *M.*

Vel in forma pulueris:

℞. *Rhabarb. flau.* ʒ i.
N. M. ℈ i.
C. C. vsti ʒ ß.
margarit. præp. ℈ ß. *M.*

Vel sero abundante

℞ *Conserv. rosar. rubr.* ʒ i.
pulu. rhabarb.
gialapp. ana ʒ ß.
salis absinth. ℈ ß.
ol. nuc. mosch. gr. ii.
confect. alKerm. incompl. ℈ i.
M. F. Bolus.

Vel in forma pulueris.

℞. *Pulver. giatapp.*
rhabarb. ana ʒ ß.
theriac. cœlest. gr. iii.
nuc. mosch. ℈ i.
M. F. pulvis.

In delicatioribus seq. vel similes clysteres applicari possunt:

℞. *Decoct. hordei* ℔ i.
mell. rosat. vnc. ii.
M. D. pro enemate.

Vel. *Pulv. laxativ. nostr.* ʒ vi.

℞. *Mecboacann.*
myrobalan. chebul. modicè tost.
ana ʒ. ß.
nucis moschatæ ℈ i v.
macis ℈ ii.
M. E. pulvis subtilissimus.
Dosis ʒ i.

Hisce præmissis diversionem facimus cum sudoriferis, & diureticis, vt sunt decocta ex lignis guaiac. quercus, aliaque multa.

Ad dolores vero, & intestinorum conuulsiones tollendas, malignum acre, & acidum fibrillis nerueis infestum, demulcendum, frequentissimo in vsu sequentem puluerem habere solemus.

℞. *Terræ sigillatæ,*
lapid. smaragd. præpar.
antimon. diaphoretic.
cinnabar. antimon.
terræ catechu. ana ℈ i.
laudan. opiat. gr. iii.
ol. cinnamom. gr. i.
M. pro aliquot vicibus.

Etsi malignitas simul adsit, adde huic pulueri spinam serpentinam, vt sic vnà fidelià plures parietes possit dealbare.

Exhibeas & varia carminatiua, theriacalia, & repetas sæpissimè absorbentia adiectis simul bezoarticis, & neruinis, V. g.

℞. *Ess. theriacal* ℈ ii.
balsami Peruu. ℈ i.
ess. anodyn. ℈ ß. *M.*

Sequens puluis quoque sæpe proficuus existit.

℞. *Pulver. bezoartic.* ʒ i.
cinnabar. præpar.
antimon. ana ℈ i.
castor. ℈ ß.
laudan. opiat. gr. ii.
ol. cinnamom.
menth. ana gr. i. *M.*

Eiusmodi formulæ prostant hinc inde apud Authores celeberrimos, sed cum spasmodicus ille *motus* ipsis nondum innotuerit, antispasmodica in formulis plerumque omisere, quare hac via in formulis præscribendis iuniorum in gratiam paululum prolixiores erimus. Sciendum ergo, quod hinc stomachus, intestinaque egregia percipiunt solamina ab opiatis, sc. & balsamicis: blando enim suauique poppysmate deliniunt partes membranosas, & sensiles fibrosas, vt exinde sollicitationes, & irritationes dolorosæ propediem cessent. In hunc vsum cum maximo iuuamine præscribere soleo sequentem mixturam balsamicam, & opiatam, quæ valdè demulcet nostrum Bithnimalcam, vel *Gesteronacem*.

℞. *Conserv. rosar.*
succolad. Seuil. ana ℥ ii.
croci Martis,
succin. præpar. ana ℥ i.
cinnabaris natiu. ℈ ii.
balsam. Peruuian. ℥ i.
laudan. opiat. A. S. gr. vi.
M. detur ad ollam.

Vel ℞. *Conserv. rosar. vnc.* ii. ß.
C. C. vst. præpar. ℥ ii.
terræ vitriol. dulc. ℥ i.
sulphur. vitriol. nostr anodyn. ℈ i.
matris perlar. præp. ℥ ß.
C. syrupo corall. & cydonior. chalyb. &c.
F. Electuarium.
Dosis ℥ i.

Sulphur vitrioli anodynum nostro modo paratum summum mihi existit in hoc morbo arcanum, & testari possum, hoc medicamen me nunquam destituisse. Potest, & simile exhiberi conditum, V. gr.

℞. *Conserv. consolid. mai.*
menthæ ana vnc. i.
extract. tormentill.
sal. corallior.
tinctur. Martis.
succin. ana ℈ i.
M. F. c. syrupo stiptico conditum.

In lienteria, & cœliaca magis ad balsamica respicimus, & sequentè exhibemus liquorem stomachicum stypticum, V. gr.

℞. *Terræ catechu.*
rad. aronis,
tormentillæ
pæon. ana q. pl.

C. essentia balsami Peruuiani, spiritu vitrioli volatili, & spir. mastich. mixt. q. s. adiectis guttulis.

Ol. cinnamom.
menth.
N. M. ana gr. v.
F. extractio l. a. & S. vt spiritus.

Si huic liquori addas tincturam anodynam, multum efficies in prædictis affectibus, inprimis si simul prodeat salsum, & mordax serum, quod ab excoriatione, & inflammatione iudicare poteris. Sic & puluerj præcipitanti adsocies laudanum cydoniatum, vel theriacam cœlestem. Atque notandum hic, quòd non statim desistendum sit ab eiusmodi medicamentis, sed per aliquod tempus continuanda sint hæc, & singulis v. vel vj. horis repetenda, ita vt si seri copia adsit, plus solidiora quam liquida adhibeantur.

Item liquorem nostrum corroborantem in cœliaca, & lienteria inprimis commendamus ad fermentum ventriculi corrigendum, augendumque, cui simul inest vis biliosum humorem acredine ex acido hausta tumultuantem contemperandi, & deliniendi.

℞. *Spir. vin. rectificat.* ℥
♎ *salis dulcific. ana* ℥ i.
M. & rectificetur denuò, tunc habebis horum spirituum vnc. ß. ℥
℞. *igitur spir. vin. rectific.* ℥ ß.
cui add. ol. cinnamom. gr. xii.
caryophyll. g. vi.
rosar. gr. iv.
extract. lign. aloes, ℈ ii.
post solut. misc. cum prædict. ℥ i ß. ♎ digere aliquot dies. Dosis g. xx. xxx. Ad biliosi fluxus furorē compescendū, & acre salsū illud lixiuium contemperandū, magnisacio præmissis vniuersalibus serum lactis, emulsiones oleosas ex quatuor semin. frigid. tincturā rosar. pulu. testac. opiata, &c.

In

In diarrhœa quoque illa, quę est ab acido vitriolico, vbi excrementa existunt atra, eadem commendamus medicamenta, & quoscunque spiritus volatiles oleosos.

Si bilis venenatà aliaque acredine infecta sit, quod ex symptomatis facilè notari, potest, alexipharmacis, & bezoarticis varijs per tempus insistendum est, & nunquam illa negligenda sunt.

Inter externa conducunt varia balsamica, modicè adstringentia, neruina, anodyna, ex quorum numero quasdam formulas apponamus, & quidem iuniorum in gratiam:

℞. *Balsami nostri stomachal. ex succolad. parat.* ℥.ij.
F. Cataplasma super ventriculum, & abdomen.
Vel Ol. mastich.
menth. ana ʒ.ß.
nucist.
cydonior. ana ʒ.i.
absinth. gr. x.
M. D. ad vitrum.

Hoc ventriculum roborando, eiusque stamina firmando adstringit sæpiùs illitum.

In hunc censum veniunt varia emplastra stomachica, Ex. gr. illud *VVedelij* ex theriaca, & ol. carminatiu. f. Emplastrum ex diascordio cum succolada, & vino maluatico; item ex tacamahaca, item theriacæ cœlestis imponatur vmbilico, item sacculi varij ex aromaticis, & emollientibus parati, & toti abdomini applicati.

In lienteria, & cęliaca magis ad balsamica spirituosa respiciendum. Totus quoq; venter bis in die sequentibus oleis simul mixtis inungi potest:

℞. *Ol. de mastich.*
cydonior.
rosac. ana ʒ.ß.
nucistæ ʒ.ß.
M. detur ad ollam.

Reliqua videre poteris in affectu cholera dicto, nolumus enim cramben bis coctam proponere.

CAPVT IV.

DE CHOLERA.

§. 1. INter affectus atrocissimos *Abdominis*, & peracutos, audax Iapeti genus, vt cum *Horatio* loquar *lib.* 1. oda 3. infestantes non infimo loco ponimus *Choleram*, à voce χολὴ i.e. bilis, & ῥέω fluo, vnde ab Aureliano dicitur *felliflua* passio, ab alijs vocatur *febris cacatoria*, à nonnullis *Cholerica* passio, ab alijs aliter, quod scire desiderātem ad Lexicographos mittimus; Nos enim potiùs rem ipsam spectemus, & ad accuratam iudicij trutinam examinemus. Missis ergò his ad definitionem progrediamur, quia medicus non verbis sed herbis sanat.

DEFINITIO.

Nobis autem placet hæc, quòd sit deprauatus & ventriculi & intestinorum, imò mesenterij, Pancreatis &c. motus conuulsiuus à spasmodica contractione fibrarum tùm ventriculi tùm intestinorum aliorumque, & inde perturbato Bithnimalca, ortus, à quo motu peruerso, & contrario supernè, & infernè humores corrupti excernuntur & violenter deijciuntur.

DIVISIO.

Solent autem medicorum filij hunc morbum variè dispescere, nempè quod alia species sit continua, alia periodica, item alia periodica, item alia maligna, alia benigna. Celeberrima verò est ea diuisio abs toto ferè ἰατρῶν Choro recepta, quà distinguitur in *humidam*, & *siccam*: quam posteriorem dicunt esse, quando flatus intra ventriculum, & intestina constringuntur, & sic nullo modò excerni possunt, sed cùm potiùs, ad tympanitidem vel colicam flatuosam, pertineat hìc affectus, eum hìc sicco pede transibimus, & magis veræ Cholerę naturam explicabimus, primò quidem partem affectam lustraturi.

PARS AFFECTA.

§. 2. Pars verò affecta est secundum *Galenum*, vtrumque stomachi orificium,

cui maxima medicorum pars album adijcit calculum. *Celsus* verò inter inteſtina & ſtomachum verſari hunc affectum exiſtimat; *Helmontius* pylorum ſtomachi pro ſede principaliter affecta accuſat. *Nos*, cùm primò ſimul indicia adſint affectorum inteſtinorum, dum nempè murmura, rugitus percipiuntur inteſtinorum; & ſecundò etiam poſt mortem inteſtina conſpexerimus in defunctis ſphacelo correpta, pro parte affecta venditamus æquè inteſtina, pancreas, ſolliculum fellis ac ventriculum, præcipuè verò earum fibras, & inteſtinorum glandulas, in quibus motus periſtalticus eò magis inuerti poteſt, quò certiùs eſt, tùm adeſſe æque fibras nerueas in inteſtinis, pancreate, folliculo, ac in ventriculo, tùm ſimul duos illos pugiles dictos, bilem ſc. & ſuccum pancreaticum in inteſtino duodeno connuentes, qui, ceu negari nequit, maximè feneſtram huic malo aperire poſſunt, vt adeò nil vetet, quo minùs præter ſtomachum, inteſtinam; pancreas ſolliculum fellis allegare liceat pro loco affecto; quod & ex ſequenti caſu clariùs patebit.

CASVS.

Fœmina XVIII. annorum temperamento bilioſa XX. annorum, more mulierum dulcibus, pinguibus, & fructibus immaturis veſci ſolita, æſtiuo tempore affligitur atrociſſimo dentium dolore (dolorem enim quemuis fluxiones irritare poſſe, iam nouit Galenus de art. med. lib. 8) Spiritibus à dolore ſc. impetuoſis redditis, cubitum itura ſentit capitis dolorem vehementiſſimum, cum totius corporis calore intenſo, nauſea, ſiti, vigilijs anxietateque cordis, inprimis circa ventriculum: Paulò poſt ſubſequitur vomitus, & alui per inferiora euacuatio adeò frequens, vt tanta copia ejecta fuerit, quæ multa vaſa repleuit: Excrementa erant liquida, bilioſa, dein cinericia, & ejiciebantur cum flatibus, torminibus, & magna anguſtia cordis; animi deliquia vrgebant cum ſudore frigido, & magna virium imbecillitate; quæ veſtigia & qui vngues leonem hunc indicant, præſertim ſi tquoque ſequens paragraphus diagnoſin oſtendens euoluatur.

DIAGNOSIS.

Id quod ſummè neceſſarium eſt, cùm iuxta illud Tralliani *Interrotio* rectæ curationis ſit fundamentum: Facilè enim quilibet iudicare poteſt, quanta ſit neceſſitas, quantaque vtilitas ſignorum diagnoſticorum; quare etiam operæ pretium erit, omnem impendere operam, vt illæ rectè riteque proponantur. Imminentem verò morbum denunciant dolor vehementiſſimus alicuius partis, inprimis lumborum, ructus acidiores, & nidoroſulenti, & murmur inteſtinorum, inflatio abdominis, anxietates circa præcordia, capitis dolor, ciborum corruptibilium vſus largior, cucumerum ſc. melonum, horariorum quorumuis, verbo, omnium illorum, qui communi, & vſitato nomine frigidorum exprimuntur. Iam præſentem verò denotant ſequentia ſigna: Vomitionibus, & deiectionibus creberrimis cum anguſtia cordis, bilioſa, acida, nidoroſa, &c. deijciuntur, tam ſupernè, quàm infernè per plures horas, & dies, non aliter ac ſi venenum aſſumpſiſſent ægri, adſunt punctiones ventriculi & abdominis, excrementa ab initio ſunt liquidiora, dein craſſiora, coloratioraque redduntur; ſubinde quoque citrino, viridi, praſſino, cæruleo (qualem nos vidimus hac æſtate, quà hæc ſcribimus) nigro, & ſanguineo colore tincta, & aliquando alba deijciuntur cum flatibus & torminibus, imò ſi malignitas adfuerit, ad cinericium colorem vergunt, & diutiùs talem colorem ſeruant. Sitis quoque concurrit intenſa; vrina vix nulla redditur, quia liquida κάτω ἄπω, & ſic per vias alias è corpore eliminantur; totum corpus quoque ſudoribus frigidis, perfunditur; pulſus eſt frequens, & paruus, quem ſequitur interdum intermittens; hunc verò excipit extremorum refrigeratio, animi deliquia, ſingultus ac conuulſiones; malò increſcente, muſculorum, maximè autem ſuarum, ſubindè etiam manuum fit ſpaſmus tenſioque, quæ ipſa inprimis ſura-

rum,

fum, proprium huic malo & symptoma.

CAVSA.

§. 3. Hæc fuere signa, nunc causam immediatam & mediatam proximiorem investigabimus, & quidem ordine hactenus à nobis obseruato. Primò itaque de hac re veterum audiamus opinionem, qui huius mali causam dixerunt esse bilem, vnde & nomen affectui indidere, quam magna quantitate in toto hominis corpore collectam è folliculo suo in stomachum & intestina infundi & per hanc lædi facultatem retentricem contendunt, & probant per id, quod hoc malum frequenter ex prauis, corruptis, dulcibus, biliosis alimentis assumptis oriatur; vnde, si bilis euasionem faciat in orificio ventriculi, tunc eam per vomitum; at si intestinis cumuletur, per aluum deiici aiunt, ex quo ipso culpant calidam intemperiem ventriculi, à bile sc. ortam: porrò asserunt, humorem vitiosum aliquando à capite ad ventriculum descendere, & sic expultricem læsam esse statuunt.

§. 4. Accedamus ad *Paracelsi* subsellia in contraria omnia abeuntis, statuentisque Choleram *speciem morbi dissoluti*, & sal aluminosum in ventriculo deficere, ita vt econtra sal Entalicum, quod per inferiora, & superiora expellit, virtutem expulsiuam stimulet; vbi enim hæc salia iuxta illum non sunt, ibi nullus procedit vomitus, nulla sedes: Vt ergo ex prædictis constet, choleram aliosque alui fluxus ex prædominio principii salini esse statuendos, & quidem salis resoluti separati, vel corrupti; est enim sal mox purgatius, helleborinus, mox antimonialis, mox scammoniatus, vel in ipsis ingestis cibis, vel in internis corporis principiis contentus, quæ salia, si resoluta sint, eiusmodi ventris laxitates crebrasque deiectiones producant.

§. 5. *Helmontium* sanguinem in cholera migrare in liquorem pungentem, rodentem, aquosum, dicit, non, vti scholæ, in excrementum amarum, quoties enim putrefactibile, siue, vt ille loquitur, cadauerabile in stomachum ingeritur, cientem fermento suo digestiuo, toties putrescit digestum, & non digeritur. Quicquid etiam cholera attingit fermento suo virulento inquinat, & in virus transmutat, vnde furor pylori, & intestinorum fluit, & omnia liquida cum impetu ἄνω & κάτω deijciuntur.

§. 6 *Willisius* in cholera putat ventriculi, & intestinorum fibras carneas & motrices ob causas remotiores in contractiones alui solutiuas accieri; quippe violentæ animi aut corporis passiones hanc sæpiùs inducunt, videlicet, in quantum Spiritus intra ἐγκέφαλον, aut principes quasdam appendicis neruosæ partes consiti, insigniusque perturbati, protinus per neruorum aut propaginum neruearum ductus inordinationem suam Spiritibus, ventriculi, & intestinorum incolis tradentes, eos in spasmos cient, vndè hunc affectum esse spasmum seu motum conuulsiuum ventriculi, & intestinorum docet, qui excitatur, quando chylus visiosus ab alimentis ita redditus, aut ventriculi succus fermentatiuus in humorē acidum, austerum, aut amarum, aut aliàs infestum, proindeque irritatiuum degenerat. Humor quoque irritatiuus ex arterijs, iuxta ipsum, in ventriculum, & intestina aliquando suffunditur, bilis etiam, & succus pancreaticus, modò sigillatim, modò simul congressi, & mutua efferuescentia in stomachum exaltati, fibras eorum in spasmos vomitiuos, & laxatiuos cient, atque interdum materia turgescens recrementa sua, siquidem per transpirationem expellere nequit, per arteriæ cæliacæ remos ventriculi & intestinorum cauitatibus ingerit, adeò vt horum tunicæ insigniter vellicatæ vomitiones horrendas, simulque affectus cholericos patiantur, ob Spiritus sc. animales alicubi valdè perturbatos, & explosos, atque mox Spiritus alios ventriculi, & intestinorum hospites, aut fibrarum continuitate, aut neruorum com-

meatu, pariter affici, inque explosiones vomitiuas & purgatiuas adigi defendit.

§. 7. *Syluius* culpat humorum efferuescentiam in tenui intestino vitiosè excitatam, & bilem acriorem, indeque efferum humorum conturbatum motum ab horariis corrumpere solitis fructibus productum: ab humoribus enim in corpore vel præexistentibus, vel ob externum errorem in diæta commissum facilè hic affectus oritur; humores enim tùm acres, tùm bilioſi; tàm sursum quàm deorsum magna vi & copia, vnà cum anxietatibus præcordiorum molestis excernuntur; vnde ipse hunc affectum motu intestinorum peristaltico ex parte tantùm in verso prouenire statuit.

§. 8. *Cartesiani* dicunt, hoc in affectu fibras ventriculi, & intestini duodeni à particulis scindentibus, acutis, cuspidatis, alijsque inæqualibus sursum contrahi, reliquorumverò ἄνω καὶ κάτω humores corruptos excerni, nec diu vellicationem hanc fibrarum consistere posse contendunt absque furore magno Spirituum animalium in ordine, & stationibus suis turbatorum, & motum illum spasmodicum mirum in modum insultibus suis incongruis cientium, vnde hæc perturbatio totius œconomiæ animalis fit, non aliter ac si æger toxicum hausisset.

§. 9. Nos nunc, quænam spicula in proposito nostro affectu, cholera nempe, se exserant, inquiramus, & quomodo hæc *Gasteronacem* turbent, videamus. Esse verò Regis nostri hostem in hoc affectu *acidum* nulli dubitamus, cuius tamen schesin maximè variat, vel admixta bilis, vel aliæ alcalinæ terrestres particulæ diuersis cibis implicatæ, quæ pro diuersa mixtura, & textura affectum vel reddunt malignum, vel benignum: inprimis sc. si separato occurrunt acido. Cumulatur autem malignorum humorum contrariantium colluuies sensim in prima corporis regione, vel illud ad intestina ex arterijs vel criticè, vel symptomaticè effluit, & intestina ad perpetuam stimulat eiectionem; nonnunquam etiam accedens corrosiuum sellis alcali ita corrodit intestina, eorumque fibrillas, vt gangrænam inferat, quod nos, ceu superiùs diximus, non ita pridem in hoc malo defuncti cadauere vidimus. Hoc enim alcali, quando sanguinem inficit, febremque excitat, mortem sæpè accelerat: Bilis, enim acrior reddita spiculis suis salinis pungit vellicatque propriam capsulam, ventriculi, intestinorum & pancreatis fibrillas nerueas; à qua vellicatione, & Spiritus animales turbantur, vnde impetuosiùs influunt, & sic spasmodicum inferunt motum, quem necessariò sequi debet, & vomitio, & deiectio frequens, & vehemens; à qua coarctatione omnes liquores contenti necessariò è suis vasis, & tandem è corpore eliminari debet; ab hoc enim sale bilis volatili, & acriore reddito omnia symptomata hoc in affectu vrgentia facilè possunt deduci. Et si bilis singulari venenata acredine imbuta sit, tunc affectus dicitur malignus; vehemens enim deiectio per superiora & inferiora vndenam? nisi à spiculis istis salinis fibras tùm ventriculi, tùm intestinorum orbiculares, cum glandulis intestinalibus, stimulantibus & corrugantibus. Vnde, quæso, dolor pungens, nausea, anxietas? Nonne à spiculis istis acutis? Et, si materia quædam viscida concurrit, illa in halitus, per fermentationem exaltata rugitus, & murmura intestinorum Cholericis solemnia producit. A diuersitate causæ procatarcticæ excrementa eiiciuntur diuersa, consistentiâ, colore, odore, &c. Si etiam æger multa liquida hauserit, tùm solent illa à bile exaltata omnino inficì, & quoad saporem, & colorem. Massa hæc miscella in stomachum delata corruptum iam fermentum ventriculi magis corrumpit, vnde inappetentia deducitur. Singultus quoque ipsis excitatur ab iisdem spiculis salinis vellicando stomachum, & per consequens diaphragma conuellendo. Bilioſus hic furor stomachi, & alui (si procatarcticā causam velis, facilè producitur ex ingurgitatione nimiâ

nimiâ fructuum horariorum aliorumque ciborum facilis corruptionis, acriorum, & crudiorum, dulcium, & nimis pinguium, acetareorum, & aromatum. Fructus inter horarios facilè affectum hunc excitare possunt, pruna, cerasa, inprimis *vuæ* maximè immaturæ; item cucumeres, melones, pepones, porrum, cepæ, brassica, inprimis more Germanorum sale condita, Barbi piscis oua, prout testatur à *Guldenklee*. Nocent inter aromata piper, raphanus syluestris, medicamenta quoque quæcunque purgantia, venena, aqua frigida, mustum, acidulæ intempestiuè vsurpatæ, & plura alia, quæ symbolum suum addere possunt, de quibus inferius largiùs dicemus, vbi de victus ratione acturi sumus; sed pergamus ad prognosim, illud sc. Delphicum Medicorum oraculum.

PROGNOSIS.

§. 10. *Cholera* ergo est morbus *peracutus* paucis non tantum diebus, sed etiam sæpè horis hominem jugulans: atque, si nulla euidens causa præcessit, tunc cholera est acutior, & malignior eà, quæ vel à cibis corruptis, vel à veneno hausto ortum suum habet. Præterea quoque mortem minatur hic affectus, si pulsus debilis, cordis palpitatio, animique deliquia, singultus, & conuulsiones accedant: Item mors in propinquo est, si pulsus intermittat, vrina liuida, vel nigra fiat, atque extrema frigescant. Duplici asteriſco notandum; quod, vt aliorum acutorum morborum, sic & huius non omninò tutę sint prædictiones, teste *Apolline nostro*: & id ipsum propria didicimus experientia in charissimà coniuge; concurrebant enim ad hunc morbum magnæ debilitates, sudores frigidi, cordis palpitationes, animi deliquia, aphonia; quæ tamen adhibitis ritè medicamentis tristes mortis fauces euasit. Porrò senioribus maximè formidabilis existit hic affectus, eò tamen rarius corripiuntur. Solet quoque malum transire in vrinæ ardorem seu stranguriam, qualem nos nouimus catastrophen feliciorem.

CVRA DIÆTETICA.

§. 11. Prognosin excipit *cura*, & 1. diætetica, quæ sequentibus peragitur alimentorum, & medicamentorum generibus. *Aer* sit temperatus, & ad frigidum declinet; e contrà nimis calidus vitetur, bilem enim auget, eamque acriorem, & volatiliorem reddit, ac acidum, eius nempè frænum lacerat, ventriculum eiusque fermentum dissoluit, ac deiicit. Unde planè ex tripode dicit *Hipp. Aph.* 15. 1. ventres hieme, & vere calidissimos esse, vnde & copiosiore homini opus esse alimento, quia acidum tunc temporis magis in vigore suo existit. Idem dicit *Epid. 6. l.* 10. *Æstate*, potissimum vere, & autumno minus, hieme omnium minimè fieri *Choleram*. Æstas enim omnes humores reddit acriores; hinc, & assumpta tempore æstiuo faciliùs corrumpuntur, & in succos prauos degenerant, unde, & alui fluxus sunt frequentiores æstate, quàm hieme.

Cibus detur paucus, & concoctu facilis; iuscula sint acidis temperata; panis sit triticeus cum succo granatorum, vel aliùs acidi paululum adstringentis. Pinguia verò dulcia, atque acria angue peius vitentur, vt sunt oleum, butyrum; pipeir, zingiber, sinapi, & olea acriora stillatitia; omnes fructus horarii, & olea, ceu superius diximus, melones, sc. pepones, cucumeres, &c. perinde, vt & omnia, quæ facilis sunt corruptionis, quæ inter sunt carnes suillæ, lacticinia varia, pisces, anguillæ nempe, &c. purgantia etiam quæuis fortiora maximè fugienda.

Quod *potum* concernit, is sit vel vinum cydoniarũ, vel alius acidulus subadstringẽs, vel Iulepus ex aqua Vlmariæ, bardanæ & scordii, cum Spiritu terræ sigillatę paratus, vel lac amygdalium, vel potus chalybeatus. Os tamen sæpiùs colluat æger acidulatis, quàm vt multum bibat. Nocent e contrà vina generosa, mustum, cereuisia noua, hydromel & plura alia potulenta crudiora. Nec ventriculus nimia copia potulentorum grauetur, inde enim stomachi fermentum obruitur, atq; planè

inser

iners redditur. Quies corpori imperetur somnus etiam maximè conducit; econtrà vigiliæ protractæ humores acutos, præsertim bilem magis acuunt, & quasi accendunt.

Animi pathemata compescantur, præsertim ira, mœstitia, & terror, illa enim maximè bilis copiam adaugent; prout & Spititibus concitationem, hinc que sanguinis motum suscitant maiorem, vnde & plus bilis sequestratur. Tantum de cura diætetica dicere habemus.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 12. Sequitur iam *cura pharmaceutica*, & quidem more Veterum præscripta, qui ipsi in principio huius mali, dum ad infernas corporis partes materia peccans protrudi aliqua ratione viresque nimium labi videantur, materiam iuuant deiectorio quodam medicamine appropriato, additis humorum. acrimoniam corrigentibus. Ex censu purgantium illorum medicamentorum sunt sequentia: Cassia fistula, manna, rhabarbarum, & præ reliquis notatum velint Veteres, quod ab initio non statim vomitus sistendus sit, sed potius adiuuandus cum magna quantitate iusculi carnium, vel gallinæ exhausta: Quod si vomitus impetuosius vrgeat, clystere sequenti, vel alio materiam sursum tendentem auertere conantur. Ex. gr.

℞. *Hord.m.* j.ß.
fl. violar.
fol. centaur. min.
abſinth. menth.
fl. chamomil.
melilot. ana m.j.
rhabarb. elect. ℥ ij.ß.
polypod. ℥ iij:
Coq. in ſ.q. aq. colat. adde
menth.
chamomill. ana ℥ j.ß.
vini generoſ. ℥ ij.
elect. diacatholic. ℥ iii. *m. f.*
clyſter.

Si enim materia morbifica magna ex parte iam euacuata fuerit, quod fit xxiv. horarum spatio, tunc iis medicamentis quæ auertere possunt humorum motum ad stomachum, vtuntur, & quidem suprà dicto clystere materiam ad inferiora deducunt, vel ligaturis, vel frictionibus aliisque postea dicendis. Porrò humorum fluxum impetuosum sistere stomachumque, & intestina corroborare tentant *roborantibus* medicamentis; quæ inter sunt syrupus de rosis siccis, de succo granatorum, cydon. limon. diacod. cort. citr. cond. conserv. rosar. cyathus aquæ frigidæ, quem tamen modicè, & per vices capiat æger, theriaca, Mithridatium, papau. alb. vinum rubrum adstringens, cum aqua chalybeata permixtum, clyster inprimis ex decoct. capit. papau. alb. & rhæad. paratus humorum motum, sistit somnumque placidum inducit. Aquæ frigidæ in facie subitam iniectionem vomitum nonnunquam sistere experientiâ cõprobatum habent veteres.

Inter *externa* varia vnguenta, cataplasmata, emplastra &c. quorum omnium catalogus est infinitus, referunt, Dropax præsertim ex pice, atque oleum cydon. externè illitum eximiè vomitum sistere ab illis dicuntur. Sicuti *Archigenes* antiquissimus Medicus in maximo æstu audebat ventriculo applicare aquam frigidam, imò verò & niuatam, eamque vel in linteo, vel in vesica, sed quicunque audet, talia audeat: maximum enim est periculum, ne inde spiritus insiti omnes expellantur, & sic *Gafteronax* suffocetur. Ventosam inter ventriculum, & vmbilicum applicare iubent. Ceratum quoque stomachicum, Galeni Emplastr. pro stomacho Mesues, Mastichin. deque crusta panis præ aliis amant: Tandem symptomatis in hoc morbo occurrentibus grauibus, nempe lipothymiis, & conuulsionibus prouidendum esse contendunt, quorum curationes ex præcedaneis colligi possunt.

Chymici Paracelsistæ omnem morbum laxum à sale esse, nec vllam posse fieri deiectionem sine sale dicunt, adeò vt ipsorum Magister *Paracelsus* contendat, vim expulsiuam in ipso stercore seu sale

rei

rei ineſſe, omnemque fluxum à ventriculo oriri, quia ſcil. ſtomachus non ritè ſeparat; inde & ipſi curam ad ſolum ventriculum dirigendam volunt, contendentes, curam fieri per ſalia, atque ſal rurſus rectificandum eſſe, & reſolutum ab integro ſeparandum: poſtea debere ſequi curam ſulphuream, tanquam confirmationem operationum in ſale; & in *Practatu* tamen *ſecundo* de vita, purgandum prius eſſe appropriatis, & conſtrictiora intempeſtiuè adhibita in omnibus alui profluuijs nimijs plùs nocere quàm iuuare, ſcribit. Ipſis verò ſunt fluorem ſiſtentia, & ventricula atque inteſtina roborantia inſigniora remedia *Martialia*, vt crocus Martis, tinctura eiusdem, terra ſigillata quoque vitriolata, magiſterium corallorum: in quem, & cenſum pertinent vnicornu, cachmia, magnes, nitrum, alumen, talca, oſſa microcoſmi, opium rectificatum, laudanum verum, lapid. ℥. pretioſ. ſol. præpar. &c. quæ paſſim hoc in caſu ab ipſo Paracelſo commendantur.

§. 13. *Williſius* præter varia laxantia ab initio propinata, clyſteres, ſtyptica corroborantia inprimis ad ſpirituum orgaſmum hìc maximè vrgentem ſedandum, commendat ſpirituum animalium ſtrenuum domitorem laudanum opiatum, chydoniatum, tartariſatum, & hinc addit varia *antiſpaſmodica*, quæ ex infra dicendis facili Marte deduci poſſunt.

§. 14. *Syluius* ſequenti methodo curandi vtitur, quoties à vitioſa confluentium humorum acrium efferueſcentia pendet inteſtinorum ad periſtaltici ſui motus inuerſionem irritatio, toties humores illi acriores vnà cum efferueſcentia impetuoſa temperandi ac ſopiendi ſunt. In humorum ergò ſiuè ſalinorum, ſiue acidorum acrimonia peccante ſequentem commendat mixturam cochleatim per interualla breuia vſurpandam. Ex gr.

℞. *Diaſcord. Fracaſt.* ℥.ij
confect. de hyacinth. ℥.j
ſyr. papau. alb. ℥.j℥
aq. plantag. ℥.ij
ſœnicul. ℥ j. M

Dein humores ita correcti poſſunt euacuari cholagogis; ſi nempe ſurſum appetat materia peccans nihil vetat iuxta Authorem noſtrum blando vomitorio opiatis maritato, illam ſurſum euacuare. Ex. gr.

℞. *Sacchar. vem.* ℥.ij
laudan. opiat. gr. j.
aq. menth. q. ſ. M.

Quod ſi acrimonia bilis nondum remittat, illa corrigatur ſequenti vel ſimili mixtura.

℞. *Aq. plantag.* ℥
portulac. ana ℥ j
ſpir. ſalis dulcis ℥ ß
Diaſcord Fracaſt. ℥ j. ß
ſyr portulac. ℥ j. M.

Quoties Cholera ab horatijs fructibus orta, toties *opiatis* præſtantiſſimis compeſcitur nimia humorum efferueſcentia, inter quæ ſacra eſto anchora *laudanum opiatum*. Iisdem quoque opiatis compeſcitur ex præcedenti cauſa, vel à vomitoriis in nimia quantitate aſſumptis, vel venenoſis ortus affectus, in quem finem ſuprà dictus Autor commendat mixturas, adiecto ſemper grano vno atque altero laudani opiati; Opiata enim acrimoniam omnem non minùs temperant ac afferueſcentiam conſequentem compeſcunt, quàm ſenſum externum ſopiunt; Quod ſi affectus à venenis h. e. ab auripigmento, mercurio, ſublimato, arſenico ſit productus, tunc oleoſa iuſcula nempe pinguia, & lacticinia præſertim lac ebutiratum exhibenda ſunt, quæ tamdiu continuanda, quamdiu dolor, nauſea vel vomitus permanent.

§. 15. *Carteſiani* ad ſpirituum animalium perturbatorum, & ad ſtomachum, atque inteſtina incongruis particulis, & inſultibus ingruentium, & motum ſpaſmodicum excitantium furorem commendant opiata Bazoartica, E. gr.

℞. *Diaſcord.* ℥ ß
lap. bezoar. or. ℈ ß
Theriac. Cœl. Hanou. gr. vij.
M. ſ. opiat. pro duab. vicibus.

Hoc

Hoc in casu quoque omnia ponderosa magnificiunt, vt sunt christalli, bol. armen. lap. hæmatit. terra sigillat. & mille alia, quæ ex sequenti paragrapho desumi possunt.

§. 16. *Nos* ne illotis manibus ad curam accedamus, ordine incedimus: variat enim hic affectus pro ratione causarum, & symptomatum. Quòd si ergo Cholera oriatur à cibis corruptis, qui adhuc hęrent in ventriculo, & æger procliuis est ad vomendum, tutò exhibere potes Emeticum Syluij, vel hoc sequens, maximè si simul adsit suspicio veneni assumpti, cuius beneficio non tantùm materia peccans, & vellicans fibrillas nerueas tùm stomachi, tùm intestinorum foràs eiicitur, sed & fibrillæ demulcentur, & sic cessat dolor. Benè tamen est prospiciendum, ne Spiritus animales irrequietiores reddas, & sic malum augeas.

℞. *Syr. Emetic.* ℥ iij.
Laudan. opiat. gr. j.
Sal. absinth. gr. iij.
M.

Vel ℞. *Tartar. Emet. gr.* j.
Sal. absinth. gr. ij. *cum aq. menth. vel crem. hord: exhib.*

Vomitum, & possumus cum oleo Oliuarum, vel amygd. dulc. instituere.

Quòd si parcè natura, per inferiora euacuet, & cùm magna perturbatione, per superiora, tum conducent præter clysteres laxantes ex ser. lact. dulcis aut iuris carnis ouillæ aut decocti emoll. ℥ vij. olei violar. sachar. rub. ℥ i. vitell. ou. vel ex sero lactis cum syr. rosar. sol. paratos, lingaturę, & frictiones. Vbi vomitus maior est, & deiectio minor, conueniunt laxantia varia, quæ inter magnificimus serum lactis aguinæ, cum pauco pulpæ cassiæ, quod etiam ardorem tollit, & simul blandè aluum laxat. In hoc tamen affectu semper admiscenda sunt alexipharmaca. Si bilis fuerit crassior, conducet mel. rosar. aut soluens cum sero lactis, vel rhabarb. el. ℥ i. Cinamomi ℈ j. M. Repellentia, & roborantia nunquam statim ab initio exhibebis, sed si vires ferant, per aliquot horas expectabis, donec materia plurimam partem sit eliminata. Sedulò enim hoc caueas, ne bilem intus retineas. Manna & Sacchara exhibita, quia tonum ventriculi resoluunt, & cum bile denuò vitiosè efferuescunt, nobis sunt suspecta. Euacuatà verò materia, tunc ad corroborantia, & vomitum sistentia, paulatim accedere poteris, & tum solum Medici negotium erit, temperare materiam acrem, & placare Bitnimalcam: quod obtinere poteris per decoctum hordei cum syrupo granatorum sæpiùs propinatum. Ad temperandam acrimoniam commodè exhiberi potest sequens.

℞. *Ol. N. M. expr. gr.* xv.
laudan. opiat. gr. j. *vel.* ij.
quod aliquoties iterari potest.

Laudant veteres menthę decoctum cum succo granatorum, quod simul astringit. Laudant, & sequens opiatum, quò plures nos curasse gloriari possumus.

℞. *Conseru. ros. antiq* ℥ j. ß.
Diascord. ℥ ß.
Corall rubr.
Croc. ♂ *ana* ℥ j.
Margarit. ppt. ℥ ß.
Crystall. mon. ℥ j.
Syr. granator. & menth. q. s.
M. cuius elect. quantitate castanea assumat.

Cristalli enim montan. vsus est egregius ad ℥ i. vel per se vel c. pulu. santalor. aliquoties repetitus, sequens emulsio prouenit.

℞. *Amygd. dulc.* ℥ ij.
sem. papau. alb. ℥ ß.
M. f. a. Emulsio.

Si bilis nimium ferociat, & vomitus maximè vrgeat sequentem clysterem eluentem applicare iubere poteris;

℞. *Rad. Pentaphyll.*
personat.
Scorzonet. ana ℥ ii.
Herb. Crasul. m. j.
Calamynth. p. i.
beder. terr.
plantag. ana m. i.
Flor. Cordial.

Ca-

Calendul.ana p.j.
balaust.p.ij.
myrobolan.citr.ʒ.j.ß.
sem.fœnicul.ʒ.ß.
Coq.in brod.carn.vetuec.
Col.lb.ß. iij.
adde.
Mel.rosat.lax.ʒ.ß.
Miclet.Niu.ß.
Olamygd.d.ʒ.j.
Therebinth.vitell.ou.sol.ʒ.ij.
M f.Mixtura.

Vel alius magis abstergens.

℞. *Rad.alth.*
buglos.ana ʒ ß.
herb.pariet.
malu.ana m.ß.
flor.Chamomill.p.j.
farfar.
Coq.ex aq.hordei q.s.
col.ʒ.x.disolu.
Sacchar.Thom.ʒ.j.
thereb.in vitell.oui solut.ʒ.ß.
M.f.Clyster.

Hisce clysterib. præmissis ad magis adstringentes & simul edulcorantes Clysteres,quicquid etiam dicant Medici hoc negantes,nos conferamus. Sequens formula Medicis iunioribus esto:

℞. *Rad.Tormentill.*
bistort. ana ʒ.ß.
herb.pistol.
argentin.
saniculæ m.ß.
flor.ros.rubr.
balaust.ana p.j.
gran.sumach.ʒ.ij.
Coq.ex lact.dulc.chalybeat.
℞. *Colat.vnc.ix.disolu.*
Seu.Ceruin.vnc.j.
succ.plantag.acut.rec.expr.ʒ.j.ß.
vitell.ou.n.j.
laudan.opiat.gr.j.ß.
M.f.Clyster.

Vel ℞. *Decoct.hord.&c.*
theriac.recent.ʒ.iij.
M f. Enema.

Interea verò astringentia celebriora sunt succus menthæ ♎ mastich. succùs rosar. margarit. præpar. corall. rubr. Tinctura eiusdem gemina, Crocus Martis, terra sigillata, & eius Spiritus, pulu. glycirriz. cum cinamomo, & rasi. eboris paratus, omnes succi acidi cum pulu. astringentib. & odoratis, & sexcenta alia, omnibus tamen palmã præripiunt opiata, inprimis illud laudanum opiatum cydoniatum Hoffmanni, & Hannouiensis Theriaca cœlestis,quæ tamen in progressu mali cautissimè exhibenda sunt, sæpiùs v. repeti possunt, pilulæ diascordii Syluij expertissimi vsus sunt,vt & theriaca Smaragdina D.Petri à Castro, inprimis si adsint conuulsiones.

Sæpissimè, nisi ferè semper dixerim, choleræ associata est malignitas à nimia volatili acrimonia dependens, quæ ex centro prout vulgò dicitur per diaphoresin expellatur necesse est, in quem finem conducet sequens, vel similis Mixtura:

℞. *Aq. è typh. C.C.* ʒ j.ß.
bardan. comp. ʒj
mastich. ʒ vj.
sal. CC. volat.gr. vj.
scordii ℈ ß.
Crystall. ppt. ʒß.
Xyloaloes el. ℈ i.
Tinct. bezoart.. Michael gt. vj.
Syrup. totius citri j.
Mixtura pro xxxvi. *vicib.*

Sudorifera etiam ex theriaca post humorum temperationem prosunt.

Pro potu ordinario conuenit hoc in casu decoctum scorzoner. CC. berber. & myrtillorum, addito Spiritu terræ sigillatæ; item conuenit decoctum caryophillor.

Vel ℞. ♎ *mastich.* ʒ ij.
liquor stypt. ʒj. *M.*
dosis xx. *vsque ad* xxx.*gutt.*
in iusculo, vel alio vehiculo.

Vel *spir. Mastich.* ʒ ß.
vitriol. ♂ ∈ ij. *M.*

Vel ℞. *Essent.mentb.* ʒ ß.
♎ *mastich.* ʒ j.
oculi mart. ℈ j. *M*

Vel ℞. *lapid.crystall.* ℈ j.
bezoar. or.

occid. ana gr. ij.
CC. philos. ppt. gr. xvj.
ocul. ♋ ℈ j.
laudan. opiat. gr. ij.
M. f. pulu. diuidendus in XII *partes æq.*
Vel ℞. *Aq. menth.*
cinam. cydoniat. à ℥ ß.
Ebor. f. △.
mag. corall. c. succ. citri a ℈ ij.
Smaragd ppt. ℈ j.
syrup. corall. ℥ j. *M.*
Vel ℞. *Martis perlar.*
corall. rubr.
margarit.
terræ sigill. ana ℈ j.
Theriac. cæl. gr. IV.
M. f. puluis.
Vel *Crystall.* ♂ *gr.* xij.
laudan. opiat. gr. ij. *M.*
Vel ℞. *Tinct. opii. cochl.* ß.
campbor gr. vj.
ol. ♑ *M. gr.* vij.
Conseru. rosar. q. s. M.
Vel *Pulu. antidysent. Aug.* ℥ ß.
corall. rubr.
ocul. ♋ *ppt.*
margarit. ppt. ana ℈ ß.
croc. ♂ *adstr. gr.* xij. *M. f. p.*
pro XXXVI. *vicib.*

hunc in finem, & vesicatoria instituenda sunt ad carpos manuum, vel pedum pro re nata.

Anxietatibus cordis, & deliquijs occurrimus, vel iulepis, vel emulsionibus ex amygd. c. decoct. hordei & aq. cinamomi paratis, vel aliis cardiacis notissimis superius dictis, pro pauperibus potest præscribi decoctum agrimoniæ cum aqua melissæ, vel cinamomi, prodest & syrupus Granatorum. Inter externa roborant ventriculum Empl. ex gummi Garana, de crusta panis, tacamahac. balsamus, & Empl. stypt. Mynsicht. & cataplasma de mica panis cum aromaticis paratum, vel sequens cataplasma toti abdomini impositum conducet, quo spiritus animales partim impetuosè ruentes, partim in aliis locis fugati iterum placantur, & refocillãtur simulq; Rex noster Bithnimalca pacatur,

CAPVT V.

DE DYSENTERIA.

DEFINITIO.

§. 1. DYsenteria à δύς & ἔντερα *Cornelio* Celso, definitur Tormina quibus intestinorum fibrillæ corrugantur, contorquentur, & vellicantur; vel quod sit exulceratio intestinorum cum frequenti, eaque cruenta purulentaque alui deiectione, dolore, & torminibus vehementibus à Bithnimalcæ, siue Gasteronacis tristitia orta, ob copiam plurimum particularum acrium ac erodentium fibrillas intestinorum dissecantium dependens. Malum certè fœtidum sordidumque satis, ac munditii studentibus maximè abominabile, quin & periculis, vitæque discriminibus ægros exponit, qui contagio suo non tantùm proximum, sed & prouincias totasque regiones inquinare possiint, duroque suo crudelitatis iugo subijcere. Huius affectus statuuntur apud autores gradus, videlicet quando mucus duntaxat exiguo cruore, & pure perfusus cernitur: dein cùm interna intestinorum superficies ramentorum instar excerni videtur: postea vbi ipsorum intestinorum abrasa cernitur substantia; aliquando enim sanies sine dolore exit, quod & sordidum denotat vlcus. Contingit quidem in fluxu vulgò hepatico sanguinem absq; sanie, & sine magnis torminibus exire, sed tum excrementa magis sunt fluida instar aquæ carnium lotarum, & deiectio non fit ita frequens. Sic & ex ipsis hæmorrhoidibus sæpè prodit sanguis, quæ omnia Medicus prudens, & expertus facilè distinguere potest.

DIFFERENTIA.

Dysenteria est, vel benigna, vel maligna, vel epidemica. *Vid. Willis de Dysenteria cruenta Londinensi.*

PARS AFFECTA.

§. 2. Anguem hunc in sinu suo fouens, & gestans pars omnium autorum suffragio sunt intestina. Afficiuntur autem illa quoad tenuiora, quàm crassiora. Vtriusque

que generis infestari intestina, ex vagabunda hinc indè in illorum anfractibus tortuosis materia acri, tormina satis acuta excitante, facili marte colligi potest; roditur enim successiuè paries exterior, dein vlterius prouectà acrimonia mediam tunicam carnosiorem, & in intestina hiantia oscula erodit, indè sanguinis fit profusio, & exactior permistio cum pituitosa materia, vel sanie, nonnunquam etiam cum ipsa bile, vnde apparent excrementa aliquando subflaua. Per consensum tamen aliquando afficitur ipse ventriculus, & quidem necessariò, quia est sedes Regis nostri Gasteronacis, cuius sanè res agitur paries cùm proximus ardet.

Intestina tam tenuia, quàm crassa, hoc in affectu affici audacter statuimus experientiâ confirmati. Sex enim cadauera dysentericorum à nobis secta probarunt æquè tenuia ac crassa, purulentis scatuisse tuberculis, quæ inde nigra, & sphacelata reperimus, inque horum vno pylorum ventriculi planè sphacelatum, & corrosum, qui patiens tamen vomitionibus magnis vexabatur, & miserè conuulsionibus vitam finiebat. Huc quadrat illud *Helmontij*, qui culpam dysenteriæ in pylorum reijcit, quod sc. hic expellat ex ventriculo atque mali fomitem alliciat. putamus tamen glandulas quoque intestinorum simul pati, & loco succi alicuius laudabilis sanguinem emittere.

Casus.

§. 2. Puer XIII. annorum fructibus horarijs deditus conquerebatur tempore autumnali de torminibus iuxta coli ductum minùs tamen perseuerantibus, à dolore tamen statim ad sellam se contulit, excernens excrementa mucosa cum maioribus ramentis, & pinguibus quibusdam supernatantibus, atque ijs extrà adhærente sanguine, vnde læsionem in inferioribus intestinis factam esse coniecturaui, qui tamen infrà dicendis remedijs intra octiduum feliciter, Deo sit laus, restitutus fuit.

DIAGNOSIS.

§. 4. Nunc ad diagnosin absque verborum ambage transeamus. Dysenterici breuibus interuallis cum torminibus coguntur excernere excrementa pituitosa, prægresso tamen horrore, subsequente calore, excrementa dein cruore extrauasato nonnunquam commiscentur, aliquando purulenta flauaque prodit materia, interdum & purus excernitur sanguis, estque aliquando grumosus, nonnunquam acris, semper enim in ægris obseruauimus acrimoniam sanguinis, quam insequutus est ferè semper hic affectus, (indè & ipsius malignitatem deducimus) qui si maligni existant, alia præ se ferunt malignitatis signa, sæpiùs tamen aliud vultu præ se ferunt, aliud corde cogitant. Præcedit, ceu diximus, horror, communis febrium prænuntius, qui vt plurimum oritur ob particulas acres seu cuspidatas in sanguine præexistentes, & turbationem efficientes fibrasque neruosas concutientes, imò ipsam cutim conuellentes, & crispantes, dein subsequitur calor continuus ab efferatione harum particularum ♁eo-☉inarum, massàm sanguinis non tantùm exaltantium, turbantium, sed & ipsos spiritus ad impetuosos motus concitantium. Tormina maximè vrgent inprimis ob sylueſtre illud corrosiuum intestinorum fibrillis pertinaciter impactum, quæ spasmodicæ conuulsiones ex dolorosè conuulsis intestinis in alias partes subinde continuantur, cum fortiorum nempè spirituum animalium perturbatione, & Gasteronacis excandescentia.

Causa ergo remota videtur esse acidum sylueſtre, fibrillas pungens, dissecans, & irritans. Adest quoque sitis, quæ hic non duntaxat ortum habet à sero penè euacuato, per tam crebras deiectiones, sed & ob sal illud acre fauces aridas, & exsuccas reddens. Vigiliæ quoque totas noctes excruciant ægros, ob deficiens serum, & acriores particulas, salia sc. sylueſtria, minuſque symbolizantia, cerebri poros magis aperientia, & dilatantia.

Ob

Ob eaſdem particulas hoc in affectu neruoſæ orificii ventriculi fibrillæ, vellicantur, indè cardialgia frequens ſymptoma exiſtit. Ani prolapſus, teneſmus, aliquando ægros hoc morbo infeſtatos affligunt, ſine dubio à ſpiculorum iſtorum lancinationibus ad excretionem fibras intestinorum ſollicitantibus exerti. Hæc enim continuè puncta, & vellicata, vi motus periſtaltici criſpantur, indeque varia incommoda, in dyſenteria obuia, oriuntur. Sanguis mox, mox bilis, mox ſerum coagulatum, hoc eſt, pituita fæces tingit, prout humor ceu productum morboſum in maiore, vel minore effunditur quantitate. Sæpiſſimè atroces dolores ægrotos circa vmbilicum angunt, & fulminis inſtar tranſeunt inteſtina inprimis tenuia, quæ magis neruoſa ſunt; dolores v. qui ſupra vmbilicum, & laterales ſunt, craſſa inteſtina eſſe affecta ſignificant. Borborygmi, ventriſque murmura, & rugitus percipiuntur ob Gas illud flatuoſum ab acido productum. Si ſphacelus adeſt, pars fit quaſi indolens, & ferè nullus apparet dolor, & tunc anguis latet in herba. Si vlcus eſt in inteſtinis tenuibus, tunc dolor eſt magis acutus, quàm ſi exiſtit in craſſis. Anxietas aliquando oritur, & quidem ab intemperie acri, & tunc etiam dolor magis acutus eſt, & punctorius.

CAVSA.

§. 5. His ad cognitionem affectionis noſtrę quæ facere videbantur pro inſtituti ratione præmiſſis, reſtat in ea animum deuoluere, quę ętiologiam reſpiciunt. *Veteres* pro cauſa immediata vlcus inteſtinorum agnoſcunt, pro remota humores acres, putrefactos, in inteſtinis genitos, è venis maioribus, è iecore, liene, meſenterio, aliiſque partibus euaſatos, qui facultatem expultricem ſollicitant ad crebriores deiectiones, culpant quoque, vel pituitam ſalſam, vel bilem flauam, vel atram ſeu aduſtam. A cruditatibus frequentibus acribus vitioſiſque cibis, item à fructibus venenis purgantibus fortioribus affectum hunc etiam oriri haud dubitant. Vno verbo: Ad quaternionem confugiunt.

§. 6. Ad mentem *Chimicorum* maximè debetur affectus hic, vel ſali reſoluto, quod acquiſitâ in inteſtinis mordacitate eadem occulti ignis inſtar vrit, & corrodit, vel tartaro reſoluto, eique fæculento, & minùs maturo, per inteſtina peruaganti, vel in ſpecie, iuxta *Quercetanum*, particulis arſenicalibus coroſiuis.

§. 7. *Helmontius* acorem ſuum; aliàs gratum ventriculi nectar, archèum ad iram commouentem incuſat, qui peregrinum ſuum hoſtem inteſtinorum plicis impactum, cedereque renuentem expulſurus continuò inſurgit, adeſt enim pylori furor, tuncque pylori archeus excandeſcens diſturbat totam œconomiam hinc fluxus ille ſanguineus, mucoſus, & fibroſus.

§. 8. *Willisius* ſuſpicatur ſuccos præſtantiores, ſc. neruoſum, ac nutritium, ſolidis partibus corporis appoſitos, in dyſenteria à craſi ſua penitus vitiari, quaſi fluorem paſſos deliquari, & in maſſam ſanguineam redundare, verſus ventriculum atq; inteſtina per vaſa cœliaca tranſferri, inde per arteriarum oſcula tranſudare. Ac ſic ille particulas acriores non tantùm in primis viis obuias, ſed & particulas degeneres, & excernendas propter impeditam diapnoen inculpat, cum ſic cruoris degeneris recrementa ad inteſtina propellantur, ibidemque viam, per apertionem vaſorum cœliacorum quærant, vnde oritur affectus hic perniciosus, & aliquando malignus, & contagioſus, de quibus vide ipſum Authorem exactè differentem in c. de *Dyſenteria Lendinenſis*.

§. 9. *Syluius* tribuit cauſam huius affectus non tantùm bili acriori, & ſucco pancreatico acidiori, à quo exulcerari inteſtina, exedique cum aliis quidem credit, vnde aliquando iſtam tum ſanguinis, tum maximè puris excretionem copioſam eſſe; ſed & vt plurimum hunc mor-

morbum oriri ab humore *acido*, & non à sola bile corrupta, & acriore facta ait. Sal enim lixiuum bilis acerrimum factum gangrænam quidem excitare posse, vix autem, vel nunquam, vlcus. Est enim, prout inquit, vlcus acidi, non lixiui, affectus: vnde nisi acidus, & quidem acris humor iungatur bili, nunquam orietur Dysenteria, quam etiam solus humor valdè acidus, & acer ad intestinum delatus producet.

§. 10. *Cartesius* particulas hamatas, cuspidatas, sagittatasque humoribus permixtas, & ex moris cubis aptè, & conuenienter disposítis, & connexis constantes, intestinorum membranam diuellentes, diuidentes, perforantes, hinc indè dispicientes, & sic vlcus intestinorum producentes, prætendit, quæ particulæ in massa sanguinea præexistunt, & ad intestina sæpe præcipitantur.

§. 11. *Nos* culpamus hìc Gasteronacis infirmitatem, quem tum externus, tum internus hostis fortiter aggreditur, & ferè expugnat; hostis est vel acriores illæ sanguinis particulæ salinæ, salia nempe sylueſtria, vel minus symbolizantia, imò scoriæ salinæ sæpiùs primis in vijs hærentes, & Regi nostro negotium facessentes, vel iuxta *Cartesium* cuspidatæ, vel ad mentem *Willisij* ♀reo sal Armon. vel secundùm *Veteres*, humores bilioſi, pituitoſi, seroſi, vel iuxta *Chemicos*, Mercuriales, arsenicales inprimis in maligniore specie, vbi & simul petechiæ obseruantur, helleborinæ, colocynthiacæ intestinis maximè infesti, à quibus intestinorum fibrillæ vellicantur, lacerantur, & tandem tunica diuellitur. Sæpe enim à præcedenti sanguinis orgasmo arteriæ, & venæ in extremitatibus dilatantur, & franguntur, vt sanguinem in intestina effundant. Acidum corrosiuum sibi imperium rapere hoc in affectu circa intestina absque dubio est, vnde vlcus illud sordidum producitur. Duos tamen exenteraui Dysenteria defunctos, in quorum cadaueribus non vlcus sed totum intestinorum rectum sphacelatum inueni. Omnes enim humores hoc peregrino acido saturati, erodenti vi ad intimiorem intestinorum substantiam penetrant, glandulas ipsorum dilacerant, erodunt, cruorem educunt, & in fibrillis istis orbicularibus sensilibus intolerabilem cruciatum inducunt, vt quandoque sphacelus, & tandem mors subsequatur. Facilè ergo hic morbus contagiosus existere potest ob miasmata arsenicalia maligna, h. e. valde corrodentia, exhalantia, alteriusque sanguineam massam inficientia, & sic dispositionem hanc communicant intestinis. Salini enim stimuli facilè heterogeneam, & malignam erodendi naturam conquirere possunt, qui dein torturas intestinis tam feroces imprimere, & sic tandem totum corpus miasmate hoc vitioso beneficio circulationis inquinare possunt. Dysenteria *epidemia* oritur ab aere infecto, ab exalationibus subterraneis. Causa procatarctica Dysenteriæ præcipuè est intemperies bilioſa, & aër infectus.

PROGNOSIS.

§. 12. Periculosus, & acutus est affectus, cuius prædictio est incerta. Maligna dysenteria benignà grauior est, febrim enim sibi habet comitem. In longis intestinorum difficultatibus cibi fastidium malum, & cum febre peius, si veluti caruncule deijciuntur, lethale est, *teste Hippocrate s. 4. aphor. 26.* Excrementa ramentosa quoq; pro mortifero signo habẽtur, itidem testante nostro *Coo 2. præs. 23.* Senibus, & pueris hic affectus est magis pernitiosus, quàm mediæ ætati. Qui cruorem purum fundit, cum continuis, & ferè momentaneis sedibus, cum anxietate cordis, sudore frigido, vigilijs, sitiq; intensis, in mortem prænunciat Medico, ceu nos sæpius obseruauimus. Si intestina tenuia exulcerantur periculosius est, difficiliusq; quàm crassa curationem admittunt, quia habent fibrillas neruosas subtiliores, & plura vasa, quæ sanguinem profundunt copiosiorem, nec ità facilè vniri possunt, imò lethalia sæpissimè ciusmodi vlcera existũt.

Lethalem quoque pronuntiat Hippocrates Dysenteriam abatrà bile. Vermes sæpiùs per os adscendisse nostrà obseruatione constat, & maxima pars eorum mortua est. Si singultus vel vomitus superueniant, pessima hedera est, nam copiam acredinis indicat, quæ conuulsiones efficit. Si sæpius animo linquunt ægri, vomitus, & singultus infestant ipsos, pessimum signu est. Affectus hic aliquando intra quatuordecim dierum spatium decursum suum absoluit, aliquando ad sex septimanas se extendit, & tamen ægri moriuntur. Illà dysenteria, quæ symptomatibus maioribus, cardialgià, febre, appetitu planè prostrato, petechijs stipatur, maiora vitæ pericula minatur. Si vigiliæ adsint, denotat sanguineam massam acredine nimià laborare, vt etiam acrimoniam ad capitis membranas perueniat, vbi vellicationes excitando vigilias inducit. Si mentis alienatio accedat, itidem malum est; nam febrem intensam significat.

CVRA DIÆTETICA

§. 13. Nunc ad ipsam Curationem properabimus. Methodus pro curatione dysenteriæ inseruiens peragitur 1. Victus ratione. Aer ergo neque calidus nimis, neque nimis frigidus esse debet, sed temperatus. Aer enim nimis calidus bilem, (quæ constat iuxta *Syluium* ex multo sale lixiuo, aqua paucà, oleo, & spiritu) acriorem reddit, vnde sanguis spiculis illis salinis refertur, & sibi viam in intestinorum vasa sanguifera parat. Volitant nonnunquam in aere miasmata impura, maligna, sale volatili, aeri constantia, vnde sæpiùs oritur ille morbus, & tunc malignus, & epidemius, dicitur, inprimis vbi spicula salina ad altiorem gradum euehuntur, & quasi arsenicalia redduntur, quę maximoperè vitanda sunt. Frigus quoque maximè fugiendum est, quia id papillas pyramidales in cute existentes, & excretoria illa copiosissima ex glandulis miliaribus cuti siue substratis, simul intertextis enata constringit, & tunc cessat non sensibilis transudatio, sed insensibilis transpiratio, obstructis verò his excretorijs tubulis serum in corpore de die in diem augetur, & acrius redditur, quod manifestum euadit ex alui maiori lubricitate, occlusione meatuum excretoriorum superueniente. Ob id ergò sedulò danda opera est, vt in dysenteria quacunuis pori, meatusque cutis, quantum possibile, seruentur aperti, & corpus ad sudorem continuò blandè disponatur, quo ipso haud leuiter sufflaminantur enormes istæ alui deiectiones, sed si febricula simul efferuescat, felici istà diaphoresi illa vna extinguitur. Aer etiam in eius cubiculo purgari oportet; vt in peste fieri solet.

Cibus sit euchymus, & *iuxtatur*, qualis est cremor ptisanæ, oua oryza, vsculæ auenacea, veruecina, vitulina, cum endiuia, portulaca, &c. saturata. Vitetur è contrà salsus, crudus, fumo induratus, inprimis fructus horarij, vt sunt pruna, poma, & pyra immatura, vuæ, nuces, varij generis, legumina, cucumeres, meloues, pepones, & id genus alia. Et hic quoque excludenda sunt dulcia sacchariua, quæ occultum in sinu gerunt acidum, & acre venenum, quæ sanguinis mixturam fermentando variè turbant, & facilè hunc morbum excitare queunt. Conducit è contra, ceu diximus, omnis cibus temperatus, & viscedine balsamica præditus, qualis est oryza hordeum, &c. Potus sit chalybeatus. Notandum tamen, quod ad adstringendum non sumi debet calybs recens, deobstruit enim magis, sed antea sæpiùs extinguatur, quò enim sæpiùs extinguitur, eò plus adstringit. Prodest & decoctum q. hordei cum C.C. raspato, rad. tormentillæ, & cydon. exsiccat.; vel decoctum mastiches, priapi cerui, tauri; vel in quibusdam subiectis emulsio amyd. ex Aqua chalybeata parata, vel vinum rubrum decocto dilutum; sed angue peius fugiendum est omne vinum forte, & generosum, vt vinum Hispanicum, spiritus vini, &c. ab eiusmodi enim vini nimio vsu, vel abusu maiores & insolitæ fermentationes, & turbationes in sãguine producũtur, & sic à

maiori

maiori motu, & turgescentia sanguinis arteriæ, & venæ in extremitatibus suis magis dilatantur, & franguntur, vndè & sanguis maiori in copia in intestina effluit, quare hisce cautiùs mercandum est, aliàs ægrum ad orcum detrudes. Quies quoque hìc imperanda est; Somnus enim si non succedat, procurandus venit, à motu enim & vigiliis fluxus magis irritatur, sanguis redditur acrior, & vlcerationes exasperantur; è contra à quiete & somno fluxiones sedantur, dolores sopiuntur, viresque reficiuntur, sic vt cum *Aetio* dici oporteat: *Somnus optimum dysenteritis est solamen*. Animi passiones sint moderatæ, quippe ab immoderatis spiritus impetuosiores redduntur, & per consequens sanguis acrior. Cauendum proinde ab ira; bilem enim, totamque sanguineam massam acriorem ferocioremque reddit. Mens verò sit hilaris quantum fieri potest, quoniam ab hilaritate spiritus animales per neruos blandè feruntur, qui sanguineam massam, alioſque humores blandè & placidè conseruant. Malè ergo faciunt Medici, qui accedentes statim periculum maximum denuntiat ægris, illosque tristes timidosque reddunt, vnde malum augetur, & ipsis conciliant mortem.

Excreta, & Retenta decenti modo se habeant necesse est. Excrementa ergo non sint varia. Indicat enim humores à se inuicem discedere, quod pessimum est. Æger quoque caueat sibi à proprijs suis excrementis. Ipsis fæcibus inspergi potest puluis sympatheticus Dygbæi, vel aluum expediat æger super caput mortuum martis vitrioli, quod in persananda dysenteria magneticam eamque admirabilem vim habere, & esse, experimentum *DD. Michaelis* in *Miscellan. Curios* refert.

§. 14. Hisce de huius affectus diæta præmissis, proximum nunc est, vt methodum, qua huius morbi curatio sit instituenda, ritè describamus.

CVRA PHARMACEVTICA.

A *Veteribus* ergò incipiendum est, quorum methodus curatiua est sequens: A principio fluxum inhibendum non esse cum Neotericis statuunt. Sed ante omnia corporis purgationem instituunt, clysteribus inprimis intestina lauant, & quidem ab initio iniiciunt clysteres abstergentes, acriorum humorum vim temperantes, dein adstringentes, & tandem addunt ea medicamenta, quæ consolidare, catricemq; inducere apta nata sunt. Formulas hic apponere non libet, quia Practicorum libri his satis superque referti sunt. *Vacuantia* quoque per os exhibent, qualia sunt Rhabarbarum, tamarindi, myrobolani, sirupus rosarum solutiuus, de cichoria cum rhabarbaro &c. Post hæc *Auertentibus* vtuntur, V. gr. V. Sectione, frictionibus, ligaturis, balneis, &c. Tandem curam *sistentibus fluorem*, *& corroborantibus ventriculum ac intestina* concludunt. Et quia numerus adstringentium millenarium excedit, nolumus omnia apponere præter experientiã confirmata, quæ inferiùs ex nostra crisi quilibet videre poterit. Externa quoque varia imperant, sacculos ex varijs herbis, & radicibus adstringentibus ventri imponunt; varia parant linimenta, cerata, cataplasmata adstringentia, ventriculum quoque, cùm per consensum intestini labefactetur, innò sæpè ortum præbeat, muniendum præcipiunt. Symptomata quoq; haud negligenda volunt. Dolorem ergò leniunt anodynis, hisce nihil iuuantibus ad opiata, philonium Romanum sc. pilul. de cynoglossa, req. Nicolai, Theriacam confugiunt. Sitim sedant iulapijs ex succo granatorum, *ribium acid.* &c. paratis.

§. 15. *Chemici* egregia possident medicamenta, hoc in morbo probatissima, methodum seq. obseruantes ab initio scilicet non purgantibus, sed diaphoreticis eum aggrediuntur, putant enim in dysenteria semper aliquid venenati subesse, potum ergò pestilentialem parant, aquam theriacalem propinant, post expulsionem veneni, confortatiuum, & constrictiuum exhibent, & quidem ex croco Martis. corall. terra sigillat. hæmatit. plantag.

burs. pastor. paratum. Summum tamen confortatiuum quærunt in auro, & laudano perlato, oleo Martiate theriaca, mumia: Tincturam corallorum, & smaragdi alijs præferunt, nec contemnunt omnia illa medicamenta, quæ ex vitriolo & ex Marte desumitur, qualia sunt tartar vitrioli anodynum, tartar, Sol, Tinctura Maris adstringens, crocus Martis, panacæa Solaris VVildeganij, & sexcenta alia, quæ hinc indè prostant.

§.16. *Helmontius* commendat cruorem, seu coagulum, leporis, qui furorem Archei mitigat, vt & vngulam equi, sed non luxuriantis, aliàs maximè noceret; hunc quoque furorem pylori sedare putat, vitella, ouorum durorum, vel verum laudanum absque opio. Hunc furorem, & placare contendit Rhabarbarum, vinum cydoniatum, granatorum, Aqua chalyb. pane tosto & N. M. commixtam, emulsiones, opiata, clysteres ex lacte chalybeato, &c. Externè verò pro more magnis laudibus effert rete castrati in oleo rosato frixum, & applicatum.

§.17. *VVillisij* methodus medendi est sequēs Ab in-tio flnxum paulò sistit, & moderat, sequenti vel simili medicamine:

℞. *Conserv. rosar. rubr. vitriolat. ʒ. ij.*
theriac. Androm. ʒ j.
pulu. radic. tormentill.
contrayerv.
margarit.
corall. ppt. ana ʒ. j.
Sirup. è rosis s. q. F. Confectio.

Sirup. è rosis s. q. F. Confectio. Sumat æger IV. vel V. hora quantitatem nucis castaneę superbibendo julapij sequentis ℥ iij.

℞. *Aq. menth.*
melliss.
cinnamom.
hordei ana ʒ iiij.
theriacal. ʒ ij.
margarit. ʒ. i.
sacchari vnc. j M. j.

Vel sequenti vtatur.

℞. *Theriac. Androm. ʒ j.*
laudani liquid. cydoniati gr. xv.
F. Bolus hora somni sumendus.

Post diem vnum aut alterū patiens assumat potionem purgātem, & adstrictoriā

℞. *Rhabarb. opt. ʒ. ij.*
myrobelan. citrin. ʒ j. ß
Santal. rubr.
Cinamom. ana ʒ j.
F. Infusio per noctem in Aq. plantag. & cinnamomi hord. ana q. s. F. expressio fortis, cui add.
Aq. Cinnomom. ʒ ij. ß
F. Haustus.

Singulis vespertinis horis Nob. Autor satis magnam laudani opiati dosin exhibet, nec vnquam dysenterico cuipiam medicamentum hoc obfuisse nouit, siue quod medicamenti vis narcotica à ventriculi succo acidiori perdometur, & quasi circuretur, seu potiùs, quod particulæ eius, ad sanguinem transmissæ, deinde rursus, quò minus cerebrum afficiant, cùm sedibus cruentis citò eliminentur, ceu ipse loquitur in *Dysenteria Londinensi pag. n. 79.*

Pulueres quoque varios ipse laudibus extollit ex varijs adstringentibus, & confortantibus paratos, quorum formulas apud ipsum videre licet. Ad sedanda intestinorum tormina, & erosiones sanandas, enemata ipsi crebrò in vsu solent esse, Ex. g.

℞. *Decoct. summ. hyperic. c. ped. vervec. aut mesenter. ovin. vnc. viii.*
theriac. Androm. ʒ ij.
ol. hyperici. vnc. ß. M.

Reliqua videri possunt apud Auctorem in sæpiùs dicto Tractatu de Dysenteria Londinensi.

§.18. *Sylvius* curationem huius affectus consistere putat in humorum peccantium correctione, & euacuatione, vlceris mundatione, vasorum, vlcerisque consolidatione nimiique fluxus adstrictione. Inter remedia acrimoniam salinam & acidam temperantia magni facit salia volatilia oleosa, acrimoniam acidam temperantia, & ratione olei bilis acrimoniam obtundentia, in quem finem commendat

emul-

emulsiones ex semin. papauer. IV. frigid. maior. c. aqua stillatitia paratas. Acrimonià parum correcta eandem educendam suadet per purgans ex Rhabarbaro parùm torrefacto, quantitate parua h. e. ad ʒß. vel ʒ j. exhibitum, quò finita illà euacuatione reddatur aluus tantillum adstrictior. Pro re nata, & rhabarbaro addi, vel mechoacanna, vel gialappa & cum diascordio in forma boli exhiberi potest (vel in infus. aqua plantagin. c. sirup. rosarum solutiuo. Dein conducunt & medicamenta acidum concentrantia, & absorbentia, vt sunt, corallia, margaritæ, oculi ℞, creta. Item ad erosa intestina, & vasa citiùs consolidanda sanguinem suadet draconis, lapid. hæmatit. Erosorum intestinorum absterſionem, & consolidationem instituit per enemata ex lacte bubulo, terebinthina Veneta, oui vitello, & melle rosato parata, quæ sæpiùs iniicienda esse præcipit. In quem finem, & Theriaca recens, & inprimis Diascordium Authoris, quod in minore quantitate assumitur, efficacia existunt medicamina. Dein ad vlceris cõsolidationem Balsamum Peruuianum, balsamum sulphuris anisatum, vel succinatum, vel terebinthinam aliis præfert. Opiata hic quoque in doloribus pertinacissimis, & vrgentibus intrepidè adhibenda iubet. Varia etiam externa tum linimenta, tum cataplasmata ex paregoricis anodynis adstringentibus haud negligenda vult.

§. 19. Ex *Carteſii* principiis morbus hic facili marte curari potest per humores acres temperantia, & euacuantia. Ante omnia ergo exhibeatur Rhabarbarum, & quidem ad ʒ j. & in eius vsu aliquandiu continuandum, nam id post lenem purgationem modicè adstringit. Vtendum tamen simul emollientibus, lenientibus, & fermentationem iuuantibus. Vt humores leniantur, prodest decoctum hordei excorticati copiosè quidem assumtum, cui decocto admisceri possunt gummi tragacanth. Arabicum, vel rhabarbarum tostũ. Sequens bolus vsui esse potest:

℞. *Theriac. recent.* ʒ j.
cui mox add. laudan. op. gr. I.
mox camphor. gr. iij.
F. *Bolus.*

Postea lenia adstringentia adhibenda sunt, vt sunt miua cydoniorumm conserua. rosar. &c.

℞. *Conſerua. roſar.* ℥iij.
Diacydon. ſimpl. ʒ ij.
℞. *M. condit.* ʒ j.
Specier. diarrhod. Abb. ʒß.
C. *ſ coralliorum F. Conditum.*

De quo sumatur sæpissimè ad quantitatem nucis moschatæ.

Corallia hic etiam prosunt, quia fermentationes sanguinis restituunt.

Inter externa varia emollientia, & adstringentia in vsum trahi possunt, quæ nos abundè inferiùs traditurі sumus.

§. 20. *Nos* tyranno huic ab initio obuiam imus purgante medicamento, nisi hostis clam, & subdolè ingruat, tunc potiùs sudorifera, & alexipharmaca exhibere solemus. In initio huius morbi nostrà sententia sedulò obseruandum est, quod non sit nimis adstringendum, priusquam acres particulę humoribus permixtæ euacuatæ, & benè temperatæ exiſtant, & aliàs adstrictionem frustra tentabis. Adstringentia enim tum non feriunt scopum, sed natura satis adstringet, cum à materia acri immunis facta est, quod heterogeneum debet necessariò euacuari, aliàs Gasteronax noster planè opprimeretur, & sic æger postea à recidiua moriretur. Rhabarbarum ergò sæpiùs in forma solida ad ʒß. exhibere (quod post lenem purgationem parum adstringit,) vel pro re nata, si simul magna seri quantitas adfuerit, parum mochoa cannæ, vel pulueris ialappii magno cum emolumento adiicere soleo. In pueris, & infantibus sirup. de cichorio c. rhabarbaro conducet adiecta aqua cinnamomi. Iniecto quoque clyſtere absterſente ex decocto hordei cum seminibus plantaginis, & conserua rosarum addito oui vitello curam incipimus, deinde subsequente die sirup. rosar. solutio c. rhabarbaro additis Rei aqua

plantaginis virocatis scrupulo dimidio, vel integro. Cassellanæ nostræ officinæ habent sequentem puluerem:

℞. *Rhabarb. modicè tosti* ʒ vi.
Mechoac. ann.
Myrobalan. chebul. tost. ana ʋnc. ß
N. Moschatæ ℈ iv.
Macis ℈ ii.
M. F. puluis, Dosis ʒ i.

Abacto, & detersо hoste ad modicè adstringentia, & simul mitigantia progredimur. Inter quæ excellunt varia opiata, terrea, subacida, testacea, chalybeata, glutinosa. Nonnullas ex his medicamentorum formulas in ieiuniorum gratiam annectere libet: quibus medicamentis (absit iactantia dicto) sæpissimè hostem profligauimus, inprimis hoc vnico plus centum grassante lue feliciter curauimus, *oleo* scil. *amygdalarum dulc.* sine △e expresso, & cum succo citri commixto, sæpiùs de die assumpto, & per aliquot dies continuato, præmisso tamen rhabarbara tosto.

Ex opiatis sequenti feliciter vsi sumus:

℞. *Conserv. rosar. antiq.* ʒ ii.
theriacæ Androm. ʒ i.
diacydon. simpl. ʋnc. i. ß.
Spec. diarrhod. Abb. ʒ ß.
c. s. q. sirup. acetosit. citr. M.

Vel ex decocto semin. plantag. in Aq. hordei emulsio amygdal. dulc. & semin. 4. frigid. maior. paretur.

Alii panem tostum irrotant + to rosaceo, & adspergunt puluerem N. M. menthæ, mastich. rosar. rubrar. ana ℈ ß. camphoræ gr. iii.

Alii commendant crystallum per se, quia per eius poros fluit materia quædam ætherea, quæ fermentationes sanguinis restituit.

Aliis in hunc finem placet lapid. bezoar. orientalis. Aliis extracti coralliorum ℈ ß. cum aqua plantaginis.

Emulsio sequēs exoptati vsus sæpius fuit:

℞. *Semin. 4. frigid. maior. ana* ʒ ii.
papaver. alb. ʒ iii.
plantagin. ʒ i.
amygdal. dulc. ʒ i.
c. Aq. cydoniorum ex succo, fol. quercus, plantagin. ana ʒ ii.
F. Emulsio, add.
terræ sigillat. ʒ ß.
Aq. cinnamom. ʋnc. i.
miuæ cydonior. ʒ ß.
M. pro aliquot ʋicibus.

Ad magis adstringendum (in quo tamen cautiùs mercandum) faciunt crocus Mart. adstringens, aut Cap. mort. hæmatit. aut terra sigillata quæuis, quia aliquid metalli in se continet, quo deobstruit, leniter adstringit, inprimis illa conducet, vbi simul aliquid maligni suberit. Flores Martis etiam croci præparati, nam cum adstrictione quadam temperant, & simul aperiunt.

Ad consolidandum, & mitigandum seq. vel simile enema inijci potest:

℞. *Flor. hyperici, balaustior. herb. sanicul. plantagin. consolid. ana* m. i.
Radic. biflortæ ʒ i.
Coq. in s. q. Aq. chalyb. vel lactis chalybeati addito seuo bircino.

Vel si magis glutinare velis sume decoctū capit. & ped. veruec. terebinth. Venet. c. vitello ou. solut. balsam. Peruuian.

Et si dolores valde vrgeant, gr. i. vel ii. laudani opiati clysteribus indi possunt, vltra v. non adscendendum. Nouimus enim exemplum cuiusdam, qui à pharmacopœo assumpsit clysterem, in quo opii Thebaici ℈ i. solutus erat, à quo statim æger apoplecticus moriebatur. Nec olea conueniunt in clysteribus, quia multum acidi in sinu gerunt; nec salina: optimè verò additur clysteribus gutta balsam. Tartaris anisati. Sudorifera tamen semper interponenda sunt, & quidem bezoartica, item camphorata, nam semper aliquid maligni hoc in affectu suspicatus sum. Inter quæ excellunt tinctura bezoartica, Mixtura simplex, & camphorata, &c. Bezoarticis autem malignitatis vires franguntur, sanguis nitori suo restituitur,

tur, humorum acrimonia absorbetur atque corrigitur, fermentum quoque peregrinum quoduis per insensibilem transpirationem abigitur, febris ipsa, & contagium cum radice tollitur, & tandem penitus exstirpatur, vno verbo, totum regnum pristinæ libertati restituitur. Si ergo æger facta frequenti deiectione leuamen aliquod sentiat, insistendum est solis alexipharmacis, Ex. gr. puluere bezoartico pretioso, pannonico rub. cordial. pretios. pulu. bezoartico. VVedelii, Hoffmanni. Tinctura bezoartica c. anodyna essentia commixta mira præstare, credas experto Roberto. Sic enim miasmata maligna discutiuntur, & acrimonia humorum sopitur.

In indolentibus dysentericis cautè cum opiatis procedendum est. Hoc enim in casu Bezoarticorum vis fortior esse debet, quod experientiâ tristi obseruauimus in Consiliario Nassouico, Dno B. qui ab acidulis Svvalbacensibus in dysenteriam incidebat indolentem, & à Pharmacopœo, in quem fiduciam maximam ponebat, assumpsit mixturam, laudano opiato forsan in magna dosi commixtam, sicque altero die æternam quietem in Deo nactus est. Confer *Ann.* 11. *Ephemerid. German.* Et hic valet illud: *Carere omni sensu doloris miserius est, quàm dolere.* Consule, & hoc in casu *Minadoum*, *Doctorem Patauinum*, qui obseruauit omnes illos Dysentericos, quibus consilio Medici opium exhibitum fuit, supremum obiisse diem. Addit rationem *Hoffmannus* de Vsu, & Abusu Medicamentorum Chymicorum p. 30. quod scilicet vlcera intestinorum ab opio putridiora, & sordidiora reddantur. Sed vt verum fateamur, cum *VVilisio*, *& VVedelio*, qui quadringentos dysentericos opiatis se curasse sanctè testatur in *Opiolog. p.* 122. intrepidè statuimus, sine opiatis vix vllam veram dysenteriam commodè curari posse, & oleum, & operam cum aliis adstringentibus perdi, hæc autem debent cum bezoarticis tum volatilibus in principio, seu medio potius, tum fixioribus in fine misceri. Quod si quis autoritatem desiderat, legat *Bactium* in notis ad cap. 4. *Garz. ab Horto*, *Horstii consil. dysenter. c.* 3. Illustris *Boyleus* solebat Rhabarbarum cum grano vno laudani opiati exhibere, tum enemata ex lacte bubulo. *Burrhus* in epistola ad *Bartholinum* testatur in dysentericis nullum esse præsentius remedium aqua rosarum, in qua aurum aliquoties fuerit extinctum.

Vbi adstringendum, omnibus hìc palmam eripit famosus ille liquor stypticus, non ex vitriolo, quod falso quidam persuasum habent, sed ex terra Martiali aquâ magneticâ imprægnata paratus, prout optimè nouit Excellent. D. D. *VValdschmidius in Fundament. Medicinæ ad mentem Neotericorum delineatis.*

Cassellanorum puluis dysentericus stypticus est sequens:

℞. *Panis sambuc.*
radic. tormentill. ana ℥ ii.
bol. armen.
terræ sigill.
lapid. smaragd. ppt. ana ℥ ß.
N. M. ℥ ii.
C. C. sine Aq. ppt. ℥ iii.
M. F. pulus subtilis.

Mœbius hunc puluerem dysentericum suadet:

℞. *Pulu. lapid. hæmat.* ℥ i.
C. C. r. Antimon. vst.
croci Mart. tis ana ß ß.
magister. corallior. c. succ. citri. fact. ℥ i.
medull. lapid. ℥ i ß.
M. F. puluis. Dosis ℈ i.

Et si malignitas adsit, addit spolia serpentum. Nos spiritum terræ sigillatæ reliquis medicamentis addendum suademus.

Tinctura quoque Catechu, eiusque terra mortua conducet.

Externa topica torminibus dicata, & paregorica habent etiam suum vsum. Varia commendantur ab autoribus: selectiora, & probatiora hic afferemus.

Theriac. Andromachi ℥ ß. Vitr. Mar-

tis imponatur vmbilico, ex commendatione And. Kesleri. *Crollius*, & *Agricola* terram sigillatam admiscent. Nos & Theriacam cœlestem vel laudanum op. vmbilico indimus.

Aliqui sequens sumunt:

℞. *Panis tosti, &* ℥ to rosaceo
q. s. irrorat. &c.
venter foueatur.

Brunnerus in Consiliis Medicis laudat externè Cataplasma ex mica panis, & rad. tormentillæ in vino aut aceto ad pultis consistentiam coctis.

Mixtura quoque nostra balsamica ex succolada, &c. ventriculo imposita conducet, quia is sæpe per consensum compatitur.

Borellus magni facit pinguedinem anserinam plantis pedum applicandam. Valdè adstringit quoque Emplastrum de bolo, cui aliquid martiale inest, toti abdomini adplicandum.

Tormina sedabit omentum arietinum, vel vitulinum recens, & adhuc calens, abdomini impositum. Hic & prodest Principis *Ruperti* vnguentum ex linaria, & oleo Momordicæ paratum, quo np. spina dorsi inungenda. Sacculi ex herbis paregoricis, aliisque pro re nata abdomini imponantur.

Quod si tenesmus vrgeat, præter suffimentum de verbasco Mynsichti, puluis probatissimus VVedelii ex C. C. vsto, mastich. subtilissimè pulueriſat. &c. proderit, & vnguentum non satis laudandum ex butyro non salito cum alcohol lapid. sciſſilis, quo pars recti intestini illinatur, vnde statim acrimonia cum doloribus cessat. Intestinum quoque rectum foueatur lacte calido; & de cætero medicamentorum præstantissimum, PRECES frequentissimè adhibeantur.

CAPVT VI.

De Passione Iliaca.

AFfectus hic dicitur Iliacus, vel ἰλιακός, vel à parte affecta, intestino scil. ileo, vel à symptomate ἀπὸ τοῦ εἰλεῖν, vertendo seu voluendo, quia creditur in hoc morbo intestina obuolui. Dicitur quoque *Chordapsus*, quod Chordarum expansionem significat, à similitudine, quia si manus abdomini adplicetur, instar chordæ expansum videtur. Aliis *Volvulus* dicitur; aliis *Conuolvulus* à tortura intestini. Quibusdam vomitus stercoris audit. Alii malum intestini tenuioris vocant, Nonnullis audit Acutum tormentum, colicæ augmentum. Barbaram sectantes Medicinam, vel vulgus, ipsum nuncupat *Miserere mei*, ob insignem, & acutissimum dolorem, & quod commiseratione dignum sit malum, vt adeò non immeritò hoc afflicti morbo *Miserere mei* clamitent.

DESCRIPTIO.

Definitur verò hic affectus, quòd sit dolor acerbissimus tenuiorum intestinorum cum obstructione alui pertinacissima, fæcum verò per vomitum ejectione molestissima, non tantum ab angustatione intestinorum, sed & eorundem conuulsione, & ferè totali internecione nostri Regis, ortus. Vnde rectè refert *Brassauolus*, quod ad XXII. annos in sua praxi nondum viderit ileum absque vomitu.

DIVISIO.

Distinguitur vulgò Colicus dolor ab Iliaco, quod in Colica intestina crassa, in hoc verò tenuia afficiantur. Nos existimamus hunc morbum æquè in tenuibus ac crassis intestinis generari posse, quia in omnibus conuulsio ille fieri, & sic motus ille peristalticus inuerti potest. Partes enim illas natura nimis conuolutionibus atque anfractibus donauit, & motum quendam peculiarem intestinorum peristalticum inuenit, quò quod aliàs quiesceret, ope spi-

spirituum animalium in fibras has intestinorum *influentium* promouetur, &, quod inutile est, expellitur, qui motus fit mediantibus fibris (quas vnaquæque tunica abundantes possidet) quod in aperto viuo alicuius animantis abdomine oculis conspici potest, & sæpius hos motus cum delectatione obseruaui in cochleis, seu limacibus terrà repentibus. Intestina ergo *vndanti* quodam motu hirudinum, lumbricorum, aliorumque reptilium instar cieri videntur, imò viuis in ipsis animalibus à me dissectis sæpissimè vidi ea vndoso quodam motu sese contorquere, tanquam circumdato annulo strictiore chylum, & excrementa ad inferiora promouere. Similem quoque motum veteris scrotisque animalium, præsertim quoque ventriculo eorum, adscribit *Thomas Cornelius Consentinus progymn. 6. de vutricatione p. m. 234.* his verbis: Similem pariter motum deprehendere licet in veteris scrotisque animalium, sed nusquam magis quàm in ventriculo elucet hic motus, qui tametsi forinsecus aliquando sit obscurior, at nihilominus interiore parte non ratione tantùm concipitur, verùm ipsis quoque oculis conspicitur. Nam dissecto confestim animalis ventriculo percipitur crebra ac multiformis motio. Ratio est huius motus tremuli, quòd spiritus animales adhuc in fibris subsistant, & ad fugam iam sese conferant, vnde remanet adhuc motus hic tremulus, quem & obseruare licet in recens mactatorum boum vel aliorum animalium abscissis capitibus, vbi fibrillæ interiores colli adhuc ad motum cientur, quod & in homine decollato vidi. Quæ tanquam scitu necessaria præmittere voluimus, vt meliùs causa huius affectus appareret, de qua inferiùs ex professo agemus. Tres autem Iliaci species Practici agnoscunt. nimirum quod alius sit *stercoralis*, ortum habens à stercoribus, & cibi superfluitatibus, quæ per aluum excerni debent: alius *humoralis*, qui fit ab humore crasso, & viscido infixo, vel acri, & mordace erodente: alius *flatulentus*, qui oritur à flatibus conclusis, motu violento exitum quærentibus. Quæ omnia sequens casus aliquo modo declarabit.

§. 2. Dum Deciis Principissæ Nassouiæ, natæ Principi Aureliacensi, medicinam feci, occurrit in praxi mea in Virgine nobilissima N. P. dicta, quæ iam multis ab hinc mensibus obstructione alui, tenesmo, & hystericis insultibus vexata absque dubio ob mœrorem insuetum propter obitum sui sponsi in castris prope Traiectum ad Mosam trucidati, quæ inde tristis reddita aluum habuit adstrictam, ita vt nihil excernere potuerit, dolorem toto in abdomine, & in hypochondrijs grauatiuum, & tensiuum patiebatur, vt & anxietates insignes, plerumque cum abdominis distensione, adeo vt præ anxietate in lecto quiescere haud potuerit. Succedebant vomitus enormes, & Nausea, primò quidem assumptorum, hinc variorum in ventriculo aut intestinis contentorum, inprimis viscidi, & tenacis humoris, deinde verò chyli corrupti, & putridi, subsequentibus breui deliquijs animi, conuulsionibusq; feliciter tamen, Deo sit laus, infrà dicendis remediis opinione adstantium citiùs ægra restituta est.

PARS AFFECTA.

§. 3. Pars ergo affecta omnium autorum consensu statuitur intestinum Ileum, tenue illud, & inter intestina vt vltimum, sic omnium longissimum, viginti palmas æquans, in latitudine verò vni digito transuerso respondens, qua propter cæteris quoque angustius est, vnde citiùs, & promptiùs inflammari dicunt, & ratiocinantem sequuntur *Galenum l. 3. de facult. nat.* Si quis stercus vomat, inquit, clarissimum sit Tibi signum subtilia intestina esse affecta. Nos, ceu superiùs diximus, pro parte affecta agnoscimus intestina tam tenuia, quàm crassa, ratio, quia peristalticus, & conuulsiuus motus æquè competit intestinis crassis ac tenubus, ita tamen, vt hoc in affectu duodenum rarissimè, ieiunum rarius, ileon sæpissimè afficiatur;

crass-

crassa verò intestina rarò affici persuasi sumus, bis enim Iliacam passionem à coli inflammatione obseruaui, quod & vidit *VVillisius*. Mirum est, quod vidi in pago Hanouiensi, *Mittelbunchen* dicto, in fœmina, quæ per tres menses, & vltra vlcus passa est in intestino crasso, & cui ex abdomine in inguen exibant intestina, quæ exesa, & nigra conspiciebantur cum excrementis fœtidis sine vllo vomitu, aut alio incommodo, & adhuc miserè vitam agit, & in Chirurgi cuiusdā peritissimi, *VVedling* dicti, manibus versatur.

SIGNA.

§. 4. Signa, quæ Iliacam passionem declarant, hinc inde à Practicis afferuntur quàm plurima, quorum tamen potiora, & scitu necessaria hic afferre iubet. Tardà solent esse aluo, atque de eius adstrictione eos semper conqueri audimus, & ita quidem vt magno quamuis conatu expellendi, nihil tamen fœcum excludant; quod confirmat *Galenus* inquiens: In ileo nihil it deorsum; quod obstructio alui sit huius affectus proprium inseparabile iam nouit Hippocrates dicens. Cùm voluulus aliquem corripuerit, venter durus redditur, nihilque infra demittit. Ructus quoque adsunt immanes, murmura intestinorum, & circa ventriculum ab initio sentiunt dolorem, nauseam, cibi fastidium, atque cardialgiam, flatus totum abdomen perstrepentes illos angunt, & abdomen distendunt, raròque Illiacus inuenitur, qui flatibus liber est, teste experientiâ. Vbi malum intenditur, dolor fit peracutus, & intolerabilis, & ægri vel dolorem vno, vel pluribus in locis fixum, ac permanentem, eumque valde aut grauitiuum, aut tensiuum, aut vrentem, & pulsantem sentiunt. Adest quandoque tumor hic, vel alibi in abdomine notabilis, qui etiam tactu quasi percipi posse videtur, progrediente morbo accedunt enormes vomitus, & tales, qui non duntaxat cibum & potum, humores ratione causarum diuersissimos, sed & ipsum chylum, & non rarò ipsas fæces reiiciunt, breui post morte ex syncope præcedanea, sequente. Ab Iliacis reiectos fuisse clysteres testatur *Solenander Consil.* 16. f. 5. nec non suppositoria, qualem casum mirabilem refert *Sennertus Medic. Practic. l. 3. part. 3. f. 2. c.* 1. qui grauioribus symptomatibus adhuc aliud mali ominis *singultus*, superuenire solet. Ipsum & comitantur inquietudo, vigiliæ, anxietates præcordiorum, sitis, febris, animi deliquium, extremorum frigus, conuulsiones, & sæpissimè mors misera. Hæcque sufficiant de Diagnosi; plura in hunc censum qui cupit, adeat Practicos.

CAVSÆ.

§. 5. Ad felicem morborum curationem instituendam causarum euolutionem per quàm esse necessariam, nemo cordatiorum Medicorum ibit inficias. Quàm autem sæpissimè abstrusum sit in hoc causarum scrutinium, Practici sæpius toto pectore ingemiscentes, experiuntur, quare iuxta propositum nostrum scopum primò de huius morbi causa *Veteres* videamus, qui hunc affectum prouenire aiunt, vel ab apostemate, vel ab inflammatione, vel ab obstructione intestinorum, quàm vel à stercore acido, vel ab humore, vel à flatu oriri posse contendunt. Et contrahitur hoc vitium iuxta eos plerumque ex continua alimentorum corruptione, & cruditate, vt plurimum ex carnibus pinguibus corruptionem expertis, item ex abusu fungorum, conchyliorum, fabarum, pisorum, mespilorum, sorborum: aliorumque venenorum & corruptorum ciborum intempestiuo vsu. Ex nimia p. n. frigidæ aquæ potione, maximè si à sudantibus fiat. Ex vermibus etiam hunc morbum exoriri posse, haud dubitant. Itemque inter alias causas procatarcticas variarum rerum non naturalium abusum recensent.

§. 6. *Chymici Paracelsistæ*, Colicam, & Iliacam eundem morbum esse dicunt & consistere aiunt intra stomachum, & monoculū. Materiam verò ipse Paracelsus ex tartaro acuto dissoluto apud intestina

ex

ex pontico sale exortâ deducit, quæ materia contrahit per stipticitatem suam innatam ponticam intestina, eaque torquet ex ponticis sc. Zinziberatis; naturam enim styptica claudit monoculum, & intestina, stercoraque in acorem h.e. flatus, vertit, intestinaque lædit vagando.

§.7. *Helmontius* non existimat voluulum esse minoris intestini quandam contorsionem, & apogæum, quia repugnat anatomiæ, quæ monstrat, intestinum vestri mesenterio, amictu sc. externo, eoque mesenterio ad lumbos alligari. Etenim, ait, si præter gyros solitos intestinum contortum esset, quis esset ille motor? quisque tortor? Ileum ergò ab interno excremento tantùm obstipari autumat, hoc enim neque aliud illi accidere potest, & sic oppilatum dicit ileon intestinum (in quo aliàs non solent excrementa indurari (per stercus insolitum. Constanter ergo asserit Autor intestinum hoc *nunquam* esse contortum, & extra capsam mesenterij dissolutum: flatus tamen obstructionem hanc excitare posse fatetur, cùm post mortem iliacorum semper viderit intestinum ileum flatu tumidum. Recenset quoque Autor aliud exemplum l. de flatibus p. m. 261. de Thoma Balbani Antuerpiensi, qui Medicis octoginta mille libras Flandricas pro sanatione obtulit, & cùm hi incusauerint inuolutum intestinum, & velut nodo Gordiano intortum, pro incurabili habuerunt ægrum, qui & hoc morbo extinctus, in cuius cadauere exenterato nihil præter durum stercus in gracili intestino sexdecim digitis supra monoculum hæsitasse, multorumque solutorum saburram per ileon desuper natasse obseruauit.

§.8. *Willisius* hoc in affectu tristi ob inflammationem, aut sphacelum alicuius tum tenuis, tum crassi (vti ipse in colo obseruauit intestini fibras carnosas esse læsas, & contractiores existimat, quippe cùm plures ab illo defunctos aperuerit, semper intestini cuiusdam vel inflammationem, vel sphacelum ferè in omnibus, & morbi, & mortis causam fuisse notauerit, vnde versus ileum restagnantes fæces passionem ferè incurabilem inducunt Iliacam. Contractiones enim iuxta Autorem nostrum excitantur, quatenus spiritus animales tum è tendinosa mesenterij fimbria in fibras carneas annulares, tum è tunicæ extimæ fibris tendinosis in carneas longitudinales prosiliunt, quas vtrasque adeo inflant, & tumefaciunt, vt necessariò breuiores, & contractiores reddantur. In membrana enim tenera, & maximè sensili spiritus animales magnam continui solutionem, spasmos, & corrugationes dolorificas continuas, & atroces ciere possunt, vt & inde intestini affecti motus peristalticus, quo fæces alui versus anum prouehuntur, inhibeatur, & prorsus inuertatur.

§.9. *Syluium* hoc in morbo motum intestini tenuis inuerti cum insequente aluinarum fæcum vomitu intrepidè statuit, cùm pro causa huius affectus in demortuorũ sectione obseruauerit, intestini ilei gangrænam, ipsamque comitantem intestini corrugationem, & coarctationem tantam, vt fæcibus transitus deorsum omnis denegaretur, quin eadem ad regressum sursum, adeoque per vomitum egressum miserandum cogerentur. Alteram putat causam intestini sc. ingressum in partis proxima inferioris in superiorem superioris in inferiorem, & quidem mediantibus flatibus intestina illuc pallentibus; quod verò intestina nodo quasi complicentur, & intricentur, vti nonnulli Practicorum volunt, ipse negat adiectis ratiunculis nonnullis.

§.10. Ita & *Cartesiani* negant conuolutionem intestinorum, & existimant, vnum intestinum non posse ingredi in aliud, cum sint alligata mesenterio, & potiùs Iliacam hanc passionem ab humoribus acribus intra membranas intestinorum hærentibus oriri statuunt, vndè sæpè inuertitur intestinorum expulsorius motus, propterea quia spiritus animales à certa quadam irritatione excitari ex cerebro fluant in fibras intestinorum ad-

scen-

scendentes, quo influxu inuerso contenta tantùm versus superiora propelluntur. Huiusmodi irritationem hoc in affectu contingere statuunt vel ab intestinorum inflammatione, vel ab eorum a duris fæcibus obstructione, vel ab eorum in enterocele compressione.

§.11. *Nos* hìc non solum angustationem intestinorum adesse statuimus, sed & eorum conuulsionem, quapropter meritò dubitamus, an hic affectus duntaxat è fœcibus aluinis induratis sine acredine ortum habere possit? quia intestinum mirè extendi potest. Quapropter causam obstructionis alui, vomitus esculentorum, & quandoque per aluum excernendorum, doloriſque immanitatis, tanquam symptomatum Iliacæ passionis, censemus esse vt plurimum inflammationem intestini ilei, Gasteronaci, & spiritibus animalibus negotium facessentem. Gasteronax enim, cum videt hostem varijs hastis, bipennibus, alijsque armis incedentem, tunc statim in suppetias accersit Microcosmetorem, qui milites suos, h. e. spiritus animales eò mittit ad hostem debellandum; cùm verò spiritus animales huic negotio impares sint, motum conuulsiuum inducunt, ob hunc orgasmum, vel furorem spirituum animalium non tantum in tenellas illas fibras orbiculares, quas coarctant, & peristalticum motum inuertunt, sed & dolorem hunc immaniſſimum rimas faciendo in tenellas excitant. Angustatio quoque ab humoribus intra tunicas hærentibus, per quas angustias, cum fæces, præsertim quando induratæ sunt, transire non possunt, & aliquando causa huius affectus existere potest. Intestina enim sic affecta à spiritibus animalibus insolito modo comprimuntur, & ab humoribus intra membranas intestinorum impactis, atque acrioribus factis vellicantur, & conuelluntur, quare in quibusdam coli tunica interior adeò tenera, & sensilis est, vt à clystere, licet anodyno, iniecto spiritus statim excandescentes, ac intra fibras nerueas exploſi membranas inflent, ac distendant, adeoque in toto abdomine maximas molestias excitent. Ergo non mirum est, cùm *per inferiora* partim ob conuulsionem, partim ob stercus durum intestina nimis angusta facta nihil excerni possit, & tantum per superiora, assumpta, & sæpè fœces eliminantur, quæ fœces non ex crassis intestinis (quia valuulæ adscensum fœcum impediunt) sed ex intestinis tenuibus solent adscendere.

Si ergo affectus hic oboriatur ab inflammatione, tunc febris adest acuta; sin verò à flatibus, vel alia obturatione, tunc nulla comitatur eum febris: à flatibus non sunt dolores ita fixi sed facilè dissipantur. Succum etiam in glandulis istis intestinorum aliquando à sua natura ita degenerare credimus, vt in austerum, & ponticum degeneret, vnde intestina constringuntur arctissimè, ex qua constrictione hunc affectum sæpiùs oriri posse nulli dubitamus. Quam nostram opinionem confirmauit exenteratio personatum hoc morbo extinctarum, in quarum cadaueribus nihil potui inuenire præter aliqualem intestini huius coarctationem; & cum vreteres, & collum vesicæ à solo austero sale ita potest constringi, quidni & intestina? Causæ verò antecedentes sunt; quæcunque hos affectus producere possunt, inprimis multum hìc facit Colica flatulenta, vermes, conglobatæ pituitæ inhærentes, constipatio intestinorum à carunculis intus adnatis, vel à pressione intestinorum in hernijs, vel inguinali, vmbiliacali, vel scrotali subsequente inflammatione. Causa denique procatarctica variarum rerum non naturalium abusus est, de quo in cura diætetica dicemus.

PROGNOSIS.

§.12. Ad *Prognosin* quod attinet, hoc malum horrendum omninò est, & periculosum, & plerumque incurabile. Huc spectant sequentes aphorismi *Hippocratis* *ſ.3. aph. 2. item ſ. 6. aph.44. Quibus à ſtranguria oritur ileos, intrà 7. dies moriuntur, niſi accedente febre copioſior efluxerit vrina.* Idem *Hippocrates* 7 *aph.* 10.

10. inquit: *Ab ileo vomitus aut singultus aut convulsio, aut disipientia, malum.* Si obsurdescunt Ilioſi in vomitu iuxta *Coac.* 72. & muti fiant, in iis penè emortui caloris signum est. In Ileo ventositas, per crepitum inferiùs exiens, si multum fœtet, iuxta *Foreſtum obſerv.* 17. malum est. Si aluus ità constringatur, vt ne specilli quidem extremum admittat, exitiosum est, vomitu enim consequente excrementa reiici necesse est. Hinc haud immeritò *Arculanus* Ileosorum mortem crudelem, & obscœnam appellat. Vomere chylum biliosa, mali odoris, varia, nigra, iuxta *aphorismum* 24. ſ. 4. pessimum est. Stercora reiicere exitiale esse signum *Galenus* fatetur. Si fœtor, aut vermes ex ore exeant, exitiosum est. Si iliacis frigidus oboriatur sudor, mors in olla est, fatente *Sebizio*. Ab inflammatione, qui oritur Ileus desperatus dicitur.

Quiuis dolor acutissimus senibus superueniens ex decreto *Archigenis* apud *Aetium* mortem inferre solet. Lethaliter terminari hunc morbum, si febris aut alui solutio superuenit, ait *Cotus l. 3. de morb.* quod & confirmat *Rolfinckius* qui Nobilem quendam L. annorum, cui ex stypticitate alui tandem fluxus eiusdem superuenit, obiisse obseruauit. Quando est à sola fœcum, & flatuum obstructione, salutis spes maior assulget, vrinę profluuio soluitur, & iudicatur iuxta *Hippocratem 6. aph.* 44. Sequitur nunc cura, & quidem ordine diætetica.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Victus ratio consistit in moderamine sex rerum non naturalium, quæ pro ratione causæ morbi, à qua oritur, varianda est. Si ergò oriantur ab inflammatione, aer eligatur frigidus, versus septentrionem æger dormiat, si naturà non haberi potest, arte parandus est, pauimentum sc. conspergatur flor. ros. papau nymphææ. Si oriatur malum hoc obstructione fœcum induratarum, aer eligatur humidus, & vitetur siccus, & calidus nimium.

Quoàd cibum, & potum, æger sit valdè continens, nam vt alii intestinorum affectus victum admittunt tenuem, ità in hoc maximè conducibilem æstimamus: præcipuus enim curationis cardo in abstinentia vertitur. In inflammatione victus sit refrigerans, in fæcibus induratis, emolliens. Vitentur summoperè frigida, cruda, flatulenta, salsa, pinguia, quę inflammationem augere possunt. Conueniunt cremor hordei, iuscula caponum, gallinarum, &c. Pro potu ordinario commendamus aquam hordei, vel decoctum stercoris scalarum, vel stercoris equini, si sc. affectus sit absque inflammatione, sed ab induratis stercoribus quia stercora pellunt. Delicatulis verò possunt, & parari varii iulepi, emulsiones, &c.

Somnus, & Vigiliæ hic moderandę sunt pro causę varietate. In inflammatione intestinorum potiùs somnus, in obstructione verò vigiliæ modicæ imperandæ sunt.

Motus quoque, & quies variant. In Inflammatione, & Hernia quies potius in obstructione fortiori motus magis conducit.

Animi pathemata mediocritatem seruent, animus sit, quantum præ doloribus fieri potest, erectus. Vitetur è contrà ira, & mœstitia.

Excernenda, & retinenda' ordine naturæ se habeant, fæces alui omni opera promouendæ sunt. Vt aluus laxa seruetur, hæmorrhoides, vrina, & menses, liberè quoque fluant necesse est: Hactenus cura diætetica nunc pharmaceutica.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 14. *Veteres* Practici iuxta causarum varietatem curationem ipsam variarunt. Si malum à fæcibus induratis, vel à crassa, viscidaque pituita, ortum habeat, emollientia varia, & relaxantia interna, & externa præscripsere, vt clysteres emollientes; externè varia linimenta, vnguenta, fomentaque in eundem finem adhibere, omentum sc. castrati animalis in aqua seruente calefactum ven-

ventri applicarunt, nec neglexerunt balnea ex emollientibus, etiam ex solo oleo oliuarum. Internè quoque præbuere ol. amygdal. dulcium solum, vel cum iusculo, vel vino albo permixtum. Hisce nihil proficientibus ad purgantia medicamina, & quidem ad fortissima transierunt. Si affectum ab inflammatione esse suspicati sunt, V. S. suasere, vel earûloco cucurbitulas applicarunt, clysteres emollientes, & refrigerantes simul admittentes. Balneum aquæ dulcis ex ipsorum grege plures magni æstimant. Doloribus quoque maximè vrgentibus opiata admiserunt: Si ab hernia affectus hic fuerit productus, totam curam eò dirigendam voluere, vt intestina ope manus prudentis Chirurgi iterum reponerentur, antea tamen illa fouenda decocto quodam emolliente, vel cataplasmate ex herbis, & floribus emollientibus, præmissis tamen semper clysteribus emollientibus, & anodynis, oleosis, & lubricantibus. Formulas ex Practicorum libris quilibet haurire potest, modò is ex illorum scriptis sapere velit: cùm ferè iuxta illos rei cardo in eo vertitur, vt obstructiones tollantur. Sequens laudant decoctum purgans.

℞. *Herb. puleg.*
meliss. ana m. ß.
rad. pæon.
lenistic.
fœnic. ana ℥ ß.
fol. senn. ſt. ℥ ij.
mecchoacan. ℥ iij.
sem. anis.
siler. mont. ana ℥ j.
Coq. in brod. Carn.
ad remanent. ℔ b.
colat. adde.
sirup. de 2bus ℥ ß.
rad. ad grat.
S. pro aliquot vicib.

§. 15. *Chymici Paracelsistæ*, inprimis eorum antesignanus *Paracelsus c. 6. tr. 1. l. 2. de Tartaro*, clysterum vsum hoc in affectu reijcit, & vocat medicamentum vilissimum, absurdissimum, ac turpissimum, cùm causa huius affectus sæpissimè sit vnica pungentis tartari guttula, hærentis in ea intestinorum parte, ad quam clysteres haud pertingunt, quamuis ipse non neget dolores aliquando ab iis leniri posse & quidem ob vnctuositatem. Purgantibus quoque interdicit, & curam tantùm dirigendam esse præcipit ad stypticum, & ponticum illud, quod dolorem, & contractionem efficit, tartarum nempe resolutum corrigendum. In quem finem olea, & pinguedines suadet, quæ stypticum illud, non secus ac ipsa venena corrosiua, obtundunt. Oleum lauri in clysteribus magni facit, potentissimum tamen remedium dicit esse pinguedinem taxi, vulpis, simiæ, cati, & canis rubri. Extrinsecus ebuccinat Galbanetum, & serpentinam. Interius quoque more solito liquores auri, & mumiæ, in quibus contracturæ vim, & curam miraculosè existere asseuerat. Ipsius pulli & sequaces spiritum salis, & nitri in Iliaca commendant summoperè, spiritum terebinthinæ deprædicant mirè, aliaque plurima, de quibus consuli possunt Chemici ipsi.

§. 16. *Helmontius* globulos aliquot plumbeos musquetarum (quò plures, & maiores sunt, eò melius & tutius) cum potu deglutiendos commendat, qui solo sui pondere stercus induratum propellunt ægroto verò stante, vel ambulante deglutiri debent. Alia quoque hinc indè in scriptis suis notata, & in colica inferiùs dicenda suadet.

§. 17. *Willisius* ad acrimoniam humorum intestinorum inflammationem excitantem, indeque spiritus animales efferos reddentem, corrigendam, præ aliis commendat illud Riuerii.

℞ *absinth.* ♃ j. *detur in*
cochlear. j.
succ. limon.
Vel ℞. *corall. ppt.* ℥ ij.
☉*is absinth.* ℥ j. ß.
succi limon. ʒ iiij.

Stent in vitro capaci, add. ♈ cinnamomi ℥ ii Dosis sit cochleare i. & alterum bis vel ter in die.

Quia

Quia vero Autor hic nullibi ex professo de hoc agit morbo, & nos nunc nolumus esse prolixiores, sed ad alium pergimus.

§. 18. *Syluius* hoc in affectu summis effert laudibus iuscula pinguia, tam per os assumenda, quàm ano applicanda, & iniicienda, quò acrimonia quæuis humorum demulceatur, atque intestinorum irritatio sedetur, in quem finem sequens præscribit enema:

℞. *Rad. altheæ* ℥ i.
fol. eius d.
malue,
verbasc. ana m. ii.
Semin. lini,
fœni græci ana ℥ i ß.

Decoq. ex aqua pura, Colaturæ ℥ viii. add.

ol. lilior. alb. ℥ i.
butyr. recent. ℥ ß.

M. F. Enema.

Ex iisdem speciebus parata fomenta podici, & ventri applicata ipse suadet.

Ad eandem irritationem sedandam, humoresque acres temperandos laudat anodyna, & narcotica, Ex. g.

℞. *Hordei mundat, ad crepat.*
cott. ℥ i ß.
amygdal. dulcium,
semin. papau. alb. ana ℥ iii.
c. aq. decoct. hordei ad ℥ xv.
F. *Emulsio add.*
sirup. diacod. ℥ ß.
▽ *fœnicul. vnc.* ii.
M.

Sequentis mixturæ quoque assumat patiens per interualla breuia, cochlearia quædam:

℞. Aq. *plantagin.* ℥ ii.
fœnicul. vnc. i.
confect. de hyacinth.
alkerm. ana ℥ ß.
laudan. opiat. gr. iii.
sirup. papau. alb. vnc. i.
M.

Quod si iam gangræna accesserit, & intestini pars superior intrusa sit in partem inferiorem, tunc pro incurabili malum reputat Autor; quando vero in superiorem immissa sit pars intestini inferior, tunc per globulos aureos, plumbeosque cum oleo amygdalarum dulcium, vel oliuarum deglutitos, aut Mercurium crudum ad vnc. i. vel vnc. ii. assumtum curari posse aliquando haud dubitat. Nec ipse neglecta vult varia externa tum linimenta, tum cataplasmata, aliaque anodyna.

§. 19. *Cartesii sequaces*, si angustatio producatur ab inflammatione, tunc venæ sectionem instituunt; deinde clysteres ex lenientibus, & demulcentibus iniiciunt, vt ita humores acres temperent, & vias lubricent. In eundem finem, & purgantia lenientia præscribunt. Mercurium quoque crudum cum vitello oui permixtum ne intestinis adhæreat, suadent; ad dolores sedandos, & narcotica admittunt, illa enim acrimoniam humorum corrigunt, & conuulsiones sedant intestinorum. Varia quoque externa emollientia commendant.

§. 20. *Nostra curandi ratio* consistit non tantùm in contrario isto ventriculi, & intestinorum motu inuerso restituendo, sed & vt intestina liberentur ab austero, & quidem iam producto morboso, nimis constringente, & Gasteronaci negotium facessente, imò conuulsiones excitante; quo sublato spiritus animales ordinatè influunt, & motum intestinorum naturæ couenientem peragunt; re itaque vndique perpensa abunde liquet, dolorem immanissimum, qui hàc passione iliacà laborantes penè exanimat, tum etiam tantæ materiæ per vomitum reiectionem, à spiritibus nimio impetu in intestina, inprimis Ileon, & mesenterium incursantibus, atque eadem spasmo contrahentibus omnino excitari, atque eo magis quia reliqua symptomata, hunc morbum concomitantia, facilè ab hàc inordinatà spirituum agitatione explicari queunt; Verbi causa frigore algent partes externæ hoc in affectu, vnde luce clarius est, illud ex eo accidere, quòd spiritus suam in illis stationem deferentes, se nimio opere in hanc

illam-

illamue partem inferant. Satis itaque iam constat opinor, omnem hunc morbum ad spiritus animales non ritè dispositos referri debere, vnde in curatione semper eò respiciendum autumo, vt spiritus ante omnia in pristinum redigantur ordinem, & abundè mihi constat, præcipuam hoc in affectu indicationem curatiuam eam esse, quæ sanguinis (qui spirituum origo est) confortationem indigitat, quo facto spiritus inuigorati eum seruare possunt tenorem, qui & totius corporis, & singularum partium œconomiæ competit. Non negamus tamen hanc spirituum ἀταξίαν, mora longiore humores corrumpere posse, quare & in curatione eò respiciendum, vt austerum, aliique corrupti humores vel corrigantur, vel edomentur. In quem finem Clysteres emollientes sine sale, sed adiecta solà essentià castorei felicissimè in hoc morbo adhibuimus. Vel paretur Clyster ex lact. ℔ i. adiecto saccharo, & albumine oui, aut mucilagin. semin. psyllij. Si verò multum stercoris remanserit in intestinis, iis adiici possunt, vel pulu. colocynth. ad ʒ ii. vel trochisc. alhandal ʒ i. in petia ligat. vt & oleum anethinum, & parum butyri recentis, vel aliqua portione stercoris. Parari etiam potest Clyster ex solo oleo oliuarum, vel amygdalarum dulcium. Si verò per vomitum reiecta sit biliosa materia, tunc potius ab oleosis abstinendum est.

Nonnulli intestina per aluum folle inflant, vt eò faciliùs fæces descendant, quod tamen meo iudicio plus nocet, quàm prodest. Si enim fæces induratæ sint, quomodo contra aerem folle inflatum descēdent non video, sed cùm flatus remittitur, intestina se arctiùs constringunt, ob maiorem influxum spirituum animalium: præterea si inflammatio adsit, poros frigore aeris constringendo affectus potiùs augetur, quàm diminuitur: quare quidam sunt, qui aerem prope ignem attrahunt, vt calidus maneat; sed licèt in folle calidus sit aer, tamen cùm efflatur, frigidus iterum redditur, quia versus vnam tantùm partem mouetur. Post Clysteres solemus saponem venetum ad ʒ iii. vsque vnc. i ℈. in sero lactis exhibere, quo remedio nonnullos ab hoc tristi malo liberauimus.

Castorina cum anodynis mixta hoc in affectu mira præstant, quia spiritus animales iterum in ordinem pristinum restituūt. Spiritibus in ordinem redactis, & correcto austero ad laxantia nos conferre possumus. Ad aluum obstructam lubricandam commendamus mannam cum oleo amygdalarum dulci sine igne expresso, in iusculo gallinarum, solisque emollientibus seu sero caprino, &c. Cassia quoque conducit, & quidem sequens haustus:

℞. *Cass. rec. extr. vnc. ß.*
el. diaphœnic.
diacathol. ana ʒ ii.
Aq. *decoct. hordei q. s.*
M. F. Haustus.

Vel decoct. laxans ex foliis senn. mechoacann. additis herbis paregoricis, & carminatiuis, & cautissimè hoc in casu carminatiua exhibenda sunt, quia spiritus in maiores ἀταξίας redigunt, & hinc inde quandoque tanicas intestinorum distendendo dilacerant, luctuosa sanè catastrophe. Si malum sit ab induratis fæcibus circa cœcum, & principium coli transitum impedientibus, & in flatus resolutis, similibus emollientibus clysteribus aluum prorita:

℞. *Decoct. absinth. parietar. malu, radic. althææ cum nucleis perfic. ol. lin. succ. stercor. equin. &c.*

Dein ad validiora transeundum est. In quem finem sequens vinum medicatum in virgine nostra, cuius in casu mentionem feci, compertum reperi, cùm enim illa de hoc vino bis biberit, fæces excreuit induratas cum sinceriſſima pituita, præmissis tamen præmittendis.

℞. *herb. absinth.*
card. bened.
melis.
scolopendr.
calamenth.
rucæ murar. ana m. ß.

rad.

rad. zedoar.
eryngii,
pimpinell. ana ℥ iii.
angelic. ℥ ii.
rhabarb. opt. ℥ iii.
sem. anis.
fœnic.
carui ana ℥ ii.
fol. sen. s. ft. ℥ i ß.
cortic. aurant.
tamariſc.
fraxin. ana ℥ iii.
tartar. crud. albiß. ℥ ß.

Dentur inciſa ad nodulum pro menſura vini, cuius aſſumat æger tres vncias.

Et cùm ſæpiùs, ceu antea diximus, inteſtina in hoc morbo defunctis planè vacua reperierimus, indè manifeſtum eſt, ſæpè ſpiritus animales tantùm peccare. In hunc finem, & mirè conducunt opiata, quare ſequentem puluerem commendamus.

℞. *Cinnabar. natiu. vel Antim.* ℈ ß.
tartar. chalyb. ℈ i.
theriac. cœleſt. gr. ii.
vel laudani opiat. gr. i.
M. F. puluis ſubtiliſſimus, qui aliquoties repetendus eſt.
℞. ℥ N. *M. expreß. gr.* viii.
Salis abſinth. ℈ i.
Croci gr. vi.
Laudan. opiat. gr. i.
M.

Conducit & ſal volatile oleoſum Sylvii; vel ſpir. ſal. armon. volatilis ſæpius ad guttulas xv. iniiciendus; & omnia antiſpaſmodica. *Horſtius* ſolo elyxire proprietatis Paracelſi ſe curaſſe Iliacos teſtatur. *Villiſii* potiuncula ex ſale abſinthii c. cochleari ſucci limonum conducet, ſæpiùs tamen aſſumpta.

Nonnulli Medici in alui nimia obſtructione temerario auſu ad globulos plumbeos, vel ex regulo Antimonii, vel ex ipſo Mercurio c. Sulphure tincta, & cerato paratos confugiunt, neſcientes, quòd rarò, vel, noſtro iudicio, nunquam pars inteſtini inferior in ſuperiorem intrudatur: proinde cautius hiſce mercandum eſt, aliàs certò certius ægrotum iugulabis. Æger bibat potius decoctum ſtercoris anſerini verni, ſeu infuſionem ſtercoris bubuli, vel equini, quod magis neruinum eſt, ſtercora enim auſteriora mouent.

Perinde & ſimul vſurpanda ſunt Externa varia. Conducit tale vel ſimile fomentum ventri adhibendum.

℞. *fol. malu*
althææ,
violar. ana m. i ß.
linariæ,
flor. chamomill.
melilot.
verbaſc. ana m. ß.
Sem. lini,
aniſi,
aneth ana ℥ iii.
Decoq. in lact. vel Aq. comm. q. ſ.
F. *Fomentum.*

Alii pro fotu vtuntur ſpiritu vini, ſi fit ab humoribus, aut, vt aiunt, à flatibus.

Noſtro calculo conducit axungia taxi, quà totum abdomen, inprimis circa vmbilicum illinendum eſt.

Conueniunt, & foris filamenta lini, aut cannabis cocta; item decoctum chamomillæ, cicut. Sambuc. hyoſciam. aneth. naſturt. calidè ventri apponendum.

Ol. palmæ, hoſcyam. lumbricorum, aneth. Scorpion. vnguentum clyſmaticum, imò omnia paregorica, & neruina hic conducunt, nonnunquam anodynis permixta.

℞. *Balſam. ſpaſmat. Mynſ.* ℥ ß.
ol. laurin. ℥ ii.
vng. dialth. ℈ ß.
axung. tax. ℥ iii.
Tinctur. caſtor. ℥ i.
M. F. Vnguentum.

Catulus viuens, & abdomini imponendus eſt.

Quòd ſi malum ortum ſit ab hernia, morbus hic externis variis curari debet. In quem finem fotus emolliens, balnea deſcribi debent, vt inteſtinorum fibræ relaxentur. Omni ſtudio, omni opera ergo annitendũ eſt, vt inteſtinum elapſum reponatur. Cũ Svvalbachii acidulas ſanitatis

recuperandæ ergo biberem, inter alios, & satellitem curandum habui, qui dum ei idem malum accessit, & quidem ex hernia, solo, & quidem sequenti fotu sæpius applicato feliciter restitutus fuit:

℞. *fol. malu.*
linar.
fl. chamomill.
verbasc.
aneth.
semin. lin. ana m. i.
cumin. ʒ ii.
Coq. in lacte bubulo, & fiat fotus.

Vel fiat instar cataplasmatis, & sic tumori applicandum.

Confer etiam ea, quæ habemus inferiùs de Herniis.

CAPVT VII.

DE COLICA.

§. 1. INter intricatos, qui corpus nostrum miserè torquere, ac cruciare solent, affectus, haud infimæ sortis habetur dira illa Morbonæ soboles, Colica, quæ nonnunquam instar pali infixi, fixâ sed tristissimâ miseros vexat sensatione; non rarò erronum instar ægros excrueiat torturis; nonnunquam patrio relicto soco exteras hostiliter inuadit partes, & sæpè ad mortem eas eneruat, indè rectè deriuatur à κολάζειν, i. e. torquendo. *Celsus* affectum intestini plenioris vertit. *Capiuaccius*, & alii dolorem intestinorum dicunt. Dolor colicus, communiter Colica.

DESCRIPTIO.

Describitur Colica vulgò, quòd sit molesta, & tristis sensatio, à continui, vel coli tunicarum, vel partium ei confinium, & vicinarum solutione dependens. Continuum soluens potest esse vel humor acris, vel acidus, vel salinus, vel flatus, vel excrementa tenacia, vel indurata; possunt quoque esse ipsi spiritus animales, vel in cerebro, vel in ipsis mesenterii anfractibus in ἀταξίαν conuersi.

DIVISIO.

Putamus ergo esse Colicam humoralem, & spasmodicam. Humoralem vocamus Colicam, quæ ab humoribus quibusuis originem habet, & inde spasmodicè conuelluntur vel intestini, vel mesenterii fibrillæ. Alteram spasmodicam dicimus, quæ non oritur ab humoribus, sed cùm diathesis hæc spasmodica in ipsis spiritibus tumultuosè exorbitantibus consistat; colicam enim sæpè haud aliunde nasci autumo, quàm à vehementi spirituum densè conglomeratorum in dictas partes membranosas impulsu, vnde & spasmus, & dolor, de quo tamen plura, cùm de causa agemus, dicturi sumus. Sano sensu concedere possumus distinctionem in pituitosam, seu flatulentam, seu frigidam, & biliosam, seu calidam.

Differt quoque Colica ab Iliaca passione ratione doloris, qui in Ileo vehementior, & cum excrementorum vomitu est: à Nephritide verò differt, quòd sæpè arenosa appareant in vrina, & nunquam adest dolor in inguine, & circa pubem, & dolor lumborum est aliquo modo atrocior, & fixior.

PARS AFFECTA.

§. 2. Omnium ferè veterum Practicorum suffragio dicitur subiectum huius affectus intestinum illud laxius, quod dicitur Colon, eò quòd longum, & anfractuosum sit, & quia ibi ob valuulas, numerosas humor acris hærere potest. Hinc & *Celsus* dicit Colicam intestini maioris affectum, & *Alexander* intestinum crassum, & densum, vnde facilius secundùm tunicarum substantiam affici posse aiunt. *Vvilisius* pro parte affecta agnoscit *mesenterium*, in quo nerui plurimi, & magni, eorumque plexus, & distributiones valde insignes habentur. Cùm igitur pars hæc valde sensilis, & humorum neruosi generis affluxionibus plurimum obnoxia fuerit, morbi colici sedem statuit.

Nos mineram huius mali sæpe, & intra

inte-

inteſtinorum cauitatem, & inter earum membranas contineri putamus, in quibus cum particulæ recipiuntur in poris, per quos tranſire non poſſunt, concutiuntur, reciprocantur, & quaſi ferrantur in illis poris, ſic vellicando fibrillas neruorum, eaſdemque lædendo, & rumpendo dolorem non exiguum producunt Quod ſi Chylus quoque ſiue ex Ventriculi vitio, ſiue bilis diuerſitate, aut ſucci pancreatici aut aliùs vitioſo charactere aceſcat, facilè fibras inteſtinorum pungendo, & vellicando dolores atrociſsimos producere valet, præſertim in iis, qui hæreditario iure ad hoc malum ſunt diſpoſiti, quam diſpoſitionem in hoc conſiſtere exiſtimamus, quòd à nimia infantia fibras inteſtinorum valde teneras, & tremulas nacti ſint, quæ etiam à leuiſſimo motu, & obiecto inconuenienti cum doloris ſenſu affici poſſunt.

Quod ſi mucus ille qui interiorem inteſtinorum, & aliquando ventriculi cruſtam obducit, quem aliquando arteriolis exſudare exiſtimamus, ob humorum maximè verò ſanguinis dyſcraſiam, vt plurimum verò mucus ille oritur ex reliquiis chyli malè digeſti, & fermentati, quæ reliquiæ vnà cum bile, & ſucco pancreatico, vel innoxiis adhuc, vel etiam corruptis vitioſè efferueſcunt, vnde ſæpè dolores illi colici ortum ſuum habent, in ieiunis etiam, & quorum inteſtina ob lõgiorem inediam ſunt exinanita, quia ex maſſa ſanguinea in hoc caſu inteſtina deponitur materia peccans. Non dubitamus quoque ſæpiſſimè, & cauſam morbi latere in annexo meſenterio, eiuſque neruoſis plexibus, peritonæo, omento, aliiſque abdominis membranis, tunicisque. Omentum enim habet partes multas fibroſas, neruoſas & membranaceas, indeque maximè doloribus ſubiectas. Quàm noſtram probamus opinionem per ſequentia. In hernia enim omentali, ob compreſſionem, & nonnunquam eius inflammationem dolores colicos os humeroſque ſimilimos obſeruaui, quod & mihi perſuadet obſeruatio *Galeni* in milite, cui abſciſſum erat hoc omentum, qui ſemper paſſus eſt dolores colicos, curaturque à Galeno noſtro laneum integumentum imponendo, quo calore externo ſpiritus animales non amplius ſpaſmodicè illud conuellebant. Haud diſſimile exemplum obſeruauimus in ſupra dicta fœmina prope Hanouiam in pago, *Mittelbuchen* dicto, quæ quia per vulnus abdominis pendebat omentum aliquo modo inflammatum, mirum dictu, quantos ſit paſſa dolores ventris atrociſſimos, & colicis ſimiles, abſque tamen vomitu.

DIAGNOSIS.

§. 3. Colicam in genere deſignant dolor, & cruciatus circa inteſtinorum regionem vehementiſſimus, quandoque fixus, & vno in loco ſtabilis, terebro perforanti, aut palo infixo haud abſimilis; quandoque vagus & inſtabilis, modò hàc in parte validius vrgens, modò in illa, pro vario ſpirituum forti influxu modò in hunc, vel illum locum, & pro vario materiæ peccantis locum occupantis ſitu. Adeſt etiam parca vrinæ excretio, inteſtina enim à flatibus diſtenta maius requirunt ſpatium, vnde vicina vaſa vreteres, & omentum comprimuntur, vt minus potulenta ad renes deferri poſſint. Adeſt abdominis inſignis vellicatio, & eiuſdem muſculorum, viſcerumque omnium retractio ſpaſmodica, vt planè nullum videas abdomen. Comitatur ſimul dolor valde acutus, cui aliquando vomitio accedit, quia dum ſpiritus fluunt in fibras ventriculi; fluunt tunc quoque in fibras circulares pylori, eumque claudendo fit, vt, dum interim conſtringitur ſtomachus, & contenta per pylorũ iam clauſum exire haud valent, ea per ſuperiora euacuari neceſſe ſit. Duodenum & veſiculam fellis hoc in affectu ſæpe pariter conuelli, ex copioſæ bilis flauæ, & viridis reiectione patet; quandoque veſica & vreteres ceu diximus contrahuntur, & criſpantur, vnde totalis vrinæ obſtructio oboritur. Conuelluntur & ſæpiſſimè inteſtina, vt ad-

sit perpetua alui constrictio, vel, si quid aut naturæ aut artis ope eijcitur, maxima ex parte flatulentum sit, quod obseruaui in *Colica Cassellana*, huic loco quasi endemia, quamque vulgus *die Etsin Golicke* nominat, hanc enim semper comitatur dolor atrocissimus lumbaris, sed Colicam esse merè spasmodicam constat, vt plurimum ab vsu spirituosorum, & cereuisię malè coctæ, aquæque calciferæ ortam. Adsunt sitis, nausea, vigiliæ, linguæ siccitas, & ariditas, febris, vrinæ ardor, oris amaritudo, abdominis quandoque instar tympani distensio, quandoque contractio, animi deliquia, sudores frigidi. Sic & in quodam sexagenario obseruaui satyriasin, tandem accedunt conuulsiones, aliaque signa mortis, vel præcedente paralysi in paresin terminatur. In Colica diuturna semper mineram latuisse in mesenterio vel omento suspicatus sum; si verò malum à medicamentis tum laxantibus, tum emollientibus statim cessauerit, persuasum habui, materiam peccantem hæsisse in intestinis crassis. Deinde cum dolor non sit adeò profundus sed vagabundus & laceratiuus, indubitatum neruosi generis affectionis testimonium exhibet.

CAVSA.

§. 4. *Antiquiores Practici* agnoscunt pro causa immediata, & proxima solutionem continui intestini coli à materia acri, crassa, fæculenta, vel mordente ortam. Vnde causa propinqua continuum soluens ex veterum sensu, vel est crassus, pituitosus, & vitreus humor intra tunicas intestini coli receptus, vel est flatus intestina distendens, diuellens, & lacerans; quò & referunt omnes bilioſos humores, mordaces, sæpè inflammationes intestinorum parientes; item fæcem melancholicam, grummum sanguinis, vermes, lapides, stercora indurata, eundem affectum producere valentes; item acrem saniem, & vulnus in intestinis, item venena, aliaque purgantia fortiora.

§. 4. *Paracelsus* negat Colicam ab humoribus oriri posse, sed potiùs causam statuit *spiritus salium resolutos*, in quibus per saporum extremitates vel austeritas, vel aciditas, vel acrimonia, vel salsedo inest, quæ facili Marte possunt partes sensiles membranaceas vellicare, & corrugare. Illi verò salis spiritui suum adhærere dicit corpus, quod in illo loco coagulatur. Statuit ergo causam huius doloris atrocissimi esse sal, seu potiùs Tartarum Chymicorum hostem, aut nimis dissolutum, aut nimis coagulatum, stypticis, ponticis, acetosis, aluminosis, acutisque spiritibus intestina, ac vicinas partes inficientem, constringentem, atque doloribus varijs excruciantem, quod clarè patet *ex l. de tribus princ. c.* 5. Colicam ex Sale in intestinis prædominante oriri. Omnes quoque Colicæ species ex differentijs salium, salinorumque spirituum, vitriolatorum n. p. aluminosorum, acetosorum, & similium, desumendæ sunt. Gradus verò Colicæ, tum ex varia spirituum potestate, tum verò ex vlteriore circulatione, & exaltatione desumi debent. Quod si vicinæ renum & vesicæ regiones consimili mucilagine tartareà refertæ atque obductæ sint, compressione spirituum ex minera & centro Colicæ prodeuntium, & ipsæ ad paroxysmos, & efferuescentias proritantur.

§. 5. *Helmontius* Colicam produci existimat, si n. p. acor p. n. cibo aut potui connectitur, & testatur de *potest. medicam. p. m.* 292. *n.* 23. à sale acido sæpissimè oriri hunc affectum tristem, vnde colicam à morsis comestis ortam obseruauit. Quò ergo humor peccans est acidior, eò sunt dolores acerbiores. Si quoque fellis fermentum chyli aciditatem non permutauerit in salsum volatile, tunc contingit digestio vitiata, quę dein procreat mucilaginem, in qua acor incursus est. Si ergò id plus nimium tenax fermento vitiato imbutum, torminum mater, intestinis adhæserit, tunc dolor vehementiùs excitabitur; nam ad huius mucilaginis propulsionem intestina se comprimunt, conuellunt,

&

& corrugant. Contractis sic intestinis, contingit etiam musculos abdominis contrahi & conuelli, quidni & acor intestinis hostilis ea contrahat, conuellatque? In fellis vitio sæpe tanquam fur latet causa huius morbi; huiusmodi enim salia acida, siá fermentali *fellis Blas* non subiguntur, tunc colici doloris parentes fiunt, nam sunt causa occasionalis, vt Archeus intestinorum in motum futoris efferatur, qui dolorem Colicum profert periculosissimum, & pylorum veluti potestatiuum ianitorem in tantum lacessit, vt in furorem concitatus desinat in paralysin, & contracturam manuum ac pedum, affectando neruosum genus per suum Blas furiosum, illiusque tonum destruendo.

§. 6. *Willisius* hunc morbum humano generi maximè infensum inter affectus cerebri, & neruosi generis cum *Carolo Pisone* refert, his inductus rationibus, quia sedem, & causam morbi certò certiùs in neruosis partibus hærere existimat. Ad suam opinionem meliùs confirmandam liquorem nerueum excogitauit, qui si in recrementa acetosa degenerauit, tunc fibras sensiles distendendo, ab inuicem diuellendo, in corrugationes dolorificas irritando, facilè hunc affectum producere valet, quem succum vitiosum è cerebro per ductus nerueos versus intestina descendere, atque iuxta partes dolentes, & quidem maximè circa mensenterium congeri, vt & ob plenitudinem spontè turgescere statuit. Intra plexus ergo nerueos mesentericos, alioque deposita materia peccans sensimque coaceruati aut occasionaliter aut sponte turgescit, vel fortasse cum humore salino fixo è sanguine illuc sulfuso efferuescit; & per consequens fibras nerueas, quibus scatet mesenterium innumeris, corrugationibus scatet molestis & dolorificis torquet. Non negat tamen spiritus animales impetuosè influentes, vtplurimum spasmodicos hosce affectus excitare, quod multis comprobat rationibus. De quo curiosus Lector videat ipsum fontem.

§. 7. *Syluius* plurimorum colicorum dolorum causas recensèt, & explicat. *Ardentis doloris* causam à bile pinguiore cum succo pancreatico acidiore potenter ac vitiosè efferuescente produci existimat. *Ardentis doloris* originem suam trahere à succo pancreatico valde acido, & acri, cum bile minus pingui, vel pauca, efferuescente autumat. *Doloris perterebrantis & fixi* causam adscribit succo pancreatico multum acri, viscidæque pituitæ immisto, & vitreæ pituitæ nomine noto. *Doloris grauatiui* causam attribuit copiosæ, & nimis viscidæ pituitæ, vt & *doloris distendentis* causam pituitæ viscidæ in flatus rarefactæ, & intestina sola, vel vna cum abdomine distendenti. *Doloris lancinantis* causam adscribit succo pancreatico acidiori, & sic pro doloris vrgentis varietate curam variandam præcipit.

§. 8. *Cartesiani* dolorem hunc colicum, vt plurimum ab humore bilioso cum sale mordente iuncto deducunt, qui sal mordax non duntaxat in intestinorum cauitate, sed & inter eius membranas continetur, itaque illius particulæ cùm recipiuntur in poris, per quos permeare nequeunt, concutiuntur, & quasi serrantur in illis poris: quando sc. particulæ illæ aculeatæ, rigidiores, pungentes, rodentes, scindentesque in intestinorum tunicas deponuntur, & hinc spiculis suis impulsæ excitant acutissimum hunc dolorem fibras vellicando, rodendo, corrugandoque. Per consensum, & reliquæ partes, ventriculus np. & vesica conuelli possunt, vnde vomitus, dysuria, &c. Interdum & pori intestinorum obstrui possum à particulis viscidis, & crassioribus, sicque oritur etiam colica, & quidem distendendo tunicas intestinorum, quod si aciculà, vel alio instrumento, tangas & separares talem membranulam, quãti non inde exsurgunt dolores imanissimi?

§. 10. *Nos*, ceu superiùs diximus putamus, colicam esse *humoralem*, & *spasmodicam*. *Humoralem* dicimus esse eam,

in qua humor aliquis peregrinus cum flatibus sæpè mixtus, Gasteronacem offendit, qui tunc in suppetias vocat Microcosmetorem, à quo spiritus animales ad partem affectam mittuntur, vnde ista Lerna malorum oritur. Humores isti sunt biliosi, & acres, salini nempe scorbutici, qui mordente sale iuncti non duntaxat intestinorum, sed & mensenterii, omenti, aliorumque plexus, & neruos pungendo, rodendo, & lancinando cruciatus cum conuulsiuis motibus iunctos excitant, vt plurimum tamen ab acido oriri hunc morbum persuasi sumus, siue mucus sit acidus, pertinacius intestinorum plicis implicatus, siue sint indurata stercora, siue à vitiosa fermentatione eleuati, flatus, qui etiam indicant adesse acidum austerum tenax, quod effernescens in flatuosum Gas transit. Vermes & calculi quoque vellicando eundem producere possunt morbum. Acidum enim hoc excessiuum, & vitiosum imò corrosiuum rarò in tunicas intestinorum, sæpiùs in omentum, sæpissimè verò in plexus neruosque mesentericos sæuit. Bilis quoque sæpe per acidum ita mutatur, & corrumpitur, vt planè austerum euadat, vnde hoc affectu laborantes semper habent aluum adstrictam; & ab acido acri vitioso dolorosæ dictarum partium iteratæ spasmodicæ crispaturæ inferuntur. Et cùm flatus generari videamus, quoties salia volatilia oleosa incidunt in pituitam, statuimus volatilis bilis portiones in lympham crassam impingentes, eam in subtiles halitus, & flatus resoluere, qui cellulas intestini coli distendentes fæces retardant, & animæ sensitiuæ debitum influxum denegant, vnde etiam alui tarditas, & omnimoda constipatio.

In scorbutica dispositione sæpius hi oriuntur dolores colici, quos deducere possumus præter dictas iam causas etiam à sero lixiuiali, quod distendendo, & conuellendo membranaceas, & sensiles partes, symbolum suum addere potest. Sæpe materia hæc vitiosa per pylindromen defertur ad neruos lumbares, quare circa lumbos vtplurimùm maximum ægri sentiunt dolorem. Resorptum quoque istud seminium morbidum defertur ad ipsam medullam spinalem, & communicat similem labem, quæ spinalis medulla inde quasi enecata neruos vtrorumque artuum ex eadem oriundos similiter contagio hoc participes facit, cuius vi figente, coagulante, & stupefaciente spirituum animalium (omnis motus authorum) concatenationes siue commercia rumpunt, inde correspondentia vt sic loquar, Gasteronacis cum Microcosmetore planè interrumpitur, vnde motus impotentia oritur.

Spasmodicam dicimus Colicam eam, in qua spiritus animales à materia aliqua subtili ità afficiuntur, vt motum ordinarium intermittant, & ad mesenterium, aliasq; partes sensiles membranaceas tumultuosè influant, ibidemq; vellicando fibrillas neruorum, easdemq; lædendo, & rupendo dolorem non exiguum producant, vel etiam fieri potest, vt particulæ subtilissimæ ità recipiantur in poris intestinorum, & mesenterii, aliorumq; partium, vt inflammationem quandam efficiant, vnde & dolores isti atrociissimi. Quòd verò ægri dolorem vix tolerandum in regione cordis scrobiculo circum posita, vnà cum immani materiæ herbam colore referentis euomitione sentiant, non aliunde nascitur, quàm à vehementi spirituum densè conglomeratorum in dictas partes, inprimis in fibras circulares pylori impulsu, vnde, & spasmus ventriculi, & dolor, aliorumque viscerum subuersio totalis. Non enim semper ex eo, quod in morbo hoc, siue per os, siue per sedes excernantur biliosa viridia, statim colligendum, & dicendum, affectum hunc in humoribus residere, aut sæuissimum illum dolorem colicum ab humoris alicuius acrimonia, partem cui inhæret rodentis ac pungentis, generari, quem idcirco pro minera, & causa morbi censemus, ac proinde remediis cataracticis radicitus exstirpandum putemus. Etenim luce meridianà

nà clarius est, affectum illum, quo laborant nauigantes à spirituum animalium agitatione insueta oriri in irrequieto isto mari. Attamen videmus colluuiem coloris planè herbacei ex hominum vel saniſſimorum ventriculo prodire, vbi primum in mare longius sunt prouecti, quibus tamen ante horam non inerat bilis, quàm *porraceam* appellamus, quod in memetipso in mare versato contingit. Imò in paroxysmis epilepticis annon sæpiùs excrementa videmus eijci, vbi tamen nec vllus vitiosus latet humor in inteſtinis? item in dentitione morbosa, qualia non eijciuntur excrementa à sola spirituum ἀταξίᾳ, quæ nescio, quomodo istarum partium fermentum destruit, ac peruertit ventriculum inteſtinaque vi spasmorum liquorem quendam alienæ indolis intorquet, qui humores eiusmodi coloribus inficere potis est: & nostro iudicio bilis cum succo pancreatico varia commixtio, hunc efficit colorem viridem. Si enim succus pancreaticus, cum bile salina oleosa volatili permisceatur, ex eorum miscela viriditas hæc porracea exsurgit, de quo colore vid. *Etmulleri Valetudinar. infantil. §. 31. de Torminibus & variis alui excretis infantum*, vbi doctè hæc elaborata videbis. Re itaque ritè pensitata, satis apparet dolorem hunc atrociſſimum, qui hoc affectu laborantes penè interimit, tum etiam materiæ viridis reiectionem à spiritibus animalibus nimis impetuosè in partes abdominis influentibus, atque easdem partes membranaceas, & fibrosas contrahentibus, certo certius produci. Inteſtina enim cum annexis partibus ita sæpè conuelluntur, & corrugantur, vt etiam musculi abdominis simul contrahantur, & ægri nullum quasi habere videantur abdomen, prout in multis obseruare licuit, qui ventrem ita corrugatum atque conuulsiuum habuere, vt nihil præter cutem & ossa tangere potuerim. Ipsos enim spiritus ab aere, aliisque particulis subtiliſſimis ita disponi posse mihi persuadeo, vt absque materia peccante in abdomine latente ipse ægèr in morbum hunc incidere possit. Verùm tædet notis diutiùs immorari.

Has putamus causas proximas, & continentes, causæ remotæ & procatarcticæ huius mali possunt esse variæ, temperamentum pituitosum, biliosum, & melancholicum, quo & referenda natiua illa ad colicam in vtero materno contracta dispositio. Vt & sex res non naturales, de quibus inferius de Diæta dicturus sum.

PROGNOSIS.

§. 10. Enumeratis hactenus causis, à quibus tanquam prolificis parentibus affectus noster spasmodicus dependet, iam meditatio nostra deuoluenda est ad Prognosin. Cùm nihil maiorem Medico apud ægros constantes conciliare possit auctoritatem, quam de futuris contingentibus certa quædam proferre præsagia. Dolor Colicus non eundem semper habet exitum; aliàs enim curatu facilis est, aliàs verò difficiliùs, imò periculosus, subinde & lethalis, non tam ratione sui, quàm ratione morborum, aut coniunctorum, aut subsequentium. Terminatur sæpiùs hic dolor spasmodicus *in paralysin*, vel epilepsiam, vel arthritidem, vel alium morbum soporosum, sæpè in Iliacam degenerat passionem. Siquidem sanguinis ob fibrillarum corrugationes in suo motu impeditur, & plus iusto in tubulorum interstitiis coaceruatus inflammationes parit, vnde miserere mei, & gangræna. Colica, quæ est ab inflammatione inteſtinorum, aut illorum excoriatione, vulnere, aut vlcere producitur, aut a pituita tenaci, & salsa, aut ab acido nimis corrosiuo, aut quæ epidemica est, & maligna, aut quæ endemia est, vt hisce in locis, si non semper lethalis, saltim diuturna est, periculosa, & contumax, & plerumque lethalis est illa, quam sequitur Ileos. Colicus dolor non est periculosus, quando à causa euidente solitaria excitatur. Facilior atque leuior, quæ à flatibus producitur. Quæ verò est habitualis, valdè pericu-

bosa est, remedijs enim non facilè cedit, atque per plures menses, imò annum interdum perdurat, nec non vel in paralysin, vel in alium transit affectum, sæpèque recurrit, cuius rei tot prostant exempla, vt aliorum meminisse tædeat. Spes verò resulget optimæ curationis, benèque sperare iubet ægrotum ætas iuuenilis calido innato vegeto adhuc pollens: Interim tamen heroicis magnificæ famæ remedijs non destitutus, quòd breui curari possit, promittimus, si inprimis illis ex præscripto vtatur: Miserum enim est, cùm nolis mori, non omnia facere vt viuas. Ratione euentus terminabitur morbus placato spirituum impetu ac ατάξια, & motu illorum anomalo destructo. Grauissimus tamen sæpè est affectus, viresque fortes & integras requirens, hinc grauidis, puerperis senibus, aut alijs morbis exhaustis, viribus superueniens, plerumque periculosissimus. Certissimum enim mortis periculum denunciatur, si singultus, vigiliæ, delirium, sudores frigidi, & extremorum refrigeratio à morbi vehementia superueniant, tunc enim vix ac ne vix ægrum euasurum pronunciare poteris.

CVRA DIÆTETICA.

Inquirendæ affectus nostri colici naturæ omnis hactenus fuit dicata solicitudo, profligandi ergò illius restat, vt meditemur curam, quæque vt in alijs morbis consistit in optima diæta & medicamentis. Aer ergò eligatur, quantum fieri potest, purus ac tenuis, vitent ægri crassum, frigidum ac nimis calidum, nebulosum, vliginosum ac vaporibus refertum. Cibus sit euchymus, boni succi, & facilis concoctu, cibos flatulentos, vt sunt omnia legumina, pisces, &c. acres quoque, salsos, pituitosos peius & angue fugiat. Ex carpionum malè coctorum esu ipsemet nuper eodem malo correptus fui. Omnia quoque acida hic nocent summopere, vt & fructus omnes horarij, inprimis crudi. Ægros quoque lædum vulgo commenta dulcia, quæ acidum corrosiuum insinu gerunt, quod constat ex obseruatione *Pisonis*, qui succum, ex quo saccharum concrescit, extrauasatum intra breue tempus acescere tradit, addens destillari ex saccharo spiritum, quem vocant Lusitani *Aquadenti*, summa cum stipticitate refrigerantem, linguam constringentem, & *intestina* torminibus torquentem, metalla arrodentem, nitrosi saporis simul & acerbum. Saccharum enim ipsum quoque dissoluit antimonium, cum quo nempe si commisceatur triduanà, & leni destillatione. Pro potu sumant hoc affectu laborantes, vel decoctum radic. chinæ cum passulis, vel vinum mediocre, in quo nullum latet acidum. Vitetur vinum Tartareum, Franconicum, sulphuratum, & vappidum, mustum &c. Omnia vina hìc nocere scribit *Grembs* sed istud vinum, quod habet volatile acidum, non possum videre qui noceat. Commendo ergo vinum Rhenanum, & Mosellanum, Neccarinum, & præsertim Hirschstenienſe, & Micchelbacense prope Hanouiam, quæ vina excellentia sunt, in Colica, podagra, & Calculo. Cereuisia hìc malè cocta, haud desœcata, nimis recens, & crassa, prout est nostra Cassèllana, symbolum suum addere potest. In eodem prædicamento est potus ex fructibus, pyris, sc. & pomis paratus, prout rusticis nostris solenne est eiusmodi parare potulenta. Omnia spirituosa parcissimè hauriat æger, quia indè spiritus animales in ατάξιαν magis rediguntur. Motus, & quietis æquilibrium seruet patiens, nocet enim motus nimius, & quies excedens. Somno magis indulgeat, quàm vigiliis, & animo sit tranquillo, affectibusque animi nunquam indulgeat, iram ergo, tanquam furorem ipsum, fugiat, nocet & mœror, & tristitia, qui omnia strenuè suam, licèt modo diuersò, ad Colicæ productionem conferunt operam. Excreta, & retenta deniq; ad naturæ leges debito modo reuocanda sunt, præprimis aluus seruetur lubrica, abstineat tamen à vomitoriis fortioribus, aliisq; purgãtibus efferatis, plus enim damni, & noxæ, quàm emolumenti indè

spe-

perandum. Credas experto Roberto. Huc etiam referimus causas præternaturales, quatenus morbi prægressi materiam ad intestina transferunt, coctiones & fermentationes deprauant, præprimis verò intemperies cerebri sanguinis, lymphæ, efficaciter ad colicam inducendam concurrunt.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 12. *Veteres* methodum suam medendi instituunt pro diuersitate causarum, à quibus producitur. Colicæ igitur, quæ à proprijs intestinorum morbis oritur, inflammatione puta, excoriatione, vulnere, vel vlcere in eius rei curatione consistit, cura siquidem causa sublata ordinariò effectus tollitur. Horum autem morborum ad mentem Galenicorum curatio aliunde petenda est. Quæ à vermibus producitur aut à calculis, aut à deglutitis corporibus asperis, aut acuminatis aciculis, ab assumptis acribus, eorundem tempestiua euacuatione, & temperatione curatur. Quæ verò ab humoribus bilioſis, ijsdem tollitur temperatis eductisque; adeoque si pituita tenax, viscida, simulque acris eam produxerit, ante omnia ea incidenda, attenuanda, corrigenda, & dein eliminanda est *phlegmagogis*, in quem finem valdè commendant aut apozemata incidentia, præcipuè ex lignis, corticibus, seminibusque carminatiuis, quæ verò educi apta nata sunt, phlegmagogis educenda sunt, cui scopo conueniunt siue vina medicata, siue haustus, pilulæ ex gummi additis carminantibus, & narcoticis. Si verò à melancholia oriatur hic affectus, tunc melanagogis res peragenda est, & humor ille melancholicus infringendus est, *aqueis*, sero lactis, item terreis, vt bolo armen. ost. mandibul. pisc. percar. Intestina luporum pro specifico hoc in morbo venditant veteres. Si bilis abundet, chologogis rem aggreditur.

Colica flatulenta causarum suarum tam materialium, quàm efficientium emendationem postulat; 2. flatuum ab ijs excitatorum dissipationem, & discussionem; 3. doloris mitigationem; 4. causarum illarum materialium eductionem, quibus omnibus efficiendis seq. commendant enemata.

℞. *Decoct. emollient. & carmin.* ℔. j.
elect. diacatbol. ℥. j
Solaris commun. ℥ j
ol. anet. ℥ vj.
anis. gr. x.
M. F. Enema.

Decoctum emolliens & carminans ex his, similibusque componi solet:

℞. *Rad. apij,*
leuistici ana ℥ j.
herb. maluæ,
bismalu.
senecion. ana m. i.
mercurial.
parietar. ana m. ß
semin. anis.
fœnicul.
carui,
leuistici ana ℥ iii.
Coq. ex Aq. fontana, Colatura detur vsui.

Corpore expurgato ad sedantia dolorem se conferunt, in quem finem oleum amygdalarum dulcium cum vino maluatico, aut Hippocratico exhibent. Tandem ad Theriacam, aut Mithridatium c. castoreo mixtum confugiunt, aliaque opiata philon. Rom. requiem Nicolai & sexcenta alia.

Inter externa commendant fila in lixiuio cocta, & calidè abdomini applicanda; item sacculos ex milio, auena, saleque *tostis*, alijsque carminatiuis, & emollientibus herbis adplicare solent. Varia quoq; vnguenta, & linimenta cataplasmataque ex oleo lini, liliorum alborum, chamomillæ, &c. parari & adplicari iubent.

§. 13. *Paracelsistæ Hermetici* morbum hunc salinum dicunt, & salibus percurandum esse addunt. *Tartarum* ergo *resolutum* coagulandum, præcipitandum, & postmodum eijciendum esse volunt. Sal etiam internum humani corporis principium à natura sua degenerant, per salia elementaria corrigendum, & corroborandum est. Ad sal expellendum laudant

dant enulam campanam, non probant fortia, nec purgantia colocynthiaca, aliaque, quia sal, vt inquit *Paracelsus*, violentiam non fert. Et quia nimirum spiritus hic sitiunt & laborant, conducent spiritus nitri, tartari, salis communis, marini, vitrioli, ol. nuc. moschatæ, garyophyllor. cumini, succini, sulphur. terebinthinæ, Zibeth. ventriculo inunctum ol. smegmat. Venet. Extract. etiam cortic. aurantiarum in vino selectissimo est probatissimum remedium, item extract. calami aromatici c. aqua cinnamomi, C.C. vst. in stercore lupi repertum pro secreto à Paracelso in hoc morbo habetur. Ex stercoribus externè commendat cataplasmata. Vtilia in potu dicit esse dulcia, pinguia, item oleosa. Super omnia laudanum suum opiatum commendat sæpiùs nominatus Paracelsus, aliaque plura experimenta, quæ omnia recensere, longum & ab instituto nostro alienum foret.

§. 14. *Helmontius* curauit colicam sæpissimè per verum laudanum absque opio, vnguento etiam calido ventrem foueri iubet, anisi semen quoque magni facit.

Ipsius pullus, *Grembs*, Colico laborantem dolore feliciter restituit dato clystere emolliente cum ℥ iij. philon. Romani & laudan. op. continuato iusculo gallinæ cum incoctione radic. chinæ, & semin. dauci, postmodum cum pilulis aloeticis curam concludebat.

§. 15. *Willisius* è Clystere curam colicæ incipi vult, qui sit ab initio leniens & emolliens, à quo, velut à fotu interno, fibrarum corrugationes compescuntur, & spiritus excandescentes demulcentur. In quem finem injiciendum præcipit lac tepidum cum saccharo permixtum; vel decocta emollientia ex malua, althæa, sambuco, c. ℞ amygdalarum dulcium; item decoctum ex capite veruecino, aut pedibus vitulinis, vel enemata ex solo oleo oliuarum aut lini. Si hæc enemata ventrem non sufficienter laxant, transeundum esse iubet ad decocta carminatiua, aut amara, in quibus dissoluuntur Electuar. diacatholic. vel è baccis lauri, aut hier. pier. item infus. croci metallorum, vel vrinæ sanæ ℔ j. c. therebinth. Venet. solut. ʒ j. ß sacchar. rubr. ʒ ß. M. F. Enema. Particulæ enim therebinthinæ balsaminæ simul intestina confortant, & fibrillas eorum demulcent. Quod si tormina leuioribus haud cedunt, ab hypnotica, tanquam ad anchoram sacram festinandum esse putat, in quem finem commendat *laudanum* suum liquidum Tartarisatum ab guttis xv i. vsque ad xx. horâ somni in cochleari aq. flor. chamomillæ, vel alius carminatiuæ. Interim cum hæc applicantur, & exhibentur ad mineram colicam penitus exstirpandam, vomitionem, aut lenem admittit purgationem ex tartaro emetico, vel sale vitrioli albo, vel ex resin. gialapp. pilul. Rhud. & Mercurio dulcificato. Tandem cum hisce finem haud exoptatum attingere nequeamus ad saliuationem, tanquam summum remedium fugiendum suadet. Si Colica sit diuturna ac contumax præter supra nominata etiam varia diuretica, acidulas minerales commendat.

Inter Topica Externa *Is* laudat epithemata abdomini applicanda ex fol. maluæ mercurial. parietar. ana m. iij. flor. sambuc. chamomill. melilot. ana m. iij. cap. veruec. abscis. Coq. in s. q. Aquæ fontanæ. Colatura vsurpetur pro fotu cum stuphis laneis calidissimè intinctis, & expressis postmodum applicitis; repetendo quoties dolores intensiores vrgebunt: Vel omentum agninum, aut pulmones, aliaque brutorum viscera calentia abdomini imposita, mirè sedare dolores colicos ab autore dicuntur, qui quoque in quibusdam constitutionibus, & temperamentis epithemata ex calidioribus parata, aut calidiùs applicatâ, dolores potius exacerbasse, quàm lenisse observauit. In his casibus potiùs commendat fotus ex solutionibus nitri, vel salis ammoniaci, aliquando ex aqua pura frigida fotum paratum cum *Septalio* laudat.

§. 16.

§. 16. *Sylvius* dolorem *ardentem* à bile pinguiore ortum acidis, & aqueis, &c. curat. Sit formula ex ipsius scrinio deprompta.

℞. *Aquacichor.* ℥ *acetos. ana* ℥ ij.
sirup. papav. alb. ℥ j.
spirit. vitri gutt. viij.
F. Mixtura cochleatim assumenda.

In hoc casu, & conueniet sequens Emulsio:

℞ *Semin. 4 frigid. mai. ana* ℥ i.
amygd. dulc. ℥ iij.
semin. papav. alb. ℥ j.
c. aq. chamomillæ, malv. F. Emulsio.

Dein, vt ità correcta bilis educatur necesse est, in quem finem sequens præscribit Conditum:

℞. *Pulp. tamarind.* ℥ ij.
conserv. rosar. pallid. ℥ ß.
electuar. è succ. rosar. ℥ j.
sal. tartari vitriol. ℥ j.
M. F. Conditum. cuius æger accipiat ad ℥ *Mtæ. quantitatem.*

Dolor *Algens* huic planè contrarius curabitur, per spiritum vini aromaticum sale volatili, & oleoso præditum, Ex. gr.

℞. *Aq. fœnicul.*
theriacal. fortis ß.
Sal. absinth. ℈ i.
oculor. ℈ ß.
sirup. card. bened. ℥ ß. *M.*
cui aliquando addi potest granum i. Laudani opiati.

Prælaudatus Celeberrimus Vir dolorem *pertinacem*, fixumque curare satagit corrigendo, temperandoque acrimoniam succi pancreatici acidam, tum visciditatem pituitæ comitem, quod præstant Gummi ammoniacum, galbanum, sagapenum, Mastiche, &c. vt & sal volatile quoduis; oleum C. C. in pituita vitrea corrigenda magni esse vsus scribit; laudat & pilulas phlegmagogas *prax.* l. 1. c. 14. §. 5. descriptas.

In dolore *cum contorsionis sensu* à succi pancreatici austeritate producto magni facit spiritum sal. armon. & Tincturam castorei, Sequentem eo fine commendat mixturam cochleatim præbendam.

℞. *Aq. pulegii* ℥ ij.
fœnicul. ℥ j.
Tincturæ castor. ℥ iij.
Laudan. opiat. gr. ij.
Sirup. de menth. ℥ vi. *M.*

Distendens, & à flatibus excitatus dolor, ab ipso variis carminantibus, spiritu nitri, &c. tollitur. Conferunt & Salia volatilia, quæ corrigunt æquè pituitam viscidam, ac bilem acriorem. Inter externa aliis præfert Vnguentum martiatum, & althææ compositum, additis oleis chamomillæ, lilior. albor. laur. &c. Conducet & Emplastrum carminans ipsius tori abdomini impositum.

§. 17. Illi, qui *Carthesii* nituntur fundamentis, omnem impendunt operam, vt particulæ acres pungentes, scindentesque obtundantur, impetus humoris aeris frangatur, & fibrillæ nerueæ indè læsæ demulceantur; quod iuxta eos obtineri potest per varia demulcentia, anodyna, paregorica, sæpe enim opiata exhibent, vt ita inducias habeat æger, & Medicus tempus lucretur ad sal illud syluestre educendum; deinde lenem instituunt purgationem cum extract. Rhabarbari ℈ j. aut gr. xxv. postea sudoriferum exhibendum censent, quod simul nonnihil sit anodynum.

℞. *Bezoart. mineral. gr. xij*
croci orient. gr. vj.
camphor. gr. iij.
laudan. opiat. gr. j.
aqua card. benedict.
menth.
sirup. papav. ana q. s.
M. F. Haustus.

Clysteres quoque, aliaque externa, quæ læsas fibrillas placant, & spiritus animales impetuosè influentes sedant, suadent, quæ omnia in seq. videbis.

§. 18. *Nos* in Colica humorali ad humorem peccantem curam dirigendam censemus. Si ergo quod dolor hic atrociissimus humorum calidorum sulphureorum seu biliosorum acrimoniâ factus sit, suspicamur, quòd ex haud obscuro ardore in locis affectis, sitî, vomitu bilioso

forum, aliisque noscere possumus, tum seq. commendamus mixturam.

℞. *Aq. acetosell.*
plantag. ℥
ciebor. ana ℥ j.
laudan. opiat. gr. j.
spirit. nitr. gr. xij.
sirup. cortic. aurant. ℥ ß.
M. detur ad vitrum.

Emulsiones, inprimis verò opiata hic omnem absoluunt paginam. Quibus tamen non semper interponenda censemus enemata tùm laxantia, tum anodyna, mitiora quoque cholagoga, inprimis decoctum tamarindorum approbamus, quo solo Hanouiæ Candidatum Theologiæ, Heluetium, felicissimè contra opinionem alius adstantis Medici, mortem iam denuntiantis, restitui.

In quem finem, & conducet decoctum leniter laxans, & sæpè in parua dosi exhibitum V. gr.

℞. *Herb. meliß.*
pulegii,
ceterach. ana m. j.
rad. lenistici,
fœnicul.
asparag. ana ℥ ß
fol. sen. s. ft. ℥ vj.
mechoacann. ℥ iij.
sem. fœnicul.
siler. mont. ana ℥ j.
Coq. in brod. carnis ad ℔ j.
add.
Sirup. de duab. radic. q. s.
M.

In hoc casu fotus, cataplasmata ex emollientibus, & antiscorbuticis parata, externè applicari possunt, vt sic æstuantis bilis acrimonia temperetur, sæpè cholagogis, & opiatis vna rem perago, dolorem consopiendo, & materiam peccantem euacuando, & in ægris, si dolor euanuerit, pilularum seq. vel aliarum vsum iniungo.

℞. *M. Philul. Tartarear.* ℥ ß.
diagrid. gr. xij.
ol. succin. gr. j.
c. Tinctura propriet. vel essent. carm.
F. pilulæ pro 2 bus dosibus.

In delicatulis vtor sequenti potiuncula mandata.

℞. *Mann. Calabr.* ℥ ij. *in aq. menth. fœnicul. ana q. s. solut. spermat. ceti* ℥ ß. *M.*

Si verò ab humoribus frigidis, & acribus ortum sit hoc malum, tunc clyster sequens parari potest.

℞. *Herb. emollient.*
card. bened. ana m. ß.
rad. beleni, acori, galang. ana ℥ ij. } *quia incidunt & attenuant*
Coq. in lacte dulci, addendo
hordei ℥ j.
vitell. ou. no. j.
ol. fœnic. ℈ ß.
vel ol. rutæ, vel iuniperi,
M. F. Clyster.

Miro semper cum effectu addidi clysteribus aquam benedictam Rulandi ab ℥ j. ad ℥ ij. Antimoniales enim clysteres laudo, quales apud Riuerium, Sennertum, alioque reperiuntur, non semel vrgente sic necessitate felici cum successu exhibitos.

Per os exhiberi potest lac coctum cum allio, quod potens est.

Lac quoque cum multis floribus sambuci coctum, tempore præsertim matutino haustum, & si tum in lecto benè tectum continere potes ægrum, prodest. Prodest, & Enema ex lacte ℔ j. sacchari Thom. ℥ ß. butyr. ℥ j. ß. alb. græc. ℥ ij. M. F. Clyster. vel vnguentum clysmaticum addi potest.

In hoc etiam casu sperma ceti recens, & non rancidum ad ℥ j. cum vino generoso, vel maluatico non sine successu exhibetur. Sic prodest quoque oleum amygdalarum dulcium additis, vel camphoræ granis tribus.

Si humor acidus, seu, vt cum vulgo loquar, melancholicus hunc excitauerit dolorem, is corrigendus est. Pro compescendo ergo hoc malo, & temperando hoc acido vitioso, vnde tum dolorosæ membranosarum partiũ, & fibrarum,

mo-

motiones, & repetitæ ſpaſmodicæ criſpaturæ, aliaque id genus mala inferuntur, commendamus alkalia quæcunque, quæ ſummoperè prosunt opiatis maritata. Puluerem præſcribo ex oculis ℈, margarit. ſpermat. ceti, bezoar. (adiectà theriacà cœleſti) qui probatiſſimus eſt, & in hoc caſu conuenientiſſimus. Ad acidum illud exorbitans inhibendum, & præcipitandum, conueniunt pulueres teſtacei, ſerum lactis, lac aſininum, Antimonium diaphoreticum, caſtoreum, vtpote ſale volatili & oleoſo præditum, omnia denique ſalia volatilia oleoſa. Hic & conueniunt varia externa, linimenta, cataplaſmata, aliaque carminatiua. Mitigato malo poſſunt exhiberi melanagoga carminatiuis mixta. Si verò auſterum ſimul adſit, & aluus adſtricta, poteſt & enema exhiberi, in quo aliquid eſſentię caſtorei fuit additum. In ſcorbutica diſpoſitione ſemper medicamenta antiſcorbutica miſcenda ſunt, & poſtmodum hydragogis materia peccans euacuanda.

In flatulenta Colica Eſſentia carminatiua VVedelii, & ſequens noſter ſpiritus carminatiuus conducunt:

℞. *Cortic. aurant.* ʒ j. ß.
rad. belenij
acori,
oſtrut.
galang.
ſemin. aniſ.
baccar. lauri ana ℥ ß.
caſtor. ʒ j.

c. ſpiritu baccarum iuniperi, & vino generoſo infundantur, deſtillentur, & ſeruentur ad vſum.

In colica quoque ſequens hauſtus pro incomparabili habetur.

℞. *Vini generoſ. ant. Maluatic.*
ʒ j. ß.
aqua vitæ Matthioli ʒ ß.
ol. amygd. dulc. ʒ j.
laudan. opiat. gr. ij.
campbor. gr. iij.
Salis card. bened. ℈ j.
croci gr. vj.
* *ci aut ſalis dulc.* ∈ ß.
ſirup. papau. ʒ ij.

M. F. Hauſtus optimè conquaßandus pro vna, vel duabus vicibus aßumendus.

Si vermes, vel calculi, vel ſtercora indurata, &c. in cauſa ſunt, eò ſemper reſpiciendum, vt hæc è corpore eliminentur.

In ſpaſmodica verò Colica eò reſpiciendum eſt, vt primò materia illa morbifica plexibus, vt plurimum meſenterij nerueis infixa refrænetur, & continui ſolutio tollatur, dein vt ſpirituum in partes abdominis citatior, actuoſior, ac ſpaſmodicus irregularis motus placetur, ac demulceatur, poſtmodum, vt ſpiritus ſumma ἀταξία ac δυσκρασία laborātes iterum in ordine redigantur, & corroborentur. In hunc finem Clyſteres ſingulari virtute pollent ſpiritus placandi, & hinc clyſteres in omnibus motibus conuul ſiuis ſunt conuenientiſſimi, qui enim, quod ſotus externè abdo mini applicati, hoc illi intus præſtant, dum diffuſi in inteſtinis eorundem porulos intrant, & corpuſcula reſoluentia exſpirant, quæ materiam morbificam aggreſſa temperando, & attenuando eam corrigunt, vt vel fibrillæ illà deliberentur, vel ad. inteſtinorum cauitatem deducantur.

Eiuſmodi Clyſteres concinnari poſſunt ex variis herbis emollientibus, anodynis & neruinis, & addi eſſentia caſtorei ad ʒ j. vſque ʒ ii. Verb. gr. ex radic. alth. liquiritiæ, lilior. alb. herb. malu. alth. parietariæ, fl. chamomill. ſambuc. melilot. ſemin. carui, bacc. laur. iunip. &c. Laudamus itaque, clyſteres antimoniales de quibus ſuperiùs. Ad purgantium verò vſum quod attinet, ea improbamus potiùs, tum quod dolorem exaſperant, tum etiam quòd mortem accelerent, id quod etiam mecum *Clariſſimus Medicus VVepferus in Ephemerid. Naturæ Curioſ.* obſeruauit.

Tandem quoque anomalum ac diſcurſiuum ſpirituum in partes membranaceas inferioris ventris influxum blandè demulcent, ac detinent medicamenta ſulphureanodyno delibuta, blādisq; particulis

pa-

paregoricis,& suaui ἀναθυμιάσει gaudētia. Alijs palmam præripiunt opiata, & admirandos hic præstat effectus Tinctura opij cum alcool vini extracta, & plures transcolata, quod in desperatis casibus auxilium præstat. Item laudanum opiatum per fermentationem encheiresi Langelottiana paratum. Nos frpe laudato cum effectu vsi sumus essentiâ carminatiuâ cum essentia anodyna more VVedeliano permixtâ. Tincturam sequentem nostram paregoricam summis laudibus euehimus, inprimis anodynâ nostrâ maritatam, quæ nunquam nos destituit:

℞. Essentiæ rorismarini ℥ ß.
lumbricor. ℥ ij
C.C.
Salis succini volatil.
viperar. volat ana ℈ j.
digeratur.

Dosis ad xx. guttas, bis in die, & corpus semper disponatur ad sudorem.

Conuenit, & essentia anodyna ex laudani opiati part. 3. balsami succin. part. i. cum Spir. vin. Tartarisato acuata priùs cum spiritu nitri dulci parata. Celebris etiam vis inest nostræ theriacæ cœlesti ad grana aliquot exhibitæ.

Ex anodynis mineralibus eminent cinnabarina sulphure fixiori Antimonii arctiùs intertexto imbutâ, inprimis Cinnabaris cum oleo Vitrioli fixata, quę vera est Panaceæ Amvvaldina. Alii eam absque acido amant paratam. Celebris quoque est puluis ex scoriis reguli Antimonij vltimâ præcipitatione cum spiritu Vitrioli institutâ collectus. Sulphur quoque Vitrioli anodynum nostrâ experientiâ paratum incantamenti instar dolores sedat colicos. Inter anodyna, & recensemus aquam theriacalem, quæ vel per se, vel cum aliis mixta propinari potest.

Ad spiritus δυσκρασία, & ἀταξία laborantes confortandos, ac neruos solandos medicamenta suademus sale volatili blando sulphureo pollentia, quæ spiritibus naturalem schesin ac crasin inducunt, ipsisque maximè omnia existunt, laudem hinc merentur omnia balsamica, inprimis balsamus noster nēruinus, qui continuato vsu mira præstat, essentia castorei, succini, aliaque elixiria spirituosa cephalica in debilitate spirituum summam possident efficaciam. Cordialia quoque frequenter propinanda erunt, V. gr. Aqua Cinnamomi, hordeata, perlarum, è typhis C. è fl. aurant. Danica rubra, spiritus confortatiuus cardamomisatus, confect. alkermes, puluis diachermes, cordialis pretiosus, quæ prudenti medico in formulas facilè redigi possunt. Acida quoque sulphureo volatili principio pollentia, quatenus effluuia acria spirituum refrænant, ac motum concitatum ipsorum sufflaminant, & figunt. Inter omnes autem hos spiritus acidos tanquam Luna inter stellas minores eminet spiritus ille vitrioli volatilissimus, qui parari solet ex Vitriolo Martiali spiritu salis ammoniaci ebrio in retorta vitrea igne aperto destillatus. Meretur & insigne encomium spiritus eboris.

Antiscorbutica etiam, & diuretica haud negligenda sunt, quæ materiam morbificam fundunt, secumque ad vias vtrinarias deducunt, qualia sunt aqua antiscorbutica, pro re nata vel calida, vel frigida, specifica Hertodi ex stercore columbino, item Tinctura Tartari vera, spiritus salis ammoniac. simplex, & compos. Mixtura de tribus, spiritus terebinthinę, sal volatile oleos. Syluii, vel nostrum, puluis corticum aurantiarum, aliaque balsamica continui solutioni occurrentia, & acidum vitiosum emendantia. Alijs verò palmam præripit Tinctura Antimonij ad gutas xxx. in aqua lumbricorum magistrali frequenter exhibita. Sequentis balsami vires excellentissimæ sunt:

℞. Balsam. Peruuian.
c. spiritu * ci marit.
c. spiritu eboris ac leni digestione
foueatur.

Liq. C. C. succinat. & omnia Cinnabarina, & ex ijs paratus puluis cephalicus M. inprimis cum opiatis mixta maximæ sunt efficaciæ. In spasmodicis spirituum insultibus singularem energiam, atque effectum

ctum promittunt omnia antepileptica, & Castorina. Hic etiam proderit aurum fulminans à gr. 1. ad 5. assumptum. Difficile non erit prudenti memoratorum mixturâ formularum varia concinnare genera, ita vt quæuis formula pluribus indicationibus simul satisfacere possit. Ipsum sperma cetî ratione pinguedinis suæ non tantùm est acidorum temperatiuum, sed & blando suauique poppysmate demulcet partes membranosas, & fibrosas sensiles, vt exinde dolorum intermissio exsurgat. Vsurpari tamen debet cum oleo amygdalarum dulcium, & cum vino maluatico vel in iusculis calidis, qualem potiunculâ *Crato*, trium ille Imperatorum Archiater, inter secreta habet remedia. Hisce nihil proficientibus ad curâ lactis, vel seri lactis & acidularum inprimis calidarum, tanquã ad vltimum refugium ægros mittimus. In Germania nostra habemus Embsdenses, & in Gallia Bourbonnenses, quarũ acidularũ vsu *Citesius* exitcolica epidemica paralyticos factos omnes feliciter curauit, eosq; ad pristinam perduxit sanitatem. Tanta est Naturæ erga nos benignitas, & ratio medendi admirabilis. Thermas hic non excludimus, quæ nonnunquam diuinam afferunt opem. Si quis ea ex natura habere haud potest, artificialia sibi paret varia. Conducit quoque balneum aquæ dulcis, vel lactis, vel olei oliuarum, quod haud contemnendi vsus erit. Ita sequens valdè prodest:

℞. *Radic. altheæ,*
lilior. albor.
flor. chamomill.
melilot.
sambuc.
fol. maluæ
parietar.
violar.
trifol. fibr.
beccabung. à. q. v.
M. pro balneo.

Externè prodest sacculus ex tritico macerato tosto, & mola contrito, Germanicè *Malk*, cum cumino, sale communi, & floribus chamomillæ: qualis est, qui sequitur:

℞. *Hordei triti vel maltæ.*
cumini ana m. ij.
flor. chamomill.
verbasc.
melilot. ana m. ß
semin. cumin.
baccar. iuniperi ana ℥ ß.
salis communis m. ß
camphoræ (si hunc odorem æger ferre potest) ʒ ß.
M. pro sacculo

Qui sacculi semper calidè ventri imponi debent.

Sæpè sumuntur orbes lignei cum linteis calefacti, & multis oleosis imprægnati, qui etiam calidè imponuntur abdomini cum maximo fructu. Sed sæpè cum ijs topicis cautè mercandum est; calida enim illa carminatiua, & discutientia, quæ communiter imponuntur ex tegulis calefactis, sacculis milio tosto, arena, & furfuribus, aliisque herbis resoluentibus, & calidis repletis, frequenter manifesto cum ægri exitio applicantur, quia sæpe salina illa recrementa, magisque ab illis agitata, intensiorem producunt calorem, imò inflammationem inteſtinorum, & mesenterij, tandem in abscessum desinentem, qualem in dissecto cadauere *prælaudatus VVepferus* annotauit.

Nos hic inprimis maximi facimus Neruina topica anodynis iuncta ac maritata, quæ simul præcipitandi vi pollent. V. gr. Aq. arthritica, spirit. salis ammoniac. lumbricor. liq. neruin. oleum Saponis, vel ranarum, vel

℞. *Vng. dialt.*
anodyn. ana ℥ ß
ol. lumbricor. ℥ ij.
M. d. ad vitrum.

Item dorso applicare iubemus maximo cum commodo balsamum spasmaticum Mynsicht.

Varia hic etiam commendo olea aromatica spirituum conuulsiuum, aliaque carminatiua. Spina dorsi inũgatur vnguẽto resumtiuo, axũgia castorei mixto, &c.

Se-

Sequens linimentum abdomini illinendum miraculi instar sedauit dolores hos atrocissimos:

℞. *Spir. formicar.*
lumbricor.
lilior. conuall.
arthritic.
spasmod. ana ʒ i.
salis volatil. C. C. ʒ i.
Tincturæ castorei ʒ iii.
M. detur ad vitrum.

Venter quoque inungatur ol. cyclamino. Vel

℞. *Ol. chamomill.*
amygd.
anetb. ana ʒ j.
Rillat. bacc. laur.
carn. cumin. ana ℈ ß.
esient. croci ʒß.
M.

Vmbilico instilletur oleum myrrhæ.

Cataplasma ex parietaria, nasturtio, & cæpis coctis paretur, adsumpto oleo scorpionum.

Extra paroxysmum, iubente sic indicatione prȩseruatoria, causa morbifica tollenda, & purgantibus, & vomitoriis, & V. S. expugnanda. Post apertiua Martialia, aliaque ȩstum summum temperantia, & alterantia in vsum vocanda, qualia sunt superiùs iam dicta testacea, humorumque acrimoniam, & aciditatem inhibentia ex ebore, ocul. ♋, mart. perlar. C. C. &c.

Serum lactis tamarindinatum, vel succis antiscorbuticis maritatum per temporis spatium bibendum est.

CAPVT VIII.

DE ICTERO.

§. 1. QVod ferè omnibus morbosarum corporis nostri constitutionum denominationibus contigit, vt à Græcis primùm impositæ à Latinis dein Medicis retentæ, ac latinè datæ fuerint, idem & euenisse Ictero nostro, in aprico est, græca enim vox est Ἴκτερος, vtpote quam Græcos veteres morbo huic ob similitudinẽ coloris flaui, quem in pennis auis quædam ab ipsis Ἴκτερος, à latinis verò Gabula dicta, repræsentat, indidisse, eandem præ se fert probabilitatem, ac quando Ἴκτερος ab Ἰκτίρω hoc est miluo, quod oculi bile suffusi miluinis oculis videantur, deriuatur *Amato Lusitano Cent.* 1. *Curat.* 83. in *schol.* Apellatur & à *Celso Apuleio, & Scribonio* aurigo, ab auri colore, item auriginosa suffusio itidem ab auri indubiè colore, quem bilis per vniuersum corpus effusa mentitur, ita & *Regium* dicunt morbum pariter ab auro velut metallo regio. Alijs dicitur *arquatus* seu arcuatus à vario arcus cœlestis seu iridis colore. Nostris germanis idiomate proprio *die Gelbsucht*, audit.

DEFINITIO.

Describi potest, quod sit Cachexia, partes solidas ac fluidas calore præternaturali flauo vel nigro tingens, ortum suum habens à Gasteronacis vijs regijs malè prospicientis negligentia à bilis acrimonia in arcem irrumpentis fluente. Dicitur vel flauus, vel niger, prout vnus, vel alter color excedit.

CASVS.

§. 2. Iuuenis XXV. annorum temperamenti sanguineo bilioso alias hypochondriacis, & colicis doloribus nonnunquam infestatus, cum tempore æstiuo post cibum, pilarum lusu se nimium exercuisset, & simul per æstatem saccharatis cum vino admodum aromatico delectatus esset, exactis aliquot noctibus in somniis sentit corporis segnitiem ac torporem, pruritum in cute, maximè in dorso, fæces alui albescebant, & pauca viscosa simul eiiciebat æger, vrina aderat turbida crassa ac Crocea, ita vt linteamina, & chartas imbutas tingeret, oculorum album, & tempora cũ tota cute flauescebant, amarorem sentit in lingua, simul siticulosus existit, somnia pariter turbulenta habet, & si paulò mouetur fortius, spirandi difficultatem percipiebat, inde de sanitate sua solicitus petit auxilium.

PARS

PARS AFFECTA.

§. 3. Subiectum dum dicimus partes corporis solidas, & fluidas, spiritus verò impetum facientes tanquam subtilissima corpuscula, sub ipsum aliàs subtilissimum visus sensum, haud cadentia è subiecti causa haud remouemus, eas tantum partes saltem denominare volui, quę deprauatam eiusmodi in colore nutritionem suscipere aptam dispositionem obtinent, quales fluidæ omnino atque solidæ partes cernuntur. Inter partes externas pro parte affecta accusare possumus totum cutim, cuius cuticula quo tenuior, & pellucida magis vt in candidioribus subiectis, eò lucidioris flauedinis Icterus ipse apparet, quo autem densior sic quodāmodo opaca, prout in minus candidis, obscura magis flauedo eadem icterica repræsentatur. Locum quoque adnatæ oculi tunicæ quę album constituit, hic quoque affici constat; item vngues labia, & crines, prout ex *Cornel. Gemma* refert *Schenkius obseru. l.* 3. Inter internas partes affectas pro principali subiecto statuimus viscera bilis secretioni, collectioni, & eiectioni famulantia, nominatim hepar cum vesica fellea ac ductu cholodocho, & pancreate.

Pulmones quoque colore citrino in hoc morbo tinctos obseruauit *Zacchias Quæst. medico-legal. Tom.* 3. *Consil.* 15. In Viro quadragenario à me exenterato, non tantum omnia viscera tum abdominis tum thoracis vnà, & cerebrum ossa, & cartilagines icterica tinctura h. e: flaua tincta Hanouiæ vidi. In aliorum cadauerum Ictero defunctorum ductibus bilariis modò calculos, modò pituitam viscidam, modò aliud quid, vasa hæc constringens obseruaui.

DIAGNOSIS.

§. 4. Diagnosi Icteri in genere absque negotio depromitur ex habitu, & vrinę colore, præsertim si quoad illum album saltem oculi potissimum canthi maioris inspiciatur, vtpote omnium, primum colore flauo tinctum deprehenditur, præcedit semper corporis segnities ac torpor, pruritus in tota cute maximè in dorso obseruatur, ob acrimoniam bilis in poros cutis diffusæ, & ferè permixtæ. V. ex flauo, & rubro fere nigricant, & satis appropriatè vocantur à *Zacuto Lusitano de Med. princ. Histor. l.* 11. *p.m.* 385. *paßeæ*. Tales quidem, & habentur in nonnullis aliis affectibus, sed differentia in eo vertitur, quod viciditas in hisce nimis adsit, adeoque si linteamina iis intingantur, & postmodum exsiccentur, retinent illum flauum colorem, aliis autem lintea intincta, cum exsiccentur, humiditas cum illa flauedine auolat in auras. Vt plurimum vrina est crassa, turbida, ac turbata imò pauca. Fœces alui sunt sæpiùs subalbæ, & duræ instar albi græci, quia obstructæ sunt viæ, per quas humor flauus cum bile ad intestina ferri solebat, & sic fæces intinctæ excernuntur.

Aluus vt plurimum adstricta est, ob defectum salis in bile contenti, quia intestina solebat vellicare, & stimulare fibras ad excretionem, oculorum albugo & tempora flauescunt, quia volatilior pars magis sublimatur. Os amarum est, & siticulosum, Appetitus diminutus, grauitas circa præcordia, & in dextro hypochondrio, caput dolet, & somnia sunt turbulenta, capilli decidunt, respiratio difficilis. Specialia Icteri nigri signa dicuntur tota cutis ad nigredinem vergens, & colorem fuscum, vel liuidum dixeris. Sinistri hypochondrii grauatiuus dolor, tumor, vel aliàs dolor à longa ambulatione molestus, tristitia, pigrities, vigiliæ, deliquia, vrina ad nigredinem vergens, aluus plerumque adstrictior, &c.

§. 5. Causam huius decolorationis efficientem, Veteres Galenici bilem esse seu abundantem, seu qualitate deprauatam dixere quæ se, vel symptomatice in totum corpus effundat; causæ antecedentes ipsis sunt, vel calida hepatis intēperies, in quo casu bilis nimia in copia

generatur, vel si ductus cholodochi obstruantur vel à bile crassiore, aut ab humoribus ei admixtis pituitosis, siue à calculis siue quòd iidem ductus comprimantur ab humoribus partium vicinarum, siue coaluerint defectu bilis. Icterum nigrum verò ab atra bile siue melancholia ortum suum habere fatentur, inde lienem accusant succum talem vitiosum depromentem, inde & dicunt causam proximam & coniunctam humoris melancholici in peripheriam totius corporis effusionem. Melancholiam hanc procreat & augmentat intemperies frigida & sicca vel totius, vel hepatis vel lienis inflãmationes & apostemata lienis, *Vsus An recte?* frequens Melancholicorum, hæmorroides suppressæ, mœror, & curæ diuturnæ sanguinis, vel bilis in succum atrum conuersio, siue per adustionem, siue per congelationem facta.

§. 6. *Paracelsus* Dogmaticorum *Galenicorum* de causis pathologiam prorsus turbare atque funditus euertere conatur, in lib. n. de Ict. c. 1. illorum opinioni audacter contradicit, qui bili hunc morbum acceptum ferunt, cum ex felle neque ægritudines neque colores consistant & in expl. fel ictéritiam tincturam parere negat, quia in eo nulla est tinctura, vti & splenem, quia non tingit, & bilis est in instinis. Colores enim ex commixtione salium oriri statuit, non aliter quàm colores diuersos à pictoribus ex permixtione diuersorum salium mineralium confici indies videmus. Ictéritia ergo citrina ipsi constat ex Vitriolo entalico & sulphure liquido: Nigra verò ex Mysep vitriolo & sulphure dissoluto. Plura alia hinc inde de hoc habet morbo, sed cum valde dubia sint & vix ad rem nostram faciant, his diutius immorari tædet, ad notiora ergò transeamus.

§. 7. *Helmontius* negat cum Antesignano suo *Paracelso* bilem peccare, sed Icterum ex vitioso digestionis & errore digestiuæ facultatis prouenire statuit, eò quod stercus liquidum sursum rapiatur, quod infernè purgari debebat, causam introducit venenum anodynum, hisce machinationibus sufficiens; nidus ipsius est à pyloro ad finem duodeni, & quiescit, sicque calculus & Icterus cruorem in flauum virus mutat; idque à mœrore sæpiùs producitur.

§. 8. *Willisius* Icteri causam in eo consistere opinatur, quòd bilis in hepate secreta ob vias obstructas omninò aut satis ad vesicam felleam transferatur, quin necesse habeat in massam sanguineã regurgitare, & sic à meatu Cystico & ductu communi obstructis oriri non dubitat. Accedit & nonnunquam totum sanguinis vitium, quando nimium ob particulas eius sulphureas & salino fixas supra modum exaltata bilis in cruoris massa vberiùs & ociùs progignitur, quàm per vias ordinarias secerni aut foras amandari queat, quare hæc à sanguine cum sero decedens partibus solidis affigitur, iisque tincturam suam imprimit, vnde & viperæ morsus, & potus generosioris abusus facilè hunc morbum excitare possunt, & ob eandem causam febrem tertianam facili marte hunc in morbum terminari posse putat.

§. 9. *Sylvius* cum prædicto Authore ferè eàdem oberrat chordà statuens impeditam in suo motu bilem ad intestina, ab obstructione ductus cholodochi aut succo pancreatico nimis viscido; deferri supponit etiam bilem dum in cysti generatur, & diutius detinetur quandoque mutationem notabilem subire propter quam sæpe moueatur illa & feratur impetuosius, & copiosius versus massam sanguineam, qui tamen solito minus permisceatur, sed ipsi duntaxat confundatur, adeoque facilius ab eadem recedat partesque solidas colore suo inficiat tingatque. Et à spiritibus valde volatilibus venenosis copiosius bili & sanguini admistis interdum Icterum produci non dubitat, & probat eum ex morsu viperæ natum.

§. 10. Qui *Cartesii* principiis suam superstruunt medicinam extimant morbum generari, si bilis quàm primùm particularum

larum figura peccet & motu, tunc illicò eius debita quantitas in partes, pro excrementis depelli solita non deponitur, quæ sanguini diutiùs inhærens & vnà cum ipso per partes circulans, quorum poris particularum figura non conuenit, cutem flauidine tingit & nostrum morbum arquatum excitat. Per bilem vulgò nigram dictam ipsi intelligunt particulas acidas, acres, crassasque eodem modo peccantes.

§. 11. *Nos* cum vulgo quidem putamus hoc in morbo ex varia obstructione hepatis & ductus bilarij impediri bilis excretionem ad intestina, atque sic ipsam regurgitare & cum sanguine deferri per vniuersum corpus, & illud colore suo flauo inficere, malo sc. iam inueterato, sed existimamus quoque simul visciditatem quãdam adesse huic humori flauo, quæ non tantùm faciat obstructiones in tubulis hepatis aliorumque viscerum per vniuersum corporis habitum, atque si stagnet ibi hic humor flauus (aliàs per vasa lymphatica rediret flauedo illa ad sanguinem & per cutem non transflueret), & impediatur per vasa lymphatica ad sanguinem deferri, sicque cutim flauere faciat. Non dubitamus etiam à commeatu (bile) intercepto Gasteronacem in ventriculo residentem màximè contristari. Neque Epar semper afficitur intemperie calida, vt vulgus censet, nam morbi huius causa & ab obstructionibus non solum ductuum bilariorum, sed & vniuersi corporis inprimis cutis tubulorum dependet, imò experientia docet sæpè hunc morbum in intemperie maximè frigida aliquando produci. Cæterùm nos nõ tantùm causam procatarcticam Icteri reijcimus in vini spirituũ aut vini generosi, sed & in frigidorum aquæ sc. potus aliorumq; viscidorum, & frigidorum alimẽtorum abusu hunc morbum natum obseruauimus. Non negamus etiam tamen posse & hunc morbum excitari à volatili sale sc. nimiaque spirituositate aut pinguedine bilis: sanguis enim quandoque vitiosè fermentatur bilis vitio, si bilis, vel eiusdem sulphur nimis exaltatum corruptum ac copiosum sit, vel eius sal acre lixiuiosum imminutum & debilitatum, vndechylus à scorijs aluinis non benè secerni, nec debito modo ad futuram sarcnificationem disponi potest, atque sic vitium primæ concoctionis, vti aiunt, non vel vix corrigitur in secunda. Ictero ergo particulæ acres & sulphureæ, vel venenatæ ansam sæpiùs nostro dant, prout ex morsu viperæ icterum producente videre possumus; quando enim multæ eiusmodi particulæ calidæ acres aut sulphureę iunguntur sanguineæ Massæ, ex conquassatione, multa tunc emergit bilis, quæ non potest omnis recipi à suo folliculo, ergo tunc necessariò in sanguinem restagnare & ad omnes corporis partes deferri debet.

Non dubito quin etiam conglomeratio spirituum animalium in orbiculares folliculi fellis fibras fiat, quæ ita hunc folliculum spasmodicè constringendo facit vt omnis bilis versus venam Portæ ad massam sanguineam regurgitet, quod & austerum circa orificium vesiculę fellis stagnans efficere potest; vti nec excludimus calculos, vermes, &c. Quando ex flauo nigricante colore cutis inficitur, indicium est Icteri nigri, in quo casu & suspicio bilem fixiorem vitriolicam adesse, quæ non tantùm excrementa, sed & totum corpus tingere potest, qui humor quoque gasteronaci infensior, inde & hic periculosior existit, de quo in sequentibus plura addamus, de Prognosi nempè acturi.

PROGNOSIS.

§. 12 Itaque egrediamur nunc ad signa prognostica, si quid enim est (vt sæpè monitum,) quod Medicum magis admirabilem reddat in praxi sane est Prognosis, hæc enim teste *Botallo de Medici & ægri munere* §. 22. omnibus præstat.

Huc spectant seqq. aphorismi Hippocratis sect. aphor. 4. 62. *quibus per febres morbus regius superuenerit ante diem septimum, malum*, quia viscositas maior est. Item S. 4. 64. aph. *quibus per febres morbus regius die septimo*, aut nono, aut vndecimo, aut quartodecimo *superuenerit, bonum* nisi dextrum hypocon-

hypochondrium *durum fit*, *alioqui* minimè bonum; quia crisibus vehementibus expellitur materia peccans, quod in nostris regionibus frigidioribus vix euenit. Item Senex noster ait *§. 6. aphor. 42. Regio morbo laborantibus iecur durum fieri, malum esse*: quia morbus tum est fixus & magnus. Ictérus qui criticus est sponte tollitur, ille etiam, qui à morsu producitur animalium venenatorum: difficiliùs tamen qui ab obstructione calculosa & carnosa seu ductuum bilariorum, seu pori bilarii in intestino; difficillimè is curatur in quo aluus lubrica est & mollis, aut qui inueteratus est, aut morbos aut symptomata coniuncta habet grauia, inprimis in grauidis, senibus, aut qui ab inflammatione oritur, aut scirrho hepatis, aut qui vt dictum in febribus ante diem criticum accidit, præsertim quando sine rigore oritur, tum morbosum in hepate significat, sic & graues alios minatur morbos, vt hydropem, ascitem, cachexiam, marasmum, similiesque alios. Sæpissime lethalis est Ictérus, si ex causa frigida producatur, inde etiam aliquando vasa lactea obstruuntur, hinc lenta macie & marasmo ægri pereunt. Iam ad curam Diæteticam.

CVRA DIÆTETICA.

§. 13. In cassum autem laborabit Medicus præscribendo remedia ei qui rectam diætam seruare nescit, eam verò non simpliciter cum vulgo de cibo & potu saltem intelligo, sed sex Res non naturales quorum agmen ducit

Aer. Cùm verò sine hoc ne momentum viuere possumus, accuratè ille hoc in affectu obseruandus & necesse est, vt sit temperatus, frigidum improbamus; frigus enim bilem viscosiorem reddit, & sic obstructiones pertinaces efficit; nec sit nimis calidus, Aer enim insertus pulmonum fibris, protractusque ad cordis cuentilationem, ac inde per latentes meatus vniuerso obrepens corpori, vim afferre valet: & quis non salubri aromatum afflatu hilarescere spiritus & dulci quodam gaudio perfundi, atque irrigari sentit? Æger facilè quoque bonique succi vtatur victu, capparibus, endiuia, rad. petrosel. aliisque aperientibus, & incidentibus tum herbis tum radicibus condiri curet, exulent omnes cibi, qui pituitæ scatent purgamento, vt sunt omnes viscosi, pisces, legumina, fructus horæi, &c. & qui in bilem proferendam faciles sunt, vt sunt omnia mellita & saccarata, atque aromatica, nimisque spirituosa, vt spiritus vini &c. hæc enim accendunt sanguinem, & bilem' flagrantius, secundum versiculum Horatii. 2. Ser. 2.

Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum
Lenta ferent pituita;

Nocet & omnis ingluuies, illa enim turbulenti spiritus inquietudo & fluctuatio à pastu ciborum immoderato euidentes sumit vires, nunquam sui compote animo, si corpus abundantiore cibo saturetur. Bibat ergo æger, vel decoctum aperiens vel cereuisiam medicatam, & interponat vitrum vini meracioris Michelbacensis vel Mosellani.

Nec nimio motui nec nimio torpori indulgendum est. Somni tempora non arctiora quàm noctis faciat, nec diei destinet quæ debentur nocti, nec nocti quæ diei, aluus sit laxa & arte & naturâ respondeat.

Animi affectus sint moderati, inprimis ira & tristitia teste *Helmontio*, quæ impedit digestionem non solùm stomachi sed & fellis.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 14. Iam demum veniendum ad id, cuius gratia reliqua omnia præmittuntur, *Curationem* scilicet. Et aggredimur primò ipsam methodum medendi quæ iuxta *Veterum Galenicorum* morem institui ita solet. Cùm obstructionem meatuum illiusque vasculi, per quem bilis é iecore atque liene, prout aiunt, ad intestina deriuatur, accusant, & inde iecur incalescere copiamque bilis simul coaceruari creditur, in eum finem Clysteribus aluum subducunt, quia ægri vt plurimum al-

gluum habent adstrictam, quia bilis non descendit, quæ intestina irritare solet. Dein humores, crassas obstructiones producentes, naturę obedientes reddunt incidentibus & aperientibus medicamentis; vt sunt rad. gentian. apij, asari, fœnicul. herb. fumar. chamæpyth. acetos. & id genus alia, ita aq. Eupator. lupulor. cuscut. fœnicul. cichor. Endiu. & decocta ex his parata, quorum formulas hic annectere haud libet, quia vbiuis reperies. Præparatum humorem postmodum euacuare solent euacuantibus medicamentis, vt sunt Electuarium de succo Ros. diaprunum sol. Tamarind. pilulæ de Rhabarbaro, Manna, Cassia aliaque Cholagoga. Si verò atra bilis peccauerit ad fortiora nempè melanagoga se conferunt, ex quibus omnis generis pharmaca, infusa, decocta, pulueres &c. pro morbi indicatione, Medici intentione, ægri voluntate, consuetudineque parare atque conficere solent, admittentes quoque pro re nata vomitoria. Post hæc diuretica & diaphoretica, verum iusto tempore ac debito modo exhibita, commendant.

Inter specifica laudat *Capiuaccius* infusionem limaturæ Chalybis, *Galenus* asparagum auriginosis præbet. *Aetius* lumbricos terrestres in furno exsiccatos cum myrrha tritos & pulueriſatos cum aliis appropriatis exhibet, & sic icterum postridie per vrinam profligari scribit; alii Hepar lupinum pro specifico commendant.

Inter corroborantia recensent species dialaccæ, diatrion santal. diarrhod. Abb. Theriac. Mithridatium, serum caprinum, decoctum prassij, cicer. rub. &c. stercus canis, & anseris. Si icterus niger adsit, Veteres vulgo splenetica ceu deobstruentia commendant, quæ tibi omnia *Macasii Promptuarium* exhibet.

§. 15. *Paracelsus* rhabarbarum Correctum excellentissimum icteritiæ remedium esse ait, corrigit autem per oleum amygd. dulc. Omnia excrementa, & stercora icteritiam curare scribit in *lib. de præp.* 1. Sal gemmæ & stannum ad huius morbi curam commendat, in *lib. de thermis.* Ea omnia quæ Icteritiam tollunt, ex Mercurio Veneris nata esse perhibet. Grana Iuniperi, & aquam cerasorum in Icteritia prodesse inculcat prædictus *Nobil. l. de Ictero c.* 3. magnificat lacertam sacculo inclusam vt, & araneum ad febrem, & icteritiam curandas, item stercus equinum in matula calefactum, & icteri eo datum iuuare scribit, vrinam quoque vesicæ inclusam, & VIIII. diebus fumo suspensam Icterum profligare ait.

Hermetici recentiores commendant spiritum vitrioli, salis Tartari cum croco, *Crollius* ol. succini laudat, *in Basil. p.* 193. *in aq. Endiu. cuscut. cichor. chelidon.* exhibendum. Inter specifica, & signata quàm plurima referunt, nos tantum potiora extremo quasi digito tangamus, sunt verò chelidon. radic. curcum. rhabarb. crocus lapis flauus in felle bouis repertus, radix anchusæ, pellicula flaua de pedibus, & ventriculis gallinarum, vrina ægrotantis cum succo marrubii bibita, lumbrici terr. stercus canis, anseris præsertim si chelidonio nutriatur, caprin. equi, cinis plumarum passerum, cerebrum perdicis, pediculi, cimices, scarabæi, tinea viua vmbilico imposita donec moriatur, alii lacertam viuam in bombycino panno inserunt, & de collo suspendunt, vt & araneam viuam.

§. 16. *Gelmontio* teste omne id curat Icterum, quod virus istud cruore flauum commutans extinguit, antidota sunt omnia alcalia, vt sunt millepedes, lumbrici, pediculi aliaque insecta, quatenus nempe virus tollunt quòd præfatas facultates alienat: non autem quòd eiusmodi vermes, aut simplicia statim cystim fellis obstruant aut deoppilent p. n. virulentum, quod pylorum sic malè affectat, vt digestiuæ simulque distributa, alienentur; sic subinde à serpente, vel vipera demorsus, statim ictero efficitur. Non autem quod morsus vel ictus in pelle confe-

stim occluserit meatum fellis in ieiunum. Proinde Ictterus iuxta Authorem nostrum per appositos flores chrysanthemii dentis leonis, aliorumque multorum similium, non rarò quoque per antidota quædam pyloro congrua sanatur. Iuuant & Rhabarb. crocus, curcum, lapathum non quia flauent, sed quatenus prosunt ad detersionem veneni. Magnificat ipse etiam salem vrinæ ad curandam icteritiam, & tanquam summum & probatissimum laudat remedium.

Sic etiam lucius piscis stomacho viuus impositus virus extinguit.

§. 17. *Vvillisii* Curatio huius morbi absoluitur beneficio accuratæ methodi medendi, quæ secundum tres indicationes progreditur, (1) vt ductuum aut pori bilarii, aut meatus cystici vel vasorum cholodochorum obstructiones tollantur, & aperiantur, (2) vt sanguis, ne bilem supra modum progignat, aut secretioni ineptum reddat, ad iustam temperiem & crasin reducatur. (3) vt vires conseruentur, & symptomatis occurrantur. Indicationi primæ vt satisfaciat, purgantia præscribit, quibus bilis versus intestina descensus irritetur, simulque vasa obstructa ab infarctu liberentur, in quem finem, & suadet vomitoria, dum nempe viscerum tonus, & vires constat, hisce enim ventriculis phlegmatis viscosi saburra aggrauatus alleuiatur, & simul vasa cholodocha irritando atque ductus omnes hepaticos valdè succutiendo infarctiones eorum expediunt, & bilis per vias prius assuetas transitum solicitat.

Inter hæc vomitoria magni æstimat infusum croci metallorum cum vino scyllitico & oxymell. s. vel pulu. asari ad ℥ß. c. sec. ul. aron. & Tartaro vitriolato vel g. viii. cum tartar vitriolat. gr vi.

Ex purgantibus eligit præ aliis Elect. è succ. ros. ad ℥ß. vel Rhabarb. ℥ß. salis absynth. Crem. tartar. à ℈ß

Vel si placet infus. & apozema, apud ipsum Autorem videre poteris. Et sequentem quoque concedit pulverem:

℞. *Rhabarb. opt.* ℥ß. *ad* ℥ i.
Sal absynth. ℈ i. *m. f. Pulu.*

Hisce præmissis author ad deoppilatiua & specifica transit, quæ sunt vel diuretica vel diaphoretica, quatenus sc. huiusmodi medicamenta bilis à sanguine secretionem promouent, eiusque secretæ per ductus & meatus in hepate nimis patentes transitum vrgent, & simul recrementa biliosa per sudores & vrinas amandari faciunt, vt sunt Tinctura antimonii, vel elixir propr. p. ʒ i. ad xx. gutt. exhibenda Mixtura f. & sal Tartar. etiam conueniunt: denique Author prælaudatus vires Antiict. Gesneri hoc in morbo deprædicat,

℞. *Rad. vrtic. mai.* ℔ j.
Croci ℈ i.

Contundatur probè, & cum vino albo extrahatur Tinctura, dosis ʒ iiii. manè per iv. dies. Magni æstimat quoque sequens Ioelis:

℞. *Rad. Chelidon. mai. incis. m.* ij.
gran. iuniper. m. j.
Contusis affunde vin. Rhenan. ℔ j.
Extrahatur succus, dosis ℥ iiij.
bis in die.

Sequentes pilulas ex autore hoc nostro probatas reperi:

℞. *Pulu. curcum.*
Rhabarb. ana ℥ i ß.
Cort. med. cappar.
rad. asari ana ℥ ß.
Extr. gentian.
cent min. ana ℥ j ß
sal absynth. ℥ ß.
sem. nasturt. ℥ ß.
erucæ ℈ ß.
Elix. propriet. ℥ ß.
gummi ammoniac. solut. in aq. lumbric. q. s. f. Masia pilularis, formetur in pilularis exiguas, dosis ℥ ß. *mane & vesperi.*

Inter specifica & huic morbo appropriata commendat lumbricos terr. stercus anserinum & ouinum, millepedes in forma pulueris vel c. aqua chelidonii expres-

pressos, qui succus expressus bibantur bis in die per septimanam. Sic & ob salem volatilem deprædicat remedium vulgare, & empiricum nouem sc pediculos viuos. Propter eandem iuuandi rationem flores salis armoniaci sal succin. C. C. fuliginis, ♎ C. C. c. Croco tinctum à gutt. xv. ad xx. Conferre & chalybeata, acidulas & id genus alia testatur.

Inter externa & sympathetica laudibus vehit Tincam piscem viuentem Icterici hypochondrio dextro aut plantis pedum applicatam. Morbum quoque hunc inueteratum & alijs remedis surdum feliciter curatum Author nouit sequenti secreto remedio.

℞. Vrin. Isteric. recentem, quæ vna vice mingitur, cineris lignorum fraxini cribrati q. s. misce & redige in massam, quæ formetur in tres pilas æquales in loco calido propè focum aut hypocaustum collocandas, quando pilæ hæ indurescent Icteritia quoque euanescit.

Inter cardiaca laudat sequentem mixturam.

℞. Aq. Mirabil. ℥ viij.
lumbric. ℥ iv.
Syr. è cort aurant. ℥ j. *M.*

si dolores vrgent ad anodyna confugiendum vult.

§. 18. *Sylvius* in hoc huius affectus curationem vertere existimat, vt remotiores causæ, animi sc. mœror, abusus potus generosioris seu vini, seu ♎tus vini, vitetur, inprimis vt venenum qualecunque bilem immutans, & vitians viperinum sc. corigatur ac emendetur, & tandem ad intestinũ deducatur, simul pituita viscida ductum cholodochum obstruẽs incidatur ac educatur, ad quam incidendam conducunt omnia aromatica, & salia volatilia; ad educendam verò varia purgantia Rhabarb. &c. quibus verò palmam præripere dicit sequens apozema.

℞. Rad. rub. tinct.
chelidon. mai. apij ana ℥ ß.
fl genist. m. ß.
sem. aquileg. petrosel. anis.
ana ℥ j.
Tart. crud. ℥ jß
coq. ex vin. alb. & aq. pur. ana q. s. in Col. dissolue syr. diaconici de cichor. c. Rhabarb. ana ℥ j. ß.
M.

Æger assumat bis terue in die tantum huius apozematis, vt bis terue inde deijciat, & vnà cum pituita bilem excernat. Si à veneno viperæ originem sumpsit hic affectus conducunt sudorifera sale volatili abundantia, vt sunt theriaca Andromachi', trochisci viperarum, Antimonium diaphoret. bezoarticum minerale &c.

Remedia ipsius Authoris Empirica & specifica sunt semen Cannabis in lacte bubulo ad crepaturam coctum, & colatum, huius decocti ℥ v. ter quaterue de die ebibat æger, item sapo Venet. ad ℥ j. in lacte calente dissolutum, & tantillo saccharo edulcoratum etiam bis aut semel in die exhibitum. Tincturam Croci cum Libratu volatili paratam magno encomio extollit. Ipsiusque quoque opium tanquam potentissimum spirituum animalium domitorem, vt & quatenus oleosum est ac pingue hoc in morbo magnipendit, pinguia enim & oleosa vincire spiritus animales, & Icterum curare nullus dubitat, & confirmat id per mineralium metallorumq; sulphura fixa & anodyna, volatiles spiritus blandè figentia, & sedantia. Ad cutis colorem flauum tollendum commendat ipse sequentem mixturam.

℞. Aq. graminis
absinth. ana ℥ iii
Tincturam croci,
Libra Sal^t ci ana ℥ ß
bezoart. Min. ℈ j.
laudan. opiat. gr. iij.
syr. fœnicul. ℥ j. *M.*
Cochleatim sæpiùs exhibendæ.

Si sudor erumpat citior plerumque Curatio expectanda erit, sin per vrinas plus deponatur materiæ rubentis & paulo post subsidentis, segnior erit exspectanda.

§. 19. *Nos* cum *Cartesianis* sequenti modo institutam volumus huius morbi curationem.

Ab initio purgantia non probamus, & Rhabarb. aut folia sennæ non coqui debent, vt alii volunt, sed potius per infusionem vis purgans est educenda ex iis, aliàs quoque particulæ ex iis eliciuntur, quæ post purgationem aluum iterum adstringunt, quod valde incommodum & noxium esse poterit.

Apozema ergo sequens semper proficuum fuit, quo semper initium curationis facere soleo:

℞. *Rad. Tarax. chelidon. mai.*
ana ℥ j.
Herb. cichor. fragar. ana m. j. ß.
marrub. m. ß.
Tartar. albiss.
fol. senn. ℥. iij.
infund. in anat. part. vin.
& aq. & coq. a colat. ℔ ij.
Vel
℞ *Herb. marub.*
cusc ut.
chelidon. mai.
abrotan.
anserin.
flor. hyper.
aquileg. ana m. ß.
Curcumæ ℥ iij.
Rabarb. Monac. ℥ ij
fol. sennæ s. ft. ℥ j.
crystall. Tartar. ℥ iij.
rad. chelidon. mai. ℥ j.
f. l. à nodulus.
℞. *Lign. Sassafras.* ℥ ss.
guaiac. rasp.
Cortic. eiusd. ana ℥ vj.
Chinæ ℥ vij.
Sarsaparil. ℥ x.
Liquirit. ras. ℥ iij.
rad. chelidon. mai ℥ i.
curcum. ℥ ß.
herb. chelidon. mai. m. ij.
verben.
betoniæ,
melis s. ana m. ß.
Tartar. crud. albiss. ℥ ß.
Sem. anis. ℥ ij.
canab. ℥ v.
fœnicul. ℥ j.

Fiat infusio calida per noctem aut amplius in vase duplici benè clauso in vino Rhenano q. l. f. decoctio lenta Colat. ℔ ij.

adde
Mell. scyllit. ℥ i ß.
sal absynth. ℥ j.
lib. sal armon. sacc. ci,
∇ *vitæ Matthioli* ℥ i ß.
M. f. apozema

Quo appositè humores crassos, meatus quosuis obstruentes incidere & è latibulis suis educere possumus, cùm pituitosi humores sine præuia præparatione vix commodè educantur.

Decoctum herbarum & radicum aperientium, chelidon. maioris præsertim si ei addantur stercora anserina, potentissimum est hoc in casu sequens:

℞. *Rad. cichor.*
chelidon. mai.
rub. tinct. ana ℥ iij.
herb. chelidon.
Taraxic.
Chamædr.
agrimon. ana m. ß.
Sem. anisi
danci,
carui ad ℥ j.
stercor. anser. verno tempore coll.
ouin. ana ℥ ß.
Coq. in aq. caud. q. s. ad ℔ j ß.
in Col. dissolue
syr. de cichor. c. Rhabarb. ℥ j. ß.
M.
Vel: ℞. *Herb. fragar.*
cum radic. m. iij.
pasul. min. ℥ iij.
Coq. in s. q. font.
f. potus gratus.
Vel: *Infus. chelidon.*
c. vino parat.
singulis matutinis
horis sumat patiens
haustum.

Post huius vel alius apozematis vsum purgetur æger tali vel alia formula:

℞. *Elect. diacathol. ol. succ. ros.* ℥ j ß.
Rabarb. el. ℥ ß. *ad* ℥ j

Mer-

Mercurii dulc. gr. vj.
M. f. Electuarium.
Vel *Tinct. nostr. rhab. c. sal. armon. tart. c. aq. Endiv. & cichor. extr. ad ʒ ß.*
ad ʒ j. exhibenda.

Quia & aloetica sæpiùs profuisse obseruauì, sequentes pilulę proderunt.

℞. *Extr. aloes gr. xii.*
resin. scammon. gr. iij.
ℨ dulc. gr. x. ol. macis gutt. j.
M. f. pilulæ.

Vel forma pulueris:

℞. *Pulu. laxat. ☽ j.*
mag. Gialapp.
scammon. à gr. iii.
Chrystall. tartar. martis gr. x.
M. f. puluis.

Conducunt & clysteres ex aperientibus ad ductum choledochum aperiendum. Si biliosa colluuies, & viscida saburra in ventriculo lateat, tutissimum quoque erit vomitorium propinare, quibus diaphoretica admiscere soleo, vt sic vna fidelia plures dealbentur parietes.

℞. *Tartar. Emet. gr. ii. l. iii.*
Antimon. diaphoret. gr. vi.
sal. absinth. gr. ij.
M.

Prosunt dein omnia, quæ digestiua sunt in sanguine, vt Tartarus nitratus, lapides pretiosi, margaritæ, ocul ♋, præsertim si austeritas quædam adsit vel sanguini, vel ipsi bili, tunc etiam chalybis aliquid exhiberi posset, atque sequens proderit Electuarium:

℞. *Chalyb. ppt. ʒ i.*
spec. diarrhod. Abb. ℨ ß.
sal. absinth. ℨ j. ß.
C. syr. acetos. & cichor. ana q. s. f. Electuarium.

De hoc Electuario æger assumat mane ℨ j. quantitatem quotidie per xii. vel xv. dies.

Item prosunt Tinctura flor. aquileg. spiritus aperit. Penoti M. p. æq.

Si verò nulla austeritas adsit, tunc hęc non ità conducerent, sed tunc salibus aliisque aperientibus conuenientibus obstructiones solui debent, in quem finem specificum sequens tanquam arcanum communico.

℞. *Stercor. anseris verno tempore collecta & in sole exsiccati, pulli gallinac. ana ℨ j.*
Lapid. fulminant. ℨ ß.
sol. absinth. th. ☽ ij.
pulu. Cinnamomi ☽ j.
sacchar. ℨ j. ß.
M. f. Puluis subtilissimus,

Diuidatur in iv. partes æq. singulis matutinis horis ventriculo vacuo præmissis vniuersalibus assumat æger, quo sæpissime morbum hunc regium planè eradicatum, & euulsum vidi.

Vel ℞. *Pell. gall. ventric. & ped. flau. ac etiam anserum ℨ i.*
Sal. Armon. vrinæ, lumbricor. chelidon. mai. ana ☽ i.
M. f. Pulu.

Prosunt & stercora, vt ouium, asininum, caprinum, caninum, equinum in infusione in vino, aut in eo coctum, sal enim è stercore asinino elicitum potentissimè deobstruit, excrementa enim horum animalium tota sunt nitro sulphurea, vnde hæc mirificam habent incidendi, attenuandi & dissoluendi vim, viresque simplicium, quibus animalia illa nutriuntur retinent, qui in quintas quasi essentias per digestionem, & concoctionem in horum animalium ventribus conuertuntur, hinc tam efficaci operandi energia, ad plures & diuersos morbos euellendos, excellunt.

Sal quoque ex capite mortuo vitrioli, per iteratas cohobationes exaltatum spiritus, & salia vrinæ, & Armoniaci in deobstruendo hic præstant. Nos magnificamus sal. volat. lumbric. asellor. scarabæorum, brucchorum, &c.

Spiritus salis armoniaci acidus, & Martis dignam admiratione vim hoc in morbo possident, libratu hoc combinato misceri debet potus ordinarius, vt vix gustaretur aciditas, quo solo remedio, & nos plures liberauimus. Sal. Tartar. volatil. Tinctura Tartar. Antimon. spiri-

ritus salis simpl. & commun. aperitiu. Penoti, croc. mart. aperit. &c. specifica sunt.

Fixa & conducunt diaphoretica modo simul meatus aperiendi potestate gaudeant & vel subtilisant, & incidunt humorum mucilaginem absorbentque, quod præstare possunt Tartarea, salina, Antimoniata Mindererus commendat cyclaminis puluerem ad ʒ ß. in multo vino: Sic & diuretica etiam hoc morbo commendamus tanquam absterſiua salia, quæ bilis viscedinem, & mucilaginem corrigunt, & per vrinam educunt; videmus quippe, & vrinas Ictericorum præter croceam Tincturam contenta copiosè exhibere, quæ promoueri gestiunt, vnde mutatione coloris, & contentorum Tartareorum facta, de morbi quoque declinatione argumentum licet capere.

Sunto nonnullæ formulæ:

Excellens est,

Tinctura croci cum spiritu vrinæ volatil. parata ad gutt. xv. xx.

℞. *Spirit. Tartari,*
sal. armon. ana ℈ j.
Antimon. diaphoret. ℈ ß.
rob. sambuc. ʒ j.
Aq. Chelidon. mai. ʒ j.
Cinnamomi ʒ ß.
M. f. Potio.

Vel ℞. ℥ *nti. diaphoret.*
Martial. ℈ ß.
pro vnica vice.

℞. *Sal. Armon. vrin.* ℈ ß.
succin. volat. gr. v.
ocul. ♋ ʒ ß.
M. f. Puluis pro vna dosi.

Inter alia, & conuenit libratus Penoti aperit. liq. splenet. Schrod. arcanum Tartari, &c.

Nonnunquam sequitur hic morbus febres, & significat obstructiones esse factas, quibus superuenientibus febribus, non potest esse nisi malum, aliquando tamen criticus est in febribus, & tunc non ita malum.

Radices cichor. c. passulis minoribus loco lactucæ in cœna sumpta conueniunt.

Nihil est quod magis succurrat hoc in morbo nostro Gasteronaci, quàm pinguedo canis destillata, item viperina, quæ sæpiùs iuuit reliquis in crassum tentatis. Si verò suspicio adsit esse icterum à conglomeratione libratuum animalium versus folliculum fellis, eundemque comprimente, & spasmodicè afficiente, in eum scopum conducent cinabarina, inprimis Cinabaris nostra solaris ad ℈ ß. cum salis* c. gr. vi. Balsamus quoque neruinus, spirit. sal.* ci cum Croco tinctus liq. C. C. succinat. aliaque neruina valde proderunt.

Si lypothymia accesserit, & vires valde fractæ fuerint sequens conducet mixtura:

℞. *Aq. Cent. min.*
fumar.
fragar.
perlar. ana ʒ j.
Cinnamomi ʒ vi.
vas. ebor. ppt.
C. C. ppt.
Tinctur. Croci ana ℈ i.
libra Sal. Armon. dulc. ℈ ß.
Syr. de Cinamomo ʒ vj. ℳj
M. f. mixtura cochleatim assumenda.

Inter externa vulgo commendamus sequentia, Ex. gr. tinca viuens vmbilico apposita, vel aranea auellanæ inclusa, & de collo suspensa. Item lacerta in sacculo indita, & gestata. Chelidonium maius, & bursa pastoris ex experimento Matthioli soccis pedum inclusa, sed cum hæc iam ante etiam relata me semper fefellerunt, nolui in his prolixior, & longior esse. Sed tamen inter curas magneticas sequentem aliquoties reperi probatam, cuius tamen hactenus indagare, non licuit causam, patiens mingat in vas aliquod aurichalceum, & per 111 dies asseruet vrinã, dein coquat super ignem coctam vrinam, tandem aquæ fluenti, non stagnanti infundat.

Nigro verò tanquam desperato ictero vt occurramus remediis nobilissimis ordo nunc postulat, ab initio hìc conuenit decoctũ Antiictericum Cl. *Wedelii* sequens.

℞. *Rad.* 5. *aper.*

rub.

rub. tinct.
cichor. ana ℥ ij.
herb. agrimon.
hepat. nobiliſſ.
fragar.
ſum. marùb.
cent. min.
abſinth. ana m. ß.
flor. hyperic. p. ij.
ſantal. flau. ℥ ij.
Croci ℥ ß.
Cinamomi ℥ j.
Coq. l. a. in aq. & vin. q. ſ.

Nodulo quoque *Foreſti* ſequenti adhuc nuper virginem hoc laborantem morbo feliciter libeſaui.

℞ *Rad. rub. Tinct.*
rhapontic.
Chelidon. mai. ana ℥ ß.
rhabarb.
curcum. ana ℥ ij.
Troch. de Eupator. ℥ j.
Croci ℈ j.
fol. fragar.
marub. à m. j.
ſchoenanth. ℥ ß.

Dentur inciſa ad nodulum pro j. menſ. vini Sequente, & vſa eſt mixtura.

℞. *Aq. polychreſt.*
aperit
Hepat. Mynſ. ana ℥ iiij
Cinnamomi ʒ ß.
Eſſent. chelidon. mai. ℥ ij.
Sal. ci aniſ.* ℈ j.
ſyr. de 2b. rad. ʒ ii. *M.*

Conueniunt & hic omnia ſalia volatilia acria quibus obtunditur corrupta, & nimia bilis oleoſitas, è contra verò augetur, & acuitur eius ſal obtuſum, & ponticum ſimulque acidum pancreatici ſucci corrigitur, præter hæc, & conducunt ſalini ſpiritus oleoſis temperati, vt ſunt ☌tus vrinæ lumbricor. cum eſſent. chelidon. mai. abrotan, cent. min. curcum. tarax. iunctus, ſpiritus quoque panis triticei, vel ſeccalini ad reſtituendam ſanguinis debitam tincturam, & craſin bilis vitio læſam conuenit, pro ſpecifico hoc in affectu dicunt eſſe lapidem ſulminarem, & exuuias ſerpentum, quatenus forſan acidum in primis viis hærens abſorbent. Laudantur & Martialia. Conducet ergo *Langianus* puluis encomio *Simonis Pauli* notiſſimus.

℞. *Limat.* ♂ ℥ i. ß.
ſemin. aquileg. ℈ j.
pulu. lumbric. terr. ℥ ß.
M. f. puluis.

Vel ℞. *Lap. flau. Tauri.*
Sal. Armonia. lumbric.
chelid. mai. ana ℈ i.
M. pro 2b. vicib.

Amara quoque omnia vt, & ſplenetica maximarum erunt virium.

Ad reſtituendam quoq; iterum ſanguinis craſin in declinatione ſequens præſcribi poteſt,

Deſtillatum Antiictericum.

℞. *Rad. Anchuſ.*
rub. tinct.
chelidon. mai.
curcum.
cichor. oxylapath.
aſpar. ana ℥ ß.
fol. agrimon.
Chamædr.
fragar. Epat. nob.
flor. calendul.
geniſt.
hyperic.
cent. min. ana m. j.
Cort. flau. inter oxyacanth.
Tamariſc. ana ʒ ß.
bacc. beder. ℥ j. ℔.
lumbric. terr.
milleped.
ſcarabæor. maial. ana ℥ iij.
ſtercor. anſer.
Gallin. verno tempore collect.
ana ℥ vi.
croci ℥ ß.
Infund. in vin. & aq. chelidon. mai.
ana ℔ j.
per VI. *dies adde*
ſucc. naſturt aq. ℔. j,
poſt VI. *dies deſtill. l. a. ex organo*
vitreo.

De quo deſtillato capiat ſingulis horis ma-

matutinis & quarta pomeridiana tria cochlearia plena.

Vel ℞. *Rad.anchus.*
rub.tinct.
apij dulcamur.
oxylapath.vrtic.mai.
asparag.curcum.
chelidon.mai.
Herb.agrimon.cent,min.
capill.Cupram.cord.benedict.
chamædr.fragar.
Cuscut.
flor.Buphthalm.lut.calendul.
aquileg.hyperic.
sem.bedeg.arbor.aquileg.
Cort.med.oxyacanth.flau.med.
sambuc.flau.
Tincturæ Rhabarbar.rhapontic,
Limat.Chalyb.
lumbric.ter.ppt.
Infund.c.aq.abrotan.Cuscut.Endiu.Vini,
atque destilla quod ob vires eregias & appropriatas aquam cysticam appellare libet.

Cùm remedia hęc alia leuamen non afferunt ad transfusionem vel infusionē trāseundum est,sed cum in his locis plebs abhorreat, & Medicus facilè famā suam exponat,cautius procedendum esse iudico.

Ad acidulas verò minerales tutius ibis!

Empirica sunt fel hyænæ, ad III. guttas c.aq.chelidonij mai.sumptum procertissimo arcano à Medicis Græcis venditur.

Cor quoque auis paruæ dictæ comestum ictericos sanare dicitur.

Psittacus in puluerem redactus ad ℥ j. exhibitus adiuuat omnes Ictericos. Sic etiam notabile est quod epar testudinis marinæ c.aq. chelidon.mai. contusum & dein bibitum Ictericos sanat.

Sequens experimentum neminem facilè fallet vrinam ęgroti inde ollæ,quam regula cooperi & ad mediet.coq.& fimo equino absconde.

CAPVT IX.

DE HYDROPE.

§.1. HYdrops, alijs hydropisis, aqua inter eas *Celso* morbus hydropicus *Paracelsus* rorem humidum seu resolutum salem seu liquorem ad differentiam aquæ simplicis vsualis vocitat. Hydrops in genere colluuiem notat serosam, quæ si in capite, hydrocephalus, si in pectore, hydrops pectoris, si in abdomine, hydrops Ascites, si in scroto, hernia aquosa, si in vtero, hydrops vteri, si in habitu corporis vniuersō, hydrops anasarca aut Leucophlegmatia, si verò in abdomine distenta pariter à flatibus intestina abdomen tumefaciant, vt vel percussū vel compressum sonum edat instar tympani, *Tympanites* audit.

Hoc autem capite potissimum Tres illas species,Ascitem anasarcam seu Leucophlegmatiam, & Tympanitem considerabimus & imò quidem ab Ascite initium faciemus, in qua serosa colluuies in abdomine collecta, siue in eius cauo, siue intra hydatides concluſa siue inter omentum, peritonæum, & musculos abdominis collecta, mirum in modum distendit, & cum abdomine etiam quandoque scrotum, aut pubem aut crura pedesque inde ascites & alijs dicitur vtricularis propter similitudinem quam habet venter aqua repletus cum vtre.

DESCRIPTIO.

Hydrops verò in genere describitur vulgò quod sit Tumor vniuersi corporis, vt plurimum abdominis ex aquosę seu flatulentæ materiæ collectione. Variat autem iste Tumor pro diluuij varietate, prout nimirum plus, vel minus humoris aut flatus ibi existit, eò maior vel minor redditur tumor.

PARS AFFECTA.

§.2. *Pars Affecta* veteribus dicitur maiore ex parte hepar vt instrumentum sanguinis generatiuum, alij *eorum* accusant mesenterium, nonnulli lienem. Quidam Neotericorum ieiunum intestinum & in eo contentas venas lacteas pro parte affecta agnoscunt. Nos hìc accusamus vniuersum quasi corpus, genus venosum & neruosum, quatenus in ijs sanguis & Libratus animales non rectè mouentur, & à suis excremētis liberantur,nec excludi-

dimus ruptas venas lacteas, &c. putamus tamen, & sæpiùs hoc in morbo omentum affici, cuius vasa sæpiùs rumpuntur, & quibus ruptis omne potulentum in cauitatem abdominis effluit, per omentum enim suspicior potulenta ad renes peruenire, hinc illa animalia quæ carent omento nullam mingunt vrinam, quod in auibus, piscibus &c. videre est, ad quam sententiam confirmandam plura cultro meo subieci animalia, quibus, semper ante sectionem magnam quantitatem limpidæ aquæ infundi curaui, postmodum ea aperui viuentes, ventriculum aqua adhuc distentum reperi, quo tamen manu mea presso vasa illa omenti ad ventriculum protensa instar lactearum venarum pinguedine hinc inde tectarum turgida iucundo vidi spectaculo, & cùm in corpore sano pori ventriculi, & meatus aliis semper sunt patentiores quàm in mortuo, vbi omnia collabuntur, ideo non admiranda est illa transmeatio, & quod notandum, in hydropicis à me dissectis omentum, vel putridum, vel laceratum, vel tumoribus infertum reperi in qua opinione me adhuc confirmauit sequens experimentum. Nuper Hanouiæ factum herniotomus ciuitatis illius experimentissimus *Wedling* dictus, quendam ab omentali hernia sectione liberauit, quia tamen simul excisa fuerat magna omenti pars, æger adhuc superstes de vrinę difficultate maximè conqueritur, & si nimium potulenti affumat magnum circa ventriculum dolorem sentit, & semper ferè alium laxam habet, hinc meà coniecturà nonnulla vasa quæ □nam rectà ad emulgentes vehunt, simul abscissa fuerint, vnde omne potulentum, pergit ad intestinum duodenum, ibidemque impedit illam fermentationem ciborum, & omnes ferè fibras laxas reddit. Potest adhuc etiam per id probari, quod non omne potuleutum transeat per intestina ad venas lacteas, & dein per ductum thoracicum ad cor, quia pylorus stomachi est reflexus, ne quid potulenti effluere possit certum est igitur potulenta fundum ventriculi petere, & per ipsum transudare ea qua omenti iungitur regione, & si hæc vasa, vel ipsum omentum sint, vel lacerata, vel rupta, vel putrefacta, vel tumoribus œdematosis referta, necessariò potulenta in cauitatem abdominis decidunt, & sic hydrops excitatur.

Spiritus quoque hasce partes non benè irradiantes, & poros ventricnli aperientes hunc morbum producere posse, non dubitamus.

CASVS.

§.3. Fęmina Ciuis Hanouiensis *Damian* dicti, xxx. annorum, grauida à VI. mensibus temperamenti phlegmatici variis diætæ erroribus indulgens incidit in febrem tertianam, varia ad febrem hanc depellendam assumpsit, & ad sitim extinguendam multis abusa potulentis frigidis, vnde febris transit in Anasarcam, totum corpus in immensum tumuit, tandem fętum mortuum VII. mensium parit viribus valde deficientibus: Ego iussu *Diaconorum Ecclesiæ Gallicæ vocatus* cum admiratione corpus illud ędomatosum aspexi, vrina erat pauca, & subrubra, facies flauebat, vigiliæ vrgebant, aliquando adhuc febricitabat, cum siti Tantalea appetitu prostrato, mærore ob paupertatem coniuncto. Ægra petit consilium, & Deo sit laus, à me (absit iactantia dicto) cum admiratione totius ciuitatis feliciter sanitati restituta est.

ALIVS CASVS.

Sic & ibidem nobilis quidam Dominus Roder dictus annorum 53. post febrem malignam incidit in hydropem Ascitem dictam, abdomen enim cum pedibus tantum intumuit, crura enim ędomatosa & laxa foueam impressam diu seruabant, colli vertebrę, & clauicula maximè, erant conspicuè, sitis aderat intensa, cum appetitu prostrato, vrina erat pauca clara tamen, qui similiter cum Deo infra dicendis remediis à me feliciter curabatur.

DIAGNOSIS.

§. 4. Facilè autem cognoscitur Ascites, nam in eo primò abdomen valde tumet, indiesq; tumor iste valde augetur, præsertim

sim à copiosore assumpto potu, & cibo, & sæpiùs obseruaui, quod tumor ille quoque augeatur decrescatque pro varia Lunæ phasi, incremento aut decremento. Cum abdomine etiam interdum, & quasi semper tument in vtroque sexu pubes, crura, & pedes, in vitis scrotum, per quod à natura apertum militem vidi liberatum, qui per id plus quàm 40. libras aquæ emittebat, & feliciter sanitati restitutus fuit. In lecto aliquando sed non semper se conuertentibus de latere in latus manifesta percipitur fluctuatio. Respiratio difficilis & crebra, & anhelosa, diaphragmate sc. in motu suo impedito. Vniuersum corpus sanguinis ipsis marcescit, & extenuatur; semper adest tussicula eaque sicca interdum humida, aqua enim subinde penetrat ad pectus, & pulmones. Etiam subinde febris continua lenta atque hectica, quod sanguis sero suo depauperatus, nec à nouo allabente chylo dilutus, & crescat, & lêtescat & acrescat. Vrina vt plurimum est rubra cum crasso sedimento, facies flauet, & videtur æger quasi ictero laborare, vnde eleganter signa serè omnia comprehendit *Franciscus de Porta de sign. morb. l. 3. c. 12.*

Hydropem fœdus color arguit, & tumor ingens. Et sitis, & dyspnœa, cibique auersa cupido. Occupat & varias inflatio turgida sedes: Quandoque, quamuis non semper, appetitus prostratus, nausea, vomitus, diarrhæa, vlcuscula in pedibus, cruribusque manantia. Semper hunc morbum comitatur Tantalea sitis, quæ bibendo exasperatur, nam quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Hydrops Anasarca verò, vel Leucophlegmatia cognoscitur ex tumore laxo, molli, & plerumque pallido totius corporis, omniumque eius partium extremarum, & digitorum impressorum remanent stigmata. Ægri non semper vt in ascite sitibundi sunt. Sed vt facilè cognosci, sic non facilè curari potest, faciliùs tamen cæteris partibus, quàm duæ reliquæ priores species. In tympanite facies non ità de naturali recedit statu, & tumor abdominis hìc à flatibus intestinis præcipuè inclusus, partim verò ab extrauasato sero productus, tantus, vt quando abdomen, vel comprimitur, vel percutitur sonum edat instar tympani percussi. Dixi illum affectum produci partim à flatibus, partim autem ab extrauasato sero, propterea quod tympanites rarò solitarius est, d. ordinariò ascitem habet comitem quamuis à solis flatibus oriri posse nuper me docuit experientia in puella 15. annorum, in qua ne guttula quidem aquæ, vel seri in abdomine existebat, abdomẽ & intestina flatibus erant distenta, & percussũ abdomen manifestè sonitũ edebat. Triæ verò hunc morbum semper comitantur symptomata, dyspnæa, vrinæ paucitas, & sitis intensa. Dyspnæa oritur ab aqua diaphragma comprimente, vnde naturalis eius motus sufflaminatur, vrinæ verò paucitas oritur, quia lympha, seu serum quod per ductus vrinarios ordinariè eliminari dubuerat, in cauitatem abdominis demittitur. Sitis est, & ab acredine seroſę colluuiei in abdomine stagnantis, vnde & æger febre quadam laborat.

CAVSÆ.

§. 5. Tunc demum scimus, quando causam cognoscimus, ait *Stagirita*, quare & nobis, vt in accuratam morbi cognitionem deueniamus, causas indagare incumbit, & quidem primò ad mentem *Galenicorum*, quibus causa efficiens proxima immediata est materia nutritioni inepta serosa nimium pituitosa, vel flatulenta in cauitate ventris infimi, vel inter carnem, & cutem collecta copia sua partes corporis distendens. Antecedens propinqua est sanguificationis frustratio, à frigida hepatis intemperie producta, quæ propriam sanguinis substantiam intemperatam, & ad opus sanguificationis absoluendum ineptam reddit, hinc *Auicenna* dicit, in hydrope semper adesse intemperiem hepatis frigidam, & *Aetius* citra hepatis refrigerationem impossibile esse ait, aliquem in hydropem incidere. Sanguinis refrigerationem, & inde læsam sanguificationem produci posse aiunt

aiunt ab aere nimis frigido, vndè *Hipp. aph.22.ſ.3.* autumno hydropes oriri aſſerit. Nocet & vſus frequens & copioſus alimentorum frigidorum præſertim longa & intempeſtiua aquæ frigidæ aut impuræ, & turbidæ ingurgitatio poſt balneum aut ſolis æſtum, quæ viſcera admodum refrigerare dicitur. Excretiones etiam auctæ quæcunque & nimia à quacunque parte hæmorrhagia, hunc morbum producere & hepar refrigerare poſſunt. Lienem quoque accuſant, vnde *Galen. ipſe l.4. de præſag.ex.pulſ.* ait, ſcyrrho in liene exiſtente hydropem fieri, nec excludit ſcyrrhum hepatis, vt primarium ſubiectum morbi principalis ex quo hydropicus tumor dependet, ità vt nullus hydrops niſi oblæſo hepate oboriri poſſit; ex huius enim refrigeratione non ſanguinem ſed aquam generari putat. Statuuntque quoque ex rupta, vel exeſa viſcerum vena, ſeu potiùs ex ſoluta vnitate hepatis & fiſſura ob nimiam arefactionem, vel ruptis veſiculis aqua plenis ſeri copia abdomen adimpleri & intumeſcere. Alii per vmbilicalia vaſa arefacta, alij per ruptos vteres influere autumant, alij tam per occultos quàm manifeſtos quoſuis meatus aquam ad abdomen fluere contendunt.

§.6. *Paracelſo* cauſa hydropis eſt Tartarus aluminoſus, vel alumen aluminoſum, & hydropem dicit aquam reſolutam, reſolutum liquorem, rorem humidum aſſeritq; nihil eſſe quàm aquam. Et comparat hunc morbum cum pluuijs, ſicut enim in microcoſmi inundatione aliquis ſuffocatur ita in microcoſmo ☉tus vitæ ab aqua ſuffocatur. Reſolutio itaque & liquefactio ſalis aluminoſi oritur ab impreſſione cœli microcoſmi & aſtrorum eius, vt ſi Venus, vel Gemini oriantur, ab horum impreſſione ſal diuiditur non ſecus ac nix à ſole, vbi igitur alumen ibi inclinatio ad hydropiſin, atque ſeptem conſtituit præ-laudatus Author hydropis genera. Ex.gr. hydropem, hepatis, ſplenis, pulmonis, cerebri, fellis, renum & cordis.

De Tympanite peculiarem opinionem fouere videtur ipſe *Author in lib. 2. de Tartar. tr.2.c.2.* vbi tympanitem ſpeciem hydropis eſſe negat, dicitque eſſe conſtipationem ventris, fit enim ventus, quando natura non habet exitum. Addit quoque duplicem eſſe Tympanitem, vnum in matrice, alterum in inteſtinis, qui curandus eſt per reſolutionem Tartari, & in ſchol. in l de gradibus tympanitem definit, quod ſit conſumptio materiei ſuæ conuerſa in ventoſitates fixas & non mobiles. Verùm iſta conſtrictio ventris propriè non eſt hydrops, ſed colica flatulenta, in tympanite enim flatus in abdomine & extra inteſtina continentur.

Tympanites verò matricis eſt eiusdem inflatio, & diſtenſio, à flatibus exitum non habentibus orta.

§.7. *Helmontius* qui ignotum hydropem deſcribit peculiari tractatu, & vitium huius morbi potiùs in rene ſubſiſtere putat, quàm in hepate, quia in multis hoc morbo defunctis hepar innocuum, & inculpatum vidit, & gloriatur ſe bis mille hydropicos, etiam quorum lotium iam è cruento nigricaret, & qui tota nocte vix cochlear minxerant, in priſtinam ſanitatem reſtituiſſe, quorum hepar, ſi vel mediocrem culpam habuiſſet, fatetur ſe non ſanare potuiſſe. Sic dyſenterici, ſicque potatores hydropem incurrunt, non quod vitium in hepate ſit, ſed quatenus aliquid cruoris in conuexo inteſtini accumulatur. Cruor enim extrauenatus & grumefactus iuxta ipſum facit hydropem ventris, atque inſuper, quod ren ſit adæquatus artifex, patrator, executor, & arbiter veri hydropis. Putat enim, quod quamdiu latex cum cruore in venis vel ad glandulas fertur, communi vita potitur, nec regulis hydraulicis paret, ſurſum verò atque deorſum neſcit; quia non habet. Aſt extra vitæ conſortium ſemel reiectus iam excrementi naturam ſubit, deorſumque properat, proprij *gnarus ponderis*. Bilis itaque *pretioſus latex eſt*. Ideoque quoties vnumquodque viſcus malè afficitur, ſtatim laticem negligit, cumque à cruoris ſuiconſortio excludit, ſatiſque ſibi negó-

gotij, in sui tutelam reperit. Cum ergò latex semel alibi repudiatur, vitæque sodalitio spoliatus, excrementi statim indolem suscipit, hinc est causa Anasarcę aqua non est semper hydrops, vt neque ipsa Anasarca, nec ventus est ipse Tympanites: sed aqua iuxta auctorem nostrum in abdomine & latex in Anasarca sunt producta hydropis.

Intelligit autem prælaudatus Author triplicem materiam, primam nempè occasionem cruorem scilicet extrauenatum, alteram dein, quæ est ipsa aqua, ipseque latex in abdomine, qui est productum morbosum, & tertiam demum materiam dicit, quæ habet suum internum efficientem, in internis vitalibus principij Archèi Renum ortum. Statuit enim vim quandam anodynam virulentam tam in cruore extrauenato, aut simili materia hospitatam, cuius importunitate ren primò sui muneris obliuiscitur, habenas separandi laticis abijcit, mox inde quoque furorem arripit, dum laticem in abdomen inordinato motu relegat. In tympanite ventositas siue flatus sit, esse dicit in intestino à quadam indispositione localis Archèi, qui tum cibos, subindè nequicquam, flatulentos, in flatum mutat.

§. 8. *Willisius* ascitem sæpiùs a mero aquoso partes imi ventris implente, & distendente procedere existimat, cui diluuio extensiones membranarum & inflationes, è spirituum incolatum inordinationibus factæ acceduut, & sic abdominis intumescentiam adaugent; in ascite enim lymphà hæc seu aqua in abdomine nonnunquam ita fluctuat vt æger percipere possit. In qua dein lympha viscera immersa tabe quadam afficiuntur, vnde viscerum parenchymata vasorum, & membranarum parietes ac inprimis glandulæ vbique numerosæ aquà malefactę intumescunt, adeoque ventris tumor ex pluribus velut aquarum stagnis & contentis paludosis consistens in molem ingentem assurgit. Existimat quoque supra laudatus Autor, quod serum è massa sanguinea nimis dissoluta facilius hunc morbum excitare possit, inde, & deducit Anasarcam in qua serum ex arteriarum osculis in cutem vniuersi corporis effundi contendit, in ascite verò & sæpe lympham ex vasis lacteis, vel lymphaticis decidi & sic illuuie hac imi ventris viscera inundari haud dubitat, referens quod viderit dolium xv. congiorum capax, aquis fœminæ ab hydrope desumptæ abdomine exemptis impletum, culpat ergò, vel serum ex massa sanguinea scatens, vel chylum è proprijs ductibus effusum.

§. 10. *Sylvius* Anasarcam è sero tenui & aqueo seu falso ex vasis lymphaticis & lacteis effuso originem trahere statuit, existimans obstructionem ab humore viscido potissimam, & frequentissimam hydropis cuiusque causam esse, quam consequitur lymphæ vel chyli, potus præsertim in vasis suis stagnatio hinc vasis distensio mox ruptio & tandem contenti effusio & collectio in loco ad illam apto; si collectio fit in abdomine dicitur ascites, si in toto corpore Anasarca, si in pectore hydrops pectoris, si in scroto hydrocele, si in capite hydrocephalus, si flatus adsunt tympanites. Si verò supra dicta vasa tum à re dura siue rigida illas pungente aut secante, tum à liquore proprio in ipsis stagnante, atque Ipsa, eosq; magis magisque distendente, vt tandem rumpantur, vnde contętus & contiuuè adhuc effluens liquor in locum vicinum qualemcunque effunditur, atque ibidem colligitur aut aliò transfertur atque sic hydropem producit. Illo casu culpat Auctor, pituitam, & serum in corpore abundans; serum enim aliquando facillimè à sanguinis massa cedere putat, facies nonnullis mane turgidula est, quia serum sanguinis sub stragulis & ob lectis calorem magis solutum, & sudoris quoque crassioris forma versus cutem propulsum, & ibidem hærens faciem manè ostentat turgidulam, & meruendi hydropis. Anasarcæ aut Leucophlegmaticæ indicia promittit, indicat enim in talibus personis redundare serum vel pituitam tenuiorem & eundem humorem

& eundem humorem sudoris forma noctu foras propelli, atque faciei habitum minus robustum existere, hoc est solito laxiorem factum, quibus si accedat frigus externum faciei cutem afficiens copiosior sub ipsa concrescit, & colligitur humor vaporis forma eo propulsus, quæ omnia noster *Syluius* accuratè obseruauit. Simile quid hoc est hydropem post hanc intumescentiam tandem obuenturam magnæ matronæ L. H, metuo quod tamen Deus clementer auertat voueo.

§. 11. *Carteſiani* vasa lymphatica rumpi à re dura, & rigida illa pungente aut secante, ita vt lympha in abdomen deponatur in Ascite, in Anasarca in vniuersum corpus statuunt. Cùm enim aquæ in abdomine crassescant tum omnium viscerum superficies, imò peritonæum, & musculos corporis crusta quadam pituitosa obsidet, quare vapores in corpore producti non possunt insensibiliter euacuari; hinc ità difficile est hos ægros ad sudores disponere. Vnde etiam videmus, cùm clyster acris, & incidens cum sale quodam sudorifero iniiciatur, & penetrantia eius pori intestinorum aperiantur, & crusta illa pituitosa remoueatur; quod tum aquæ è cauitate abdominis magna copia per aluum excernantur; Dum ergo vasa illa exilia à particulis crassioribus, & solito viscosioribus rumpuntur, particulæ serosæ in abdomen deponuntur, quæ sensim & pedentim accumulatæ hydropem aliaque mala patrant.

§. 12. Nos nunc ordine causas horum affectuum examinaturi sumus, & primò quidem ab Ascite initium faciemus, in qua serosa colluuies in abdomine collecta, siue in eius cauo, siue intra hydatides concluſa, siue inter peritonæum, & musculos abdominis collecta, mirum in modum distendit, & cum abdomine etiam nonnunquam scrotum, aut pubem, aut crura pedesque.

Causa ergo huius affectus seu humoris ordinariò lympha est, aut chylus, aut nimius potus quandoque etiam serum à sanguine secretum, quatenus scilicet massa sanguinea sale suo volatili defraudata nihil præter lympham fabricat, quæ tamen, vel ob stagnationem vasa distenta, vel ob acrimoniam rumpit distringitque, inde liquor, vel larex ille cadauerizatus, non solum Gasteronacis totam regionem occupat, sed & tandem *Ipsum* planè interimit, & inundat, quo victo *Cardimelechem*, & tandem *Microcosmetorem* aggreditur hostis, quos etiam è medio tollit, vnde sequitur mors, Rarissimè □na restagnans causa huius morbi est, cum plures Ischuriâ defunctos noui absque hac inundatione, sed in genere causa huius morbi est sanguinis debilitas, vnde alimento in substantiâ suam conuertendo non sufficiēs in alias partes explodere necesse habet.

Causa verò continens proxima apertio est vasorum, præsertim omenti quæ aperiuntur, vel quod potus, vel lympha aut chylus in corpore abundantiores, aut crassiores sunt aut impetuosius mouentur aut quia acrimonia sua vasa exedunt aut quod in obstructa antea vasa ab humoribus crassis, & pituitosis, vel glandularum mesenterii aut omenti humoribus continuò arietant, & tandem rumpunt, & sic qua data porta ruunt. *Schaumburgi* ad Lhanam, vbi residet *Princeps ista Nassouica Domina mea clementissima*, iuuenem hydropicum murarium aperui, in cuius cadauere totum mesenterium, & omentum humoribus, & scirrhis offendi refertum, & hepar absque vlla labe, & quia iuuenis ille aquam in magna copia ingurgitauerat, nullus dubito, quin ortus sit ipsius hydrops à solis potulentis nimia copia hausti, hinc vasis illis mesentericis, & omentalibus (per quę potulēta ad emulgētes vehātur) seu eorum ductibus obstructis & dein ruptis facile hic morbus oriri potest, ceu aquarum cataracta effracta fit ipsius aquæ in vicinas partes effluuiunt. Sanguis quoq; potest imprægnari certa quadam quantitate bilis, salis, pituitæ seri &c. & cum horum, aut aliorum iusto plus in sanguine continetur, sanguini non intimè permiscetur, sed duntaxat sangui-nē

innatat, & detruditur ad latera vasorum, quare illa tria sunt promptissima, vt trudantur, per poros vasorum in tubulos partium, vbi varia symptomata excitare possunt, sic cum pituitæ in tubulis hærent, non mirum est pallorem in habitu corporis produci. Sic & quandoque viscidus, & acidus, nec ritè volatilisatus chylus sanguini infunditur, vnde sanguinea massa crudior, & aquosior existit, qui & ob acidum deprimitur, & sic ob principia inprimis volatilia statim oppressa non facilè sanguis bonus existere potest. Acidam enim in hoc morbo & crudam existere lympham, quis ignorat, nisi in Arte Medica hospes? Causa verò antecedens partim Cacochymia serosa, partim pituita, partim viscerum quorundam textura, & structura peruersa, partim denique spirituum animalium influxus debilis, & quidem ad fibras cutaneas; spirituum enim animalium ad cutim concitatum impetum sequitur strictura cutis cimia, aut relaxatio. Elegantem locum habet *acutissimus noster Etmullerus* Amicus, dum viueret, obseruantissimus, in elegantissima disputatione *de Opium diaphoretica*, vbi inquit.

Vrget iam nostram meditationem, vnde nunc patentes, nunc conniuentes sint isti transudationis meatus excretoriique tubuli, variæ equidem se offerunt causæ, tam connatæ, quas interest naturalis cutis textura, vel tenuior, vel densior, quàm acquisitæ, partim per consuetudinem secundum varium rerum naturalium vsum, partim per ægritudinis p.n. alterationem, vnde meatus dicti, vel ex staminum fibrosarum tensione nimia turbari aut obliterari, vel admotis aut excretis variis constringi, arrodi, vel iisdem viscidioribus aut glutinosioribus obstrui possunt, quæ cæteris ceu frequentior causa (pergit) considerandæ venit tubulorum istorum imò, vt probabiliter arbitror, & ipsarum glandularum à fibris nerueis contractis occlusio, vel ab his relaxatis recluſio. Tendinosum nempe maximam partem stamen esse, & fibrosum constat quod cutim constituit, vnde pro neruorum, & tendinosarum natura, non sensûi saltem tactus externo, cui illarum extrema papilli formia sufficiunt, sed etiam motui cuidam dicatæ erunt, eoque pro fibræ motricis natura abbreuiationis, seu vt vulgò dicunt, contractionis & relationis, vnde necessariò tubuli isti excretorii, & ipsæ glandulæ, nunc stringi, adeoque has comprimi, illas coarctari nunc relaxari, & has sic porosiores, illas patentiores reddi necesse erit, &c. Sed in coarctationis, vel relaxationis hoc negotio, tam glaudularum quàm tubulorum excretorium, fibræ istæ cutaneæ non nisi instrumentaliter se habent ipso impetum faciente, spiritu sc. influo speciatim animali dicto ceu principali agente id muneris exequente, vnde vel externam sensationem, vel internam imaginationem, vtrobique spirituum animalium motum præuium, & ad cutim concitatum impetum sequitur saltem talis structura nimia aut relaxatio. Nempe vti à spiritu animali & sanguine vitali tonum debitum seu naturalem tensionem obtinent, indeque, & irritari passiuè ab obiectis minùs proportinatis, & simul iisdem reniti actiuè valent, ità etiam huius *Toni ratione, & ipsa cutis, eiusque pori, vel arctius stringi, vel laxius dilatari possunt*. Ex quibus hactenus prolixius declaratis, vel sua sponte patet, ex parte cutis pro sudoris transmissione hanc saltem necessariam esse conditionem, vt meatibus quibusuis, & tubulis glandularum patulis, ob fibras nerueas intercutaneas, relaxatas, adeoque cute existente plus minus molli, rara, porosa, vndique sudor ceu per cribrum aut filtrum excerni, & transcolari queat. Spiritibus ergò animalibus in fibras illas cutaneas nimis influentibus easque coarctantibus sudor supprimitur, vt necessariò vapores in corpore condensari, & tandem serum augeri, & sic necessariò hydrops excitari debeat.

Cau-

Causæ huius morbi procatarcticæ variæ sunt, in quibus tamen eminet *potus*, isque aqueus aut spirituosus, aut crassus, impurus, & turbidus copiosè ingurgitatus quatenus sua frigiditate humores incrassat & minus mobiles reddit, fermenta naturalia destruit, simulque tubulos illos excretorios coarctat stringitque. Ita aliquando ex potu frigido vomitus oritur, cum pori ventriculi frigiditate angustantur, ità vt vapores antea poros transire soliti, iam non transeant, d. ventriculum distendendo, & intra fibras herendo, & vellicando vomitum producant. Lacticinia pleraq; intempestiuè aut immodicè vsurpata, ansam huic morbo dant, quemadmodum etiam subita corporis post intensum calorem refrigeratio, animi affectus, melancholia, tristitia, &c. Icterus, aut febris, Excretiones quædam, vel auctæ, vel suppressæ: *auctæ*, vt superuomitio, diarrhæa continua, venus immodica, nimia à quacunque parte hæmorrhagia, quale dum hæc scribo, exemplum habeo in viro quadragenario; *suppressæ* verò, vt menstruum, lochia, hæmorrhoides, hæmorrhagia, fistulæ & id genus alia, quibus addi possunt morbi quidam, qui ordinariò hydropem ascitem concomitantur, vt phthisis, quartana, Icterus, aut scyrrhus, aut inflammatio, aut vlcus, vreterum obstructio, &c.

Causa verò tympanitis seu tumoris flatulenti flatus sunt in ventriculo, intestinis aut omento peritonæ inclusi, hincque distendentes.

Causa verò Antecedens partim abundantia pituitæ in iis partibus, partim verò calor est, partim denique propter naturam auctior, aut deprauata in intestinis effervescentia inter bilem, & succum melancholicum, seu pancreaticum pituitę admixtum adiuuante partium chylificationi, obstructione, & similibus aliis Gasteronaci nostro negotium facessentibus.

Causæ denique procatarcticæ sunt quæcunque, vel pituitam flatusque augere, vel ea aucta calorem intendere, bilem verò acriorem reddere valent.

Anasarcæ causa est lympha propter suam glutinositatem lentoremque, & motum adeò diminutum, in gelatinam concreta & propterea in vasis lymphaticis subsistens, aut vasis apertis in panniculum effusa.

Causa verò Antecedens partim humorum illorum abundantia est, partim crassities & viscositas (subsequente vasorum illorum tenerorum obstructione, compressione aut apertione, tum verò partium plerumque chylificationi, & sanguificationi inseruientium) indeque orta imbecillitas.

Causæ verò externæ, partim aer frigidus, humidus, nebulosus, subterraneus, insuetus; vnde qui in Guineam nauigant ex Germania ijs ordinariò subuenire solent tristitia, mæror diuturnus, morbi acuti & Chronici, præsertim *hydrops*.

Hydropes quoque à sanguine frigefacto ceu diximus coagulato, spiritibus priuato, vel per hæmorrhagiam, diseteriam, crebriores venæ sectiones diminuto ortos fuisse sexcentæ obseruationes testantur. Ab abusu acidorum itidem obseruaui hydropem.

PROGNOSIS.

§. 13. *Prognosis* hydropis modò bonum modò malum etiam promittit euentum, prout eius nempè causæ magis vel minus pernitiosæ obseruantur, sic qui hydrops à scirrho visceris, vel humoribus œdomatosis mesenterij & omenti, vel qui à penuria salis volatilis in sanguine existentis, vel sp. animalium dependet difficillimus curatu & vix sanabilis existit, iuxta versiculum:

Principiis obsta, sero medicina paratur.
Cum mala per longas inualuere moras.

Et veriſſimè *Persius* canit:

Helleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit,
Poscetem videas: venienti occurrite morbo.

Minus tamen periclitantur ægri quorum naturæ, & ætati conformis est morbus; inquit enim *Hipp. ſ. 2. aph 34.* in morbis minus periclitantur, quorum naturæ &

ætati & habitui & tempori morbus magis affinis fuerit, quàm hi quibus in nullo horum cognatus fuerit. Respiratio difficilis significat effectum inueteratum esse, quia indicat humores in abdomine morà esse, quia ineraſſatos, ità vt vapores inde eleuati non liberè per poros diaphragmatis transeãt; sed ideò motum eius vel magis, vel minus, impediunt, quoties redundant humores vitiosi. Inprimis si simul acres sint periculosum est; acrimonia enim partes illas adiacentes, & transeuntes facili marte corrodit, vti sæpissimè & ferè semper omentum in hydrope defunctorum cadaueribus totum ferme corrosum offendi, vnde affectus existit incurabilis, omnis enim potus labitur statim in abdomen. Hydropicis tussis accedens malum est, indicat enim vt plurimum humoris acrimoniam, & spicula per diaphragma ad pulmones peruenire, & ibidem tyrannidem suam exercere. Sic sitis *Tantalea* malum signum est; significat enim lympham tam copiosè in cauitatem abdominis deponi, vt sanguis inde siccior euadat, & non sat humidi in se contineat ad os humectandum. In hydrope malum signum est, quando nulla fluctuatio aquæ in ventre percipitur; venter enim tunc aquis nimis distentus est.

Huc pertinent sequentes aphorismi *Hippocr. S. 3. aph.* 22. Autumno æstiui etiam multi morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, lienes, aquæ inter cutem tabes, vrinæ stillicidia &c. ob dissipatos enim in æstate nimium spiritus, id quod crassum est, atque acidum, remanet, quod obstructiones producere potest.

Item S. 4. aph. 11. quibus tormina adsunt, & circa vmbilicum circulatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluatur in siccum hydropem firmatur; hoc in casu est obstructio ob crassos vapores.

S. 6. aphor. 8. Aquà inter cutem laborantibus exorta in corpore vlcera non facilè sanantur, ratio est quòd hydrops tubulos partium impleat, quæ cum non possit circulari conatur egredi per vlcus ità vt ei non detur quies, quæ maximè requiritur ad vlcera sananda.

S. 6. §. 14. Contra rationem dicit hydrope detento si aqua è venis in ventrem confluxerit solutionem fieri. Ab insania difficultas intestinorum aut hydrops, aut mentis alienatio bonum, *inquit S. 7. aph.* 5. item vide *S. 6.* §. 27. Item *S. 7. Aph.* 55. quibus iecur aqua refertum erupit in omentum, his venter aqua repletur, atque moriuntur. Ex hoc patet Hippocratem iam omentum in hoc morbo suspectum habuisse. Omnium periculosissima species Tympanites, dein Ascites, tandem Anasarca, quæ cæteris dicitur curatu facilior. Si tympaniti accedat inflammatio vmbilici, vel alius ventris musculi, tunc mors est in propinquo, vti in duobus hydropicis obseruaui. Exulcerationes pedum & per eas euacuationes serosas maximo cum leuamine aliquando vidi, interdum etiam cum his anima simul effluxit.

Rubicundus & rubineus vrinæ color, pulsus citatus corporis calor & macies, virium lapsus conclamatum morbum significat, Melioris spei curatio est & sat expedita, si æger est floridæ ætatis & robustus, sicque febriles dispositiones absunt.

CVRA DIÆTETICA.

§. 14. Restat nunc vt ad mali nostri, quod hactenus fusius, pertractauimus; Therapeuseos partem Diæteticam tandem deueniamus, quæ consistit in rita rerum non naturalium dictarum administratione. In pituitosa constitutione ad calidum vergat aer, autumnalis & nebulosus frigiduſque atro notentur carbone. Cibi sint boni succi & facilis concoctionis, assati elixis præferuntur, radices aperientes iusculis incocti maximè prosunt, vitentur angue pejus acida, salsa, viscidaque; aliaque glutinosa lacticinia; quę obstructiones magis adaugent, nocent & omnia legumina præsertim flatulenta.

Po-

Potus sit Cereuisia benè defæcata, & herba absynthii baccisque Iuniperi maritata, & singulis hausti bus instillentur guttæ x. vel xx. spiritus Martis. Conceditur & vinum mediocre. Nocet è contra omnis spiritus vini vel aquæ vitæ (potius mortis) dictæ ingurgitatio, vnde vulgo tria dicuntur bibonum flagella, Phtisis, Arthritis & Hydrops. Bacchi enim illi antistites noctes diesque istiusmodi ☞tuum poculis indulgent, & vt plurimum cum Cerere diuortium faciunt, & hinc ratione acrimoniæ illius salsæ (quam ☞tui vini inesse, testatur ingens faucium ardor, sitisque inde accensa) vehementer sitiunt, ad quam sitim extinguendam altero die Bacchanalia celebrare coguntur, & sic per id, per quod peccant, puniuntur lenæi isti heroes, & cum bibendo curas abiicere studeant, præcipites se in stygias vndas mittunt. Parcissimus ergò sit cibus & potus. Meritò inde *Heurnius ad aph.* 53. *f.* 7. inquit, imperare solemus famem & potus accisionem, ex *Epidauro* vix præstantius medicamentum petas; Obseruationes enim testantur innumeræ, quod multi hydropici solà potus abstinentià pristinæ fuerint sanitati restituti.

Hic quoque valet versus ille:

Abstine & efficies, quod Medicina nequit.

Noui inquit *Helmontius* Tr. *ignot. hydr.* Comitissam de Fallaix, quæ dum iuuencula tumeret, suasu cuiusdam Medici abstinuit ferè per solidum annum à potu, solidiori cibo & iusculis contenta, & euasit sana viuitque modò septuagenaria. Ergò potus vitetur frigidus largior.

Motus sit mediocris, à vehementiore enim abstinere coguntur ob difficilem respirationem; valde quoque nocet subita corporis post vehementem motum & subsequentem calorem, refrigeratio. Somnus sit modicus isque nocturnus, diurnus meridianus intermittatur. Vigiliis immaturis non opiatis occurrendum, aliàs hoc salutare narcoticum erit necroticum. Excreta & Retenta sint naturæ conuenientia, quæ vt dictum vel aucta, vel suppressa morbum hunc excitare valent, vt enormes vomitus, diarrhæa continua, nimia à quacunque parte & causa hæmorrhagia, suppressa verò vt Menses, lochia, hæmorrhoides, fistulæ. Ex colica siue alui nimia astrictione quoque vidi hydropem.

Animus libero gaudeat motu, spe non omni abiecta, maximè enim nocet mœror, ex quo solo *Helmontius* hydropem obseruauit. Curę, solicitudines & id genus aliæ passiones hunc morbum facilè producere possunt vt & Venus nimia.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 15. Postquam itaque hactenus hydropem depictum repræsentauimus, restat vt in eius etiam Curationem à Pharmaceutica & Cirurgia petitam, quantum fieri potest, incumbamus, ast ne ἀνευ μεθόδου videamur quicquam tentare, primò *Veterum* pyxides excutiamus. *Schola Galenica* præscribit remedia vniuersalia & particularia. Vniuersalia vel *Præparantia* sunt vel *Euacuantia*. *Præparantia* sunt, radices aperientes, item cichor. cort. Ebuli, Tamarisci, calam. arom. sol. Eupator. marrub. chamædr. chamæpyth. rosmar. scordium, absynthium, semen fœnicul. dauci &c. syr. d. 2. & 5. rad. de absynth. de Eupator. de capill. ♃, oxymell. s. compos. scyllit. & mille alia, quæ apud Practicos inprimis in *Macasii Promptuario* inuenire poteris.

Vacuantia sunt vel *vomitoria*, vel *purgantia*, vel sudorifera, vel diuretica, si materia in ventriculo continetur, vel ad eum confluit, tunc vomitum maximum præstare auxilium existimant. Prouocant vomitum vel digitis immissis vel aqua calida, vel cum decocto raphani aut puluere asari, aneth. c. oxym. & ol. oliuar.

Euacuatio alui fit vel per clysterem, ex decoct. chamomill. origan. ruth. centaur. min. c. sem. carminat. adiectis oleis calidis & purgantibus nonnullis.

Purgantia sunt Turpethum Rhabarb. folia soldanellæ; semen carthami, violarum, colocynthis, semen hederæ, hali-

cacab. coccum gnyd. Thymallus, mechoacanna, bryonia, gratiola, cortex sambuci, ebuli, cortex fragulæ, qui aquas strenuè educit, syrup. fol. c. Rhabarb. de Eupator. El. de succo rosar. Ex diureticis & sudorifera sequentia laudant, vt petroselinum, fœnicul. Prosunt & in hunc finē aq. fœnic. c. vino destillata, decoctum de prasio, sem. dauci, raphan. rub. tinct. Cicer. bacc. Iuniper. alkekingi, species dialaccæ, diacurcumæ, &c. ex sudoriferis specificè prodesse dicunt decoctum ligni sancti, sarsaparill. sassafras. vel extrinsecus applicatis laterib. calidis v. sp. in lateribus accensus, habita tamen cautione, ne ægri suffocentur, vt cydonis cuiusdam puero accidit. Dein ad hepar corroborantia transeunt, inter quæ excellunt confect. diacin. dialaccæ, diarrhod. abb. aromat. ros. dianisi, hepar lupi, spica, galanga, cinamom. conseru. acori, absynth. cort. aurant. citri decoctum comar. absynth. in aqua mulsa, Eupator. cum spica

Inter *externa* commendant et balnea artificialia & naturalia, in primis sicca & vaporosa, fermentationes ex absynth. baccar. lauri & sale in aq. coct. & applicatę.

Conducunt & cataplasmata ex stercoribus columbarum, vaccæ. Item sacculos quoque ex furfure, milio panico, cymino, sale, sulphure, arena, & sabulo, vel cineribus calef. parant. Inter vnguenta & olea extollunt, oleum petræ, Iuniperi, anēthi.

Vngu. agrippæ de Arthanita vngu. ex succo cucum. tyl. ex stercore caprino, oleo Irino paratum.

Herbam quoque anserinam, contusam cum salu. & alumine inuicem probè mixis, plantis pedum & volis manuum applicatam, necnon sub axillas, iuuare dicunt.

Tympanitem iisdem ferè curant remediis, nisi quòd carminatiua adiiciant, vt sunt semen dauci, anisi, fœniculi, anethi, cumini, carui, decoctum ex herba leuicisti. Inter chirurgica V.S. non admittunt, quamuis *Auicenna* in omni hydrope illam concedat, cucurbitulam tamen vmbilico apponendam volunt. *Aetius*, acribus vel setaceo humidum scrotum aperire iubet. Vesicatoria, cauteria, & pyrotica fonticuli cum cautela tractanda iubentur.

In desperato malo ad paracenthesin siue abdominis sectionem transeundum volunt, sed non nisi cum prognostico: nempe visceribus nondum corruptis; de quo inferiùs latiùs tractaturi sumus. Symptomatum superuenientium cura, aliunde petatur.

§. 16. *Paracelsus* (cui in Epitaphio tribuitur omnes curasse hydropicos) omnem humiditatem absumendam per sulphur metallorum vult, & aquam ante omnia per arcana Mercurialia expellere iubet, in quem finem commendat suum præcipiolum siue Mercurium è sua minera mortuum eductum; quod præ reliquis approbat remediis, quia solus Mercurius aquas has expellere potest, quæ iacent in ipsis corporis poris, ad quos nullus ☉ tus transitpręter Mercurium, alibi laudat diacuminum in tabulis, essentiam vitrioli, diacubebe, ☉ tum vitæ, ex auro extractum. Ad omnes hydropis species tollendas sequens commendat polychreston:

℞. Tartar. rubr. ℔ i. hirundinar. ℔ ß. colchotar. ʒ viij. vin. ard. q. s. pro incorp. destilla per alembicum dosis ʒ ß. mane & vesperi sumpta. Antimonii sublimationem in aqua vitæ assumptam omnes hepatis morbos curare asseris *Paracelsus*.

Crollius in *Basilica chym.* specificum purgans hydropicum ex Mercurio præcipitato cum extracto hellebori nigri, & colocynthidis parat. Extractum esulæ à *Rulando* magni quoque penditur. *Crollius* idem arcanum corallinum cum pil. cathol. commendat, item turbith. minerale; pro diaphoretico spiritum Tartari cum aqua foldanellæ, & ebuli laudare solet. Alij sal absynthii, libratum & oleum salis magnisaciunt. Ex cineribus genistæ factum lixiuium summopere conducit & ☉ extractum iridis. Ex sambuco, ebulo

brassi-

brassica, ruta, radicibus vrticæ, absynthio insignia componunt medicamenta. Stercus anserinum & ouillum cum aqua chamapytheos potum, mirificè aquas hydropicorum educere dicitur. Ex propria vrina bibita plures euasisse notant Obseruationes. Sal ranarum & busonum à gr. iij. ad vi. in vino repetitis vicibus exhibitum aquas sine noxa fortiter exsiccare referunt Chymici, quod & præstat oleum vermium maialium, in aq. Raphani assumptum, quod potenter aquas expellit: puluis quoque busonum ad ʒ. ß. item aqua lumbric. terr. idem præstat.

In Tympanite pro arcano ventilat *Paracelsus* Cuminum extractum, & liquorem ex floribus Tapsi. Tympanites & curatur aliquando per aquas de ♄re, item de bitumine de moscho factas, item per oxyacanthum, laureolam, item mentham silu. & amaranthum vt inquit *Thornbeus. in pis. l. 4. c. 7. l. 5. c. 24. & 25.* Crocus ♂ et hic multum præstare potest, sed non libet hìc omnia chymica breuitatis ergò allegare.

§. 17. *Helmontii* humeri quid ferre valeant quidque recusent in hoc morbo debellando nunc videamus. Ascites iuxta ipsum regulariter sanatur, si Ren multum & affatim minxerit sponte vel per remedium. Recidiuam verò patrat si non sublatus è rene morbus. Hinc vidit ipse rusticum sanatum alligata anguium seneta per ventrem & renes, per id enim inducitur, vt ille ait, metus renibus, quà indignationem amittunt, abstinentiam quoque potus & cibi fluidioris commendat summoperè, nouit enim Comitissimam, quę dum iuuencula hydrope tumeret, suasu cuiusdam Medici (quippe à cunctis desperata habebatur) abstinuit ferè per solidum annum à potu, solidiore cibo, & iusculis contenta euasit sana, viuitque modò septuagenaria, ceu superius iam diximus, sitis enim ideam tristitiæ siue denegatæ appetentiæ suscitat, vnde Ren suæ indignationis obliuiscitur. Mercurius ergo vti is ait, præcipitatus iuxta præscriptum *Paracelsi* curat omnem hydropem, non quatenus purgat, sed in quantum naturaliter transiens per intestina resoluit extrauenatum cruorem sin autem vnà vomitum & aluum cieat, id hydropi est per accidens. Præ alijs tamen *bryoniam* magnificat, si sc. virus solutiuum ab eodem abstuleris. Obseruauit etiam si Antimonium in liquorem vertatur, ac postmodum in puluerem, qui tantum per sudorem purget, haberi remedium quod omnem hydropem modestè tollat, extra metum recidiuæ, siqui dem tollit tam causam occasionalem, quàm ipsam furientis Archèi ametriam, Mercuriũ diaphoreticũ ad gran. 11. ter quaterq; exhibitum multos iuuisse ait, quo & refert remedium stibij solutiui, nescio quod arcanum aliud sedatiuum etiam crepans.

§. 18. *Willisius* Ascitem vel per cathartica, vel per diuretica, vel per diaphoretica, vno verbo per hydragoga, curari posse non dubitat. Inter Emetica æstimat, Ex. gr. gummi guttæ, Esulam & pilulas lunares ob particulas argenti vitriolicas vomitum cientes. Tincturam quoque gummi guttæ cum Tinctura salis Tartari paratum magnificat, cuius dosis est gutt. xv. ad xx. Vel exhibeatur sequens bolus vel puluis.

℞. *G. g. gr. vj.*
Sal absynth. gr. v.
Mercurial. dulc. gr. y.
Conserv. violar. ʒ i. ℔ *M. f. bolus,*
vel sine conserv. f. puluis.

Vel ♃. *Tinct. G. g.* ♈ j.
Aq. lumbric. ʒ i.
Syr. de cichor. c. Rhabarb. ʒ ß *M. D.*

Reliqua Authoris purgantia celebriora sunt Sambucus, ebulus, soldanella, gratiola, succus ireos, Elaterium.

Vel ℞. *Pulu. rad. Esul. gr.* viij.
Cinamomi ♈ ß.
Sal Tartar. gr. viij. *vel per*
se. Addita conserv.
Ros. vel rob. ebuli f. Bolus

Præcipitatum Mercurij, quod *Herculem Bonis* nominat, laudibus extollit Author, quatenus insigniter fibras stomachicas vellicet, & ob particulas Mercuriales

salinas sanguinem fundat, & serosos humores violenter eijci faciat. Sambuci & Ebuli semina in puluerem redacta & ad ʒ j. exhibitam etiam purgare humores serosos addit. Sed cum catharctica non semper Ascitem curent, imò sæpè malum exacerbent, & incurabilem reddant, ex Authoris experientiâ ad diuretica hydragoga confugiendum esse suadet, quæ & Anasarcam facilè curant, & præ alijs leuamen apportant. Pro varietate tamen causæ illa mutanda veniunt; si enim vrina pauca & rubra & quasi lixiuialis existit, (quod indicio est, sanguinis crasin à sale fixo & sulphureo exaltatis & simul combinatis, nimis strictam in ijs existere) in hoc casu dissuadet acida, lixiuialia, & omnia Tartarea. In hoc casu verò potius commendat succum plantaginis, beccabungæ aliarumque herbarum sale volatili abundantium, nec non millepedum expressiones, vt & sal nitri. Esto formula:

℞. *Fol.plantag.rec.m.iiij.*
hepatic.nob.
beccabung.ana m.ij.

Simul contusis affund. Aq. raphan. compos. aut alterius magistralis ℔ ß fiat expressio fortis, dosis ʒ iij. ter in die. Diaphoretica in Anasarca magis quàm in Ascite commendat, sæpè enim in hac noxam afferunt.

Enematum vires deprædicat, quatenus illa simul fibras intestinales vellicant, atque serum à sanguine imbibitum, aut in eo prius collectum, versus renes prolectant. Ex. gr.

℞. *Vrin.bom.fan.* ℔ j.
Therebinth.ven.c.vitell.ou.
solut. ʒ j ß
Sal prunell. ʒ i. ß *M.f. Enema.*

Inter topica Emplastrum diasaponis sæpè cum fructu abdomini applicatum vidit, vel Emplastrum de Minio *Paracelsi*, Tanquam magnum & præsentissimum remedium extollit Author *Paracenthesin*, cautelam tamen simul inculcat, ne cachecticis & valetudinarijs vbi iam viscera sunt corrupta adhibeamus, aliàs vires fatiscunt, vires exsoluuntur, & sic aquam cum anima effundunt ægri.

In Tympanitide tamen tuosa & volatilia non admittit quoniam calorem & sitim adaugent, & abdomen plus intumescere faciunt. Catarctica blandiora & enemata ab Authore maximè laudantur, inprimis sequens vinum medicatum:

℞. *Flor.persic.*
rosar.ana p.ij.
sambuc.
cent.min.ana p.i.
fol.agrim.
absynth.ana m.j.
senn.opt. ʒ j.
Rhabarb.opt. ʒ vi.
sem.carthan. ʒ ß
Ebul. ʒ ii.
santal.citrin. ʒ iii.
rad.galang. ʒ ii.

Fiat infusio cum sacculo in vin. alb. ℔ ii. aqua saxifrag. ℔ i. sap. Tartari ʒ i. ß. stent per noctem, & æger bibat singulis matutinis horis ʒ iii.

In Constitutione verò calidiore sequentem præscribit aquam:

℞. *Aq.miner.catharctic.* ℔ viii.
sal absynth. ʒ ii. *M.*

Diuretica ipsius sunt sequentia probatiora, millepedes sc. cum diuretica destill. & sequentes pilulæ:

℞. *Christall.mineral.* ʒ ß
sal.succin.volat. ʒ i.
pulu.sem.dauci. ʒ j.
Therebinth.ven.q.s.f.pilulæ paruæ.

Assumantur mane & vesperi iii. pro dosi.

Spiritum quoque salis dulc. à gr. vi. ad xiii. pro dosi sæpius præbet, vt & libratum salis Tartari.

Enemata ex infusione stercoris equini cum florib.chamomill. ad ℔ i. addito melle Mercurialis ʒ ii. vel ex stercore canino cum carminatiuis parata magni pendit, sicut & decoctum emolliens ad ℔ i. adiecto sale prunellæ vel armoniac. ʒ i. optimum existit Enema.

Inter Topica vilipendit Author Carminatiua & calida omnia quæ sale volatili pol-

pollent, sed è salibus,& mineralibus parare studet probatiora Ex.gr.

℞. *Flor.salis Armoniaci* ʒ ii.
Chrystall.mineral. ʒ ii.
Sper.vini tenuioris multo phlegmate imbuti ℔ ii.
M. & dissolue & pannus hoc imbutūs toto abdomini imponatur.

Anasarcæ curatio iuxta Authorem prælaudatum consistit in euacuatione materiæ morbificæ, quæ perficitur pharmacis hydragogis superius iam dictis, dein post purgationem laudat diuretica, inprimis lixiuium lippis & tonsoribus notum ex cineribus absynthii, Iuniper.genist. c. vino albo paratum singulis diebus ʒ i. Vsus eius per aliquot dies continuandus est.

Diaphoretica etiam in dosi largiori sumpta maximè in hoc morbo conuenire ab Authore censetur, in quem finem pro potu ordinario conducet sequens.

℞. *Cinер.genistar.alb.& mundat.* ℔ ii.
Ras.ligni sassafras. ʒ iii.
rad.galang.minor. ʒ i.
bacc.Iunip s.m.dauci ana ʒ.i, *ß.M.*
fiat sacculus pro VI. congiis Cereuisia.

Inter externa cōueniūt frictiones,linimēta,fotus, & balnea tum sicca,tum humida.

Inter particularia aquas educentia recensetⁿ, vesicatoria & acum, quæ magni vsus sæpiùs in hoc morbo esse solent. Reliqua videbis apud Authorem, non enim libet omnia, sed tantum optima more apum excerpere.

§. 13. *Syluius* qui per hydropem intelligit humoris serosi vel pituitosi in corporis habitu, vel cauitate quauis collectionem, existimat vasa lactea, vel lymphatica prius obstrui,dein rumpi,inde hydropem excitari,*toties* fortè,*quoties* ergo aqua loco peccat, sui inde,remotionem, vasorū autem ruptio,sui consolidationem, & obstructio,sui reserationem,indicat. Seri vel pituitæ redundantia & illius salsedo, seu visciditas optimè corrigitur per aromatica,vel in forma extracti,vel Tincturæ, vel vini medicati,vel olei desti illatitii, vel mixturæ,vel conseruæ,vel pulueris.

Vbi verò vasa sunt rupta,ibi conducunt medicamenta consolidantia vulgò dicta Ex.gr. radic. carynophil.lat. consol. mai. fol.consol. sarr. sanicul. agrimon. aschimill. verben. virg. aur. pilosell. &c. Corall.bol.armen. Thus,sangu.draconis, sed hæc ab initio hydropis vsurpanda esse iubet.

Si verò iam in vasis lymphaticis, & lacteis stagnat tantum lympha, chylus, potusuè, tamdiu abest hydrops, vbi verò in habitus corporis meatibus serum ità stagnat, vt tumorem ibidem pariat notabilem,mox hydropis initia Anasarcæ obseruantur, si ex his vasis lympha vel chylus,vel serum, vel potus effunditur in cauitate aliqua, aut sub cute colligitur, hydrops perfectus existit, qui humor per sudorifera, vel paracentheſin remoueri debet, in quem finem ipse Author commendat sudorifera illa, quæ sunt acriora & vi aromatica prædita, qualia sunt ligna & cortices sassafras, Iuniperi, quercus, buxi, rad. apii, fœnic. imperator. & sic in perpetuo sudore ægri sunt seruandi, cui scopo ad poros cutis continuè apertos seruandos conducunt & balnea quęuis calida,maiori tamen cum commodo sicca, vel cum spiritu vini accensa instituta. Ad eundem finem laudat quoque sacculos ex floribus, seminibus, foliis, radicibus variis in puluerem redactis & cum sale tosto aut cineribus arenaque mistis paratos, & calidè corpori applicatos, ac subinde mutatos, cineres enim & sal tostum item arenam aquas potentissimè ad se allicere Author testatur.

Hisce nihil proficientibus cum aliis ad ad paracentheſin ad aquas in cauitate abdominis collectas educendas confugit:non more Veterum, vt aquæ, confertim, & vna vice educantur, sed per vices, aliaque instrumenta quam Veteres excogitarunt: acum scilicet argenteam cauam,quam sine notabili dolore artifex immittit per carnes abdominis, atque solo emplastro diapalmæ impositō omnis vlterior aqua effluens sistitur, & sic per vices emittit hoc instrumento aquam.

Obstructionem vasorum quorumuis à pi-

tuita coagulata dependentem per incidentia, & attenuantia curari ait, quę partim sale lixiuo tum fixo tum volatili, & inprimis oleoso siue aromatico polleant, partim acida sunt, partim spirituosa, vt salia fixa, card. bened. absynth. Tartar. salia volatilia Vrinæ, salis Armoniaci C. C. Cran. human. Salia volatilia oleosa sunt olea aromatica stillatitia quæuis. Sic ad acida pertinent spiritus salis, nitri Vitrioli Sulphuris, Acetum still. &c. ad mixta pertinent sal Tartari, sal *ci vt & omnes aquę minerales, antinephriticę, & similes.

Præcipuè hic autor commendat hydragoga siue *solum purgantia*, vt sunt radices Ireos, eiusque succus ad ʒ ß. sambuci ac ebuli radices, foliorumque succus, item semen ad ʒ i. adhibendum, radix Ialappæ à ℈ ii. ad ʒ i. Inter potentiora laudat Elaterium, siue cucumeris asinini succum inspissatum, ad grana VI. item g. g. Inter composita extollit Electuarium suum hydragogum ad ß. c. g. g. & Tartar. vitriolat. ℈ j. M.

Ex chymicis ℣ rium dulcem, ac præcipitatum cum acido spiritu eligit, post hæc transit ad diuretica ex regno animali, vegetabili, & minerali deprompta. Alia bili magis, alia pituitæ peccanti educendæ sunt appropriata. Tandem omnibus præfert sudorifera, & ex regno minerali depromit Antimonium diaphoreticum, huius flores, bezoarticum minerale, item præcipitatum diaphoreticum. Inter externa magnificat balnea, thermas & loconic. præcipuè tamen saliuationem, per Mercurium dulcem internè institutam, vel externè per illinitionem Mercur. vel ope cinabaris sublimaticum sulphure, myrrha, aliisque in puluerem redactis prunis iniectis excitatam, fumus enim per infundibulum ore hiante excipi debet, qui fumus sensim saliuationem mouet. Cauendum tamen ne frigori tempore saliuationis se exponat æger, & simul eo tempore prospiciat gargarismis collo, ne columella aut glandulæ aut linguæ pars absumatur.

§. 20. *Cartesianorum* methodus curandi hydropem consistit in blandioribus incidentibus notissimis, dein hydragoga commendant ipsi, vt superfluum serum exturbetur, & hic magni æstimant pilulas de gummi ammoniaco cum Mercurio dulci, nam ratione Mercurii incidunt, & obstructiones leniter aperiunt, & ratione gummi ammoniaci vulnuscula consolidant. Corroboratio viscerum, de qua Autores loquuntur, tantùm consistit in eorum deobstructione, quæ modò dictis medicamentis incidentibus sc. præstatur, & quia in multis cum *Cartesianis* conuenimus, in crisi nostra plura dicturi sumus, ad quam nunc accedimus.

§. 21. Necessum erit, nostrà sententia inque id saltem omnes nerui intendendi, vt obstructio vbiuis referetur, & pars coniunctionis sublata redintegretur, dein si morbus iam inualuerit, vt potulenta, & serosa colluuies è lymphæ ductibus, & valis omenti aliarumque partium exudans educatur, prius tamen aciditate sua peccans corrigatur, & emendetur. Dein vt sanguinea massa inuigoretur, & corroboretur. Quoad primum blandioribus incidentibus incipiendam volumus curationem, in quem finem conducet decoctum lignorum, cui addi debet, Sal fixum genistæ, fabarum aut absynthii ℈ ii. & spirit. salis dulcis, cum enim pori vesicæ patent, tum breui curatur malum, nam sine molestia aqua tum magnà effluit copia. Hic etiam prodest omnis potus chalybeatus, & præcipuè vinum, in quo silices albi cum venis metallicis fuerunt extincti, nam leui adstrictione deobstruunt, in obstructione enim, & cõsolidatione vasorũ tum ruptorum tollenda cardo totius rei vertitur, his tamen semper interponenda sunt purgantia, & quidem hydragoga, quibus post obstructionum apertionem, æger vti poterit sequenti, vel simili purgante assumpto:

Vel ℣. *Tartar. vitriolat. gr. xv.*
Resin. Ialapp. ℈ ß.
Troch. albandal. gr. ij.
M. f. puluis.

℣. *Resin. Ialapp.* ℈ ß.
Troch. albandal. gr. iii.
Mag. g. g. gr. ii.

Mer-

Mercur. dulc. ℈ ß.
Ol. carui gr. iii. *M. f. pil. numera* xlj
Vel ℞. *Essent. trifol. fibr.* ʒ j.
Extract. esulæ ʒ j.
M. *à gr.* xx. *ad* xxx.

Vel detur solus syrupus de spina ceruina ad ʒ j. ad plures vsque, dum humor euanuit, in fortioribus, & robustioribus seq.

℞. *Fol. senn. s.* ʒ ij.
rhabarb. ʒ j. ß.
herb. trifol. fibr. m. ß.
Tamarind. ʒ ß.
Coq. in s. q. aq. font. ad ʒ iij. *in colat. dissolu. mann.* ʒ j. *syr. de spin. c.* ʒ ß. *& è succ: ros.* ʒ ij.
M. f. potio.

Pilulas hic etiam magnisacimus ex gummi ammoniaco, & Mercurio dulci sæpe assumendas, vt sic ope Mercurii pori obstructi referentur, & vt, si aliquę lædantur fibræ, consolidentur à mucagine gummi ammoniaci, vel pulu. Ialapp. & gumm. gutt. c. rob. sambuci permisceas & sępe aliquid de eo exhibeas, gummi de chamandra cum vino maluatico paratum optimè conducit, quod corrigitur etiam cum spirit acido aut cum sale alcalisato, vel aromaticis. Inter palmaria remedia sunt elaterium ad grana duo sæpe exhibitum, & infusio croci metallorum ad ʒ j. ß. etiam sæpe exhibita Tinct. g. g. cum tinct. salis Tartari paratã in aqua lumbricor. ad ʒ ß. felicissimo cum successu exhibere soleo, semina ebuli, & sambuci ad ʒ j. pondus exhibita sæpius iuuamẽ artulerũt.
Vel ℞. *Cortic. inter. sambuc. m.* iii.
Coq. in aq. & lact. ana ℔ ij. *ad remanent.* ℔ j.
Decoct. huius medietat. alteram mane, alteram sero assumat quotidie, donec æger conualescit.

Turpethum minerale est egregium remedium in robustis, quo medicamine ad grana duo exhibito Empiricus cum aliorum medicorum dedecore desperatos curauit hydropicos. Qui amant vinum medicatum sequens proderit, quo virum xxx. annorum Anasarca laborantem restituimus.

℞. *Succ. ireos nostr.* ʒ iii.
syr. flor. perfic. ex multiplic. infus. ʒ vj. *M. pro vna vice.*
℞. *Vitell. ou. no.* j.
succi ireos depurat. ʒ vi.
calefiat ad cineres & assumatur
℞. *Rad. gentian.*
irid. nostr.
plantag.
fœnicul. ana ʒ j.
Cort. med. sambuc.
herb. chamapyth.
roris mar.
cent. min. ana m. ß.
fol. senn. ʒ j. ß.
agaric. ʒ ij.
rad. cucum. asin. ʒ j.
sem. apii.
coriandr.
vrtic.
fœnicul. ana ʒ ij.
Cinnamomi ʒ i.
Tartar. albiß. ʒ ß.
D. misce pro mensura vini.
Vel ℞. *Comar. absynth. cent. min. & m.* j.
flor. bellid. cichor. genist.
epat. nob. ana p. ii.
cort. int. frangulæ sambuc. ana ʒ j.
rad. esulæ. bell. nigr. ana ʒ j.
santal. rubr. ʒ j.
sel. absinth. cichor. genist. ʒ ß. *M. aspergatur tinct. tartar. q. s.*

Pro hydrope pilulas Lunares vnicè commendat *R. Boyle.*
Vel ℞. *Extr. elater. gr.* xv.
mercur. dulc. ℈ ß.
Troch. alband. gr. ij.
c. q. s. eßent. absinth f. pilulæ.
Vel ℞. *pulu. buson. l. a.*
ppt. ℈ j.
sacchar. ℈ ß.
M. pro vnica vice.

Possunt, & præscribi pilulæ hydropicæ Zuuelferi, Elect. Hydragog. Sylu. præsertim Mercurius dulcis, qui hoc in affectu nostra experientia mira præstat, & verum pur-

gratiolæ, item essentia lignorum, item spiritus lignorum cum flor. sambuci. Alii extollunt pulverem busonum quem tamen semper suspectum habeo; ab eo enim maiorem acrimoniam productam obseruaui Esto formula;

℞. *Maluat. iuniperin.* ℥ iv.
Tinctur. nephritid. ʒ j.
M. cochleatim assumenda.
Vel ℞. *spirit. vrinæ volat.*
vini rectif. ana ℥ ii.
Stent in digestione in vase circulatorio, adde ambra gr. iij.
moscb. gr. ij.
M. Dos. xxx. *gtt.*
℞. *Spir. sal. armon.* ℥ j.
ol. stillat. iuniper. ʒ ʒ.
bryon. ℈ ß.
M. D. agtt. ix. ad xv.

Sequens spiritus fumigans omnes obstructiones releuat, & visceribus, & fermentis est amicus:

℞. *Spiritus salis rectif. q. v. mediante calc. viua perfectè saturetur, in puluerem exsiccetur, & in crucibulo fundatur, fusum & refrigeratum tere, & cum 4ta parte calcis viuæ commisce, per retortam destilla. In iusculo sumtus Hydropicis aliosque chronicis morbis afflictos iuuat.*

Ex fæcibus animalium, & sal potentissimum extrahi potest, hoc in affectu per quam proficuum. Ad sudores semper corpus disponendum est, qui sudores si pruocari possunt, curatio benè succedit in quem finem ex salibus, & mineralibus sudorifera excellens parari potest. Hydrops si oriatur ab impedito fluxu mensiũ & hæmorrhoidibus suppressis, (quia eadem causa quę obstruit vasa vterina potest obstruere vasa lymphatica) tunc vterina sunt addenda, & menses cientia. Diureticorum etiam apex esse videtur spiritus salis Armoniaci, hic affluentiori vehiculo diffusus, diluta acrimoniâ, hinc maiori copia in maiores operationes, & diureticam, & diaphoreticam optimè assumitur, post volatilia vt sp. Tartar. vrinæ C. C. lignorum, essent lign. inprimis camphorata, sudorifera fixa maximè minera lia, ceu dictum est, insignem laudem meretur. *Helmontius* laudat suum Mercur. diaphoreticum, quo vt dictum plus quam bis mille hydropicos sese curasse gloriatur, præsertim tamen bezoarticum martiale.

In tympanitide conuenit essent. carminat. ad 20. 30. gr. essent. lignor. & gratiolæ, ana ʒ ß. quæ tamen in mea Praxi non multum æstimo, quia inde nihil commodi inquam obseruaui, Externè, Empl. de bacc. lauri specificum *D. Tileman.* & ex lapid. Ceraun. & exuuiis serpent. Qui verò Cachexia laborant inueteratâ, & qui sunt quasi euiscerati iis nec conducunt catarctica, nec diaphoretica aut alia vlla remediorum genera exhauriendis aquis accommodata, sed solis corroborantibus vtendum. Huiusmodi itaque in casibus, serò nimis accersito Medico aliud nil quicquam restat faciendum, nisi vt prudenter præmisso permagni illius, in quo ægroti versantur, discriminis prognostico, experimentum faciet, quantum auxilii sit sperandum ex vsu cardiacorum Martialium. Et si scorbuti labes simul adsit, cum antiscorbuticis commixtis res peragenda est, hisce verò nihil proficientibus, ad insusionem chirurgicam sanguinis transeundũ putant, nonnulli ex quorum sententia etiam possunt iniici iam dicta, inprimis Martialia quæuis, qui sanguini motum conciliant. Effluxui etiam humorum in tibiis, vnde nonnunquam gangræna, & sphacelus ob acrimoniam lymphæ exoritur, mediatis idoneis infra dicendis prospiciendum est.

Quod si hydrops fiat à spasmodica conuulsione pororum cutis, tunc & cinnabarina aliaque antispasmodica prosunt, quæ sæpiùs maximo cum emolumẽto hisce in morbis tradidi. Quando est à vitio renum prodest ol. scorpion. Item salia ex stipitibus sabar. genist. fim. columb. cum spiritu vitrioli aut nitri parata, & dein crystalisata spir. & sal. vrinæ volat.

Externa etiam medicamenta, non magnam merentur laudem. Obseruatione dignum

gnum est quod *Riuerius in Praxi p.* 207. sibi experientiâ compertum esse testatur, busones medios sectos & renibus applicatos aquas hydropicorum per vrinas eduxisse, præsertim si applicatio sæpius reiteretur, quod & *Helmontius* non tãtùm confirmat, sed & addit, se vidisse hydropicum sanatum, ceu superius diximus, alligatâ anguium senectâ per ventrem, & renes, item *Hier. Fabricius ab Aqua pendente p.* 1. *Chirurg. p. m.* 54. insensibilem aquarum euacuationem non contemnendo artificio molitus est, nimirum magnam spongiam nouam aqua calcis viuæ calidæ imbuit, expressamque abdomini superligauit, quo remedio plures hydropem etiam hydrocephalum capiti admotâ spongiâ curauit. Metam sæpe hæc & alia fefellerunt, inde non possum quin moneam, plerosque Medicos vsu rerum, maximè, vti mihi videor multâ obseruatione notasse, deceptos fuisse, hinc etiam tam multa vana credulitas persuasit de viribus remediorum, & vereor ne sæpius nobis imponat lætus felixque successus; quod existimamus quæ euenerunt ea de causa euenisse, quod his aut illis vsi fuimus remediis, & hac illaue methodo paratis adhibitisque, cum tamen plurima sponte sua accidunt, vt ergo non putem vsui aut experientiæ, sed rationi in Medicina standum esse. Emplastr. hydropic. August. condncit c. ol. sambuc. mal. item fol. ebuli, sambuc. ana. m. ii. stercor. caprilli ℔. ii rad. bryon. ʒ. ii. coq. in s. q. vrin. pueror. ad consist. cataplasm. Clysteres quoque acres conducunt, quatenus poros intestinorum aperiunt, & ità aquas educunt, Balnea quoque laconica, euaporationes, frictiones, vnguenta, linimenta, cataplasmata ex stercor. varia, emplastra, &c. non contemnendi vsus erunt Ex. gr. stercus vaccæ siccum tere, cribra, pensa ℔. i. ceræ ʒ vi. succi brassicæ ʒv. ou crud. num. 4. olei optimi ℔ i. terenda tere; deliqua tunc solutis atque depositis, & liquefactis mitte oua, & dissolue s. Empl. abdomini imponendum. Fimus cameli combustus, & cum oleo lumbricorum & laurino Emplastratus hydropisin euacuat per vrinam.

Quod paracentheſin concernit de ea pauca adiungenda veniunt, nõ possum autem non atro eam notare carbone, aquam enim ex ventre euacuat, ipsumque mali fomitem in glandulis, & sanguine relinquit, quę dein vberiore vena scaturire solet, nam semper respiciendum est ad causas, vt tollamus, quę nisi tollantur morbum nõ curari credimus, ipsę etiã simul vires spiritusq; eum aquæ saburra ità exhauriũtur, spiritus sæpius in aquã illam decumbunt, vt extremã putredinem arceant, ità vt per longum tẽporis interuallum in abdomine contenta aqua omnis fætoris expers sit, quem euacuata citissime trahit. Aqua igitur post paracentheſin subinde scatens, necessariis tibus defecta non potest non in insignes putredines delabi in extremam viscerum corruptelam. Quibus autem floridi & robusti corporis hydropicis sanitas per casum aliquando contigit, eosdem cõuenientibus medicamentis curare adhuc longe facilius fuisset Quod si quis eam suâ experientiâ fretus, instituere velit, is caueat ne simul & semel omnis aqua educatur, sed per interualla, non horarum tantum, sed dierum quoque, habitâ inprimis virium ratione, interim quoque æger corroborante ex conseru. ros. absynth. diarrhod. Abb. Aq. cinamomi, &c. refocillandus est. Quæri porrò potest, qua quantitate & quibus intervallis aqua sit educenda, nam iuxta *Hippoc. apb.* 27. *S.* 6. *Quicũq; Empyrici* aut *hydropici* vruntur aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerint, omninò moriuntur: quare mane, & vesperi tantùm ad vnam vel vltra ℔. libras non educenda est aqua & in paracentheſi hoc obseruandum est, quod illini debeat vulnus balsamo sulphuris succinato, & si inflammatio accedat saccharum Saturni adhibendum est.

Notus quoque est *Sanctorii* modus, quem describit *Nob. Febr. in Tractat. de Absynthii* hydropicorum fœminæ per pudendas, maris per vmbilicum singularibus, & occultis hactenus ductibus educendi, qui *Sanctorius* habet peculiare instrumentum ad hanc paracentheſin peragendam. Inter Empirica sunt sequentia

Vni-

Vnicornu Grunlandicum hydropicos sanare obseruauit *Thomas Bartholinus Cent. IV. 46.* si succi rorastri alicuius herbæ vnciam vnam cum melle permiscueris, & dederis hydropico cum euphoria purgabitur, sic sanguis capræ calefactus in igne & comestus hydropicos perfectè liberat, inquit Medicus græcus.

Echedrii terrestris id est spinosi animalis epar & cor cum pulmonibus passata hydropicos inprimis Anasarcicos sanant. Alium sæpe conducit, & inde aliquot hydropicos Iudæos curatos vidi.

Album græcum cum aqua Chamæpytheos ad ℥ i. aliquoties bibitū hydropicos perfectè curat, de sanguine cornicis cochlearia duo bibita cum vino nonnullos restituit hydropicos.

Sanguisugæ viuæ superpositæ loco in quo materia superabundat, euacuant eam, sanumque faciunt hominem, inde & conueniunt hydropicis. Lapis quoque *ὄφεως* serpentis externè tantùm alligatus, & circumcinctus mirè iuuare dicitur. Etiam radix vincerox mirè prodesse dicitur in hydrope, eius essentia & extractum, item essent. & salabsynth. Tinctura belliris epat. &c. sæpe auxilium afferunt.

Chelidonium mai: cum fructu applicabis plantis pedum, nec non aq. calc. viu. abdomini, quoad vrgens symptoma sitim nempè conducent sequentia. Contra sitim hydropicorum nitrum depuratum vel spiritum salis potulentis instillare poteris.

Ad sitim fallendam in hydrope conducit sæpe os eluere aquâ spiritu vitrioli tinctâ, vel tamarind. in ore contineat æger, caueat tamen ne deglutiat, omnia enim frigida valde nocent.

CAPVT X.

DE FLVXV SANGVINEO,

Hepatico vulgo dicto, & Hæmorrhoidum fluxu nimio & suppresso.

§. 1. FLuxus Hepaticus (dictus quod ab hepate vulgò oriri credatur materiam fluxui illi subministrante) est excretio copiosa & frequens, in qua excreta referunt loturam carnium, vel ex flauo rubicunda esse videntur. Affectus est rarus & rarò in praxi occurrit, & in tota mea Praxi III. tantum curandos habui, Iesuitam sc. Hadamarienſem, ciuem Hanouienſem & Limburgenſem alium.

Fluxus verò hæmorrhoidum immodicus & hæmorrhagia arteriarum hæmorrhoidalium excedens est, quando ex arteriis hæmorrhoidalibus in ano existentibus sāguis effluit, dicuntur ab Authoribus hęmorroides apertæ & cæcę. Apertę sunt quæ certis quibusdam temporibus & quidem singulis mensibus, quem admodum in mulieribus menses, fluunt; Cæcæ verò dicuntur, quæ tument cum dolore multum verò sanguinem reddunt: vnde cæcas cum ficubus, & morisci multi confundunt, quòd tamen minimè est faciendum; Mariscæ enim lōge alius est affectus, nempe sunt tubercula carnosa, oblonga, vt verrucæ subrubræ.

A fluxu autem hepatico discernuntur hæmorrhoides fluentes, quod hìc fæces post sanguinem excernantur, in fluxu verò hepatico hoc fit contrario modo.

Hæserus exemplum habet hæmorroidum vterinarum. Nos in *Principissa Nassouica quadam* Iuniore obseruauimus fluxum menstruum nouilunio fluentem vnà cum fluxu hæmorrhoidum plenilunio fluentem. Nobilē puellam iam curandam suscepimus à septimo anno primum fluxū menstruum patientem, etiam nouimus in quinto anno eundem passam de quo vide *Ephem. Germ.* Sic & *ab hæmorrhoidibus* separanda sunt condylomata, quæ sunt tubercula rugatum ani, ortę à diuersa crassa materia. Sic formicæ, verrucæ, claui aliique circa anum affectus bene distinguendi veniunt.

Figurà quoque differunt hæmorrhoides, quòd aliæ vuis maturis & purpurantibus similes; aliæ vuales, ab vuæ colore, & tenuitate dicuntur, aliæ moris matureſcentibus & rugosis, aliæ vermibus similes sint.

PARS

PARS AFFECTA.

§. 2. De parte affecta fluxus hepatici maximè apud Authores disputatur, alij dicunt ductus bilarios esse, putantque eum nihil esse, quàm bilem vitiosam & quæ propter morbosam hepatis constitutionem eius sc. intemperiem humidam, frigidamque, aut calidam cum mollitie flacciditateq; coniunctam aliquid cruenti admixtum habet.

Alij ab hepatis venis portæ sc. deducunt, nonnulli ab arterijs mesentericis anastomasin patientibus malum esse dicunt, propterea quod sanguis & quantitate, & tenuitate, rarius verò motu peccat aucto. Nos in hepatico fluxu vasa breuia rupta vidimus, quare non dubitamus & hic partim ea, partim & arteriosa vasa, tum in intestina, tum in mesenterijs, hiantia vel per anostomasin, vel diabrosin vel rexin rumpi.

In fluxu verò hæmorrhoidum venas hæmorrhoidales pro subiecto accusant veteres, nos constituimus vasa ani, & quidem arterias potius quàm venas, per quas arterias sanguis è corde ad partes, & ad anum quoque ex necessitate motus periodici diffundi solet, suntque hic quidem accusandæ arteriæ à mesenterica inferiore & Iliaca hypogastrica ad anum vsque protensæ, dictæ hemorrhoidales tum in apertis, minusque fluentibus quàm in cæcis atque tumentibus; Nos tamen sæpissimè arterias, rarissimè verò hoc in affectu venas per anostomosin, vel diabrosin vel rexin nati audacter affirmamus, oscula enim venarum vtique à materia aliqua acri erodi possunt, ita vt tam effundatur, quàm retrogrediatur versus cor sanguis à parte resuus.

DIAGNOSIS.

§. 3. Signis diagnosticis non videtur indigere hic affectus, cum in sensus incurrat & ita per se facilè cognoscatur, nihilominus cùm haud omnis fluxus sanguineus statim hepaticus dicendus sit, quare semper ab alijs affectibus diagnosi ritè distinguendus est. Dicitur hic morbus pluribus *dysenteria hepatica*, ob similitudinem, in hac tamen non excernitur cruor seu cruenta & purulenta materia vt in dysenteria, sed merus sanguis sero dilutus & velut aqua sanguine imbuta, ita vt loturæ recèter mactatorum animalium cornium assimiletur, non etiam continuò durat hic fluxus vt dysenteria, sed per 11. tresq; dies subsistit & dein reuertitur, in hepatico fluxu dolor ferè nullus vel exiguus saltem in dextro hypochondrio percipitur, nulla etiã ramẽta intestinorum prodeunt. Et si quando niger excernitur sanguis tũc periclitatur æger, accedentibus deliquijs animi alijsque symptomatibus grauioribus. Hic etiam adest color cachecticus h. e. ad palidum inclinans ob nimiam sanguinis euasationem. Quod hæmorrhoides concernit, vt dignoscantur, sola sufficit ægrotantis & aliorum relatio, quamuis & ab excretis cognosci possit, & virium prostratione, & à colore pallido inprimis faciei, dolor quoque ingraueſcit, cum aluum deponat æger, quia tunc premuntur magis arteriæ & venæ distento sanguine crasso & multo sale fixo abundante; album hunc fluxum obseruaui in sexagenario. Et qui hoc malo obnoxii sunt, patiuntur mox hæmorrhoides apertas, & tantum non immodicas, modò tumentes & dolentes. Primò fluit sanguis niger fæculentus & crassus & guttatim effluit, qui chartaceo emunctorio sæpius deprehenditur, tandem citrinus vt & pallidus; posteà vires labascunt, crura langueſcunt, in dorso, & circa coxendicem dolorem sentiunt cum tensione abdominis. Tubercula sunt modò dura, modò mollia, modò purpurea & vuę grauis similia. Dolor pũctorius modò grauior, modò remissior, in cæcis autem plerunque est atrocissimus, adsunt quoque insomnia turbulenta, tumor post duriorum scybalorum deiectionem præcipue extuberat inæqualis, nec sedere nec ritè decumbere sæpe possunt ægri, & nonnunquam simul procidentiam ani cum tenesmo patiuntur. Cæcæ verò ceu diximus sunt cum intensissimo dolore, ob parmes sensiles, & acrimoniam humorum spiculis suis mẽbranosas partes vellicantiũ,

CAV

CAVSÆ.

§. 4. Ad felicem morborum curationem iuſtituendam cauſarum euolutionem perquam eſſe neceſſariam nemo cordatorum medicorum ibit inficias: quam autem ſæpiſſimè abſtruſum ſit hoc cauſarum ſcrutinium Practici ſæpius toto pectore tacitè ingemiſcentes experiuntur. In fluxu ergo hepatico veteres Galenici accuſant imbecillitatem hepatis, ex calida vel frigida intemperie contractam, ſi ſit à calida intemperie, tunc coniuncta eſt intenſa ſitis, biliſque vomitus tam flauæ quàm æruginoſæ, lingua eſt ſcabra, ægri ſunt temperamento calido præditi, tenuis habitus, hirſuti, iracundi. Frigida verò noſcitur ex contrariis ſignis. Fluxus hæmorrhoidum nimis à *Galenicis cauſa efficiens proxima* dicitur, venarum in annum deſinentium repletio, diſtēſio & apertio, cui contraria eſt obturatio & propter copiam ſanguinis fæculenti melancholici, craſſi ac multi, rarius puri; aut bilis, aut pituitæ produci hunc affectum vnanimi ore fatentur, & quidem à iecore, liene, vel toto corpore ad venas podicis ob prædictarum venarum apertionem, ruptionem, ſanguinem hunc effundi non dubitant. A *Galeno* ergò proxima & immediata cauſa ſtatuitur facultas expultrix ad expulſionem irritata. Suppreſſionem verò ſeu Cæcas hæmorrhoides à contrariis cauſis, nimirum à debilitatione expultricis & robore retentricis, ſanguinis paucitate, viſciditate, conſtrictione item & anguſtia orificiorum vaſorum ſeu venarum à rebus aſtringentibus, & refrigerantibus, balneo aquæ frigidæ, ſeſſione ſuper lapide frigido, &c. deducunt.

§. 5. Diſceſſum ab hac Veterum ſententia facientes *Paracelſiſtæ*, hæmorrhoidum ſanguinem leprę ſimilem morbum faciunt & in fluxu hepatico ſalia ſylueſtria acria ſero, liquefactionem ſanguinis efficientia, exundare ſtatuunt.

§. 6. *Helmontius* fluxum hæmorrhoidalem fieri exiſtimat, ſi fel, & pylorus non bene conſentiant, vel cruor ſuper iuſtum terminum detineatur, vel ſi tranſmutata ſextæ digeſtionis transferantur in primam. Hæmorrhoides ergo iuxta *Ipſum* ex diſſenſu fellis & pylori oriuntur, & in hæmorrhoidibus non ſemper, quotidiè, aut vbiuis, ſed duntaxat circa venarum cruorem, bonum alioqui, malignati, deturpatique iis locis, & non antea, ipſe exiſtimat, in ſplene enim anteà degener eſt cruor, & ad vltimum ani mittitur.

§. 7 *Williſius* cauſam horum affectuum quærit in ſanguinis acrimonia, diſcraſia, & nimia eius efferuescentia, ſanguinis vaſa inprimis meſenterica & hæmorrhoidalia reſerantibus, & ſic vnitatem ſoluentibus; cruor enim acris exiſtēs, circa has partes, inprimis congeſtus, arteriarum oſcula haud difficulter reſerare aut exedere, & ſic fluxum illum hepaticum, & hæmorrhoidalem excitare valet.

§. 8. *Syluius*, qui nunquam hunc affectum obſeruauit, quod maximè miror, hunc tamen fluxum hepaticum à copioſo ſero, ſanguini admixto, & vaſa ſimul relaxante putat deducendum, ſeroſum fieri ſanguinem dicit a potu nimio tum aqueorum, aquæ, cereuiſiæ, &c. tum ipſius libratus vini, à quo tandem partium omnium firmitas infirmatur, & tonus pene tollitur. Hæmorrhoidum fluxum Criticum, & ſymptomaticum dicit, quem ab humoribus acribus vaſa hæmorrhoidalia aperientibus, item quando excrementa excernuntur difficiliùs deducit, vnde ex vehementis ventris compreſſione tunc neceſſariò concurrente ac frequenti, hæmorrhoides originem trahunt.

§. 9. *Carteſiani* in fluxibus hiſce ſanguinis particulas acres, & acidas, rodentes puta ſcindentes, pungentes accuſant, quæ ſpiculis ſuis lapſu tēporis magis magisq; impactæ arteriarum hæmorrhoidalium aliarumq; fibrillas diuellunt & rimas faciunt, tandemque ſanguis ad vaſa hæc teneriora delatus fibras dilatat, atque ita per hiatus effluit, & confertim per vaſa fluit ſanguis, quando eius motus impeditur, ſiue

obstructio à crasso indurato coagulatoque humore, siue compressio à tumoribus vicinis vinculisque, siue nimia eius copia fit in culpa.

§. 10. *Ego* vsum fructum cuique suæ opinionis relinquo, & cum eo sentio, qui vera proposuit; nempe Fluxus Epaticus nostro iudicio oritur, cum arteriæ & venæ per diapedesin, vel anastomosin, vel rexin solitò magis aperiuntur, ità vt particulæ quędam sanguinis rubræ excernantur cum sero copioso, quæ non tantum obruunt nostrum *Gasteronacem*, sed & commeatum intercipiunt.

Sæpissimè ergò arteriarum rarò & venarum oscula externa eroduntur à materia quadam acri. Materia quam venæ vel arteriæ effundant, partim sanguis, sed potiori parte, serum est; quod ex excretis patet. Intemperies acris an adsit, hoc à vellicatione percipitur, biliosa verò ab vsu alimentorum calidorum, etiam ex deiectione patere potest. Differt verò hic morbus à dysenteria duntaxat secundum magis & minus, nam est minor tantum dysenteriæ species. Soluitur autem vasorum hæmorrhoidalium continuum aliquando nimio sanguinis motu, vndecunque demum orto, vnde teneriores arteriæ capillares, quæ simplici constant tunica notante *Syluio* aperiuntur, & sic sanguis nimia copià aggestus, & ob moram acris redditus, per rimas seu diæresi seu anastomosi seu rhexi effunditur, euacuaturque per infernum guttur. Et potest hic affectus oboriri vel à plethora vel à sanguinis tenuitate, vel crassitie aut visciditate nimia, sæpissimè tamen à nimia sanguinis aut aliorum humorum acrimonia (inter quos eminet salsus & sulphureus ab intestinis sensim ad intestinum rectum delatus) vel ab orgasmo sanguinis, vel à fœcibus duris comprimentibus vasa, vel à parti difficili ob validum conatum, vel ascaridibus, vermibus vel ab assumptis venenis, &c. omnia enim salia acria faciunt sensum ardoris.

Vasa hæmorrhoidalia in Cæcis hæmorrhoidibus facili negotio obstruuntur, quoniam in extremo corporis sunt, & à frigore facilè angustantur, & comprimuntur, dein quia venæ perpendiculariter sursum adscendunt, postmodum quia arteriæ hæmorrhoidales haud difficulter ab excernendis duris aliquantulum comprimuntur, quapropter sanguis inuenis haud sufficienter sursum premitur: quod si tunc acredo adsit, dolores tum orirentur acutiores. Cęcę vero hæ hęmorrhoides duntaxat intumescunt, & sanguinem hunc minimè fundunt emittuntue. Fluxus hos quoque occasione inordinatorum spasmorum in vasis sanguiferis subinde accidere nullus dubito.

§. 10. Maxima sanè Medici prudentia est, de instantibus verè iudicare, & de futuris sobriè coniicere, potest enim hoc ipso admirabilem se reddere. Interim sedulò attendat, ne præposterè præsagiendo turpiter sedet, famamque suam aliorum ludibrio exponat. Fluxus Epaticus vt indolens non vsque adeò tamen tutus aut curatu facilis, sed plerumque perniciem accersit, inprimis si febris adsit, & simul malignitatem induat; in frigidiore constitutione transit facilè, vti in omnibus sanguineis fluxibus solenne est, in hydropem, vel tabem, sic enim pabulum h. e. sanguis libratibus animalibus intercipitur, vnde necessariò tandem mors sequi debet.

Fluxus etiam hæmorrhoidalis non est negligendus aut contemnendus, vtpote à quo grauiori & diu perdurante varia produci possunt mala, hydrops sc. ascites, Leucoplegmatia, cachexia, marasmus, & tabes, febres hecticæ & similia alia. Modica tamen ab iis hęmorrhagia & pręcipuè periodica, tum melancholicis omnibus, tum in morbis quibuscunque frigidis, & melancholicis, bona est, quapropter nec modico fluxu aut nimis subito, aut omnes simul venæ adstringendæ sunt, quandoquidem ab eorum nimis subita cōstipatione & obstructione, grauissimos quosdā inductos feciſſe affectus experientiā rerum omnium magistra edocemur; quod, & cautè monet *Hipp.* *noster diui-*

nus

nus S.6. aph.12. Si quis hæmorrhoides diuturnas sistere velit, nisi vna fluere sinatur hydropis vel tabis metum infert. Dolor etiam hæmorrhoidum, vt molestus est, & sæpè recurrit, inprimis errore aliquo in externis commisso, ità aliquando in pertinacissimos quosdam morbos degenerare potest, inflammationem sc. gangrænam, indurationem vlcera & fistulas, tum propter partem ipsam, tum propter allabentia continuò excrementa, tum propter alias causas vix curabiles. Fluxus tamen hæmorrhoidalis sæpè à multis malis homines liberat, vbi natura duce peccantes humores educuntur, & cui naturà fluunt: hæmorrhoides enim, vt ait *Hippoc. S.6. §. 11.* bonæ sunt melancholicis & nephriticis. Huc & spectant aphorismi *Hipp.* Superna sanguinis reiectio omnis mala, inferna verò nigra bona. Item *S.6. 21.* Insanis si varices & hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio fit. Item *S.6. 12.* A diuturnis hæmorrhoidibus curato, nisi vna quæpiam seruetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet. Præseruant etiam ampleuritide, peripneumonia, phagedæna, furunculis, terminthis, ac aphtis, item à lepra: conducit & fluxus hic varicibus, arthritidi, indurato lieni, & suppressione menstruorum quibusdam etiam grauidis multa cum alleuatione contigisse, obseruaui.

Immoderatus verò hæmorrhoidum fluxus plurimorum malorum origo est, nonnunquam in hæmorrhoidibus metus est fistulæ, dum per fluxum diuturnum oscula assuescant esse aperta, quoniam continuus fit, vnde tandem callo obducuntur latera, ità vt contrahi non possint postea; si hæmorrhoides deficiunt, vbi iam à natura fluere cœpere, facilè possunt inducere phtisin, cordis palpitationem, tumorem pedum & subsequentem hydropem aut cachexiam, maniam, hæmophtysin, mictionem & vomitionem cruentas, lienem tumidum, arthritidem, nephritidem, &c.

CVRA DIÆTETICA.

§.12. Lustratis hactenus iis, quæ ad affectus hos dignoscendos facere potuere, ad praxin etiam vt deueniamus necesse est, & primò quidem ad *fontem dietheticum*, in quo ipso maximam curationis spem recidere omnes fatentur medici, nec à veritate abludit hoc ipsum Magni *Sennerti* effatum. Medicamenta enim, vel pretiosissima in cassum propinantur, diætæ iustum & conueniens regimen vbi fuerit neglectum, & intermissum.

Cum ergò videamus, *Aërem* corpora nostra potenter afficere, sedulò diſpiciendum, vt talis aut eligatur aut paretur, qui ægro conueniat.

Iuxta ergò causæ varietatem mutandus est, & vt plurimum sit temperatus. Cibi sint modici, facilis concoctionis, in nimis fluentibus hæmorrhoidibus & fluxu hepatico sint modicè adstringentia, in cæcis tamen magis ad humectantia vergant, caueat sibi æger à leguminibus crassis, & difficilis concoctionis, salsis, fumo induratis, &c. Potus sit etiam paucus, concedi potest vinum rubrum tenue, decoctum hordei c. C. C. rasp. proderit, item aliud antiphtisicum in Pharmacopæa Regia Zuuelferi descriptum, in hæmorrhoid. decoctum linariæ tanquam specificum hoc in morbo reperi, item Emulsiones ex sem. frigid. cum decoct. c. c. paratas quatenus obtundunt acrimoniam salis corrodentis. Somno his in affectibus plus indulgendum, quàm vigilijs esse, nemo ibit inficias, qui considerat per somnum spiritus animales magna in copia iterum generari. Motus quantum possibile vitandus; quies contra corpori & animo concedenda. Animi pathemata (quo etiam studia, & venus pertinent) penitus hic exesse, aut ad restitutionis tempus valere iubentur; malum enim per hæc opiata horum morborum curatio impeditur. Excrementa sint naturalibus similia.

CVRA PHARMACEVTICA.

§.13. Aggredimur iam ipsam Curam Pharmaceuticam. Occurrit primò *Galenicorum* hisce in morbis *Therapeia*, quæ ipsis potissimum sita esse videtur (1.) in curatione hepatis intemperiei, & flacciditatis. (2.) in causarum eius amotione (3.) in symptomatum mitigatione. Præmissis itaque præmittendis, purgationem alui inprimis cum Rhabarbaro, mirobalan. similibusque aliis instituunt; adauertendum sanguinem etiam V.S. celebrare iubent, inprimis in plethora. Tandem medicamentis adstringentibus & incrassantibus sanguinem nimis fluentem cohibent, vt sunt plantago, eiusque semen, rad. bistortæ, corallia rubra, bolus armena, terra sigill. lapis hæmatitis cum succo plantaginis, conserua rosarum antiqua cum bolo armen. confectio è scoria ferri, triasantalum, g. tragacanth. arab. sang. dracon. thus, C.C. vstum & plura alia; inprimis autem Theriacam seu & Mitridatium magnisaciunt.

Inter externa conducent ex Thure, pilis leporis minutissimè concisis, & albumine oui, emplastrum ex scoria ferri, vnguent. comitissæ, sedi, lumbisque applicatum, glandes quoque, & quercus folia contusa in forti aceto multum decocta, & abdomini admota. Fomentum quoque parare solent ex vino astringente, in quo decoxerint radices plantaginis, rosæ rubræ, myrtilli, hypocistis.

Ex herbis quoque astringentibus succum expressserunt, & cum syringa ad hæmorrhoides interiores curandas iniecere. Suppositoria ex plumbo vsto, cerusta, colophonia, & acacia à multis laudantur. Linimenta ex oleo rosar. c. succo plantaginis in Mortario plumbeo parare solent. In hæmorrhoidibus nimis fluentibus ex decocto balaustior, rosarum, mespilorũ, sorborum, aluminis, &c. medicamen instituunt, item ex mucilagine psyllii & aqua rosarum, plantaginis, myrthii, &c. Etiam insessus ex rebus adstringentibus admodum conueniunt.

In suppressis verò hæmorrhoidibus siue cœcis omnem operam impendunt, vt aperiantur & si corpus plethoricum est, venam poplitis, vel malleoli aperiendam iudicabant. Ad aperiendas hasce, etiam varia medicamenta habent, vt sunt succus radicis cyclaminis, bryoniæ, betæ, iridis, cepar. cent. min. cum melle, item fel porci, vel tauri, aloè, folia ficus, si iis fricentur hæmorrhoides, facilè aperiuntur. Parare solent, & varia vnguenta ex his, aliisque.

§.11. Sequuntur nunc Chymici, *Paracelsistæ* sc. qui hisce in affectibus, ea medicamenta præscribunt, quæ salia illa acria tum arterias tum venas aperientia obtundunt, partes demulcent, & balsamum naturalem sanguini restituunt, quod præstant omnia mineralia, antimoniata vt & saturnina, item martialia hic multum facere possunt. Opiata & Narcotica multum æstimant Chymici, vt Antimonium, Crocus Martis, oleum ♂tis & corallorum, colchotar, sal corallorum, puluis bufonis, aut ranæ terrestres combustæ iuxta ipsum Paracelsum sistunt hæmorrhoides. Externè cõducunt quoq; calcinatæ teste onorum cum vngento de tutia, quod fluxum valdè adstringit.

Præparatio in restrictione sanguinis est: ℞. Marchasitæ optimè tritæ ʒ ij. olei lini ʒ vii. quando hæc duo conuenere, accendenda sunt, tunc manet vera murnia. Ad apertionem verò hæmorrhoidum chymici vtuntur vitriolo albo, sale nitri, atramento, aliisque corrosiuis, quæ tamen non lędunt intestina; suppositoria ex solo alumine fabrefacta aluum facilè proritant. Ad mitigandum dolorem varia demulcentia ex saturninis, &c. præscribunt.

§.12. *Helmontius*, sudorem morientium linteis exceptum & hęmorrhoidibus fluentibus applicatum pro arcano commendat, mirificas enim vires mortificandi hæmorrhoides habet, de qua re rationem reddit ex *Helmontio Grembs*, quod sc. Archeum timidum reddat, qui ex natura sua mortem timet, vt propterea à furore remittat. Pet sola igitur arcana vult sedari hunc affectum hęmorrhoidalem, item

Amu-

Amuleta & periapta collo appensa dolorem hæmorrhoidum sanare experientiâ edoctus statuit; in fluxibus reliquis sanguinis commendat colchotar vitrioli, aliaque adstringentia; Externè verò empla. strum ex pilis leporinis & album oui, &c. vide, & *Helmontij* annulum, & annulum ex dente equi marini, & pulu. de eodem dente equi marini.

§. 13. *Willisius* sequentes habet intentiones; (1.) vt sanguinis per aluum effluxus & turgescentia compescatur, (2) vt fluxio aliò diuertatur, (3) vasorum ora intra intestinum rectum dehiscentia occludantur. Vt ergò æger quietus maneat omninò opus est, dein brachiorum & crurum artus ligaturis arctis constringantur, quippe cum hac ratione sanguis in membra per arterias excurrens inhibeatur, ne statim per venas redeat. Ad sanguinis ῥοπὴν ab aluo deuocandam, quandoque expedit in brachio, aut pede venam secare, quippe quò plus sanguinis per arterias ad venæ sectionis locum feratur, eò minus erit affluxus eius ad aluum. Topica etiam infrigidantiæ hepatis regioni adhibenda vult; spongiam quoque aceto madefactam pubi & genitalibus in omnibus sanguinis fluxibus applicare iubet. Aquę frigidæ in faciem subitam ac inopinatam aspersionem, quatenus terrorem incutit, hæmorrhagiam quamuis aliquando sedare inculcat.

Cucurbitas, illis & pedum plantis applicandas suadet propter sanguinis ῥοπὴν ab aluo deuocandam. Frictiones verò & cauteria tanquam inutilia reiicit.

Inter Remedia sympathetica magnificit puluerem sympatheticum ex vitriolo Romano per solem æstiuum ad albedinem calcinato paratum, item ligni è fraxino virgineo siue primum arborescente & circa momentum, quo sol Tauri signum ingreditur, incisi portionem, empiricum etiam remedium addit sequens, sacculo ex serico parato includatur buso siccatus, & supra ventriculi scrobem gestet; hęmorrhagiam enim quãcunque sistit eiusque reditum præcauet. Monilia ex lapide hæmatite collo suspensa, item vsnea siue musculus cranii humani manu gestata ab ipso laudantur, quorum tamen operationes ad causas occultas, & virtutem quandam secretam refert. Nec recusat quem dixi auctor epithemata ex foliis vrticæ contusis, & plantis pedum ac volis manuum applicata. Inter Topica vasorum ora occludentia commendat solutionem vitrioli in aqua fontana factam, item aquam ex infusione vitrioli albi cum bolo & camphora paratam.

In hæmorrhoidibus nimis fluentibus commendat puluerem vitrioli camphorat. ano instar suppositorii intrusum. Dein ad interna quoque transire iubet, & eo omnes intendendę vires sunt, vt accensio sang. nimia supprimatur, eiusque fermentatio indebita sedetur, in quos vsus sequentia prescribere solet:

℞. *Aq. plantag.* ʒ *papau.*
sperm. ranar. ana ℥ iiij. *portulac,*
syr. nymphææ ℥ ij.
salis prunell. ℥ j. *M. f. Iulap.*
dosis ℥ iij. *ter aut quater in die.*

Vel ℞ *Aq. scord.* ℔ ij.
fl. ros. rubr. m. j.
spirit. vitriol. q. s. ad gratum acorem siue circiter ℥ ß. *f. infusio tepida ad tinct. extractionem adde syr. de succo hiperic.* ℥ ij. *dosis* ℥ iij.

℞. *Fol. vrticæ vrentis,*
plantag. ana m. iij.

Contusis affunde aq. plantag. ʒ vj. f. expressio fortis, sumatur.

Vt cordis motus impetuosior, sanguinem nimis rapidè circumpellentis per sufflamina idonea reprimatur, in hunc finem hypnotica laudat.

℞. *Aq. papau. rh.* ℥ iiij.
syr. diacon. ʒ ß. *m. f. haustus.*

Sumendus horà somni. Vel

℞. *Conserv. ros. ar. rubr.* ℥ i ß.
pulu. sem. hyosciam.
papau. alb. ana ℥ ij.
syr. papau. q. s. dosis ℨ. *M. quant. sextà vel octauâ horâ.*

In præseruatione horum affectuum suadet phlebotomiam, & catharsin tem-

pestiuè celebratas, dein vtatur æger seq. remediorum formulis ab ipso Authore præscriptis:

℞. *Conserv. ros. rubr.*
Cynorrhod. ana ʒ iij.
pulu. santalor. omn. ana ʒ ß.
Corall. ppt. ʒ j.
Croci ♂ *rubicundiss.* ʒ ij.
sal. prunell. ℈ iiij.
c s. q. syrup. è coral f. Electuarium, capiat primo mane, & hora somni quantitatem nucis castaneæ vel per se vel superbibendo aq. destill. sequentis ʒ iij.

℞. *Summ. Cupress.*
Tamarisc. ana m. viij.
hyperic.
equiset. ana m. iv.
santalor. omnium contus. ana ʒ j.
C. mic. panis alb. ℔ ij.

Minutim concisis affunde lactis recentis ℔. viij. destillentur organis communibus, edulcoretur quoque dosis inter sumendum cum s. q. syrupi è succo plantaginis.

In æstate bibantur Acidulę chalybeatæ per mensem, quibus in hoc casu non dari præstantius remedium auctor existimat.

§. 14. *Sylvius* fluxus hepatici curationem instituit sequenti modo, nempe serum copiosum sanguinem ità diluat, vt ex vasis ab ipso simul relaxatis partem aliquam secum ad intestina deducat, & loturæ carnium similem fluxum producat, sudoriferis & diureticis serum illud abundans alia via è corpore expellere tentat, dein roborantibus austeris laxata vasa resarcire iubet, inprimus suadet imposterum à nimio aqueorum potu abstinere, partim tamen ac robur naturale, ob spiritus vini abusum, restaurari putat spirituosis subausteris, qualia sunt inter naturalia, vina potentia simul & cum nigredine grata subaustera. Inter artificialia verò plura ex vino generoso atque cydoniis vel punicis malis, vel myrrhi baccis, aliisque similibus parata. Quod fluxum hæmorrhoidum concernit, quamdiu hic fluxus cum ęgri leuamine fit, estque criticus, tamdiu obseruandus nec sistendus est, vbi verò nimius existit ac symptomaticus, ęgrumque infirmans, tunc lentè notissimè suà mixturà superius dictà, vel simili alio medicamento ad quascunque sanguinis euasationes, sistendum & cohibendum ait.

§. 18. *Cartesiani* ad particulas istas acutas, seu salinos aculeos, in sanguine existentes, & abundantes, atque quælibet vasa sanguifera, inprimis in affectu hepatico breuia, venam portæ aliaque mesenterica, in hęmorrhoidibus verò vasa illa hæmorrhoidalia facilè dissecantes & aperientes, & sic hos nostros affectus excitantes, obtundendas suadent omnia balsamica mitiora, item omnia ponderosiora, vt sunt lapis hæmatites, bol. armen. terra sigill. corall. rub. ocul. ♋ & id genus alia. Ad acres & salsos humores hoc in morbo sæpius abundantes corrigendos, & simul effervescentiam sanguinis sistendam commendant opiata varia, aliaque externa adstringentia, de quibus in nostra subiuncta crisi plura addemus.

§. 19. Curatio huius affectus epatici sc. fluxus *nostro iudicio* potissimum sita esse videtur in causarum eius amotione, & symptomatum mitigatione, præuentione & in exacto diætæ regimine. Hìc ergò plurimùm proderit decoctum aliquod aperiens, cum lenibus adstringentibus admixtis & addi debet Tartari ʒß. in colatura dissolue oxymellis scyllit. ʒ i ß. & vt corpus magis ad sudores præparetur, possent addi salis alicuius sudorifici ℈ ij. & parum spiritus salis* ci. Præmissis ergo præmittendis, purgatione alui pro renata tamen inprimis cum Rhabarbaro, mirobolan. similibusque aliis vtendum, magni æstimo serum lactis Tamarindinat. item decoct. passulat. cum santal. parat. dein adstringentia, & siccantia tam introsumenda quàm foràs sunt applicanda, in quem finem valde conferunt amaricantia pleraque, salia volatilia & fixa, olea aromatica & similia alia, seu adstringendi, & siccandi vi prædita, vt sunt bol. armen. corall. Croc. Martis astring. Posteaadsudorifera transeundum; & dandum est sudoriferū ex mineralibus,

& si

& si acidum peccet in corpore, salis sudoriferi posset momentum addi. Inter omnia ferè excellunt hoc in morbo chalybeata omnia, vt & Tartarus Vitriolatus & chalybeatus, quia cum apertione adstringunt leniter. Si verò malum ortum duxerit à sale, acida volatilia sunt adhibenda, vt spiritus Sulphuris, tinct. corall. vitrioli volatilis, &c. In hanc rem & plures pulueres styptici prosunt. Sequentem hoc in casu magnifacio.

℞. *Croc.♂ ad rubed. calcinat.*
vitriol.Mart.ad albed.calcinat.ā ʒ i.
corall rubr.ppt. ʒ j. ß
camphoræ gr. vj.
fuligin.vitriolic.de fundo
cacabi æneī veteris derof. ʒ ß
laudan.cydoniat.Hoffm.gr. v
M.f.pulvis, dosis ℈ ß *ad* ℈ j. *in vehiculo idoneo, conuenit & spirit.Marti.*

Tinctura flor. bellid. pulu. hepat. rub. Tinct. lap. hæmatit. cum essent. anodyn. mixta multum præstiti. Nec minoris efficaciæ sunt liquor ♂ solaris, Tinctura vitrioli Martis Zuvelferi; multum & præstat succus vrticę recenter expressus & ad ʒ ij. exhibitus. In fluxu hepatico conducunt omnia hepata bestiarum & humanum, inprimis lupi: item caro cochlearum, Essentia Agrimoniæ, Epatica, item tinct. sulphur. vitrioli cum essent. Epatica mexta mira præstat. Electuarium Lusitani, item vinum Rhapontici eiusdem maximè laudatur.

℞. *Eboris f.* △ *parat.* ʒ ij.
Croc.Mart. ʒ ß
Epat.lup.ppt. ʒ ij. ß
spec.diatrion.santal. ʒ j.
M.L. pulvis pro aliquot vicibus in sequenti vel simili vehiculo:
℞. *Aq.Cichor.*
agrimon.plantag.ana. ℥ ij
Tinct.martis adstring.
corallior ana ʒ j. ß
syr.corallior. ʒ i. *f.M.D.*
Aliquot guttas cochleatim Tinct. antiphthisicæ addere potes.

Opiata etiam hic magnifacio cum cautione tamen exhibenda. Liquorem stipticum nostrum tutò propinabis. Externa & hic conducūt, qualia antea à nobis descripta sunt in diarrhœa alijsque affectibus.

Quod Chirurgica concernit, si in plethora magnus sanguinis æstus percipitur V. Sectionem suadeo, vt scil. sanguis placidius per vasa deferatur, & à vasorum apertura resorbeatur, scapulis quoque cucurbitulæ applicari, vt & ligaturæ instituī possunt.

Præseruationis gratiā ad tollendum serum superfluum possunt exhiberi varia purgantia blanda & diuretica. Curatio hæmorrhoidum parum differt à curatione cuiuscunque alterius hæmorrhagiæ, itaq; si plethora sit eius causa ante omnia, vt diximus iam sanguis educendus est venæ sectione aut semel aut pluries instituenda; sed deficientibus ęgri viribus cucurbitulæ substitui possunt scapulis vel lumbis applicandæ.

Si verò à nimia sanguinis tenuitate in. crassantibus vtendum est & vulnerarijs, vt ad vasa adstringenda, sequenti decocto multa præstiti:

℞. *Fol.linar.*
malu.ana m.i.
mille fol.m.ii
liquirit. ʒ ß
decoq.in aq.fontan.q.s.
colat.adde
syr.de alth.q.s.

Si à nimia crassitie adeoque præuia vasorum hæmorrhoidalium obstructione è contrario sanguis attenuandus erit incidentibus quibu scunque, sed inprimis sanguinis grumos dissoluentibus salibus sc. volatilibus quandoque fixis, ol. aromaticis, ocul. ☌, ☧ diaphoret. bezoard. min. sperm.ceti & ranar. Mum. &c.

Sin ab acrimonia oritur, illa corrigenda & emendanda est demulcentibus spirituosis aut contrarijs acidis, vel incrassantibus, vel electuariis opiatis, & narcoticis: si ab humore salso aut acido aut à vermiculis vel ascaridib. medicamentis semper appropriata addenda sunt, in vermibus scil. Merc. dulcis & alia reliquis adiungenda veniunt. Felicissimo,

hoc in affectu, cum successu sequentem exhibui mixturam.

℞. *Aq.plantag.*
rosar.ana ℥ ij.
millefol. ʒ i.
Tinct.cinamom. ℥ vi.
Tinct.Martis ℥ ß
corall.rubr.ppt. ℈ ij.
Spir.Mart.gtt. xij.
Laudan.opiat.gr. iij.
℥ *dulc.gr.* v.
syr.myrtill. ℥ j. *M.*

Vel *Aq.semper viu.*
cl:bor.ana iij.
syr.de corall. ʒ j.
tinct.sulph.vitriol. ℥ j.
M.D.

℞ *Tinct. sulphur. vitrioli lap. hæmat. ana* ℥ i. *M.D.dosi* xx. *vix.ggt.*

Postmodum sequens conditum totam mihi impleuit paginam:

℞. *Conseru.rosar.rubr.* ℥ ij.
diascord.Frac. ʒ vj.
corall.rubr.pp. ℈ iiij.
Troch.de spodio ℈ ij.
Croc.Mart.astring. ℥ j.
M.de cynogloß. ℈ ij.
Aq.Cinamomi q.s. M.f.conditum.

Sistunt & nimium hunc fluxum syrupus de stercore asinino & puluis stercoris asinini.

Vel ℞. *M.P.de cynogloß.* ℈ ij.
pulu.gumm.tragacanth ℈ j.
laudan op.gr. viii.
M.f.pilulæ numero xx.
Dosis pilula i.hora post cænam.

Nam opiata hæmorrhagias quascunq; sopiunt, sensum enim in parte ex quà effluit vellicantem mitigando & sanguinis impetum motiuum nonnihil cohibendo reprimunt, serosior enim & acrior sanguis maximè hisce corrigitur, simulque inordinati isti spasmi in vasis sanguiferis sopiuntur. Illicò enim his & alijs effusionibus sanguinis occurrendum est, ne vitæ nectar plane euacuetur, quam intentionem per opiata obtinere possumus, si verò malum inducias habet, tunc corpus purgandum est Mercurio dulci. Inter externa vnguentum de linaria magni penditur, addito oleo papaueris, vt magis dolores sedet. Ad dolorem & ardorem compescendum, & fluxum immoderatum lentè sistendum instar arcani Medicis Iunioribus (consummatis enim hæc non scribo) commendo vile sed proficuum hoc remedium:

℞. *Alcol.lapid.sciss.il.q.v.*
cum butyro non salito parat, & ano applicat.
salia enim hic minime prosunt.

Sequentis decocti Riuerii fumum recipiat æger, sedens in cathedra perforata, vt dein sequens vnguentum applicetur:

℞. *Vngu.rosar.* ʒ j.
Mercurij crudi ℥ ij. *M.f. vnguentum.*

Excell. Dn. *Francus Prof. apud Heidelbergenses celeberrimus, Amicus noster exoptatissimus in Disput. quadam de hæmorrhoid.* sequens magnificat:

℞. *Rad.altb.*
lil.alb.
lapatb.ana ℥ ß
floc.linar.
verbasc.
Chamemill.rom.
sem.lini, fænugræc.
psyllij ana ℥ vi.

Contus.coq.in lacte caprillor.quod dein calidè sæpiùs applica. Tubercula enim non semper ferunt pinguia.

Oleum Saturni & rosarum ana agitentur, & terantur in mortario plumbeo ad nigredinem vsque & applicentur.

Conducit quoque linimentis sæpiùs addere aliquid laudani opiati, camphoræ, croci, cum vnguento popul.rosar.q.s.

In momento tamen fluxum hunc sedare poteris spongiâ in liquore meo styptico intinctâ & ano applicatâ.

Vnguentum millepedum cum pulpa pomorum acidorum coctum sæpiùs iuuat. Alii oleum millepedum & nucum pro secreto habent. Essentiam Martis externè sæpissimè cum maximo commodo applicui.

Fotus fiant ex folijs & floribus verbasc. & millefollii. Inter amuleta radix fabariæ

riæ collo appensa C.V Vedellio probatur.

Hartmanus cingulum facit ex foliis hellebori quassatis, quibus corpus nudum tingit Radices speciei cuiusdam ireos vt & nuces gallæ in sacco gestatæ, præseruare dicuntur ab hæmorrhoidibus, item si portas oculum moreæ & proderit Tibi ad hæmorrhoides.

Stercus canis combustum & cum therebinthina impositum hæmorrhoides sanare dicitur.

Cerebrum anseris cum proprio adipe & meliloto vel fœnugræco superpositum ad rhagades & hæmorrhoides omnemque humorem ani tanquam secretum communicatur.

In Cœcis v. & tumentibus hæmorrhoidibus internè martialia aliaque aperientia commendamus, vt tractentur ceu tumor alius, aperiatur cautè, vel cum herbis asperis lanuginem habentibus vel hirudinibus, quæ mihi tamen sunt suspectæ, quia vulnusculis, quæ excitant, sæpè superuenit inflammatio, imò gangræna & sphacelus, &c. Emollientibus quoque partes sunt vel inungendæ vel fouendæ, in quem finem conducunt insessus, & balnea tam naturalia quàm artificialia; *Aqua pendens* testatur se tumentes curasse insessione in aquis thermalibus, vel spongia iis immersa & ano applicata.

Quando eminent, *Zacutus* applicat cucurbitam. Symptomatum reliquorum hoc in casu sæpius occurrentium, Verb. gr. inflammationis, condylomatum, exulcerationis, gangrænæ, sphaceli, &c. Curatio ex infra dicendis de morbis externis petenda est.

In hæmorrhoidū dolore sequēs proderit:

℞. *Ol momordic. coct.* ℥ ß. *vel fiant fasculi vel cataplasmata ex emollientibus & specificis parata.*

Ex sequente linimento magnas vires expectabilis.

℞. *Mucilag. sem. cydonior psyll. ana* ℥ j
sacchar. saturni ℥ i.
camphor. gr. v.
opii crud. gr. iij.
M. f. linimentum.

Vel ℞. *Ol. asellor. coct.*
7. fl. Mynsi. ana ℥ iij
verbasc. ℥ ij.
N. M. expr. ℥ i.
M.

Item *Ol. scarabæor.*
mastich-ana ℥ ß.
M. f. oleum.

CAPVT XI.

DE AFFECTV HYPOCHONDRIACO.

§. 1. AFfectum Hypochondriacum, malum illud tot hominibus familiare & commune, penitus intueri, cùm animum induxerimus, operæ prætium ducimus ante omnia Methodum cognoscendi id malum, omnibus & singulis clarè & distinctè proponere. Affectus ergo Hypochondriacus nomen sortitur à loco affecto sc. ab hypochondriis, qui notant subcartilaginea, quasi dicas sub cartilaginosis constis malum hoc latere, sub his costis enim est vētriculus cum annexis intestinis, mesenterium cum vasis suis lacteis, ac sanguiferis, hepar, spen, pancreas cum suo ductu; cum ergò fomes & focus huius mali plerumque circa regionem iam designatam ab omnibus ferè Authoribus latere creditur, indeque reliquæ partes tantum per consensum ope sc. spirituum animalium participant, nomen hoc retinendum esse puto.

DEFINITIO.

Sed mitto nunc corticem, & ad nucleum degustandum pergam. Est ergo affectus hic tristis sensatio, quantum ego iudicio à spiritu animali ἀταξία dependens, facto enim impetu in hanc illamue partem, plusquam pro rata densi nimiiq; feruntur spasmos, & dolorem producentes, vbi in partes Membranosas indeque sensibiles irruunt, atque organorum, tum eius in quod se ingerunt, tum illius, à quo abscedunt, functiones peruertentes. Vix ac ne vix differt hic affectus ab affectu vterino vulgò dicto Mulierum, iisdem enim symptomatum generibus ven-

vexantur miseri, quos infelix fatum valetudinarios, & miseros esse voluit. Non tamen in omnibus apparent omnia, prout enim plura, vel pauciora existunt, vel leuiora vel grauiora, sic affectū etiam leuiorem, vel grauiorem esse arguunt.

DIVISIO.

§. 2. Superius vbi de Melancholia tractauimus diuidere placuit malum in Melancholiam *Cephalicam*, & *Hypochondriacam*. Cephalicam deteriorem diximus, vbi soli spiritus animales in capite absque vitio hypochondriorum peccarunt, nunc verò tractabimus *Hypochondriacam*, vbi malum hoc ortum suum habet ab hypochondriis, & spiritus quasi per consensum irrequieti, crassi, pauci, ac inæquales redduntur.

PARS AFFECTA.

§. 3. Progredimur nunc ad considerationem *Partis affectæ* huius mali, pro parte enim affecta intelligimus eam, cui primario causa morbi inest, non quæ secundariò, & per consensum afficiuntur. Plerique Medicorum inprimis illi qui *Veterum* vestigiis insistunt, omnem culpam in *lienem* reiiciunt, & illum huius affectus primum accusant authorem: *Syluius* verò lienis Patronus in *disp.* de *liene* §. 20. è contra statuit, quod & sæpiùs de ipsius ore hausi, se in plurimorum cadauerum affectibus Melancholicis etiam diuturnis & ad mortem vsque laborantium, *lienem* semper sine labe obseruasse, & plerumque præ cæteris visceribus satis sanum nunquam inflatum, & obstructum, aut induratum, vel amurcatum vidisse testatur. Alii ex Neotericis accusant ventriculum eiusque fermentum deprauatum & inde omnia hypochondriacorum symptomata deducunt. Nonnulli hepar calidum, & ventriculum frigidum antipraxiam sc. viscerum, monstrum illud horrendum culpant: Plerique ad *mesenterium* sedem morbi referunt, fomitemque in obstructione vasorum, vel lacteorum, vel sanguiferorum quærunt. Pars, ventriculum cum annexis intestinis ceu promum condum Microcosmi nomine hoc malum patrare asserunt. *Willisius* è contra se plures morbo hoc immaniter afflictos nouisse asserit, quorum tamen stomachi satis valuerunt. Multi in arterijs & venis mali causam scrutantur, pauci in omento latere hoc malum censent, quidam in Pancreate causam affectus huius quærunt: Nos in omnibus sensibilibus neruosis sc. & membranosis partibus infimi abdominis causam huius affectus latere non suspicamur, sed plane nobis persuademus, in hisce enim partibus causa mali latens symptomata omnia producere potest, hinc enim hæc lerna malorum, de quibus in causis plura addituri sumus.

DIAGNOSIS.

§. 4. Varia hic affectus ludit forma, vt exactus Medicus sit censendus, qui in tanta coincidentia non fallatur. Et initio quidem difficulter morbus hic cognoscitur, inprimis num Cerebrum, & spiritus animales per se afficiantur, an verò secundariò, h.e. an in abdominis neruosis partibus hæreat malum, nec ne? quod potissimum tamen ex sequentibus signis dignoscetur, quæ varia sunt, sed modò plura, modò pauciora morbum hunc comitantur.

Ægri post assumptum cibum sentiunt grauitatem ventriculi, quia fibræ ventriculi ob spirituum animalium impetum nimium vellicantur, vnde functiones eius peruertuntur, ægri enim conqueruntur omnem cibum facessere in pituitam, nam semper exspuunt pituitosam, & serosam materiam, & continuò os ipsis madescit: si post prandium bibant statim sentiunt pituitam hanc dissolui, & per os excerni. Ventriculus etiam ob acidum excedens auidiùs appetit, & si diutius ieiuni permanent, animo linquunt ægri, causa est quòd acida peregrina in ventriculo latentia, si non habeant in quod agant fibrillas tunicarum ventriculi inuadunt discindunt, punguntq, atque hoc facto neruos, quorum extremitates tunicis illis inhærent eo agitant modo, qui ad esuriei sensum in cerebro efficiendum requiritur, vnde plures hoc affectu afflicti duros

&

& concoctu difficiles aliquãdo melius, quã molles, & delicatos ferunt. Adest plerisque ceu dicimus copiosior saliua ex glandulis salivalibus eorumque ductibus prodiens, inprimis vbi hic morbus iam altas egerit radices, tum enim acidæ particulæ in sero hospitantes facile ductus salivales aperiunt, forte etiam à spiritibus sanguinem ita molestantibus, vel ipsos ductus aperientibus pendet ptyalismus illis Hypochondriacis familiaris, cum per longum tempus exspuant saliuam tenuem simili modo ac si vnguento ex Mercurio fuerint delibuti. Durante enim turbido sanguinis statu serum non iam in renes, sed per arteriarum extremitates in glandulas deponitur, & per ductus salivales saliuæ forma producitur, aliquando etiam ex ipso prodit ventriculo ob lęsam fermentationem humor saliuę haud dissimilis, quem exspuunt continuò miseri. Alii Hypochondriaci sicco reperiuntur ore, quibus est serum lixiuiosum, & oleosum. Nausea & vomitus sæpissimè vrgent, vti & ructus acidum spirantes cum excretione viscidi humoris instar glutinis, ab acida enim pituita, quam ægri ordinariò euomunt, fibrillæ neruosæ vellicantur, & scinduntur, qui dein in spasmos coguntur excretorios, quibus contentum viscosum excutiunt. Materiæ quoque viridis per vomitum fit reiectio, quæ adscribenda est spiritibus nimio impetu in partes sub cordis scrobiculo positas incursantibus, atque eadem spasmo contrahentibus. Ructus enim nihil aliud est, quàm vapor agitatus, & ex pituita per fermentationem vitiosam productus, qui dein expansus è spatio breuiore, in quo erat, in aliud vbi facilius dilatatur, transit, & mirum est quantam distensionem hi flatus in abdomine hinc inde vagantes, moxque murmura, rugitus excitare, imò ipsum ventrem instar tympani expansum reddere possint, & quia in sinistro latere magnæ hæ turbæ cientur vulgus statim lienem accusare solet, cùm tamen potius intestinum colon sit, quod versus sinistrum latus vergit, & flatuum hospitium existit, quod ipsum in memet obseruaui, cùm febrè quartanà laborauerim. Tumorem enim in sinistro hypochondrio instar capitis infantis sensi, & quidem ad vmbilicum vsque extensum, quem vulgus placentam febrilem nominauit, quem tumorem Medicamentis carminatiuis tum intus assumptis, tum extus appositis intra breue temporis spatium diminutum reperi. Flatibus ergo optimè adscribitur hic tumor, impossibile enim esset lienem ita tumefactum tam cito detumescere posse. Respiratio difficilis, anhelosa, & quandoque suffocatio, vt in fœminis accidere solent, quæ symptomata tantum à spirituum animalium ἀταξία & spasmodica constrictione faucium dependent, à qua ἀταξία spirituum animalium etiam dependet animi deliquium, cùm & in hoc affectu debilior dictorum spirituum crasis est, siue natiua ea fuerit, siue etiam aduentitia, vnde quauis prophasi dissipatu faciles sunt, à qua debilitate syncopes facile produci potest, denegato enim spirituum influxu in musculum cordis necessariò animo linquere debet æger, tunc accedit, & congrumescentia sanguinis ab acido facile producibilis. Neque hic reticendum est, fœminas multò crebriùs hoc malo corripi quàm solent Mares, non quòd se vterus semper peius habeat quam alia quæuis corporis regio, natura enim & vitæ genus fœminas magis delicatulo rarioreque corporis habitu donauit, è contra Mares torosо, & firmiore corporis robore, vtpote qui laboribus perficiendis apti nati sunt. Neque vteri strangulatus ille non ab vtero producitur, vt vulgus sibi persuadet, sed spiritus facto quasi agmine in ventre inferiore, cateruatim magno impetu in fauces irruentes, spasmos producunt, per omnem quam transeunt regionem, ventrem inflantes ad instar globi prægrandis. Inde ergo strangulatus nihil aliud est (vt inferius de mulierum affectibus magis patebit) quàm conuolutio, & conglomeratio spirituum animalium.

Miseri ægri sapiùs habent sudorem frigi-

gidum & copiosum, acidum spirantem, quod quidem symptoma haud aliunde nasci existimo, quàm à serosi sanguinis Diathesi, ob sanguinis sc. ἀταξίαν serum præcipitantẽ versus poros cutis. Ad Frigus quod attinet, illud ex eo accidere puto quod spiritus suam in illis stationem deserentes se nimio opere in hanc illamue partem inserant. Si enim in vllo affectu variant symptomata, hic variant.

Inter omnia verò affectus huius tormenta nullum frequentius occurrit, quàm dolor in dorso, quia circa dorsum partes membranosæ & neruosæ sitæ sunt, vnde conqueruntar ægri, ipsis esse ac si fustibus probè fuerint dedolati. In hypochondriis quoque æstus, & præprimis post pastum se exserit, & per ruborem faciei se manifestat, quod partim fit vitio succi acidi in massa sanguinea furentis, (quò acidior enim & feruidior succus ille est, eò maiorem fermentationem, & motum in sanguine concitat & maius parit incendium) partim à spirituum animalium ἀταξία massam sanguineam ita perturbante, vt particulæ sulphureæ in superficie cutis efflorescant, & ruborem hunc producant. Pulsus hic interdum rarus, tardus, aliquando frequens, & fortis, prout scil. spiritus influunt in musculum cordis, & fibrillas arteriarum fortiùs, & debiliùs; pulsationem enim arteriarum & palpitationem cordis hypochondriacorum non aliunde, quàm à vehementi spirituum densè conglomeratorum in dictas partes impulsu deducimus, vnde illa spasmodica contractio fit. Stuporis verò, formicationis, tremoris & lassitudinis causam desumimus à spirituum debilitate, nam in omnibus ferè hypochondriacis spirituum subsidentiam obseruare licet, aluus quoque semper ferè adstricta in hypochondriacis obseruetur, somnus sæpe paucus ægros comitatur ob spirituum animalium inordinationes. Maxime proprium, & quasi signum Pathagnomicum est, quod sc. ægri vrinam subinde reddant planè limpidam ad instar aquæ fontanę crystallinæ magnà copià & impetu diu continuato? Ratio est, cum quasi continuò sanguinis œconomia interpellatur, illud quod importatur serum satis diu retinere nequeunt ægri, sed prius dimittunt, quàm istis particulis salinis, quorum ope color ad citrinum traduci debuerat impregnari potuerit. Sanguis enim à seri quantitate, cui retinẽdo prorsus impar est planè deuincitur. Vertigo hypocondriacos maximè turbat ob spirituum inordinationes, & quasi in circulum gyrationis, aliò enim inflexi spiritus, tubulos sibi destinatos non inuenire possunt. Acre quoque adest iudicium constans & pertinax, etenim animi robur & constantia, quamdiu hoc corporis luto is incrustatur, à firmitudine spirituum eidem famulantium maximè dependet.

A spirituum quoque in ordinatione nascitur illa perturbatio, & varians subinde tam corporis quàm animi intemperies. Delirium quoque, amor solitudinis, morositas, &c. dependent ab eadem spirituum inordinatione; cùm enim desit ea spirituum firmitas, quæ in robustioribus inuenitur, impressiones rerum minus gratarum nequeunt perferre, sed vel irà vel dolore subito perciti fiunt, & proinde sunt irritabiles, vt inprimis illi, quorum natura delicata aut longior ægritudinum siue series siue mora tales reddidit, vt finiam accedunt defectus loquelæ, conuulsiones, paralysis, inprimis *melancholica* illa *cephalica*, Mania, &c. multa enim quæ in hoc morbo sectantur phænomena iam missa facio. Dies enim me deficeret, si omnia quæ affectus Hypochondriacos grauant symptomata enarrare velim, tam diuersà atque ad inuicem contrarià specie variantia, quàm nec Proteus lusit vnquam, nec coloratus spectatur chamelæon. Ex omnibus tamen quæ nos hactenus congessimus, abundè nobis constare videtur, totum hunc morbum ad spiritus animales non ritè dispositos referri debere, satis enim patet morbi fomitem in humoribus nullatenus solũ stabulari, quia singula organa ope spirituum

ani-

animalium influxus naturalis munus ſuum explere ſolent, quæ debita ſpirituum œconomia vniuerſas partes etiam inuigorare debet, eo verò influxu inuerſo functiones omnes quouis modo læduntur, inde quoque fieri non poteſt quin ingens colluuies accumuletur. Sed hoc non obliuiſcendum duco, quod ægri corpus ita malè affectum & quaſi conquaſſatum habeant, vt tamen magis animo ægrotent quàm corpore, adeſt enim ipſis deſperatio plane inſanabilis & triſtiſſima quæcunque ſibi imaginantes, atque timorem, iram, &c. ſuſpiciones & ſi quæ ſunt atrociora animi pathemata, vel ex leuiſſimâ vel etiam prorſus nulla nata occaſione vel cauſa arripientes, & ſinu fouentes, ſunt irrequieto anxioq; ab omni interim gaudio ſpeque abhorrentes.

CAVSA.

§. 5. *In ſchola Galenica* accuſantur hoc in affectu obſtructiones lienis, hepatis & meſenterii à ſucco terreſtri ſeu pituita maſſâ inductæ, vnde effumationes fiunt vaporum & in cerebro condēſationes, quod probant per alembicum in quo concentrantur ſpiritus in guttas, quæ deſtillant poſtmodum in receptaculum; parili modo putant vapores ad caput tāquam operculum adſcendere, & ibidem producere mox vertiginem, mox apoplexiam, aliquando Epilepſiam, conuulſiones, & id genus alia ſymptomata, prout & plerumque à vaporibus iſtis ad caput delatis, vt & flatibus in abdomine contentis reliqua deducunt phænomena, ſic & ventriculum frigidum, hepar verò calidum culpant. Sed cum hæc & alia à Medicis recentioribus ſat ſuperfluè ſint exploſa, non operæ pretium ducimus plura de his addere, ſed pergimus ad alios.

§. 6. Videamus ergò Chymicos inprimis Paracelſiſtas, qui neſcio quem *tartarum excrementitium* in liene aliiſque locis hoſpitantem accuſant, qui obſtructiones varias & varia huius morbi ſymptomata excitare valet.

§. 7. *Helmontius*, huius affectus cauſam ex duumuiratu errante deducit; per duumuiratum autem intelligit acidum & alcali, hinc enim cruditates, ructus, vomitiones, flatus, alui conſtipationes, ventris murmura, alui fluxus, calores occulti, dolores capitis, & ſcapularum faucium aciditates, & omnia reliqua ſymptomata plus minus pro conditione cōtagij excrementi & fermentorum hypochondriacos affigentia deducit, effectus enim dicit eſſe mœſtitiam, horrorem, furorem, amentiam, &c. Et putat ex Helmontio *Grembs* in *pancreate* corpore illo glanduloſo peregrinum quoddam ſal volatile ex digeſtione natum, illum locum irrepſiſſe mediante latice, vel cruore, tum incluſum hoc quia non vitale archèo moleſtum ex maturitate temporis incaleſcit, hinc oritur illa phlogoſis hypochondriacis familiaris; ſic & propter viciniam pylorus afficitur, vnde flatus, & ructus.

§. 8. *Williſius* ſuccum neruoſum & ſpiritum animalem, degeneres accuſat, & vitium in aciditate quærit; cùm itaque præcipua hypochondriaci affectus ſymptomata ſpaſmodica ſint, ad genus etiam neruoſum hunc morbum ſpectare vult. Lienis enim culpa ait ſuccum attrabilarium plurimum exaltari in humorem nimis acidum & auſterum vel alius generis peruerti, cum quo tota maſſa ſanguinea atque ſucci alibilis in ſinu eius contenti penu inficiantur, ſed & regimini animali ſæpenumero labes inferatur. Particulas heterogeneas, & ſpaſmodicas non rarò in cerebrum, indeque in genus neruoſum ſuffundi putat, ità vt ſpiritus animales in vtraque regione hoſpitantes varias anomalias concipiant. Quod autem ſuccum nutritium concernit, an talis ſit nutritius, qualem volunt Gliſſonius & plerique Angli meritò dubitamus, ea propter hac vice plura addere nec libet nec vacat.

§. 9. *Syluius* affectionis hypochondriaca cauſam conſtituit efferueſcentiam humoris bilioſi, & pituitoſi, ſed modis variis peccantis ſecundùm partes varias vtrumque humorem conſti-

tuentes tres quoque affectus hypochondriaci constituit *species*. Prima dicitur *acida*, quæ comites habet ructus acidos, & cruditatem acidam, & à succo pancreatico nimis acido imò pontico simul bile vitiosè se habente ortum trahit; altera vocatur *nidorosa* ab humore bilioso cum amarore olidum, & ingratum odorem sive nidorem spirante, cum ructibus nidorosis orta. Tertia dicitur *insipida* ex vtroque humore medio modo se habente producta & nec acidos nec nidorosos aut insipidos potius comites ructus habens, estque cæteris curatu facilior.

§. 10. *Cartesiani* cogitationes illas melancholicas oriri putant à spirituum crassitie, paucitate ac inæqualitate; & delirium solummodo consistere aiunt in malo regimine nostrarum cogitationum, sed non semper à spirituum & cerebri constitutione. Nam in eo est error, quod radicationis illius, quæ fit in cerebro, à certa spirituum motu causam prouenire putant ab obiectis externis, quæ ratio est quòd tam firmiter credant verum esse quod eorum menti obuersatur, cùm tam falsum sit, acidum vel viscidum latere in abdomine, & ibidem varias obstructiones parere posse, vnde tot symptomata originem suum habere existimant.

§. 11. Properabimus itaque, & videbimus quid nos pro causa affectionis hypochondriacæ intricatissimi hactenus affectus venditemus. Existimamus ergò Regem nostrum *Gasteronacem* abdomini prospicientem, ab hoste clam quasi obrutum esse, huic Microcosmetor ope spirituum animalium subuenire, & hostem quouis modo arcere tentat, & sic quasi continuò milites in armis detinentur, quorum manipuli sæpè ab hoste trucidantur. Sed vt hæc melius intelligantur, scias, velimus omnes functiones, quas aliàs in Regno Gasteronacis fieri solenne erat, abolitas esse; stomachus enim cum intestinis non ritè officio fungitur, omnibus enim hypochondriacis, quibus scilicet iam malum inolenit, id accidit, vt flatus quandoque nidrosos è stomacho eructent, quoties aliquid comederint, licet moderatè tantum, & pro ratione appetitus, tum etiam aliquando acidum emittunt, acetum sapore *referens*, læsa nempe vtrobique concoctione, & succis proindeà naturali statu inuersis; est ergò vtplurimùm hic vitiosa digestio. Acidum inprimis viis hærens, & fibras quasue neruosas *afficiens* facilè ansam huic affectui dare potest. Suspicamur etiam hunc affectum imprimis *Cephalicum* in primo libro tractatum, qui tantum à sola spirituum ἀταξία fieri posse, absque tali acido latente, sed à tali ἀταξία spirituum animalium viscera labectata necessariò fœculentias acidas producere possunt, & tunc non existunt tanquam causæ, sed sunt producta morbosa. Spirituum etiam inordinationes fieri posse existente scilicet acido & alia larua induto humore circa partes neruosas abdominis nulli dubitamus, quia ex praxi id quotidie videmus; diutius enim contenta in ventriculo corrumpuntur, & acidiora fiunt, (quod ex domestici panis per diuturniorem fermentationem acidioris facti preparatione videre licet) à qua aciditate fibrillæ stomachi spasmodicè conuelluntur, & sic spiritus animales cateruatim adsiliunt, & perturbantur, vnde sæpè tota machina vehementer concutitur. Pendent ergò affectiones hypochondriacæ, quantum ego iudicare possum, à spirituum animalium ἀταξία, ab acido syluestri vel alio humore quouis modo peccante in abdomine latente, spirituque ibidem existentes afficiente orta, vnde facto impulsu in hanc vel illam partem plus quàm pro rata densi nimiique feruntur, spasmos vti, & dolorem excitantes, vbi scilicet in partes sensu exquisito præditas irruunt, atque organorum, tum eius in quod se ingerunt, tum istius à quo abscendunt, functiones peruertentes, spirituum enim ἀταξία nescio quomodo inde ventriculi aliarumque partium fermenta destrui ac peruerti possunt, quidni à perturbata hac spirituum inordinatione sanguineam massam perturbante mille symptomata excitari possunt? Examinabimus ergo paulò intimiùs, quænam

nam acida in abdomine latentia ſpirituum ἀταξίαν producere valeant. Vbi ſciendum eſt quod non ſolum acidum in ventriculo ex ſola digeſtione vitiata pronatum intelligamus, ſed & ſucci Pancreatici p.n. conſtituti vitium hic accuſandum eſſe putamus, qui ſuccus cum pituita veſcida commiſtus faber horum malorum nonnunquam exiſtit. Aceſcit autem ſuccus pancreaticus ex humore acido in ſanguine præexiſtente & redundante ſuauioribus particulis, quibus implicatus erat ſanguis priuatus; exerit enim ſeſe prurienti libidine ſpiritus animalis iugo, & inſolenti dominio temperiem recuſat; hinc aciditas furibundo acore manifeſta, quæ neruorum fibrillas vellicando eaſque rumpendo ſpiritus animales in ἀταξίαν adigit. Acidum autem pro diuerſitate ſaporis producere diuerſa ſymptomata potis eſt, alia enim producit acidum aceti, alia acidum citri, alia acidum vitrioli, alia acidum ſulphuris, alia acidum Nitri, alia acidum ſalis, alia aluminis &c. Sic acidum vitrioli potiùs Epilepticum facit quàm hypochondriacũ, aliud verò acidum ſcorbuti faber eſt, ſi liberè ſuſpicari hìc licet, acidum in hypochondriaco hoc noſtro affectu *Aluminoſum* dicimus phleg. mate ſuo ſpoliatum in vno tamen aliud quàm in alio inuenimus acidum, & facilè acidum tranſit in aliud, vnde affectus hi difficiles curatu & rectè opprobrium & ſcandalum dicuntur Medicorum, qui enim Medicus diuerſitates horum acidorum & ſpirituum animalium inde productas inordinationes, conglomerationes & irruptiones benè diſtinguere & ritè noſcere poteſt, certè mihi magnus erit Apollo, in his enim latet plurimorum morborum cauſa; humores enim quos primariò accuſant alij, tantum ſunt producta morboſa, & malè eos pro minera morbi habent, & remediis tam ἄνω quàm κάτω Catharticis radicitus extirpandum cenſent. Vnde enim quæſo (quod & alibi monuimus) Nauigantium ſaniſſimorum colluuias coloris planè herbacei è ventriculo exantlata, an non à ſpirituum animalium agitatione inordinatà, influctuanti & irrequieto mari orta? An non etiam infantes ſæpè porraceam materiam ἄνω & κάτω eijciunt, in quibus tantum ſpirituum animalium res agitur, folliculi enim fellis aliique ductus à ſpirituum animalium impulſu explentur, & ſic ſæpè exſurgit illa varietas excrementorum; hinc & exſurgunt flatus & ægros noſtros quandoque miſerè angunt, quorum materialem ortum ex vitioſa fermentatione prædominante ſcilicet præternaturali acido in materia viſcida deducunt Authores; fermentum enim ventriculi hoc in morbo lædi poſſe nulli dubitamus, ſcil. cum fluxus ſpirituum non ritè in ſtomacho fiat, vnde fibrillæ laxiores redduntur & fermentum à laudabili ſuo ſtatu recedit & acoris aut nimium, aut debito minus in ſe continet. Si igitur excedit terminos ſal acetoſus, alimenta quælibet ingeſta facilè coaceſcunt, dum particulæ acido ſaliuæ ſuppreſſis reliquis exaltantur & in fluorem euehuntur, & tunc longè copioſior flatuum prouentus, quos ægri vel cum acido, vel nidoroſo, vel inſipido moleſto tamen ſapore & odore emittere coguntur. Si ergo ob denegatum flatuum exitum, tenax materia cum acido præternaturali inteſtinis craſſis energiam ſuam exercet, tunc cum impetu flatus per ſpatium coli ruunt borborygmos, & murmura, non ſine ſenſibili inflatione ac diſtenſione doloribus vagis parumque ſibi conſtantibus, inducunt. Dolores in dorſo flatus, & calculi terriculamenta ſimulant, quatenus ſcilicet ob nimiam membranarum diſtenſionem nerui irritantur & in ſpaſmos adiguntur. Certum enim hoc eſt, acidum ſilueſtre inimicum eſt. Regibus noſtris & ſpiritibus animalibus, qui conſtant ſale volatili, accedente verò acido, ſal illud volatile figitur, & ſi id in ipſos ſpiritus aut corpora eosdem continentia irruat, fibrarumque porulos & interſtitia ſubeat, tunc oriuntur ſpaſmi, corrugationes & ſenſiones ita per quam moleſtæ ſatiſque diuturnę. Ipſi etiam (ceu ſæpiùs iam inculcauimus)

ſpi-

ſpiritus animales ob iſtiusmodi neruorum corrugationes diſtrahuntur ab inuicem, & in ἀταξίας adiguntur, quibus ſuppoſitis his facilè quis omnium dolorum cauſas explicare poteſt, ne dubitemus in ἀταξίας ſpirituum animalium plurium morborum cauſas coniicere.

PROGNOSIS,

§. 10. *Prognoſin* quod concernit periculi quidem non multum habet hic morbus ſed ordinariò Chronicus eſt, & diuturnus, creſcente etiam malo ſæpe aut in maniam, melancholiam cephalicam, hydropem, apoplexiam, interdum Hecticam ſeu maraſmum, & Epilepſiam, aut in grauiores alios capitis affectus degenerat, quibus ſuperuenientibus ſæpè etiam periculoſus, & exitialis euadit, ſi enim altas egerit radices incurabilis eſt, & ceu iam monitum, rectè dicitur opprobrium Medicorum, ex eo quod non ſatis ſæpe feliciter curatio ſuccedat, & ſi tandem poſt multa generoſa remedia, ægri conualeſcunt, poſtea tamen intra paucos menſes recidiuam patiuntur, vt veriſſimè de hoc morbo iudicauerit *Montanus conſil.* 230. *In curatione huius morbi, non licere præfinire tempus menſis vnius, aut anni, ſicut in aliis contingat, ſed oportere in toto vitæ ſuæ tempore curationi operam dare, interdum curationi, interdum præſeruationi attendendo.*

Supereſt nunc præcipuum, medendi videlicet methodus. Indicationibus verò ſatisfaciunt deſtinata auxilia, quorum materia è fonte *Dietetico*, *Pharmaceutico*, & *Chirurgico*, petitur.

CVRA DIÆTETICA.

Requiritur ergo hìc quoad primum Aer moderatè calidus, purus, tenuis, arte, vel naturà ſaltem procuratus: vitetur è contra frigidus, borealis. Inde ratio deduci poteſt, cur Galli ac Itali non ita facilè hoc morbo hypochondriaco, ac nos Germani infeſtentur, quia borealis iſte Aer frigidior, in quo nos degimus eſt craſſior, inde pronior ad obſtructiones in neruis efficiendas, vnde ſpirituum animalium tranſitus ad partes peruertitur imò ipſi ſpiritus in ἀταξίας rediguntur, iuxta commune adagium, *frigus neruis inimicum*. Nulli ergo dubitamus, ad affectionis hypochondriacæ productionem & generationem plurimum conferre poſſe aerem frigidũ. Sic & videmus in Autumno hunc affectum faciliùs recrudeſcere qui nebuloſa ſua acido ſalina diatheſi malum hypochondriacum non parum augere & exaſperare poteſt; particulæ enim acido ſalinæ inſpiratæ pro varia ſua diatheſi ſanguinem, & ſpiritus inficiunt, & particulas in ſanguinea maſſa iam exiſtentes adaugent, quæ dein ad glandulas delatæ maiorem ad temperiem ſuam ſpirituum animalium copiam requirunt, quia temperie deſtitutà ſpiritus in furorẽ abeunt Proximum ab Aere ſibi vendicat locum cibus & Potus. Cibus ſit boni ſucci, facilis concoctionis, & incidendi, aperiendi & detergendi vi præditus, laudantur omnia quæ non excedentem ſaporem habent, vt ſunt varia genera carniũ, inter olera aſparagus, rad. ſcorzoneræ, petroſel. cappares lotæ, &c. Nocent è contra ii, quibus acidum ineſt, ſiue illud occultum ſiue manifeſtum ſit; acidæ enim particulæ Chylo permiſcentur, & ad ſanguinem delatæ, illud iam præexiſtens acidum maximè adaugent, imò ipſa acida ſpiritus animales fiunt, atque ipſis ad vnum vel alterum locum obſtruendo aditum denegant, incraſſant enim viſcidamtenacemque pituitam, vnde obſtructiones tubulorum certiores exiſtunt, nocent & lacticinia, quia in viſciditatem facilè abeunt, & ab acido interno facilè coagulantur, ſaccharum etiam & mel dulcia palato videntur, ſel tamen in ſinu gerunt, h. e. acidum corroſiuum, vnde *Helmontius* in *Tr. ſpir. vitæ* ait, aliquando de digeſtionibus docebo, quidquid in ſtomacho conficitur, id à fermento ibidem (etiam ipſum ſaccharum) aceſcere, non quidem aciditate aceti, omphacii, citri, aut vitrioli ſed ſuo fermento pari, & aciditate ſpecifica, quamuis cum aliis acidis in acido ſymbolizet.

Exulent, & omnia quæ ventriculo ſunt oneroſa, vt dura (quæ tamen nonnulli

ferre

ferre possunt, ob acidum intensum in stomachi tunicis latens) viscida, salita. Nocent & pinguia, nimia repletio, & quæcunque inordinata diæta, cùm vel cibus non benè masticatur, vel priori nondum fermentato alius iniicitur. Nocet & varietas ciborum, quià nobis plures conciliamus morbos, vnde rectè cardinem totius vitæ *Helmontius* in *sobrietate* consistere asserit. A cibis enim incongruis non tantùm Reges nostri inquietantur, sed & spiritus animales iam dissipati & debiles non amplius restaurantur, sed sensim ac sensim plane pereunt, vnde influxus spirituum animalium ad viscera peruertitur, hinc lerna illa malorum nocturna, quę per quietem obiici solent menti, visa illam in formando animi statu ciborum efficaciam demonstrant. Potus sit vinum optimum pro re nata acidulis Doningsteinēsibus vel Suualbacensibus dilutum, item cereuisia auenacea, & optimè desęcata; ebrietas maximè hic nocet, vt enim in valida tempestate onustum mercibus nauigium, sopito gubernatore, aut amisso clauo rectum tenere cursū non potest, ita homo obrutis vino sensibus oppressaque mente in stultitiæ scopulos detorquetur, quod obseruans Pythagoras, Ebrietatem aiebat insaniæ esse meditationem iuxta versiculum:

Mente caret Bacchus, Nox fronte, Cupido pudore,
Et toca sola metu. Quatuor ista fuge.

Motus & quies iustæ sint moderationis, excessus tamen in motu præ quiete admittitur, quies enim nimia præ cæteris apta nata est hunc morbum inducere, inde ob hanc vitam sedentariam Mulieres hoc affectu potiùs quàm viri afficiuntur, & ipsis audit affectio hysterica. Et ob hanc vitam sedentariam docti magis quàm rustici hoc vexantur affectu. Multum etiam confert, quod docti libris incumbentes incuruati & proni plurimum sedeant, vnde ventriculus, & pancreas aliaque comprimuntur vt *primò* succus liberè perreptare, neque debitè colligi possit, sed stagnatione acescat, vitium enim capiunt ne moueantur aquæ; *secundò* spiritibus vix concedatur ad viscera transitus ob complicaturam musculorum, & viscerum. Quod concernit *Somnum* ac *Vigilias*, prouida Mater natura somnum, & vigilias concessit, vt secundum præstitutos alternandi terminos ille intercaletur, sicque se inuicem subleuarent, ne scilicet spiritus animales aut plane exoluantur aut satis iterum refecti nimium obtorpescant, somnus enim dulce curarum leuamen, si medietatem excedat, ita torpidos reddit spiritus, vt viscera non quæuis influant, vnde dein cessat ipsorum viscerum tonus, fibrillæ laxiores reddunt, & sic viscus officio suo fungi nequit. *Vigiliæ* quoque nimis protractæ absumendo spiritus animales nocent, vnde & cessat ille influxus ad partes, hinc & huius morbi ortus. Quo ad *Excreta* & *retenta*. aluus arte vel naturà sit laxa, menses in fœminis & hæmorrhoides in viris, aliæque consuetæ naturales excretiones suum habeant cursum, retenta enim magis cruditates, & acidum pituitamque viscidum adaugent, & sic spiritibus & Regibus negotium facessunt, prout & nimiæ etiam excretiones, quatenus spiritus plane exhauriunt, nocent. Animi pathemata sint moderata. Prodest inprimis *gaudium*, inde enim spiritus animales intra cerebrum elati, imaginationes iucundiùs producunt, neruosum systema vegetiùs actuantes, qui illicò ad pectus deriuantur, tunc quoque cordis musculus pleniùs vibratur, sanguinemque rapidius (gaudium) extrudit, & velut flammam clarius accensam cum vigore per totum corpus diffundit. Nocent verò maximè testibus *Helmontio* & *Syluio*, nostraque frequenti obseruatione metus, atque tristitia; spiritus enim animales perturbati in motu suo ordinario sistuntur, qui tamen nunquam debent subsistere, sed esse in perpetuo motu. In tristitia enim, & metu spiritus animales Microcosmetoris nostri milites velat, consternati nesciunt quò ausugere debent, eundemque tristem affectum per neruorum propaginem è cerebro defluen-

tes cordi communicant, illud constringunt, etiam molestiæ sensum concitant; corde ita constricto sanguis intra cordis sinus stagnat, & in coagulum abit, vnde oriuntur lypothymiæ, anxietates cordis hypochondriacis frequentes. Ægri ergo monendi & exhortandi sunt, ne se tradant huic passioni, hæ enim sunt animi passiones, quarum curationem frustra tentabit Medicus, quiuis eum ipse, qui sui carnifex & tyrannus est, sui etiam Medicus esse potest annotante *Grembs de splen. morb. l. 2. c. 1. §. 4. 19.* Obserua ergo sequentem versiculum.

Atra Melancholico regnat si in corpore bilis.

Læta ede, læta bibe, læta age, læta vide.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 10. Hactenus de Curatione Diætetica actum est. Vnicum ergo adhuc restat, nimirum vt nos ad illam curam accingamus, vbi Medicamenta ex duplici fonte Pharmaceutico & Chirurgico depromūtur, quibus omnibus decenter efficiundis, opus est, vt primò Galenicorum videamus auxilia huic affectui dicata, qui ad obstructiones lienis, mesenterii, hepatis, aliorumq; ductuum ab atrabile & retorrida factas reserandas, vtuntur *Lenientibus*, vel per os assumptis, vel in anum infusis, clysteribus sc. Per os assumenda lenientia simplicia ipsis sunt, cassia, epithymus, myrobolan. Ind. Tamarindi, senn. Alexandr. &c. Inter composita sunt syr. ros. lax. violar. sol. syr. de senna, de sumar. diacass. c. man. diaprun. laxat. Diacathol. quę vel cum saccharo in forma boli, vel cum decocto aperit. in forma potionis, exhibere solent, pro cuius mortiferi humoris ratione & serum lact. cum purgantibus propinant; in alijs suadent fortiora, quorum formulas ad apertionem in cuiuscunque practici libro inuenies copiosas. Clysteres hoc in affectu parare olent ex herbis emollientibus, seminibus lini, anethi, fœnugræc. flor. mellilot chamomill. Si flatus coniunguntur, adiciunt carminatiua, item ol. chamomill. mel ros. cass. pro clyst. & pro stimulo quid salis adijciunt. Si humor peccans ipsis non videtur plane eiectus, & æger ad vomendum sit facilis, assuetusque mitiora emetica suadent, primis viis hoc modo elotis & mundificatis, V. S. administrant, in quo casu Galeno Basilicæ & Medianæ sinistri brachii, Sectatoribus verò saluatellæ incisio placet; in suppressis verò mensibus & hæmorrhoidibus saphenæ apertionem suadent: hæmorrhoides etiam hirudinibus, glandibus & frictionibus prouocant.

Dein ad humorem melancholicum, qui ipsis siccus dicitur præparandum, humectantia aperientibus & incidentibus semper coniungere solent. In obstructione verò ab humore frigido, crudo, *Galenus* & alii plerique Galenicorum illa medicamenta præferunt, quæ calida, amara, acria tenuique substantia pollent. Inter simplicia horum commendant radices, & cortices cappar. tamarisc. filicis, fraxini, Asari, polypod. qu. folia scolopendrii, ceterach. chamæpyth. chamædr. fumar. lingu. ceru. cuscut. cochlear. beccabung. sem. genist. anis. flor. cent. min. Inter composita syrupum de 2. & 5. radicibus, bixant. de scolopend. capill. ♀. oxymel. compos. trochisc. de cappar. & mille alia laudant. Si ipsis obstructio videatur à melancholia adusta, prædicta humectantia & moderatè refrigerantia præscribunt, aliaque vi incidendi, attenuandi, & aperiendi prædita, qualia sunt radices borraginis, bugloss. cichor. liquiritiæ, folia borraginis buglossi. lupul. viol. cichor. Endiu. Tarax. fem. 4. frig. mai. Ex compositis aquas destillatas, decocta, conserua, electuaria, ex his confecta commendant. Hisce humoribus si flatus simul commixti sunt, discutientibus & carminatiuis vtuntur, vt sunt herb. calaminth. puleg. origan. absynth. ruth. baccælauri, sem. fœnic. cumin. anis. spec. diamis. variæ confectiones aromaticæ, &c. & hoc modo humores euictos purgantibus & Emeticis fortioribus è corpore expellere satagunt, inter cathartica melanogoga commendantes, vt sunt Ellebor. lap. armen. oxymel. helleborat. Diasenna.

Con-

Confect. Hamech. Extr. hel. nigr. melanag. Q. pil. Tartar.; vbi humor pituitosus exsuperat phlegmagoga suadent, vt sunt Agaricus, Turbith. pil. de agarico, &c. Humorum portione iam maximè expugnatà obstructionem remanentem illi toto conatu expedire conantur reperitis alternatim aperientibus & purgantibus, quem in finem vtrique actioni simul vt satisfaciant, excogitarunt famosos illos nodulos laxatiuos, ex præparantibus, & purgantibus concinnatos, vinoque albo infusos. Tandem ad partes roborandas, corroborantia & confortantia medicamenta præscribunt, sequentiaque aliis palmam præripere dicunt. spec. arom. ros. diacurcum. dialacc. diamarg. conseruam borrag. fumar. aneth. cort. citri condit. myrobal. Theriac. Andromach. Mithridatium, confect Arthemis. Troch. de absynth. de laca. Inter Externa laudãt Cataplasmata, Epithemata & fomentationes ex iam dictis simplicibus & herbis emollientibus parata & concinnata hypochondrio sinistro. applicanda. Inunctiones ex vngu. splenet. Martial. ol. de cappar. amygd. amol. Nuc. express. persic. chamomill. instituunt, atque emplastra de ammoniaco, de melilo-to, diachyl. vt& folia hyoscíami, aceto & ol. cappar. irrorata imponunt lieni, hepati & ventriculo sexcentaque alia applicare solent, quæ omnia huc apponere breuitatis ergo non audemus, ad alia ergo properabimus.

§. 16. *Paracelsistæ*, cùm statuant cum Magistro suo oppilationem fieri à Tartaro per coagulationem, Curam ideò instituunt per resolutionem. Tartarus enim coagulatus expelli nequit, nisi redigatur ad pristinam formam, nempè liquidam vel etiam vaporosam. Est ergò hic morbus salinus, inde & cura per salia resoluentia instituenda est. Sic Tartarus ipse præstantissimum est remedium in purganda omnium humorum immunditie, inprimis si in magisterium redigatur, Authore ipso *Paracelso l. 7. Archit.* vt & magisterium Vitrioli, sic spiritus eiusdem spiritus sulphuris nitri, salis communis omnes obstructiones feliciter liberant. Essentiæ Mercuriales, acidulæ variæ, Iouiales crocus Martis ritè paratus & multò magis tinctura & oleum eius maximarum sunt virium. Reliqua videbis inferiùs, cùm nostris meditationibus vela pandimus.

§. 17. *Helmontius*, (qui fatetur à mortalibus aeminem se eximere posse, à malo hoc hypochondriaco) nullum contendit præstantius esse remedium, quàm aquam acidam medicatam, & hic remedia à proprietate iuuant, non quia salium excitatorum vim saturant, vt chalybs cortice Tamarisci, fraxini, cappar. rhabarb. Addit quoq; se per anodynum suum, quod possidet, facile hunc morbũ curare posse, quod hactenus tamen reticuit.

§. 18. *Willisius*, quando malum à liene malè affecto aut primario excitatur, aut plurimũ fouetur, & tum rectè hypochondriacum vocatur, suadet varia aperientia martialia. Aquas acidulas martiales, quia viscerũ sordes abstergunt, & obstructiones reserant; magnifacit & serum lactis, si ventriculo congruat, per plures dies copiosè epotum, quod cum Epithymo infuso hauriri potest. Purgantia, vomitoria, ac V. S. pro re nata tentanda iubet, sed cùm hæc ex Authoris serinio superius, vbi egimus de Melancholia Cephalica abundè pertactauerimus, ad eum locum Lectorem missum volumus, ne crambem bis coctam propinemus.

§. 19. *Sylvius* huius affectus curationem insequentibus indicationibus constituit. Primò in diætæ vitiosæ emendatione, secundò in humorum peccantium alteratione ac correctione, tertiò in eorundem (quoties in totum corrigi nequeunt) artificiosa euacuatione, quartò in deperditorum reparatione. De Diætæ erroribus nunc diximus. Pituitosum peccantem humorem aciditate & viscíditate optimè corrigi statuit medicamentis sale lixiuioso refertis, vt sunt salia fixa herbarum, & alcal. corall. marg. ocul. limat. ferri, &c. humorũ .n. efferuescentia hisce ritè sedatur & compescitur, quam & cõpescunt creta, N. M. &c. Pituitam quoque viscidam ac

tenacem peccantem incidendam, attenuandamque esse statuit Author tam acidis quàm gummosis. Multis aliis præfert Galbanum, Sagapenum, Ammoniacum, opoponax. Inter acida commendat spiritũ Salis, Nitri, Vitrioli, Sulphuris, ipsumque acetum vini destillatum, acetum squillitic. Eandem pituitam, & corrigunt seq. quæ hìc magis congrua sunt, Mastiche, succinum & ex ipso sal volatile paratum, vt & sal. volat. C.C. Castoreum, Myrrha, Chalybs, Vitriolum Martis. Si verò bilios, vt sæpè fieri solet humor, ratione salis sui lixiuiosi, peccet, hoc sal lixiuiosum, corrigitur acidis, *oleosis* cõmixtis, item per spiritus volatiles, quorum ope non parum infringitur spiritus ferocia. Correctos ita humores Author educit phlegmagogis, inter quę laudat colocynthidem, & ex ipsa paratos trochiscos alhandal dictos, Agaric. Hermodactyl. Turbith. & ipsam aloem, pilulas ex gumini paratas. Ex Chymicis commendat Mercurium dulcem, à nimis corrosiuis tamen, vt omnes abstineant optimè monet; Antimoniata etiam vario modo præparata multum hic conferre posse haud dubitat. Bilis verò ex authoritate Authoris optimè hoc in affectu extirpatur per Rhabarbarum, Tamarind. aloem. Vbi verò salinæ bilis pars inprimis serosa peccet; tunc & radices Ialapp. atque mechoacannæ, item guttæ magnipendit. Bilem quoque per vomitum ope antimonialium expurgari vult, & Practicis inculcat iunioribus, vt in his lentè festinent, satiùs enim est bis blandiùs ægros suos purgare, quàm semel violentiùs procedendo ipsis nocere. Inter externa magnisacit Emplastrum suum carminans sequens; sinistro hypochondrio applicatum, quo virum annos quinquaginta natum, & tumorem in sinistro hypochondrio prægrandem, inæqualem, durumque brachium æquantem, ac dextrorsum secũdum frequentissimum coli situm protensum, atque lieni ab aliis Medicis adscriptum habentem, vnà cum aliis hypochondriacę affectionis symptomatibus feliciter restituit. Pituitæ quoque viscidę soluendæ, quin & flatibus ex ipsa ortis discutiendis conducent apprimè vnguenta, Martiatum, & altheæ compositum, additis oleis chamomill. lil. alb. laurino, philosophor. &c.

Emplastrũ carminãs *Sylvii* est sequens:

℞. *Gumm. Galban.*
Bdellii,
Amoniac. ana ʒβ.
Thur. mascul.
Myrrh. rub. ana ʒ ij.
Opii thebai. ʒ j.
Diß olu. in Acet. squill. iterumque inspissatis adde
Ceræ citrin.
Colophon. ana ʒ iij.
balsam. peruuian.
Ol. philosoph. ana ʒi.
Terræ ʒ ß.
carui destill. ♃ ß.
Thereb. ven. c. s. q. f. l. a.
Emplastrum.

& quia mentionem pilularum de Gummi Authoris fecimus, has hìc addere lubet:

℞. *Gumm. Galban. aceto squill. ppt.* ♃ ii.
Vitriol. Martis ad albedinem igne blando lentè calcinati,
Maslich. el. ana ♃ j.
Castor. opt.
Myrrh. rub. ana xv.
Crocior. ♃ β.
Troc. albandal. ʒ j.
Resin. ialapp.
scammon. ana ♃ j.
ol. cort. citri gtt. vj. *M. f. pilulæ num.* L. iii. *vsque ad* v. *pro dosi.*

Quod si malum à succi pancreatici austeritate oritur, exhibet sæpiùs spiritum salis Armon. vtpote in austeritate corrigenda multiplici vsu comprobatum remedium, & quidem ad guttas v. vel vi. plures; in vino aut potius in conueniente mixtura datum, laudat & in hunc finem Tincturam castorei, aliaque, de quibus ipsum videas Authorem, si plura expetis, nobis enim non omnia, sed præstantiora duntaxat, curiosis libet propinare.

§. 20. *Cartesiani* corpus leniter ad purgationem præparandum esse statuunt, in

quem

quem finē suadent apozemata ex corticibus tamarisci & capparum, ex herbis chamed. chamæpyth. cui addunt helleb. nigr. si sal peccet vsurpant acida volatilia, herbas antiscorbut. & præcipuè Tartarum sulphuratum. Prodest, & iuxta eos Gummi Ammoniacum, si ei parum Mercurii dulcis addatur, purgans ex extract. lapid. lazul.; adiecto helleb. nigr. parant, quoniam verò acidum vt plurimum hoc in morbo peccare asserunt, ea laudant quæ acidum infringunt; vt sunt salia sudorifera ex herbis, ocul. ♋. Martialia, Margaritæ, Antimonium Diaphoreticum, sal. tartari, & plura alia, inde superiùs vbi de melancholia cephalica egimus, inprimis verò acidi domitorem Mercurium dulcem dicunt.

§. 21. Nunc ad nostrum accedamus pensum. Ex omnibus quæ hactenus congessimus, abundè constare videtur, primariam hoc in affectu indicationem curatiuam eam esse, quæ sanguinis, in quo consistit tota spirituum nostrorum regeneratio, confortationem indicat, quo facto spiritus animales eum seruare possint ordinem, qui & potius nostrę machinę & singularum partium œconomiæ competit. Cùm verò spirituum inordinationes eorundem ἀταξία morà longiore humores vitiauerint, opus est eosdē iam corruptos & deprauatos & V. S. & purgatione priùs imminuere, antequam ad sanguinis corroborationem nos conferamus, quem scopum vix aliquando assequi poterimus, quamdiu fęculenta humorum colluuies cum aciditate se mediam, quasi obicem interposuerit: solemus tamen semper purgantibus per tres vel plures dies absorbentia præmittere, sic enim corriguntur humores vitiosi, & acidum illud syluestre absorbetur & emendatur.

Ex. g. r. ℞. *Croc. ♂ aperit.* ʒ ij.
Tartar. chalyb. ʒ ß.
fecul. aronis, ʒ ij.
Ocul. ♋. ʒ i.
antimon. diaphoret. ℈ ii.
M. f. pulu. in VI. *partes æq. diuid.*
Vel ℞. *Croc. martis aperit. c. sal.* ʒ vj
pulu. cathæt. Querc. ʒ ij. *M.*
Diuidatur in VIII. *partes æq.*
Vel *Salis nostri hypochondriaci gr.* xx.
dentur in 6tuplo.

Post hæc purgantia simpliciora exhibemus feliciſſimo cùm successu, & qua sæpe in parua dosi plus præstant, quàm omissis obsorbentibus in maxima.

Ex. gr. ℞. *Pulu. Gialapp.* ℈ j.
sal. absynth. gr v.
antimon. diaphoret. gr. iij.
M. f. puluis subtilis.
Vel ℞. *M. P. Cochiar. vel Tartarear. ana* ʒ ß. *ad* ℈ ij.
Castor. pulu. gr. ij.
Balsam. peruu. gtt. x. f. pilulæ no.
IV. V. VII. *repetantur hæ per tria mane.*
Vel ℞. *Gumm. Ammoniac.* ℈ j.
Mercur. dulc. ℈ ß.
M. f. pilulæ num. xv.

Laudantur pilulæ de Ammoniaco Q. Hartmanni & de Gummi Syluij.

Vel si cui nodulus placet sequenti vti potest:

℞. *Rad. v. aperient. filicis ana* ʒ iii.
Heb. cuscut. eupator. lingu. ceru. fumar. ana m. i. flor. genist. bellid. ana p. iii.
Rhabarb. opt. ʒ ß.
rad. polypod.
esulæ ppt. ana ʒ iii.
fol. senn. s. st. ʒ i.
zedoar. galang.
cort. aurant.
cappar. ana ʒ ii.
sem. anis. ʒ i ß.
tartar. crud. ʒ ß.
Dentur incisa ad nodulum pro mensura vini.

Conuenit & notissima illa potio ex fol. senn. Rhabarb. Crem. Tart. in aq. font. coct. optimè, & hic vsurpantur extracta catholica addito specifico. Pro delicatioribus quandoque prodest decoctum Tamarindor. vel Electuarium nostrum lenitiuum sequens:

℞. *Pulp. passul.*
Tamarind. ana ℥ ii.
Crystall. Tartar. ʒ iii.
resin. Ialapp. ℈ j.

M.f. Electl. c. syr. de cichor. c. Rhab. q.s. pro aliquot vicibus.

Conducunt quoque in robustis sc. subiectis *vomitoria* blanda, & non adeo fortia, ne spiritus alias debiles, & explosiuos irritemus, & planè eijciamus, frequenter enim repetita purgantia in corporibus imbecillibus (in ætatibus tenellis) plurimum officiunt. Nonnunquam verò dolores atrocissimi, vomitiones, & diarrhææ enormes ita effereſcunt, vt fortificandi sanguinis intentioni non possit satisfieri; quandoque ab affectis consopiendis (neglectà per tempus causà) curationis telum ordiendum, vt spiritus quorum crasis infirmior morbi causa est, rectificentur, & paululum sopiantur, quod optimè præstat medicamentum aliquod anodynum, & permulta alia quæ fœtoris exhalatione repellendis spiritibus turbas molientibus, & in loco suo ordinario retinendis apta nata sunt, quæ vulgo hysterica indigitantur, possunt ergo hęc cum anodynis commiscerì.

℞. Theriac. cæl. gr. v.
Extr. castor. ruthæ ana gr. vj.
sal. succin. volat. gr. iij.
f. pilulæ pondere gr. j.
sumantur singulis noctib. v. vel VII.

Theriac. Andromachi, si crebrò diuque vsurpetur, excellens est in hoc morbo remedium. Sanguinis verò, & spirituum dyscrasiam corrigunt eorum *ἀναζία*, emendant, & spiritus in pristinum faciunt ; usluere locum, Regesque recreant præ omnibus medicamenta martialia, vel chalybeata, mihi enim solêne est, ęgrotis meis per mensem, & vltra, præmissa tamen pro re nata V.S. & catharsi, remedium aliquod martiale exhibere, quo non aliud certiùs hic votis respondet, etenim massæ sanguineæ iam effætæ & languescenti, volatile quoddam fermentum, ceu calcaria subdit: à quo iterum spiritus animales restaurantur & quasi eriguntur antea sopiti, & emortui, ac pondere suo pressi, quod in puellis cachecticis obseruare licuit, quæ si assumãt chalybeata statim pulsum nanciscuntur celeriorem, faciem rubicundam & viuidam, & soleo commodissimè propinare chalybem in substantia, vtor & illa terra quæ reperitur circa mineram martis, cùm participet de marte, quæ potest in marmore læuigari cum appropriatis aquis, & tum certè est medicamen excellens. Item conducunt vina martialia, in quibus chalybs extinguitur, quorum vsum semper exoptatum reperimus, inde etiam aquam ferratam, in qua extingui solet ferrum, ijs quibus res est angusta domi, commendamus. In delicatulis substitui potest syrupus chalybeatus, qui è chalybis limatura in vino frigido infusa, vsque dum vinum sufficienter impręgnatum fuerit, parari debet, liquori colato addi potest sacchar. q. l. & coq. ad syrupi consistentiam, martialibus autem purgans aliquod statis interuallis interponi debet: omnibus enim viribus annitendum est, vt spiritus in ordinem redigantur, atque eorum systema redintegretur firmeturque, quod & chalybis ope intra VIII. dies obtineri potest. Sit formula,

℞. Limat. chalyb gr. x. f.q. succi absynth. inspißat. f. pilulæ no ij.
sumat patiens mane, & horâ pomeridianâ quartâ, si viro prandium sumat hora duodecima tunc sumat quinta.
℞. Mineræ Martis ℈ j.
D. pro xxx. diebus superbibendo hausium vini absinthitis, vel aq. bryoniæ compos. III. *cochlear.*

Conducunt quoque essentia martis aperit. Spirit. ♂ dulc. inprimis hic præ aliis prosunt illæ acidulæ, quæ plus de marte participant, hæ enim sunt præstantiores, sed si iam viscera sunt læsa, abstinendum iudico ab his aliisque. Circa chalybeatorum vsum notandum adhuc est, an excrementa tingantur, vel non. Motus quoque imperandus est, quo felicius occurrens, acidum absorbeatur, & spiritus torpidi excitentur, inprimis si in forma sicca siue solida fuerint exhibita martialia. Essentia Hypochõdriaca sequens, etiam præstat.

℞. Limat. Martis subtilis. Terr. Martial. ana ℈ j.
Croci Martis solubilis ℈ ß

Af-

Affunde vini Rhenani circiter ℔ j. ℔ ſtent in loco frigido in digeſtione per octiduum, agitentur quotidie aliquoties in colatura infunde,

Sal.ſtomachal.Mynſ.
abſynth.cryſtall.ana ℥ ß
fæcul.bryon.
aronis ana ℥ j
Troch.de cappar. ℥ ſ.
Croci,
Caſtor.ana ℈ j

Mixta digerantur in M.B.per triduum.

Poſtea colentur, colatrua ad medietatẽ per deſtillationem abſtrahatur, reſiduum ſeruetur ad vſum, doſis eſt à guttis xx. ad ℥ i. Si hac in affectioue inprimis ventriculus, afficitur, conueniunt Elix. propr. Par. abſq; acido paratum, item pulu.ſtomachalis Q. Mynſ. diaſpolitica Galeni in malo hypochõdriaco cum eruditate ventriculi, arcanum dicitur, quo plurimi hypochondriaci ad extremã maciem perducti, feliciter curati fuere, teſte *Bartoletto.* Conueniũt & in noſtro affectu varia alcalina, volatilia, ſpirituoſa, reſoluentia, diuretica, diaphoretica, abſorbentia, &c. Principaliora ſunt Tinctura Tartari, Tinctura Tartari Antimoniata, Tinct. Vitr. Mart. Zuuelferi Celeberr. *Wedellius* optimè ex Helmontio commendat decoctum, vel infuſum oculorum cancri cum vino factum, qui hoc plurimorum morborum dicit remedium eſſe, inprimis hypochondriacorum & nephriticorum, ipſius tamen puluis abſorbens plus præſtat. Si quis conſeruam exoptat ſequẽns proderit:

℞. *Conſerv.fl.cichor.*
meliſſ.
fumar.ana ℥ j.
pulu.cachlet.Q
ebor.ſine Aq.ppt.ana ℥ i
Croc.Mart.aperit.
ſpec.diarrhod.abb.ana ℈ ij.
*Confect.Alkerm.*ℨ.i.
ſyr.cbalybeat.q.ſ.ſ.Elect.

De quo capiat ęger quantitatem N. M. matutino & veſpertino tempore.

Vel ℞ *Elix.propr.Sennert.c.ſucc.* ℥ ii.
Spir.aperit.Penot. ℥ ii.
M.D, doſis xxx. *i.gutt.*

Item ℞ *Eſſent.fumar.compoſ.*
Mart.liquid.ana ℥ ß *M.*
Detur doſis a ℈ j. *ad* ℥ i.

Conferunt & hic ſaturnina aliaque abſorbentia quatenus acidum minùs ſymbolizans abſorbent, vt ſic ſpiritus quieti conſeruentur, vt ſaccharum Saturni & ex eo parata Tinctura Antiphthiſica. Volatilia ſpirituoſa & hic aliquando conueniunt, quando ſc. ſpiritus planè exorbitant, qui per hęc in ordinem priſtinum rediguntur, in quem finem magniſacimus ſpiritus acidos volatiles, vt ſunt Mixt. ſimpl. Tinctura bezoart. D. Mich. vel ſalia volatilia ex. gr. ſuccini, C.C. lumbric. ſangu. cerv. hum. ex gumm. quoque acidis volatilibus parati v.g. Ammoniac. galb. opopanac. ſuccin.

℞. *Spir.Ammoniac.c ſpirit.cochlear.par.*
detur ad xxx. *guttas.*

Vina quoque Hiſpanica aromaticis rad. Angel. Zedoariæ abſynth. cent. min. cort. aurant. aliiſq; corroborantibus medicata, ſi ad aliquot cochlearia ter vel quater in die aſſumantur, modo ægер non ſit nimis bilioſi temperamenti. *Sydendam* in hypochõdriaca hac paſſione maximis laudibus effert corticem Peruuianum, ad ℥ ß manè & ſerò ad ſeptimanas aliquot deglutitam commendat, cuius vires in ſanguine & ſpiritibus confortandis & inuigorandis mirandas deprehendit; idem Author & lactis curam cum ſummo emolumento præſcribere ſolet, ſpiritus enim eius vſu corroborantur & inuigorantur. Omnia etiã conueniunt fœtida illa medicamenta Hyſterica vulgò dicta, quà odore graui & fœtido, exorbitante, ſpiritus tanquam deſertores in proprias ſtationes remandant, & Reges roborant & recreant, quæ poſſunt & intus ſumi, & extus naribus admoueri, vel abdomini applicari. Notiſſima ſunt caſtoreum, galbanum, aſſa fœtida, ſpiritus ſalis armoniaci, CC. vrinæ & mille alia quæ tetrum odorem ac ingratũ ſpirant. Poteſt & hoc in caſu crocus ♂ miſceri cum fœcula bryoniæ. Quod ſi concitetur dolor aliquis intolerabilis in quacunq; demum parte, aut vomitiones enor-

mes aut diarrhæq, tunc ad opiata tanquam ad sacram anchoram fugiendum est, sed tamen si potest fieri semper, vel V.S. vel catharticum quoddam præmittendum est, antequam ad opiatorum vsum accedamus, ne operatio illorum sufflaminetur ob sanguinem & humorum nonnũquam aggestam copiam. Et diu dein vsui laudani, vel alius opiati insistere debemus, ridiculum enim est & anile quorundam somnium laudani, vel opiatorum vsũ siuè cerebro, siue neruis, siue facultatibus animalibus immediatè nocere. Debemus tamen ante opiatorum vsum clysterem, vel ceu diximus purgantia præmittere. Si cui clyster placet, sequens iniici potest vsu diutino mihi comprobatus.

℞. *Herb.fumar.*
cuscut.
malu.
fl.chamomill.Rom.
Cent.min.ana m.j.
Coraill.ana p.ij.
Rad.filicis.
polypod.ana ℥ j.
sem.Cumini,
Carui ana ℥ i.ß
Coq.in s.q.seri lactis colat. ℔ j.
Dissolue. ℥
Electu.diacatholic. ℥ j ß
de bacc.lauri ℥ ij.
nitri c.Antimon.fixat. ℈ ij.
vitell.ou.num.i.f.Clysma

Vel ℞ *Decoct.flor.& fruct.aperit.ana* ℔ i.
in quibus dissolu.confect.Hamech. ℥ j.
Sal.c.antimon.fix. ℥ j.
Ol.lauri destill.gr.v.
M.f.Clyster.

Si etiam stomachus per ructus debilis percipitur conueniunt stomachica.

℞ *Pulu.stomach.Q.* ℥ iij)
fœcul.aron. ℥ ij.
sal.stomachal.Mynsi. ℥ i.*M.*

Vel ℞ *Essent.Menth.* ℥ iij.
Spir mastich. ℥ ij.
Vitrioli Mart. ℥ j.*M.*
Dosis xx.xxx.*gutta.*

Vel *Aq.Menth.*
roris marin. aut maior.ana ℥ ii.
carminat.Sylu.aut vit.
Matth. ℥ ij.
Ocul. ♋ *ppt.*
℔ *n. diaphoret.ana* ℈ j.
*spir.sal.*ci *gr.xv.*
laudan.opiat.gr.ij.
Ol.cuiusue aromat.gr.vj.
syr.de mentha ℨ j.*M.*

Si flatus vrgeht carminatiua addenda sũt. Si in hypochondriacis superuenerit syncope & cordis palpitatio vtere puluere absorbente VVedelii ex vitriolo ♂, Antimon.diaphor.parato.

Vel seq. ℞ *Vitriol.Martis gr.vi.*
Conch.ppt.
lap. ♋ *ppt.*
Corall.rubr.ppt.
Antimon.diaphoret.
Cinab.nat.ana ℈ ß
laudan.opiat.gr.i M.f.puluis.

diuidendus in 6. partes æq. potest hic puluis exhiberi singulis horis pro circumstantiarum ratione cum aqua melis.&c. alii sq; spirituosis. Pro ditioribus addere possumus Margaritas aliaq; pretiosa. Magnificimus etiam vbi sc. affectus est merè conuulsiuus Arcanum nostrum *solare*, quod paratur ex cinabari natiua, Mercurio dulci, & Auro quod nobis est arcanum illustre, nam nil præstantius Mercurio dulci benè præparato, aliaq; antispasmodica. Extra paroxysmum constitutos ægros ad acidulas mittere possumus, & quidem ferratas. Præ aliis conducent Pyremõtanæ Suualbacenses, & etiam hac in nostra vicinia *VVildungenses*. Si de Vitriolo Martis in acidulas naturales iniiciatur, maiorem acquirunt efficaciam & in minori dosi prosunt, vt etiam id præstat Clyssus in *Schræd.* Hoc quoq; in malo cõmendamus calidũ fontem Embsensem etiam de Vitriolo Martis participãtẽ, & pro re nata balnea illa naturalia, quibus hac in parte in diuersis Regionibus humanæ infirmitati satis prospexit *natura* benigna & Mater prouida.

Externè conueniunt Emplastrum Cratonis stomachale, Empl.de cicuta, Carminans Sylu. *VVedellius* sequens commendat.

Resp.Empl. de cicuta.

de

de hyosciam.
Magnet. A.S. ana q.v.
C. oleo carminat. malaxetur,
quod imponatur regioni lienari.

Epitema ex sale armoniaci in Aq. splenet. solut. cum linteis sinistro hypochondrio sæpiùs cum successu applicatum vidi, nuper verò fœminæ applicui, cui maximas turbas ciebam. Vulgus laudat ol. cappar. chamomil. aneth. aliaq; carminatiua. Conducũt & sæpè sacculi variis herbis neruinis, emollientibus, discutientibus & carminatiuis repleti & in aqua seraria cocti & applicati.

In specie hoc in casu laudatur hæmorrhoidum apertio, à quâ sola multi ab hoc malo conualuere.

CAPVT XII.

DE SCORBVTO.

§. 1. QVia *Scorbutis* Germana soror est affectionis hypochondriacæ, illum immediatè annectere placet. Scorbutus autem nouum nomen est, à septentrionalibus populis Danis, quibus ceu nouus olim innotuit, impositum, & quidem à præcipuis symptomatibus. Nam Danicè *Scharbuck*, indicat oris erosionem, & ventris torsionem, inde & *Foresto* placet Gingibracchium appellare, cum & bracchia interdum afficiat, ab aliis & dicitur gingipedium, quòd gingiuas, & pedes infestet, *Scelebyrbe* à cruciatu crurum ita vocatur, ab oris vitio vocatur & σομακικὸν, Marcello *Oscedo*. Affectus hic multis maritimis regionibus versus septẽtrionem sitis, Daniæ, Hollandiæ, Sceelandiæ, Frisiæ, &c. est familiaris, & endemius, vt vix aliquis inueniatur, qui non ab incunabulis ineuitabili hoc vexetur affectu, ob aeris & victus rationem, parui quoque ab incolis adeò penditur, vt rarò Medicis curandum cõmittatur, licet horribile & contagiosum malum sit, quòd per fœtidi halitus transmissionem, per oscula mutua & poculorum commercia communicari possit. Atq; hinc etiam est quod affectus hic sese extendit ob victus incongrui rationẽ, cũ populus noster, &c. delectatur succhoratis, aliisq; diuersis cibis vnà vice assumptis, & quòd ad oras nostras serpit, multisque morbis sese alienà tectus larua coniungit, ita vt Medici experientissimi, nullum ferè aggrediantur morbum curandum, quin simul reliquis Medicamentis antiscorbutica admiscere soleant. Veteribus etiam hic morbus (vel saltem aliqua eius species) notissimus fuit, quẽ accuratè describit *Hippocrates* his verbis; In hoc (inquit) morbo accidit, vt ex ore malè oleat, à dentibus etiam gingiuæ discendant, & à naribus sanguinis profluat, aliquando ex cruribus vlcera pullulant, & alia sanescunt, alia emergunt, & cutis extenuata nigrescat.

DESCRIPTIO.

Hic ergo affectus describi potest quod sit *Dyscrasia sanguinis aliorumque succorum ab acido dependens & omnibus nostris regionibus negotium facessens, inde quoque varia variarum partium symptomata introducens.* Et ferè nemo hominum lautè viuentium, ab hoc morbo plane immunis viuit, si nempe quæuis dyscrasia sanguinis scorbutus vocitetur.

DIFFERENTIA.

Ratione modi generationis alius est hæreditarius, qui à parentibus, qui iisdem fuere obnoxii symptomatibus, cum semine, & sanguine in liberos propagatus est, vnde *Fernelius* ait l. 1. p. c. 11. Senes & valetudinarii imbecilles, Nephritici & Epileptici filios vitiosà cõstitutione gignunt, quà tandem in morbos similes, hæreditarios idcirco nuncupatos incurrant, vt parentibus liberi succedant non minus morborum quàm possessionum hæredes.

Alius *aduentitius* dici meretur, qui accidit sanguinis aliorumque succorum vitio, propriaque viuendi ratione contractus.

Alius dici potest *primigenius*, qui nullum alium affectum secutus est; alius ὑστερογενὴς affectioni hypochõdriacæ, febribus intermittentibus & continuis aliisque effectibus succedaneus.

Ratione temporis & durationis, alius est recens, & facilè cedens, alius inveteratus

tatus, & difficulter cedens.

Ratione causarum, alius ab externis causis improbabili viuendi ratione, aere corrupto, aut miasmate scorbutico productus, alius ab internis causis contractus. Denique ratione *periodi*, alius certo tempore recurrit, verno præsertim; & Autumnali, alius quasi suis stipatus symptomatibus per totum vitæ curriculum miseros comitatur, sed diutiùs hisce nos non detineamus, sed ad alia pergamus.

PARS AFFECTA.

§. 2. Veteres viscera ferè omnia inprimis tamen *lienem* pro sede huius affectus accusant, lien enim obstructus, suo depurandi sanguinis munere defungi, crassioresque, ac fæculentiores chyli partes hepatis sanguificationi obfuturas, nec non aquosos, & serosos humores superabundantes attrahere, perque loca idonea excrementa expellere nequit, vnde hanc Iernam malorum veteres deducunt. Obstructiones etiam venarum vel *portæ*, vel mesenterii, & totius venosi generis culpant, & in his locis materiam scorbuticam latere anxiè contendunt. Nos tamen sepositis aliorum sententiis peruersis, subiectum huius morbi dicimus principalem massam sanguineam, quæ ex innumeris constat particulis; insunt enim illi ad mentem *Hipp.* particulæ amaræ, acidæ, salsæ, austeræ, & sexcentæ aliæ, quæ tamen, quamdiu in vnum conspirant motum, & exactissimè sibi inuicem sunt mixtæ, tamdiu corpus nostrum dicitur sanum, ex sanguine enim spiritus nostri animales restaurantur, & sic motus principium conseruatur, quamprimum verò vna pars præ altera dominatur, tunc excitatur magna spirituum perturbatio, vnde innumera existunt mala; reliquos tamen succos in corpore existentes vt plurimum à sanguinea massa oriundos non excludere libet.

DIAGNOSIS.

§. 3. Variis stipatur symptomatibus hic affectus, & sub varia incedit larua, & signis, quorum alia in his, alia verò in aliis obseruantur. Neque enim omnia in omnes indifferenter cadunt. In suprema Paladis sede deprehenduntur præcipuè capitis dolor, vertigines crebrò corripientes, inque Epilepsiam aut Apoplexiam rarò desinentes, paralysis nunc crura nunc totũ alterutrius lateris occupat, vitiosus est faciei color cum ipsius phlogosi, & intumescentia cum varijs pustulis hinc inde erumpentibus, dentium deprehenditur sæpius nigredo, vacillatio, casus, dolor, gingiuarum vitiosa constitutio, quæ modò flauescunt, modò rubent, modò tument, modò pruriunt, & si leuiter contrectantur, sanguinem stillant ichoroſum, tandemque exeduntur. Comitatur etiam hunc affectum oris fœtor, saliuationes, & sputationes assiduæ, accedunt, & motus conuulsiui, modò vniuersales, modò particulares cum rigida membrorum contractione, quæ interdum ita inualescit, vt ægrorum articuli quasi in orbem incuruentur. Laborant sæpius linguæ paralysi, vt loqui nesciant, adsunt aliis vigiliæ continuæ, aliis somnolentia, varii quoque alii affectus cerebri etiam grauiores, qua de re pluribus consule *Willis*; in aureo tractat. *De Morbis scorbuticis*. In Thoraci occurrunt sequentia, respiratio difficilis absque stertore, & sibilo, cordis palpitatio, tussis, dispositio ad phthisin, hæmoptysis, Leipothymiæ, &c. In infimo ventre abdomine sc. percipiuntur ventriculi subuersiones, anorexiæ, nauseæ, alui nimiæ deiectiones, & aliquando constipationes, intumescentia hypochondriorum, dolor intestinorum totiusque abdominis lancinans, tensiuus, & quasi ruptorius (vnde fortasse nomen ab Hollandicis accepit *die scheurbuyk*) imò hi dolores sunt adeò aliquando immanes, vt peritonæum disrumpi videatur, quod & disrumptum obseruaui, vt adeò affectus hic tyrannidem suam in toto corpore exercet. Adsunt etiam maculæ nunc rubræ, nunc liuidæ ad nigredinem vergentes, quæ tandem desinunt in vlcera sordida, quæ sæpiùs circa genitalia exoriuntur, vt luem veneream dixeris, (scorbutus tamen etiam potest esse sine maculis,) adest simul omnium membrorum grauitas, & torpor, aliquando accidunt omnium

nium artuum dolores lancinantes, ac vagi arthritidem simulantes, accedit nonnunquam macies, & contabescentia carnium, aliis stupor, & formicatio musculorum, interdum contracturæ. Vrina sæpè tenuis, pallida aut vinosa, aut citrina, sed cum arenulis partim vitro adhærentibus, partim superficiei innatantibus, partim per substantiam liquoris diffusi. In vrina sæpè volatile supernatat, vt etiam sublimetur interdum. Quidam dicunt esse pinguedinem sed falsò. Et quis omnia recensebit? Hæc etiam non in omni subiecto reperiuntur, nunc enim plura nunc pauciora existunt enarratis phænomenis, quæ symptomata omnia, qui accuratè, & vt decet, considerat, videbit totam massam sanguineam ferè corruptam esse, & simul laborare primas corporis regiones, de qua re nunc vbi de causa huius affectus acturi sumus, plura trademus.

CAVSA.

§. 4. Iam ergo ab hac totius morbi imagine secundùm vulgatissima eius phænomena depicta proximo loco eius causæ efficientes internæ nunc veniunt pensitandæ. Primò igitur videbimus quas causas veteres allegarint. Continens causa ipsis est humor Melancholicus vitiosus, tenax, crassus, crudus, & pituitosus peculiari tamen malignitate infestus, vnde τὸ ὄσιον admittunt, quatenus iam actu talis vitiosus humor massæ sanguineæ, in venis contentæ, permistus, inque habitum corporis variaque membra diffusus Cachexiæ tam malignę Author existit, à quo humore vitioso lienem, & hepar obstructa accusant. Alii alia viscera, & partes, quæ haud debito suo defunguntur munere culpant, quæ partes sibi destinatam Chyli portionem terrestriorem videlicet crassiorem ab Hepate vti aiunt, attrahere aut ritè conficere, aut tempestiuè expellere nequeunt, quod dum fit, isti humores diutiùs quàm par est his in locis stabulantur, progressu temporis corrumpuntur, & scorbuticam acquirunt dispositionem, qui postea seroso humore diluti, & ad motum faciliores redditi, per venas mesenterij ad hepar, inde per venæ cauæ ramos in omne corpus facilè concedunt, innumeramque pro diuersitate partium, morborum, & symptomatum seriem constituunt.

§. 5. *Hermetici* è contra scorbuti ortum non tam ex melancholico humore, quàm ex impuro tartaro sero diluto, in quo extremitates salium acrium pontagiosorum, vitriolatorum, aluminosorum, gemmeorum, imò & arsenicalium delitescunt, scrutantur. Per salium enim horum coagulationem, & retentionem in visceribus spiritus vitę oppilationes hinc inde generantur, per resolutionem, & spiritualium tincturam impressionem dolores, putredines, vlcera sordida, arthritides, contracturæ, prout spiritus in hac vel in illa parte confluunt, vniantur.

§. 6. *Helmontius* existimat hunc affectum (qui plerumque vt diximus maritima, & aquosa loca inhabitantes inuadit, propter salinos, & vaporosos spiritus, stomachi digestionem vitiantes) produci propter vitium lienis, & ventriculi; lienem enim fermentum acidum continere, & stomachum propter copiam salis fixi munus suum non ritè exequi asserit, ex sale enim hoc fixo in primis viis collecto, erosiones, & vlcera deducit, vitiata enim prima digestione, necessariò cruor, huiusmodi salibus fixis inficitur, quo conspurcato morbus se habet instar *luis venereæ*.

§ 7. *Willisius* qui integrum de hoc morbo tractatum conscripsit, sanè non in velabro venalem, ex quo pauca tantùm hic apponamus, sanguinis crasin vitiatam in scorbuto culpat, qui affectus pituitosis locis endemius existit, & sæpe febri diuturnæ aliisque chronicis morbis malè curatis, item hęmorrhagiis nimis superuenit. Noster verò quærit miasma scorbuticum, vel in massa sanguinea, vel in succo neruoso vel vtrisque, quod probat per inordinatas sanguinis efferuescentias, item per maculas, vrinam rubicundam, & velut lixiuiatam. Liquorem verò neruosum vitium habere pro-

bat

bat per spasmos, vertiginem aliaque symptomata, hoc in affectu semper ferè vrgentia; Inde instituit comparationem sanguinis cum vino, & quidem cum spiritu depresso, particulæ enim sulphureæ, & salinæ simul combinatæ exaltantur, cumque hoc in vinis duplici modo fiat, etiam ob sanguinem pariter affectum duplicem scorbuti speciem deducit, & sanguinem vino rancido hoc in affectu similem esse contendit; Omnes enim species scorbuti ad hæc duo Capita reuocat, 1. Quorum sanguis miasmate scorbutico infectus, aut præseruidus, siue calidus existit, in quo nempe sulphur prædominio potitum sibi salem adsciscit, quapropter iste rancidior factus inordinatè in vasis suis efferuescit, atque recrementa adusta, nempe sulphuris, & salis concretiones perpetim à se amandat, atque huc illuc dispergit, quæ quidem exterius suffusa maculas, exanthemata, tubercula atque vlcera producunt, interiùs verò disposita alia plura symptomata excitant, vomitus, Cardialgias, diarrhæas, aut dysenterias doloresque varios, & atrociſſimos. Vel 2. in sanguine scorbutum fouente sal prædominio potitum sibimet sulphur adsciscit, quapropter ipse sanguis non ita seruidus quin vini penduli instar crassus, & mucilaginosus euadit, pigrè in vasis circulatur, dum pertransit fœculentias quasi limosas affigit. Hac scorbuti specie affecti vtplurimum sine exanthematis torpidi, ac anheloſi imò enerues fiunt; passionibus cordis, deliquiis, conuulsionibus facilè obnoxij sunt. Quo ritu scilicet labes scorbutica liquori neruoso inprimis, communicatur. Et hæc ipse Author in peculiari Tractatu eleganter explicat, quæ omnia hic recensere non libet, cùm ex ipso fonte meliùs bibantur aquæ, cuncta enim recensere, & ad calculos redigere opus longum ac laboriosum esset, quale nos non meditamur.

§. 8. *Syluio* (qui nullibi ex professo de hoc tractat morbo) scorbuto fouendo quin excitando fauentissima est humorum omnium, ac singulorum corruptio, qui affectus, vt rectè ait in locis paludosis & maritimis endemius se cuiuis affectui copulat libenter, atque facilè; indeque ille succo pancreatico acidiori, & ea propter cū bile vitiosè efferuescenti adscribit.

§. 9. *Cartesiani* Morbi huius causam præcipuè consistere dicunt in sanguine multo sale fixo, vel etiam acido fixo imprægnato, ad quæ in sanguinem introducenda non parum facit aer talibus particulis scatens, qui per respirationem attractus communicat sanguini illas particulas, & sic morbum hunc producit.

§. 10. *Nos* dicimus morbum hunc Scorbuticum, non tantum esse Endemicum quibusdam locis, sed etiam his in nostris oris esse sporadicum, ex aeris & victus vitio contractum, existimamus etiam eumdem esse nonnunquam Epidemicum ijsdem taxat in locis, vbi ante familiaris existere consueuit, ita Anno 1556. Epidemicum Brabantiæ populo scorbutum redditum fuisse, & quidem tempore famis, testatur *Remb. Dodonæus Obs. Med. cap.* 33. idem Belgis quoque anno 1662. contigisse *Petrus Forestus l.* 10. *obs.* 12. annotauit. Ipsum autem contagiosum esse nemo amplius dubitat, sic à nutrice in filiolum lacte instillatum fuisse lugubri experientia obseruaui, sic fœdum hoc Miasma scorbuticum poculorum communione, osculorum communicatione, halitus oris inflatione contingi posse nullus dubito. Experientiss. *Sennertus* l. de Scorbut. c. 3. exemplum affert sequens, quod post mortem quoque ex extinctorum cadaueribus toxicorum ad instar, alijs venenum communicari possit. Causam ergo scorbuti sal esse fixum acre tamen existimamus, quod sal sibi vtplurimùm imperium rapit in massa sanguinea, in qua latent multæ particulæ, vel acidæ, vel muriaticæ, acidę, quando sanguis scilicet crassior & nigricantior apparet, Muriaticæ verò vbi consistentiâ amissâ tota diffluit, adest enim vel sal fixum, vel acidum fixum, regibus nostris semper insidias struens, vnde omnia symptomata facilè deduci possunt, certum enim est non semper scorbutum

ab

ab vna aliqua singulari, & simplici causa proxima ortum suum habere ac dependere, sed sæpè à multiplici, vix equidem plura sulphurum saliumque genera Hermeticorum officinis, quàm in sanguine scorbuticorum inuenire est. In quibusdam subiectis hic affectus sulphuris Mephitim olet, in aliis vbi salia abundant ad salis fixi naturam seu tartarum propiùs accedit, in aliis stypticam refert calcanthi aciditatem in nonnullis alumen simulat, alii aquæ stygiæ atrocitatem persentire coguntur, tot enim scorbuti species seu differentiæ dici possunt, quòd sunt vitiosæ sanguinis tincturæ è salibus diuersis, horum diuersimodà combinatione ortæ. Sic & scorbuti causa proxima aliquando ortum habet ab *eximio* sanguinis *Acore*, cùm particulæ salinæ vniuersam sanguinis Massam insensissima imbuerint acidi*t*ate. Nunc videamus potiora, & principaliora huius morbi symptomata, num cum causa nostra dicta etiam conueniant nec ne? Præcipuum ergo scorbuti signũ est cùm maculæ subliuidæ apparent in brachiis, & cruribus, quæ subinde disparent, & locum mutant, maculæ autem scorbuticæ eo producuntur, quod sal & acidum poros arteriarum magis aperiat, ita vt etiam particulæ quædam crassæ, & terreæ extrauasentur sub cutim, hæ particulæ verò præ crassitie sua circulationem absoluere non possint, & cùm eorum vehiculum per habitum corporis diffletur, ibi hærent, & maculas efficiunt, quia autem continuò nouæ partes sanguinis appellantur, hinc aliquando particulæ illæ stagnantes iterum abripiuntur, & in alium locum iterum deponuntur indeque oritur macularum illarum mobilitas. Ægri conqueruntur sæpissimè de *Cephalalgia*, & quidem 1. quãdo ob acidum sanguinis, circulatio aliquandò retardatur, tunc ad motum istum accelerandum spiritus animales in musculum cordis impetuosiùs insiliunt, vnde feroces, & furibundi redditi spiritus animales in ipso cerebro peruersè aguntur 2. Salia quoque illa siluestria prædominantia feruntur sæpè versus cerebrum, offendunt poros inæquales, & sic pungendo, vel corrodendo inferunt dolorem pungitiuum. Sic quoque 3. particulæ hæ salsoacidæ scindentes, spiculis suis impingunt in meninges, & fibrillas diuellunt, & rimas faciunt, sicque dolorem excitant. 4. ex vitiosa quoque illa perturbatione sanguinis à conflictu salium vitiosorum orta, & in coagulum sæpiùs mutatorum dicti capitis dolores scorbutici vt plurimum ægros torquent, vnde & vertigines, scotomiæ, vigiliæ nimiæ, somnolentia & alij affectus capitis explicari possunt. Adest Scorbuticis vt plurimum difficilis ceu diximus respiratio, de quo symptomate maximè conqueruntur, vnde plures Medici tales pro phthisicis habuerunt, quod prouenire potest à paucitate spirituum animalium, qui excitantur ex hoc sanguine crasso, & fixo, vel quia ab vsu frigidorum nerui diaphragmatis quodammodo sint obstructi, vel si partes respirationis non tantum salibus scorbuticis sunt refertæ, vel si ipsa Massa sanguinis ob nimium acidum in corde coagulatur & stagnat, inde talis difficultas existit, sed & cum sanguis diutius quàm par est stagnet, tunc & acidior redditur, à quo acriore sanguine fibræ, & neruuli cordis irritantur, & quasi scinduntur, à qua læsione spiritus animales ad orgasinum cientur, & furibundi accurrunt, sicque necessariò conuulsiuum motum inducunt palpitationemque cordis excitant, à qua coagulatione sanguinis in corde, & deliquia animi deduci possunt. Immaturum quoque hoc acidum si sanguini misceatur, quæ non excitat quæso symptomata? ex tali enim sanguine vitioso scaturiunt spiritus animales vitiosi, de quibus iam diximus. Acerbus ille hostis, quando imperium sibi rapit circa primas vias infimi ventris, tunc ventrem flatulentis torminibus dilacerat, & ex inflato abdomine crepitus, ructusque producit, & fixiorem sibi sedem in sinistro hypochondrio quærit, vnde maxima tormina, si acidum illud ponticum circa ventriculum locat sedem, tunc enim appetitus ille caninus, a salis verò huius vi-

vitiosi resolutione, diarrhææ, dysenteriæ, &c. oriri possunt, vt ab acido vero illo viscido & acerbo alui obstructio producitur. Cùm gingiuæ facilè sanguinem emittunt, non semper est signum scorbuti, nam quibusdam vasa sanguinea naturaliter valdè propinqua sunt gingiuis, & quasi in superficie gingiuarum posita sunt ex quibus leui contactu sanguis effunditur, etiã in saniſſimis, & tunc signum non est scorbuti, cùm verò ex gingiuis præter consuetudinem sanguis facilè exprimitur, tunc pro scorbuti signo haberi potest, inprimis si simul maculæ adsint, *quæ maculæ* nunc rubræ nunc liuidę oriuntur à sanguine sale fixo copiosè impręgnato, in extremis capillaribus arteriolis coagulato & post vbi particulę volatiliores relictis crassioribus abeunt in auras, liuidi fiunt, & si concipiant putredinem & corrosionem, inde vlcera illa sordida, salia enim hæc minùs symbolizantia in fluorem redacta fiunt instar aquæ corrosiuæ omnes partes exedentis. Languor totius corporis, sensuum debilitas, lassitudo artuum, de qua conqueruntur ægri vt nec muneri nec officio pares sint, oriuntur partim ab *ἀταξία* spirituum animalium vel ab eorum debilitate à tali sanguine sale fixo & acido refecto, orta. Sæpe noctu ob lecti calorem, etiã ob motum immodicum, æstum, balnea, venerem & crapulam exasperantur salia siluestria, & tum vel sentiunt frigus, vel calorem. Ascites quoque sępè ex hoc exsurgit, sanguis enim facilè propter nimium acidum secedit à suo sero, vnde obseruamus in vernis suis semper abundans supernatare sanguini scorbutico serum & quidem acido salium, ab acido illo depascente & atropia deduci potest. In scorbuticis sæpissimè animaduerti crepitum cranii, aliorumque articulorum, qualem ex commotis & collisis sceleri Ossibus percipimus, rationem dedimus in *Obseru. Ephemerid. German.* Ossium quoq; adest fragilitas & corrosio, sine dubio ab acribus acido-salinis & aquæ stygię corrosiuam naturam æmulantibus humoribus circa has partes imperium rapientibus, ortum habens. Vrinę multum variant hoc in affectu adeò vt sępè sint crassæ, & plurimo sedimento refertę, aliquando tenues & aquosę, sic coloris aliquando sunt albicantis, mox citrini vel rubicundi coloris. Benè notandum est quod habet *Riuerius*, quod color rubicundus non sit à bile, sed à multo sale ipsis permixto, cuius indicium est, quod tanta ijs interdum adsit acrimonia, vt ardor & stillicidium inde oriantur. Egomet hoc morbo in Hollandia afflictus per quadrans anni spatium plus vnius libręsalis fixi Tartaro vini similis ex matulata (sit honos auribus) collegi. Oris fetor oritur à ventriculo & intestinis propter illorum orificia non satis clausa, vnde halitus sętentes ex intestinis ad os assurgentes efflantur, vel quia in gingiuis corruptio quędam est, ab humoribus fœtidis & resolutione sulphuris sitis; si adsit, illam deducimus partim ab acido salso sępè obstructionem vasorum saliualium producente, partim à salsis effumationibus gulę exsiccantibus. Phlogosis illa faciei cum eius intumescentia facilè deduci potest à sero salso ibidem se præcipitante. Reliqua symptomata quę adhuc innumerata sunt facilè ex his principiis explicari possunt, summa enim sequor fastigia rerum.

PROGNOSIS.

§. 11. Scorbutus primò ratione suę indolis & naturę morbus Chronicus ac diuturnus est, qui ęgros tam celeri motu, non vt quidam alii morbi, præcipitat, sed per complures annos eos affligit, torquet atque eneruat, idque partim ob salium diuersorum contumaciam, partim ob prauam labem visceribus lentè ac sensim introductam. In principio malum hoc, si cognoscatur, curatu facile est, & congruis cedit medicamentis, contrà vbi altiores egerit radices, visceribusque malignitatem suam intimius impresserit, contumax omninò est & vix vnquam radicitus extirpari potest, imo plerumque in hydropem, nonnunquam in catharrum suffocatiuum vt Hanouię in vxore ciuis dicti ante biennium obseruaui, interdum

in

in lethalem dyſenteriam, ſæpiſſimè verò in Tabem, vel Atrophiam degenerat, rarò in Apoplexiam, & Paralyſin, ſed & hominem ſæpè lentâ iugulat morte. Quibus patrius, inquilinus & indigena exiſtit ſcorbutus, apud hos prærogatiuum quoddam ius, vel potiùs imperium obtinet, vt quò magis increbeſcit, eò malignior ingraueſcendo euadit, adeò vt non rarò inemendabilis in omnem vitam perduret. Neque in minori conſtituti ſunt periculo illi, quibus hìc affectus congenitus, vel hæreditarius eſt, hi namque difficulter admodum, vel nunquam niſi acutiſſima obſeruata diætâ & medicamẽtis idoneis ſimul adhibitis ab eo liberantur fieri quippe vix poteſt, quin aliquod ſui veſtigium relinquat, ſæpeque reſtibili malignitate ſuppullulet, & ad mortem vſq; ſuos poſſeſſores comitetur. Senibus quoque decrepitis malum hoc grauiſſimum eſt, quippe eorum ætas languida & ſpiritibus animalibus indigens. Mulieres magis obnoxiæ, ob vitam otioſam & deſidem ſunt huic morbo quàm viri. *Hartmanus* inquit, fœminas hunc morbum ferre poſſe ad annos quindecim, vel viginti mares verò non affliguntur vltra ſeptem aut octo annos; hæc tamen obſeruatio non eſt certa. Dyſpnœa fortis, maculæ ad liuorem & nigrorem declinantes, vlcera valde hiantia & nigricantia & ingentes circa vmbilicum cruciatus, hæc omnia ſunt peſſima ſigna. Maculæ enim crurum quò magis ad nigrum ac liuidum colorem inclinant, eò ſunt peiores, inprimis verò ſi modò efflorescant, & modò obſcuratæ euaneſcar, aut ſi his alia maligna vlcera ſuperueniant. Gingiuarum caro luxurians & fungoſa, magnam arguit corroſiuæ materiæ copiam, ſi verò eiuſdem eroſio atq; corruptio accedit, niſi maturè ſanetur, finitimas quoque partes inficit, eaſque ad oſſa vſque depaſcit, vt paulo poſt dentes præſepiolis ſuis excidant ceu in pluribus tam adultis quàm infantibus in Praxi mea obſeruaui. Cæterum vbi ſcorbuticis viſcera iam dura inque ſchirrhum degenerantia & tumoribus obſeſſa ſunt, vel pulmones exulcerati, ibi ſpes reconualeſcendi periit omnis, & cum Romanorum Medicorum Principe *Cornelio Celſo*, Medico acclamo: Rem Deo committe & conſule tuæ famæ. Primò ergo ex diuturnitate morbi, & frequenti eius recidiua aut exacerbatione, à ſymptomatum aut numero aut qualitate vrgente, dein ex viribus eaſque indicantibus variis circũſtantiis ætatis, ſexus, temperamenti, ex conſtitutione corporis, vitæ conditione ac flatu, anni tempore, regionibus ſeu locis ſimilibuſque aliis, tandem ex iuuantibus facilè aut tardè, euentum cognoſces.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Curationem nunc auſpicabimur & quidem Dieteticam, ſine exacta enim Diæta vix hic morbus adhibitis quamuis optimis remediis feliciter exſtirpari poteſt. Sit ergo aer purus, ſerenus & ad caliditatem vergens, nocet aer marinus, muriaticus ſcilicet ſalinus, aut particulis acidis abundans, humidus, frigidus, nebuloſus, craſſus, & quouis modo inquinatus. Ob hunc vitioſum aerem ſcorbutus in locis Boreæ patentibus vliginoſis, paluſtribus & maritimis endemius exiſtit; particulæ enim vt diximus ſalſæ, & fixa exhalantes ſanguinem reddunt craſſiorem & fixiorem, ſicque ad pneumaroſim inhabilem: ſanguinis circulatio etiam his valde impeditur & retardatur. Aeri ſuccedunt cibus & potus, ſint ergo eupepti & euchymi, vt ſunt brodia caponum, gallinarum carnium, panatellæ, carnes agninæ, vitulinæ, bubulæ, ſed iuuenes & teneræ, pulli gallinacei, gallinæ, capi, pipiones, auiculæ minores, ex piſcibus aliquando concedi poſſunt percæ, ſalmones funduli, truttæ, aliique qui flumina & aquas limpidas intra petras decurrentes amant, oua recentia & ſorbilia, inprimis verò conducunt varia antiſcorbutica, vt ſunt naſturt. c. carnib. coctum, portulacea, beccabunga, ſpinachium, radices patroſel. apii, ſcorzoneræ, aſparagus & id genus alia cocta & aſſumta. Nocet verò alimenta, vel acida, vel ſale marino imprægnata & condita, fumo

ven-

ventoque indurata: pituitosa, glutinosa, crassa & fermentatu difficilia, vt sunt haleces, carnes sale conditæ & fumo induratæ, caro inprimis suilla, pisces viscidi, &c. nocent & cibi nimia quantitate aut intempestiuè sumpti: symbolum etiam conferunt nimiùm spirituosa, insolita, absurda &c. Vitentur & summo studio dulcia, in quibus latet acidum illud corrosiuum, item tartarea & id genus alia, experientiâ enim compertum est hæc præ aliis nocere, hinc Angli, qui abutuntur saccharatis, maximè huic affectui obnoxii sunt. Vina sint Oligophora, Cereuisia, vel nulla, vel optimè defæcata, & ex succo betulæ cocta vel aliis antiscorbuticis maritata, præ aliis tamen decoctum trifolij fibrini commendatum volo, & tempore æstatis acidulæ, vel Suualbacenses vel Sancti Antonii, inprimis verò Selterenses quę est aqua antiscorbutica naturalis, verà & à me multis experimentis comprobata. E contra maximè nocent spiritus ardentes, qui scatent multis particulis salinis & sulphureis sanguinem inficientibus; *Acida* quoque omnia, quatenus chylum, & sanguinem acore imbuunt, prout sunt omphacium, acetaria, acetum, eiusdem farinæ condimenta, quæque languenti per luxum stomacho malè competunt. Sub eadem conditione habentur insalubres potus, aquæ nimis corruptæ, subsalsæ, vina acida, turbida, austera, pandula, rancida, tartarea, vt sunt vina Francorum, Cereuisia nouella, nec benè cocta aut fermentata, vetustate ascentia & corrupta, hæc enim omnia salso-acidis suis particulis fomentum huic morbo prębent sufficiens.

Motus & quies sint hoc in affectu moderati, ne sit nimius motus, Spiritus enim subtilissimi & nobilissimi dissipantur & exhauriuntur, vnde tota massa sanguinea depauperatur. Et nocet prę sertim ille motus à pastu, dum prauis corpus adhuc scatet succis. Sic & quies nimia scorbuto fermentum facere potest, inde & fęminę propter vitam hanc sedentariam magis viris huic malo obnoxię sunt, vt dictum. Exercitium corporis intermixtum chyli per augustissimos lactearum anfractus distributionem remoratur, sanguinis motum circularem impedit, & spiritus animales torpidos ac segnes classosq; reddit. Hinc fit, vt qui delicatè viuunt magis scorbuto dediti sint, quàm qui laboriosè vitam suam peragunt. Malè imò pessimè sanitati suę cõsulunt eruditi dum ad libros anxiè sedent, & musarum sacris noctes atque dies operantur, in maximum enim discrimen sanitatem suam infeliciter coniiciunt, maximè enim nocent lucubrationes nocturnæ, & alia grauiora mentis exercitia. Valeat & hic illud Comici: *Ne quid nimis*. Somnus & Vigilię moderatè se habeant, somnus enim nimius intempestiuus, sub dio, in locis subterraneis haud confert, ita & vigilię diutius protractę spiritus auolare faciunt, vnde incommoda scorbutum minitantia emergunt plurima. Quod ad excreta & retenta spectat illæ seu periodicè se habent, seu ad certa temporis interualla occurrũt, si supra modum ac tempus detineantur, inde œconomia animalis maximè perturbatur, idque magis, vel minùs pro suppressi humoris indole, proque dignitate partis quam is occupat, retentę enim euacuationes impuritates in sanguine conciliant, quæ dein ad dyscrasiam scorbuticam conducere possunt. Publicas enim vias, interiorumque viscerum ductus obstruunt. In fœminis ergo Mensium, vti in viris, hęmorrhoidum suppressio occasionem scorbuto, prębere potest, hęc ergò vt & aluus respondeat, vel natura, vel arte. Nunc ordine sequuntur Animi pathemata vulgò ita dicta: Gaudio atque hilaritati studeat ęger, spiritus enim sic recreantur & sanguinis promouent circulationem, nocent è contra animi affectus frigidi vulgò dicti, vt sunt tristitia, solicitudines, desperatio & similia, his enim spiritus animales dissipantur & crassiores ac obscuriores tantum Microcosmetori offeruntur, vnde sanguis sufficienti eorum influxu destitutus, nec sat commotus, lento minus motu cor pertranſit, nocque

modo

modo depauperatus & crassior factus sanguis in liquorem effœtum, subacidum & coagulationi pronum degenerat, & sic facilè scorbutum producere potis est, quæ viscidæ, & salsoacidæ portioni aliquando in lienem deponuntur, quæ illum vel tumidum vel scirrhosum reddunt. Vnde malè Galenici statim cùm hæc videant, causam scorbuti in liene quærunt, sed illi sciant hoc esse productum morbosum, non ergò confundere debent causam morbi cum effectu. Mœstitia ergò maximè nocet, quod & *Willisius* fatetur, qui obseruauit, homines propter occasionem aliquam luctu ingenti perculsos, & dein diu mœstos scorbuticos tandem fieri, imò scorbutici sunt vt plurimum tristes.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Sequitur nunc *Cura Pharmaceutica* ex Dogmaticorum fonte hausta, quam curationem compendiariam tantùm tradamus. Iuxta *Galenicos* ergo competunt huic affectui exterminando ea omnia medicamenta, quæ Melancholicum, terrenum, fæculentum, crassumque & tenacem humorem quodammodo colliquare, emollire, alterare, incidere, adeoque obstructiones viscerum soluere, & humores crassos præparare ad eductionem faciliorem possunt. *Præparantia* illa sunt, syrupus de fumar. de polypod. de Meliss. cum aq. fumar. meliss. nasturt. raphan. &c. quibus succedunt illa, quæ materiam corruptam & morbosam quò maximè vergit, per loca naturæ lege commoda exturbant, crassum nempe per aluum tenuem & serosum per vrinas vel poros cutis. *Euacuantia* per aluum hoc in affectu ipsis sunt vel potiones ex manna in decocto splenet. dissolut. vel in forma Electuarii, Elect. lenit. Hier. picr. Gal. Diaprun. pulp. Tamarind. Cass. passul. laxat. ex solidis pilulæ sunt, pilulæ Ruffi. assaiereth. de hiet. s. fortiora euacuantia sunt Oxymell. helleb. nigr. c. aquis vel decoctis aperientibus. Clysteres etiam magnificiunt, sæpius putant applicandos. Tandē ad specifica & appropriata tanquam ad anchorā sacram confugiunt, quamuis nesciant quomodo agant. Ex simplicioribus sunt Cochlearia, nasturtium vtrumque, beccabunga, sinapi, raphan. nast. lupul. lingua ceruin. Asplen. sumaria, Chamœdriis, Card. bened. radices aperientes, cortices, Tamarisci, Cappar. &c. ex his aliisq; cum sero lactis varias parant infusiones, apozemata, &c. Vide composita apud *Reusn. Foreest. Albert. Horst.* qui de Scorbuto ex professo scripserunt.

§. 14. *Hermetici* tum ex vegetabili, tum ex animali, tum ex minerali regno depromunt varia & nobilissima remedia, & cùm mineralis & tartareus sit hic morbus, spiritus eliciunt ad funditus delendam hanc luem. Præ aliis commendant spiritus Tartari, nitri ritè paratos, salis, &c. Sic & salia ex plantis conficiunt, vt sal. absynt. eund. beced. rutæ, beccabung. cochlear. & mille alia iactant experimenta.

§. 15. *Helmontius* qui accusat sal aliquod fixum in primis viis hærens, ad quod volatilisandum suadet *volatilia quæcunque*, vt sunt sinapi, nasturtium, Chelidonium, arum, Card. bened. fumat. Centaurium, sedum minus, &c

§. 16. *Willisius* qui causam huius mali in sanguinis dyscrasia, aut sulphureo salina, aut salino sulphurea ponit, intentiones habet sequentes, vt Chylosis in primis viis ritè perficiatur, dein vt fermenta deperdita aut deprauata restituantur, & obstructiones meatū referētur, in quem finem commendat pharmaca, *Cathartica*, *Digestiua*, & *Aperientia*, sic enim excrementa in massa sanguinea accumulata, cum per propria emūctoria haud satis eliminantur, per alias vias educere conatur, vel per *Cathartica*, vel per *Diaphoretica*, vel per *Diuretica*. Denique sanguinis Dyscrasiam scorbuticam per phlebotomiam & remedia specifica emendat. Præprimis ergo his intentionibus satisfacit *purgatio*, vt primæ scilicet viæ à sordibus repurgentur, & si adsit nausea, & indicium visciditatis acescentis aut nidorosæ materiæ in stomacho latentis, & æger est robustus, olimque hanc euacuationem cum

euphoria tolerauit, nihil prohibet quin assumat æger Emeticum vel Mynſ. vel ſulph. Antimonii Glauberi a gr. 11. ad 1v. Qui verò ſunt tenerioris toxturæ illis exhiberi poteſt aut vinum ſcylliticum, vel ſerum lactis, vel iuſculi copia, vel pennâ guttur ſtimuletur, vbi verò contra indicantia ſunt à purgatione curationem incipit Author, & præparationem humorum erroneam eſſe putat. In *ſcorbuto calidiore* ſiue in ſanguinis dyſcraſia aduſta, ſiue ſulphureo ſalina commendat mitiora purgantia, vt ſunt folia ſennæ, Rhabarbarum, & ſimilia, quæ ſanguinem non ita exagitant, vt faciunt *Aloetica*, & *Diagrydiata*, &c. quæ maximè hic vitanda vult, magis verò iuxta eum tali in caſu proſunt potiones ex ſol. ſennæ, Rhabarb. in aq. antiſcorbut. infuſ. paratæ, vti & exhibet mannam cum cremore Tartari in ſero lactis ſolutam, vel Electuar. ex paſſul. Tamarind. &c. In *ſcorbuto* verò *frigidiore* ſeu dyſcraſia ſanguinis nitro ſulphurea, vini panduli æmula vtitur catharticis fortioribus, in quem ſmem ſequentes pilulas magnipendit:

℞. *Pil. ſtomach. c. Gum.* ℥ ii.
reſin. Gialapp. g. xx.
Tartar. vitriolis gr. xvi.
Ol. Iunip. ℳ. *c. ſ. q. ammoniac. ſolut. in aq. lumbr. f. pilulæ m.* xvi. *ſumantur* iv. *vel* v. *pro vna vice intra ſeptimanam.*

Vel:

℞. *Extr. pil. Ruffi.* ℥ i.
Helleb. nigr. ℈ i.
ſal. Tartar. ℥ i ß.
c. ſ. q. ammoniac. ſolut. ſ. pilulæ ix.
ſumantur tres pro doſi.

Apozemata etiam, & Tincturas varias purgantes commemorat, inde ad ipſum, curioſum mitto lectorem. Nimis crebras tamen purgationes contemnit, quia vires proſternunt, viſcerum robur valde labefactant, atque morbum interea non tollunt. Peractâ corporis euacuatione ad phlebotomiam in ſanguinis copia, & vitio accedit, quam tamen aliquoties in quantitate modica, quam ſimul, & ſemel in magna copia inſtitutam vult. Cùm enim liquor in ſanguine eſt impurus, nullo remediorum genere certiùs emendatur, quam crebra, & parca extramiſſione, quippe ſanguini veteri corrupto, quoties educitur recens, melior, & defœcatior ſuccedit, indeque cautione opus eſt, ne ſemel in quantitate ceu diximus nimiâ ſubtrahatur, nam penu eius confeſtim diminuto ſanguificatio labeſcit, quod neceſſariò vel inſequitur aut cachexia, aut hydrops. Ad ventriculi fermentum reſtituendum, & ſanguinis Dyſcraſiam tollendam *ipſe* commendat *Digeſtiua*, *Antiſcorbutica* ſiue *Specifica*, & libet duntaxat ſelectiora ex Authoris ſcrinio huc apponere, inter quæ ſunt Cremor Tartari, ſal, Tinctura eius, item Tartarus vitriolatus, præſertim chalybeatus, Elix. propr. Mixtura ſimpl. quorum bis in die vſus ſæpe numero prodeſt. Inter Electuaria ſequens habet:

℞. *Conſerv. fol. cochlear.*
beccabung. c. æqual. ſacchari parte parat. aa. vnc. iii.
troch. de cappar.
de Rhabarb. aa. ℥ ii.
pulu. ocul. ♋.
ſal. abſynth. a. ℥ i.
ſyr. è cortic. citri q. ſ. f. Electuarium.

Parare etiam ſolet Author Conſeruam è cortice exteriori limonior. & aurantiarum. Ruſticis, & pauperibus, quibus cara medicamenta minus chara ſunt, ſequentia præſcribit.

℞. *Fol. cochlear.*
beccabung. aa. ℥ iv.
ſacchar. albiſſ. ℥ iv.
rad. gentian. vel Winteran. ℥ ß.
Tartar. cum nitro calc. ℥ iii.
c. ſ. q. vini Hiſpanici redigatur, in Electuarium, doſis eſt quantitas nucis inglandis bis in die.

Decocta tanquam optima, commendat inprimis in calidiore ſcorbuto.

℞. *Fol. naſturt. aq. m.* iiij.
acetoſ. m. ii.
conciſa macerentur in lactis ℔ vi.

& coq.

& coq. ad v. par. consump. sumatur ℥ vi. *bis in die.*

Vel:

℞. *Summ. geniſt. m.* iij.
coq. in cereuiſiæ fortioris ℔ iij.
ad mediet atem, exhibe ʒ ii.

Infuſiones quoque per ſe factas egregii vſus eſſe indicat noſter.

℞. *Fol. cochlear. m.* i.
raf. rad. raphan. ſilu. m. ß.
Cort. Winteran. ℥ ii. *D.*

Ponantur in vitro c. vini albi aut pomacei, & aq. cochlear. aa. ℔ i. f. infuſio in cella per duos vel tres dies. Doſis ʒ v. ad vnc. vi.

Vel:

℞. *Fol. cochlear. m.* iv.
beccabung.
naſturt.
luiulæ aa. m. i.
Contuſ. affund. aq. limon. & lumbric. aa. vnc. vi. *f. expreſſio fortis, quæ ſeruetur in vitro clauſo, vel ex iiſdem herbis deſtilletur per M. B. aqua, cuius tria vel* iv. *aßumantur cochlearia plena.*

Cùm in nonnullis ſcorbuticis Medicamenta varia, & ſale volatili abundantia, vt cochlearia, ſinap. raphanum ſilu. & alia noceant, ideò in eiuſmodi caſibus, vbi adeſt calidior ſanguis, Dyſcraſia, vini rancidi æmula, *ſulphureo ſalina* ſcilicet, in eum finem conueniunt Medicamenta temperata, & minus maſſam ſanguineam exagitantia. Inter Electuaria ſequens æſtimat:

℞. *Conſerv. beccabung.* ℥ ii.
luiulæ ʒ ii.
ſacchar. albiſſ. ℥ ß.
contundantur addendo
farin. ſem. fœnicul. ℥ ß.
pulu. eboris ℥ ii.
ſal. prunell. ℥ i ß. *c. ſ. q. ſyrupi è ſucco beccabung. f. Electuarium.*

Vel:

℞. *Pulu. fol. chamepyth.*
Ari compos. aa. ʒ i ß.
Ebor.
Corall. rubr. ppt. aa. ℥ ii.
Tabul. aurant. vnc. ii. *M. Doſis cochleare* i. *bis in die.*

Sequens decoctum Authoris, ſi quis poſt febrem inciderit in ſcorbutum, magni facio, quo, & ego vſus ſum magno cum fructu, cum à febre quartana in ſcorbutum incidiſſem.

℞. *Rad. Cherifol.*
ſcorzoner.
acetoſæ,
petroſel. aa. ℥ i.
fol. eupator.
ling. cerv. aa. m. i.
C. C. raſpat. ℥ ii.
paßul. min. vnc. ii.
glycirriz ℥ iii.

Coq. in aq. fontan. ℔ iv. ad tertiæ partis conſumptionem, adde ſal. prunell. ℥ ii Doſis vnc. iv. bis in die.

Pauperibus, qui poſt febrem in ſcorbutum incidunt, præſcribere ſolet Author ſequens decoctum vt bis in die capiant hauſtum:

℞. *Rad. & fol. Taraxic. m.* i. ß.
liq. poßet. vel cereuiſ. ℔ i ß. *coque ad* iii. *partis conſumptionem, coletur pro duabus doſibus.*

Vel:

℞. *Rad. Taraxic. m.* ß.
ſem. citri,
card. bened. à ℥ i.
coq. in liq. poßet, c. pomis vel pomac fact. ℔ i. ß.

Ex aquis deſtillatis temperatioribus ſequentes habet:

℞. *Fol. beccabung.*
naſturt.
fumar.
lingu. cerv.
Hep. nob.
meliſſ.
ſummitat. tamariſc.
impreſſ. aa. m. iii.
ſantal. omnium contuſ. a ℥ ß.
rad. lapath.
polypod. q. à ℥ ii.
Cort. aurant. extern.
limac. mund. aa. ℔ i.
Inciſ. & contuſis affunde ſeri lact. cùm pomaceo. fact. ℔ vi. *l. a. Deſtillentur.*

In scorbutica atrophia, & dispositione tabida vbi nihil calidum sanguinem humores, ac spiritus exagitãs, sequens laudat:

℞. *Fol. beccabung.*
ling. cerv.
adianth.
hepat. veronic.
eupator. aa m. iij.
limac. mond. ℔.j ß.
vel pulpæ caponis semicoct. & incisis omnibus.
simul infusis affunde vac. rec. vel aqu. fumar. ℔ vi. *l.a*
Destilletur.

In hoc casu, & Author cereuisiam temperatiorem ex rad. pini, abietis vel tamarisci, aut ras. ligni post fermentationem vasis iniectis commendat, vel imponantur radices lapathi acuti, quibus nullum præstantius in scorbuto remedium *Ipse* dicit poma vel aurantia, vel citria in taleolas discissa, & cereuisiæ ex præscripto Authoris, indi possunt. Quod verò concernit symptomatũ curationem quæ in c. ix. pertractat Author, ex eo petere eam potes.

§ 7. *Sylvius*, qui pauca hoc de affectu habet, statuit hunc nulli æquè cedere remediorum, ac *salib. volatilibus*, plantis nimirum sale volatili abũdantibus, cochlearię scilicet Erysimo, Nasturtio cuiuis, raphano vtrique, sinapi, & similibus, & sępè exhibuit prælaudatus Author felici cum successũ salia volatilia, ex quibusuis animalibus parata. Per acida spirituosa etiam hunc affectum curari posse asserit, tum quę à natura ita existentia, tum arte ita parata: à natura nobis subministrata sunt, succus citri, aurantiarum, Granator. Acetos. aceto sell. trifol. aq. Arte verò parata sunt spiritus salis, & nitri dulcis, &c. Atque in specie in maculis curandis vtilia esse duo hæc, salia scilicet volatilia cum acidis spirituosis pro re nata diuersimodè combinata, & sudorem simul mouentia sibi persuadet.

§. 8. *Cartesianorum* curatio huius affectus consistit in volatilisatione sanguinis, & salis fixi, & in obstructionibus tollendis, in quem finem præscribunt verbis suis vt sanguinis crassi portioni euacuata melior, & volatilior substituatur. Dein omni opera intendunt, vt fixior sanguis succidatur, præparetur, in quem scopum seq. vel simile præscribunt Apozema.

℞. *Lign. guaiac-*
sassafras
sarsaparill. ana ℥ ß.
Cart. fraxin.
cappar.
Tamarisci ana ℥ ß.
rad. raphan. rustic. ℥ i.
polypod. q. ℥ ij.
herb. acetos.
Cichor.
fumar. ana m. i.
sem. anis.
fæniculi ana ℥ i.

Coq. ex aqua pura, vel si febris, & calida dispositio absit in vin. Rhenan. ad ℔ i. ß. sub finem decoctionis adde.

Herb. nasturt. aq.
becc habun. ana m. j.
cochlear. m. ii.

Adde salis absynth. vel card. bened. ℥ j. ß. M. f. Apozema, de quo capiat æger quotidiè mane ʒ iiij. l. v. ieiuno stomacho, post singulos vsus huius decocti potest sumi spir. nitri aut sulphuris, vt acidum volatile introducatur in sanguinem, in calidiore enim temperamento frustra insistes calidis antiscorbuticis, sed tum potius acida volatilia sunt vsurpanda, pro spiritu vitrioli, præscribatur spir. nitri, pro Tartaro vitriolato, Tartarus nitratus, si acidum fixũ abũdet, exhiberi possũt chalybeata, &c

§. 19. *Nos* vt compendiariam tradamus curationem, eo dirigimus curam, vt miasmatis scorbutici extinctio omnimoda instituatur, in quem finem sępè variandam curam, pro varia scilicet ipsius scorbuti origine progressu, & causa existimamus. Primò ergò eò respiciendum est vt cruditates inprimis viis hærentes puta in vẽtriculo, & mesẽterii aditu congestę, quę consistũt in materia viscido acida meatus omnes obstruentes, corrigãtur, absorbeãtur & emendentur, quod obtinere possumus partim per absorbentia specificis admistis.

℞. *Croc.*

℞. Croc. ♂ aperit. ℈ j.
Ebor. ſigne parat.
ocul. ℈. pp. ana ʒ ß.
antimon. diaphoret. ℈ j.
M. f. puluis diuidendus in III. partes æq. qui puluis per ſeptimanam, & vltra ſumendus eſt.

Vel: ℞. Croc. ♂ aperit. c. ſale ʒ iij.
fœcul. aron. ʒ j.
Magiſter cochlear. ℈ j
M. in IV. partes æquales diu.

℞. Aq. Antiſcorbut. Dorne. ʒ iij.
ſyr. de fumar. ʒ
ſcelotirbis. For. ana ʒ j
Tinctur. Tartar.
Eſſent. Martis,
fumar. ana ʒ ij.
M.

Vel Eſſent. martis liquid.
fumar. ana ʒ ß.
M. doſis Lx. gt.

Vel: ℞. Tinct. Tartar. antimon. ʒ iij.
Eſſent. fumar. ʒ ß. M.

Vel: acidul. artificial. ℔ j.
ſyr. ſcelotirb. ʒ iiij.
vitriol. Mart. ʒ j. M.

His quoque ſæpe venæ ſectionem præmittere ſoleo, quæ ſcorbuto vtilis eſt, vt nempe ſanguinis craſſi & fixi parte euacuatâ ſenſim laudabilior & volatilior ſubſtituatur, & vt medicamenta poſtea ſanguinem melius peruadant & regant. Loco verò ſectionis & ſcarificationis hirudines applicari poſſunt. Si cui ad præparationem materiæ peccantis Apozema arrideat, ſequens prodeſt:

℞. Lign. guai. ac. raſp. ʒ v.
cort. eiuſdem ʒ vj.
lign. ſaſſafras ʒ ß.
rad. chinæ ʒ x.
ſarſaparil. ʒ vij.
liquirit. raſæ ʒ iij.
herb. beccabung.
cochlear. à m. j.
triſol. aquat. m. ij.
Tartar. crud. ʒ ß.
ſem. anis. fœnicul. à ʒ j.
f. infuſio calida per XXIV. hor. in vino Rhenano, q. ſ. vaſe duplici benè clauſo, col. ℔. il. addo Spir. nitri dulc. ʒ j.
Oxymel. ſcyl. ʒ j.
ſal. card. benedict. ʒ j. M. f. l. a. apozema.

Vel: ℞. Rad. apij fœnicul. à ʒ i ß.
Rap. ruſt. ʒ iij.
raſ. lign. guaiac. ʒ ij.
cort eiuſdem ʒ j.
herb. trifol. aquat. m. j.
fumar. card. bened. a. m. ß.
ſem. raph. ʒ ij.
Tartar. crudi ʒ j ß.
coq. ex aq. font. ſ. a. col. ʒ xl. effunde ſuper contuſa herb. beccabung. naſturt. aq. cochlear. à m. j. Colat. adde Aq. Theriac. ʒ i. ſyr. de menth. ʒ i. m. f. Apozema.

De quo capiat æger ſingulis diebus vel horâ matutina 8va, & pomeridiana 4 ta vel 5 ta ʒ iiij. & corpus ad ſudorem diſponat, morbus enim hic debet curari vt lues venerea, poſt ſingulos vſus huius decocti poteſt ſumi cum vino etiam Tinct. Antimonii è Tart. parat. ad gt. XX. vel ſpiritus ſulphuris gt. XII. Primò per quinque aut VI. dies vtatur æger tali apozemate, tunc ſolido more inſtituatur purgatio, vt humores iam præparati euacuentur ſequentī purgante vel ſimili, à fortioribus enim purgantib. abhorreo, quia ab his ſæpe oriuntur dolorificæ inteſtinorum vellicationes, cum præcordiorum anxietatibus, prout nuper obſeruaui in fœmina, cui grana IV. magiſt. gialap. exhibita fuere, quæ inde plus vigeſies cum animi deliquio, & cordis anxietatibus deiecit; in aſſuetis verò qui purgantia benè ferre poſſunt paullo cordatius ijs vti poſſumus; præ aliis tamen conducunt hydragoga, & phlegmagoga vulgò ita dicta.

℞. M. P. de Gummi. ʒ j.
Gran. Maſtich.
myrrh.
vitriol. Mart ana ℈ ß.
reſin. Gialapp. acuat qu. v.
Mercurij dulcis gr. v.
f. pilulæ pondere gr. j.

Vel: ℞. Extr. phlegmagog. ℈ ß.
reſin. Gialapp. gr. vj.
Croc. martis aperit. gr. v

M. f. pilulæ pro vna vice.

Vel ℞. *M. P. antimon. de amm. Qr. à ℈ ß.*
resin. Gialap. gr. v).
e. Eßent. scorbut. f. pilulæ.

Vel: *Palu. catbol. purg. ℈ j.*
Magister sochlear. gr. iiij.
M.

Si quis delectetur vino medicato sequens præscribere mihi solemne est:

℞. *Herb. cochlear.*
nasturt. vtriusque à m. j.
fumar.
rutb. mur. à m. ß.
sedi min.
trifol. aq. ana p. ıı.
rad. raphan. ruft.
polypod. q. à ℥ iij.
fol. sen. f. f. ℥ j. ℥ ij.
Rbabarb. opt. ℥ ij.
Hermodactil. ℥ ß.
flau. aurami ℥ ij.
Cinamomi, Galang. à ℥ j.
Tartar. albiß. ℥ ß.

Bentur ad nodulum pro mensura vini.

Si verò quis robustum fibrarum stamen habet, ei possunt & Emetica exhiberi, leniora tamen, sed semper eò respiciendum quò natura tendit, eò enim & ducendum. Vomitoria blanda parari possunt, ex Raphano, atriplice, sem. raphan. asari, & similibus aliis. Aliis verò qui sunt teneræ texturæ & fibrillas habent teneriores & spiritus animales nimis volatiles iis tantùm concedimus Clysteres, qui ex variis antiscorbuticis parari possunt. Attamen his & aliis iterum interponenda sunt sudorifera, vt mixtura sanguinis iterum restauretur, & noxium expellatur & continuetur sic porro, in quem finem loco salium ex cineribus factorum sumantur salia essentialia. Eò semper annitendum est, vt specifica hoc in morbo vsurpentur. In calidiore constitutione prosunt ex vegetabilibus, herb. fumariæ, Endiu. Tarax. scolopendr. scabios. sedum min. luiula, beccabung. Chamædr. borrag. rad. scorzon. polypod. cichor. fœnicul. petros. chin. flor. Geniſt. sambuc. Calendul. ex fructibus passul. min. pruna damasc. nuces iugland. mala citria, aurant. limonia, pin. ex seminibus sem. citri, Endiu. &c. In frigidiore verò constitutione conueniunt omnia Medicamēta, quæ sale volatili acri abundè sunt prædita, inter hæc sunt principaliora, Beccabunga, cochlearia, piperitis, raphanus ruſt. persicaria, min. rutha. Erſym. Abſynth. sedum minus, trifol. aquat. vel. fibrin. quod excellens est, Sinapi, Enula, Acorus, Angel. Zeduar. bacc. Iuniper. Gum. Ammoiac. lacc. Martialia, &c. Curatio ceu diximus plurimum variat pro temperamento ægri, si enim fuerit calidioris temperamenti, frustra omnibus calidis antiscorbuticis agitur, sed tum omnia acida volatilia sunt adhibenda, pro spiritu vitrioli vsurpetur spiritus nitri, vel spiritus salis dulcis cum spiritu cochleariæ maritatus, vt biliosæ sanguinis dyscrasiæ simul, & scorbutico miasmati tum impendenti atrophiæ prospiciatur. Iisdem indicationibus satisfaciunt spiritus C. C. Armoniaci Tart. compos. & s. Ex compositis sequentem commendamus aquam antiscorbuticam:

℞. *Succ. card. bened.*
borrag.
Toraxi,
rutbæ mur.
lumbric. c. vin. expr. a ℥ iij.
succ. beccabung. ℔ j.
pomor. aurant.
citri ana m. j.
Raſ. C. C. ex apicibus ℥ j.
flor. centaur.
Calendul.
byperic.
Geniſt.
Chamepyth. à m. j.

Incisa, à x ıı. horas inuicem digere, dein l. a. ex organo vitreo æquali ignis gradu destilla.

Medicamenta scorbutica non diu vires retinent, quia sal volatile aufugit. Spiritus per fermentationem non parandi, qui sal volatile perit. Succi crudi sæpè conducunt, sed non debent diu continuari, quia excitant fermentationem nimiam.

Her-

Herbæ exsiccatæ antiscorbuticæ rarò adhibeantur, virides enim & recentes suum adhuc possident sal volatile, ergò essentiæ non ex siccis præparentur herbis. Succus cochleariæ cum lacte ebutyrato, vel cum vino, vel cum sero lactis in hoc morbo à quibusdam magnipenditur. In defectu verò recentium herbarum, vel substituantur succi inspissati, & fiant essentiæ, vel dentur semina, V. gr. nasturt. sinapi, cochleariæ, cruc. aquileg. hæc enim obtinent vires naturales. Magnifacio decoctum, vel infusionem herbę illius trifol. aquat. vel fibrin. & eius aqua destil. & spiritus, item essentia: conuenit decoctum abietis, succus persicariæ, vel electuarium Danicum, ingredientia habes in syrup. antiscorb. Mynsicht. In Noruuegia prope Bergas celebre emporium *terram rubram* sigillatæ non absimilem effodi perhibent tanquam præsentaneum huius morbi alexipharmacum. Si acidum fixum abundet in sanguine exhiberi possunt chalybeata, sed caueamus, ne in scorbuto calidiore hæc exhibeamus, prout ante biennium Medicus quidam coniugi ciuis Hanouiensis exhibuit puluerem chalybeatum per mensem & vltra, à cuius vsu misera fœmina plures & largas maculas per totum corpus accepit; & de die in diem in peius ruit, donec dyspnœa scorbutica intra vnius horæ spatium animam Creatori suo reddidisset. In frigidiori verò constitutione magnifacio Martialia, acidum enim valdè absorbent, si enim limaturâ eius per noctis spatium aceto, vel alii liquori acido imponas mane liquorem inuenies omni acore spoliatum. Ob eandem rationem & conueniunt Acidulæ martiales inprimis *Swalbacenses* vt supra diximus. Quamuis autem huiusmodi fontium adeò magna copia in nostra Germania sit, vt ad millenarium numerum accedat, celebriores tamen sunt prælaudatus Suualbacensis, S. Antonii, Piremontenses, VVildungenses, Spadenses, Seltrense, &c. In præscribendis verò regulis in eorum vsu legitimo obseruandis non diu commorabor, quia id ad nauseam ab aliis factum est. Præter Martialia & hic cõueniunt omnia absorbentia, vt sunt Corallia, Ebor. oculi ☋, terra sigillat. omnes pulueres testacei, Chelæ, ouorum testæ, succin. flau. &c. à quibus succi acetosi imbibuntur, aut figuntur, id est à motu & orgasmo prohibentur. Inter Chymica laudantur Antimonium Diaphoret. Bezoart. min. & ego amo puluerem ex oc. cancr. è viuis cerul. cum bezo. min. Ad contemperandum hoc syluestre & scorbuticũ acidum salia quæcunque volatilia, viperarum, C.C. fulig. cochleariæ, beccabung. sanguinis humani, lumbr. terr. &c. commendo. Conferunt & salia concentrantia per elixiuationem parata, omne enim acidum potenter domant, eodem modo quo salis manipulus cereuisiæ ebullienti iniectus deturbat fœces, liquoremque claresacit. Formulas in tyronum gratiam nonnullas addamus. Primò in forma puluris.

℞. *Aloes Myrrh. à* ʒ ß
Croci,
Antimon. diaphoret. à ʒ j.
sem. cochlear.
nasturt. ana ʒ j. ß
M. f. puluis, de quo æger capiat. II. *aut* III. *cuspides cultri bis in die.*

Vel ℞. *Pulu. stomach. Q.* ʒ ß
Ebor. siue Aq. ʒ i. ß
fœcul. aronis.
mag. cochleariæ ana ℈ ij. *M.*
Dosi, ʒ j. *ad* ʒ ß.

Vel in delicatulis in forma rotularum:

℞. *Spec. Diarrhor. abb.*
Pulu. cachet. Q. à ʒ j.
Antimon. Diaph. ℈ j.
Ebor. f. Aq. ʒ ß
in aq. antiscorbut. dißol. f. l. a. rotulæ. VI.
pro Dosi.

Vel in forma Electuarij.

℞. *Conseru. Cochlear.*
nasturt. aq.
rosar. rec. à ʒ ij.
rad. acor. rubear. ʒ ß
Cort. aurant. cond. ʒ ij.
Croci Mart. aperitiu. ʒ ß
Ebor. fine Aq. ʒ j. ℔
Spir. Sal dulc. gt. XXV.

c.s.q. syr.scelotirbic. Foreſt. fl.à Electuarium inſtar nucis caſtaneæ pro doſi tempore vtroque.

Vel ℞. *Aq. antiſcorbut. vſitat.* ℔ j.
acidular. artificial. D. Kiperi vel à Caſtro, edulcoretur c. ſyr. tunicæ q. ſ.
Semper aliquot cochlearia ante cibum ſumantur.

Diaphoretica præ aliis proſunt; ſerum enim ita pellitur per Diaphoreſin.

℞. *Antimon. Diaphoret.* ℈ j.
ſal. ſumar. gr. x.
M. D.

Omnem ſcorbutum feliciter intra XII. dies, Diis fauentibus, tollam per Merc. dul. & reuerà dulcificatur ſingulari & peculiari motu ſublimatum, vt duntaxat ſudorem moueat, & nullam efficiat ſaliuationem, cuius ope omnes ſcorbutici humores intra prædictum tempus conſumuntur & educuntur, ſed durante hac cura nihil bibendum, niſi decoctum appropriatum, & ab acidis & carne ſuilla abſtinendum.

Vel in forma potiunculæ:

℞. *Aq. Antiſcorbut.* ℥ j. ß
Eſſent. ſumar. ʒ j.
ligno ℈ ij.
Syr. de ſumar. ℥ ß
M. D.

Vel ℞. *Eſſent. ſumar.* ʒ j.
Elenii ana ʒ j.
lignor. ℈ j.
M. pro vna vice.

Commendamus etiam hoc in affectu lacticinia, nempè lac aſininum, caprinum, maximè ſi capra alatur herbis antiſcorbuticis, vel vaccinum aquà toraxici, vel potiùs aquà vel ſucco trifolii fibrini dilutum. Poteſt & inſtillari ſpiritus cochleariæ, vel alius antiſcorbuticus, vel aquæ è lignis, vel limacum, vel lumbricorum quæ omnia miaſmatis ſcorbutici acrimoniam ex acido ſubnatam ſenſim eneruant. Succus quoque betulæ aquà trifolii fibrini dilutus per menſem ſingulis diebus. ℔ j. vſque ad ℔ ij. ſumendus, quo prefiſcini! magna in ſcorbuto præſtiti. Infuſio ſanguinis in deſperatis adhiberi poteſt, & infundi ſpiritus antiſcorbuticus cum lacte, vel ſero eiusdem, vel cum aq. trifol. aquat.

Pauca nunc de curatione Symptomatum addamus. In cephalgia ſcorbutica prodeſt ſequens:

℞. *Aq. betonic.*
Antiſcorbut. Dorne. ana ʒ ij.
Spir. ceraſor. nigr.
fl. Thil. ana ʒ j.
Antiſcorbut. ℈ iiij.
Syr. de betonic. vnc. j. ß *M.*
℞. *Spir. cephal.*
Tinct. ſuccin.
Spir. Antiſcorb.
Doſis gr. xx.

Externè conueniunt ſequentia:

℞. *Gumm. beder.*
Tacamahac.
elem. ana ʒ ij.
pulu. ſarſaparill. ʒ j ß
Succin. alb. ʒ ß
lign. rhod. ℈ j.
ol. roſ. & cer. q. ſ. f. Empl.

Vel: ℞ *Ol. papau. expr.*
mixtur. ſomnif. n. d. aua ʒ ij.
ol. Chamomil.
anetb. à g. vi. *M.*

In Diſpnæa ſeu difficili reſpiratione ſcorbutica.

℞. *Aq. Antiſcorbut. Dorne.*
flor. rapar. ana vnc. ij.
Eſſent. Enul. camp. ʒ ij.
ſpir. gumm. Ammoniac. ʒ ß
Syr. de rad. Enulæ. ℥ i. ß
M. II. & III. Cochlearia
Vel: ℞. *Fæcul. aronis* ʒ ii.
Magiſt. Cochlear. ʒ i.
Specier. diairеos ʒ ii. *M. f. puluis.*

Sumi poteſt quantum cuſpis cultri capere poteſt.

Ad putredinem gingiuarum ac flaccidi-tatem dentium & carnis abſumptionem adhibentur Medicamenta aſtringentia, quæ deſtruunt acidum & impediunt corroſionem.

℞. *Tinct. laccæ vnc. i. aq. ſtypt. Mart.* ʒ ß
M. D. ad dentes illinendos.

Alii vtuntur ſucco citri, alii vino rubro, vel geranium vel ſedum minus coq; in

vri-

vrina pueri, & adhibeatur.

℞. *Lapid. Medicamentos* ℥ j.
aq. fed. min.
trifol. fibrin.
cochlear. ana q. f.
coq. in colatur. infunde Galat. ℥ ij.
Aluminis vſti. ℥ j.
flor. aquileg. p. iij.
ſtent in digeſtione, poſtea filtrentur:
Vel: ℞. *Spir. cochlear.*
diaſcord. ana ℥ ß.
mell. roſat. ʒ j. *M.*
Vel infundantur herbæ antiſcorbuticę in aqua ferrariorum.
Vel ℞. *Aq. ſtypt.* ℥ j.
Aq. plantag.
trifol. fibr.
ſedi min.
cochlear.
Syr. fl. aquileg. ℥ vj.
Spir. aluminis q. ſ. M.

Tartarus quoque vitriolatus ad dentes, & gingiuas optimum, & probatiſſimum eſt remedium.

In dolore crurum præ aliis ſequens conducit.

℞. *Spir. Topic.*
arthritic.
cochlear. ana ℥ i.
M, D.

Vel ſequens Cataplaſma.

℞. *Tinct. ſarſaparill.* ℔ ii.
Guaiac. ℔ i. *M.*
cum linteis applicanda.
℞. *Flor. naſturt. aq.*
Chamomill.
ſambuc. ana m. i.
baccar. iuniper.
Summit. pini ana m. i. ß.
Coq. in ſ. q. lactis ad patrilaginem.

Conuenit, & pediluuium Mynſichti.

In attrociſſimis ventris doloribus clyſteres in lacte cocto præ aliis æſtimo.

℞. *Spec. decoct. carminat.*
Flor. melilot.
chamomill. Rom.
abſynth. ana m. i.
rad. Enul. camp. ℥ ii.
croc. lauri ℥ i.
Coq. in ſ. q. lactis, colat. ℔ i.
adde El. lenitiu.
de bacc. lauri ℥ v.
vitell. ou. no. j. M. f. Clyſter.

Singulariter etiam prodeſt Eſſentia Abſynth. cort. aurant. Enul. ſi cereuiſiæ inſtillentur, item Spir. ſal. * ei ſuper cort. aurant. cohobat.

Vel ℞. *Aq. aurant.*
carminat. & antiſcorbut.
Dornc. ana ʒ ii.
Spir. carminat. Syln. ℥ i.
Syr. ſcelotyrb. vnc. i. *M.*

In tenſionibus hypochondriorum ſequens laudatur.

℞. *Ol. lumbric. terr.*
cappar.
Cochlear. per infuſ. ana ℥ ß.
M.

In doloribus arthriticis conducet Eſſentia pini, & lumbricor. terr. ana ℥ ß. M. D. item decoctum. Inter externa hoc in caſu commendo

Spiritum lumbricor. terr. formic. cochlear. topic. noſt. ana ℥ iii. M.

Lumbricorum ſpiritus, & internè optimo c. ſucceſſu exhibere ſoleo. In palpitatione cordis prodeſt ſequens

℞. *Tinct. Antiſcorbut. c. ſpir. cord. ceru. parat.*
corallior. ana ℥ ß. *M.*
℞. *Aq. cordial. Sax.*
Antiſcorbut. Dorneretl. a. ℥ ii.
Syr. flor. tunic. vnc. i.
Oſt. de cord. ceru. ℈ j.
Conſ. Alkerm. ℥ ij. *M.*
℞. *Ol. deſt. citri* ℈ j.
Carbuncul. gr. iiij.
Vngu. roſ. f. balſam.

Vel cordi, & pulſibus applicetur ſequens, vel ſimile.

℞. *Aq. carbunc.*
meliſſ. c. vin. a. vnc. i. ß.
Spir. cort. citri,
cochlear. a. ʒ ß. *M. D.*

In hydrope ſcorbutica nihil excellentius quàm eſſent. trifol. fibrin. cum eſſent. eſulæ maritata ad xxx. & plures guttas aliquoties exhibita.

Si

Si vomitus vrgeat conuenit lac, alijs verò in affectibus ventriculi nocet. Prosunt & præcipitantia momento theriacę cœlest. vel alius opiati maritata. In alui fluxu conuenit Esentia absynthii, spiritus mastich. etiam pro re nata opiati mixta. In sputatione nimia conducunt etiam opiata, vt & esentia lignorum ad xxx. guttas assumenda.

Si febris insistat, tunc antifebrilibus admiscerì debent antiscorbutica. Et hìc maximè vrget phlogosis faciei aliarum partium, & erysipelas vocari potest, potest que facili marte degenerare in vlcus. Cautè igitur mercandum est, & prosunt expellentia cum scorbuticis coniuncta, Ex. gr.

℞. *Esent. vel rob. sambuç.*
fumar. ana ʒ iij.
Spir. Antiscorb. ʒ j. ß.
M. D. ad gutt. xl. l. *in*
℞. *Aq. flor. samb.*
Trifol. aq. ana ʒ ij.
antihect. Poter.
Ebor. sine igne parat. ana ʒ j.
sacch. q. s. M. D.

Huius mixturæ II. vel III. cochlearia sæpiùs sumantur. Externè hoc in casu conuenit puluis Erysipelatod.

Ad maculas scorbuticas pediluuium conducet, sequenti modo factum.

℞. *Herb. absynth.*
roris mar.
sabin.
nasturt. ana m. j.
nitri ʒ ß.
Coq. in s. q. aq. comm. c.

Ad fœtorem oris omnia in casum adhibentur, si non adsint interna. Vlcera scorbutica in tibiis vt plurimum hærentia nulla admittunt vnguenta, & pinguia, quia poros obstruunt, & inde salia corrosiua, & acida impediuntur, quo minus eliminari possint; inspergatur potiùs sequens puluis:

℞. *Sacchar. Saturni.*
Croci Mart.
Myrrh.
Mercur. dulc. ana ʒ j.
M. f. puluis.

Internè verò prosunt Tinctura Corallio-rum, antiscorbut. essent. fumar. lignor. &c.

In tuberculis.

℞. *Flor. Chamomill. sambuc. ana m.* ij.
rad. sympbyt. ʒ iij.
bryon. ʒ j. ß.
Medulli pan. alb. m. j.
coq. in s. q. lact. adde succi inspissati beccabung.
Vel Empl. Diaphoret. Mipis.

Contra atrophiam scorbuticam fortissimè militat caprillum, inprimis si vt iam diximus, capra herbis antiscorbuticis alatur, aut si spiritus aliquis aduersus eundem affectum lacti instilletur. Apozemata ex taraxico, endiuia, cichorio, oxalide, beccabung. & id genus alia spirituſque cochleariæ nobilitata sunt. Aquæ limac. compositio, temperatiores, looch. san. &c. Plurimum & hìc conducunt per plures dies in aqua limacum Magist. exhibiti, quia acorem absumunt, iuscula quoque instaurantia ex cochlearum, limacum, cancrorum carnibus in aqua hordeata, donec ferè liquescant in gelatinam decoctis, per setaceum transmissis, cumque amygdalis dulc. pin. sem. in frig. maior. & saccharo albo cantho, vel perlato conditis confecta, & aquis temperatioribus parùm diluta, hęc suo tempore adhibita, sensim deuicto hoste reficiunt simul, & impinguant. Ex Mineralib. hìc in vsum trahi possunt tamquam vniuersalia, Merc. dulc. notter, Tinct. antimon. Chalyb. Corall. perlar. &c. Supersunt & alia adhuc Hydræ huius capita affinia, quæ tamen suo loco videri possunt, de iis enim repetendis silere constitui, ne aut Lectori fastidio sit molesta prolixitas, aut ipsius ingenio videar diffidere, si de tam perspicuis rebus diutiùs differatur.

CAPVT XIII.

DE AFFECTIBVS RENVM, & VESICÆ.

§. 1. NVnc & ordine progrediemur ad *Affectus renum, & vesicæ internos*, quorum primarij, & sæpius occurrentes sunt, *Calculus* tum *renum* tum *vesicæ*, *inflammatio*, *& vlcus renum*

rium, & *vesicæ*, *mictus cruentus*, *diabetes Dysuria*, & *Ischuria*, seu *suppressio vrinæ* & *stranguria*, quorum affectuum *causas signa*, tum diagnostica, tum prognostica, adiectâ cuiuscumque affectus therapeiâ, ordine pertractabimus.

DEFINITIO.

Calculus seu *Nephritis* nihil aliud est, quàm solutio cõtinui ab exasperatione renum ab inhærente materia scabra, & aspera, sabulo nimirum, vel calculo, & inde facta dolorosâ crispatione fibrillarum renum, & vreterum, vel prout sæpe fieri solet lymphâ acriore neruosas partes vellicante, oborta.

Affectus hic sæpiùs colicam mentitur, differt tamen in eo, quòd *nephritis* in vno loco immobilis persistat, in vera *colica* etiam vrina est ab initio turbida, in nephritide verò clara, tenuis & velut percolata progressù temporis turbidum sedimentum quoddam exhibet, demumque arenulæ, & lapilli vnà exeunt. In *Nephritide* aliquando sanguis in vrinâ simul prodit, quando à calculo acutæ scabritici vulnerans attritio fit, nonnunquam quoque stupor cruris pediſque eiusdem lateris, in quo materia nephritica latitat, sequitur sic & quoque inflammatio & vlcus renum & vesicę oboriri potest, quod in colica non obseruatur, secundum enim magis, & minus hi affectus differunt.

Ischuria, & *dysuria*, quæ gradibus duntaxat differunt, sunt vrinæ excretio, vel suppressa, vel imminuta, quia latex serosus deficit, vel fermentum renum corruptum est, vel oritur hic affectus sæpissimè à spasmo renum, & vreterum viæ quoque obstruuntur, vel à calculo, vel à sanguine grumoso, vel humore viscido, &c.

Stranguria verò est continuum meiendi desiderium maximo cum dolore, & ardore, vel à prædictis causis, vt plurimum verò ab acido vitioso productum.

Diabetes, vel *Hydrops ad matulam* potest describi, quod sit frequens, & copiosa mictio cum totius corporis consumptione à sale sanguinem in serum prȩcipitante, exorta. Incontinentia vrinæ, exoritur sæpissimè à sero nimis acri, & salso fibrillas vesicæ stimulante, & ad excretionem solicitante.

DIFFERENTIA.

Quemadmodum vermes omnibus ferè in locis nostri corporis generantur, ita quoque calculi siue lapides, tophitartareæ, nempè particulæ in omnibus locis nasci consueuerunt, frequentissimè verò in renum, & vesicæ cauitatibus, qui maximè magnitudine, asperitate, formâ, colore, & numeto differunt, interdum enim gignuntur parui, subinde maiores. Refertur & hic morbus ad classem morborum hæreditariorum, vti omnes morbi tartarei.

PARS AFFECTA.

§. 2. His omnibus affectibus subiecta sunt vrinæ organa, *Renes* nempè, & *Vesicæ* cum intermediis, & vtrisque communibus *vteribus*, & aliquando *vretbra*, imò ipsæ neruosæ, & membraneæ partes has, vel illas ambientes, & cingentes. Ab harum enim partium sensibilium continui solutione oriuntur illi dolores atrocissimi nephritici dicti, ab horum ductuum vrinalium obstructione, & spasmodica constrictione, ceu dictum, oriuntur Ischuria, Dysuria &c.

DIAGNOSIS.

§. 3. *Calculum* in renibus genitum indicant dolor fixus, & stabilis circa lumborum regionem, vrina cruenta, tenuis, aquosa & pauca circa initium, & paroxysmi nephritici emissa, sic & lapillorum exiguorum, & arenularum frequens deiectio, dolor acutus, secundum vreterum ductus, magnum sępè concurrit cibi fastidium, cum nausea, & vomitu, quandoque pituitæ, & bilis flauæ, cruris nonnunquam adest stupor, cum calculus in vrinarios illabitur meatus, vel cum sedem mutat intra renem, vt sc. membranam eorum cuspide, vel latere quodam, pungat, tum dolor maximè intenditur, cum motibus spasmodicis; æger etiam tum crebriùs spinam inflectit. Sæpè quoque ita vrget lapis exitum sibi parando, vti infixi pali aut aculei sensum exhibeat; quamdiu autem cal-

cu-

culus quieſcit, potiùs dolor grauans quàm punctorius ſentitur, qui magna ex parte ſtabilis & fixus eſt, excremẽta alui in pluribus detinentur, inde dolor in renibus augetur, eò quod tum etiam fæcibus, vel flatibus comprimantur renes. Dolores quoque ex decubitu in partem aduerſam, & ex ſumpto alimento augmentum capiunt hinc ſi ægri cibo vacui ſunt, paroxyſmi minuũtur. Vrina, tempore exacerbationis & acceſſionis, tenuis & pauca eſt, ſæpè quoque redditur ſabuloſa materia, potiſſimum tamen poſt equitationem & laborẽ, & dum calculus è renibus transfertur. Tãdem ſi lapis vrinarios obſtruat meatus, mirum dictu! quantũ angãtur, ægri, remanẽte autem in rene calculo, aut ſi ex meatu vrinario in veſicam protrudatur, craſſa magnaque copia perfluit vrina, cum quà interdum arenulæ inæquales, corticeq; quaſi obducti calculi educuntur. Excretio illa contingit aliquando, cum maximo ardore & ſtranguria, interdum & ſine iis vrina excernitur ſubrubra, quę ſępè turbida manet, ſedimentum eſt nonnullis iam arenoſum, In aliis verò viſcoſum. Viſciditas enim arenularum exiſtit materia prima; quod viſcidum excernitur per plures menſes abſque aliquo vitæ incommodo, non mirum eſt, cum etiam calculos mediocriter magnos in renum ſubſtantia carnosà infixos frequenter inuenimus abſque vlla defuncti, cum viueret, moleſtia, aliàs magna ſymptomatum farrago calculum comitatur vix vllo calculo adnumeranda.

Cum in *veſica* hæreat *calculus*, dolor magis circa pubis regionem, & ſimul pruritus in canali virgæ percipitur. Commune vtrique *calculo* eſt, *vrinæ ſuppreſſio*, quam æger ſæpè profũdere parturientium modo laborat, dolor punctorius intolerabilis concurrit, æger ſæpiùs ſentit lapidem labi ab vno latere veſicæ in aliud, quando ſc. non pituitæ tanquam proprio impactus eſt domicilio. Vrina apparet ſæpiùs inſtar lactis albida & turbida. In veſica ergo ſeu maiorem ſeu minorem eſſe lapidem probabiliter denotant, primò dolor grauitatiuus quandoque & vrenes, rodensque, circa, ceu diximus, pubem, qui dolor ad pleraque corporis exercitia maiora ingraueſcit, inter meiendum pẽnis erigitur rigetque, & dolet, potiſſimum ante mictionem circa glandem, dum autem ad mingendum coguntur ægri, etiam ſimul irritantur ad deponendam aluum. Cum vrina excernitur iſte mucus albus glutinoſus, qui à pure diſcernitur in eo quòd inodorus ſit, ab affrictu particularum angularum etiam vrina ſæpè ſanguinolenta eſt, ſed abſque fœtore, ſubſequente non ratò inflammatione, & vlcere veſicæ, qui calculus veſicæ etiam Lithotomis exploratur cum cathetere immiſſo, & per totam veſicam circumacto, vel digitis in anum immiſſis, vel verſus veſicam directis, atque hæc duo vltima ſępè principalia ſunt ſigna *calculum veſicæ*, quum iis abſentibus, reliqua hactenus allata omnia, vel abeſſe poſſunt, vel adeſſe ſine calculo, vt me alioſque multiplex docuit experientia, atque hæc ſequentia vel in *renum*, vel in *veſicæ calculo* ſigna maxime confirmata ſunt, ſi nempè ægrotantium parentes calculo laborauerint, quia hic morbus, ceu diximus, eſt hæreditarius, vel ſi morbus longior, vel error in diæta præcipuus præceſſit, vnde calculus generari poteſt, vel ſi ſæpè, ſiue arenulę ſiue calculi excreti fuerint antea, cum ijsdem, vel ſimilibus prægreſſis ſymptomatibus, & dein ex iuuantibus ſignum deſumi poteſt, ſi ſc. lythõtriptica medicamẽta proſint, veſicalis calculus ob longiorẽ in veſica moram durior exiſtit, quàm renum calculus qui magis friabilis eſt, & rubicundior.

Inflammatio verò *renum*, & *veſicæ* variis dignoſcitur ſignis, nam renibus inflammatis dolor in lumbis percipitur mox grauatiuus, mox verò vrẽs, mox denique tenſiuus, & pulſatorius, ipſamque comitatur febris continua, cephalea, ſitis inexplebilis, inquietudines; vrina pauca cum dolore, & ardore excernitur, difficilis eſt decubitus, aut in dorſum, aut in latus affectum, neque vel de latere in latus conuertere, aut abſq; magno dolore ſe vix erigere poteſt æger, ſtupor coniũgitur

in

in crure eiusdem lateris, & si inflammatio sit à calculo vel ab arena copiosa ibidem congesta, tunc superuenire solet nausea seu vomitus. In *inflammatione* verò *vesicæ* similis dolor supra pubem percipitur, præsente febre, eiusque symptomatibus iam recensitis. Vrina est flammea, pauca & cum dolore atque ardore emittitur, aluus adstricta est, superuenit illi quoque sæpè tenesmus, & rubor in partibus vicinis cernitur, scroto scil. pærinæo & pube. Sed in vno sunt plura quàm alio symptomata.

Mictus cruenti signa facilia cognitu sũt, & oculis innotescũt, à quibus autem causis fuerit inductus *mictus cruentus*, id partim ex antecedentibus, partim verò simul ex Excretis aut concomitantibus symptomatibus, partim denique ex iuuantibus & nocentibus prudenter & sedulò hariolandum est.

Signa *vlceris renum* & *vesicæ* cognoscuntur, quando causæ præcesserunt, quæ aut inflammationem excitare potuerunt, aut renes, vel vesicam corrodere, aut signa manifesta adsunt *calculi* seu *nephritidis*. Dignoscitur autem ab excreto pure albicante crasso glutinoso; & graueolente, nonnunquam etiam cruento, sed maximę difficultatis est in eo, vnde nempè pus illud proueniat? an a renibus an verò à vesica an aliunde profluat? Siquidem in abscessibus internis in Empyemate similibusque aliis affectibus sępè etiam pus cum vrina eiicitur, sed si benè attendas, id facilè diuinare poteris ex situ & loco doloris aut præcedentis aut concomitantis, si enim à renibus defluxerit, lumborum percipitur dolor, si verò à vesica originem habeat, tunc circa pubem, aut hypogastrium dolorem sentiet æger, deinde etiam ex quantitate puris coniicies, quod sc. vbi à renibus prouenit, longè maiori quantitate excernitur, quàm vbi aliunde venit, item ex qualitatibus, puris colore, nempe albidiore, fœtore magis grato verò quàm si à vesica profluxerit, consistentia leuiore & æquabiliore, at minus glutinoso & viscido, quam vbi ex vesica emanauerit. Tandem & id desumere poteris, ex coniuncta *Dysuria*, vt *Stranguria*, nam in vlcere vesicæ hæc ferè perpetua sunt, & ab eo inseparabilia; in vlcere verò renum hæc sæpiùs absunt aut saltem mitiora sunt; sic & à iuuantibus aut lædentibus affectam partem scrutari potes.

Ischuriæ & Dysuriæ diagnosis ex se manifesta est, sed hic tantum eò incumbendum, vt innotescat medico, an proueniat malum vel à renibus, vel vreteribus, vel vrethra, an verò quod vrina excerni nequeat ad vesicam delapsa? Id cognoueris ex vesicæ distentione, nam si vitium in renibus, vel si culpa secretionis, vrina non excernitur, vesica planè non tumebit, & si quid in vesicam fuerit delatum, facilè excerni potest, immisso sc. in vesicam catethere, ex sola cera facto, si verò alia quædam excretionis suppressæ causa sit & vesica tumebit, valdè & tumor sensim ac sensim augebitur, conatusque aderit continuus ad meiendum, ægerque sentiet hanc suppressionem sibi oriri, quod excernere vrinam haud possit.

Stranguria verò ex diminuta dolorosa & cum ardore plerumque facta excretione noscitur, redeunte perpetuo conatu ad vrinam excernendam, effluit enim vrina pauca cum ardore & dolore & nisu seu desiderio plus excernendi. Sed etiam hic plus difficultatis est in cognoscendis locis affectis, quæ tamen facilè inuenientur si quis ad causarum prægressionem, excretamque vrinam, sit attentus, cuius causa latet sæpè in vrethra.

Diabetes facilè ex relatione ægri coniicitur si scil. plus vrinæ eiicitur quam potulenti assumitur, & quidem ad longum tempus, inde ægri debilitantur, semper sunt siticulosi & toto in corpore sentiunt dolores vagos, cum spasmis & illorum vrina instar mellis dulcescit & albescit. Sic & *Vrinæ incontinentia*, ab ægroto solet referri, quia hoc ægris insciis & inuitis atq; dolosè fieri solet.

CAVSA.

§. 4. Itaque progredimur ad *Ætiologiam* horum affectuum, quam verò ad plu-

plurium & optimorum Authorum sententias examinabimus. Primà acie stant *Veteres Galenici*, qui *causam calculi* putant humorem crassum, lentum & pituitosum à colore in calculum exsiccatum, & ad lapideam vsque duritiem torrefactum, patili modo ac lateres in fornace in calculum excoqui solent, & calorem hunc ex iecinore & venis deducunt; alii *ipsorum*, nescio quam vim & proprietatem coagulatiuam in viscerum seu in ipsa renum substantia inexistentem & à natura seu forma earum dependentem accusant, quæ occasionem & locum commodum nactæ se ipsas in duritiem lapideam coagulant, ad quam etiam naturali inclinatione feruntur, inde *Fernelius*, *Renum arenosam*, calculosamque dicit *dispositionem*. In *inflammatione verò renum* & *vesicæ* accusãt vasorum vndecunque factam, vel læsionem, vel obstructionem, vel compressionem, vel *Anastomosin*, vel *Diæresin*, quia in ijs partibus est calor p. n. auctus & sanguine in iis stagnante, vel extrauasato & corrumpi incipiente ortus.

Post inflammationẽ prædictarum partium sæpiùs producitur *vlcus*, omne vlcus iuxta ipsos est soluta vnitas ab erosione facta, nam partes erodi posse, ab humore, vel sanguine acri eò delatis vt pituita salsà, &c. non dubitant.

Sic & ab arenulis & calculis, perpetuo attritu partes illas erodi & lacerari, & inde sæpè vlcus excitari nemo illorum inficias it. Ab ictu, quoque casu, compressione & diureticis validioribus, & acrioribus, vtpote Cantharidibus assumptis sæpissimè hoc generari malum multis comprobant experimentis & exemplis.

Sanguis plerumque à *renibus* spontè & repentè atque adeò inspectato excerni solet, vnde & *Hippoc. dicit* quicunque spontè & repentè sanguinem mingunt, iis à renibus venulà ruptà prouenire significatur, qui verò à vesica prodit, tardè & minore quantitate eiicitur. Causæ ergo proximæ sunt ad mentem *eorum* vasorum sanguiferorum in renibus aut vesicà, vel *anastomosis* aut *diæresis* sic facilè producitur hic affectus vel ab humorum acrimonia, vel à calculorum asperitate perpetuo affrictu vasa lacerantium.

Ischuria, vel *vrinæ suppressio*, duplex statuitur, *vna vera*, quæ est mingendi impotentia vesicà plenà existente; Altera *Notha*, cum vesica vrina vacua est, nec quicquam seri in eam descendit.

Mingendi illa impotentia vel fit propter nerui paralysin, vel obstructionem qui sentiendi vim ipsi largitur, aut spirituum auersionem, *& ἀταξία*, vnde fit, vt stimulum vrinæ vesica non sentiat, & ad expulsiones minimè insurgat, vt fieri solet in affectibus soporosis & phrenitide aliisque deliriis. Sic & intemperiem vesicæ frigidam vndecunque contractam, quatenus debilitat facultatem expultricem sensumque habeat, culpant Veteres.

Angustia quoque officii & ceruicis vesicæ vrinæ exclusionem præpediens, vel à tumore, vel à callo, vel lento crassoque humore, vel à lapide, vel grumo sanguinis iuxta ipsos affectum suum producere valet. *Notha* verò *Ischuria* propter renum & vreterum vitiũ dicitur, quando vrina, vel nulla, vel nimis pauca emittitur, dicunt enim renum vim attractricem abolitam esse, vel ab intemperie frigida, vel ab obstructione prædictarum partium. In *Notha* hac ischuria vesica inanis existit, & immisso cathetere nihil emanat.

Diabetis causam *Galenus* & plerique ipsius *discipuli* referunt in valdè calidam renum intemperiem, ob quam renes copiosius è venis serum trahunt, quod cùm renes ob debilitatem continere nequeant, statim ad vesicam ablegant. *Ætius* calori quoque renum addit affluxum humorum mordacium. Alii eorum culpant bilioſos & salsos humores, continuò Renes ad expellendum stimulante. *Aretæus* aliique à frigidà renum intemperie facultatẽ retentricem debilitante, causam deducunt. *Platerus* verò causam aliam venditat, seroſi nimirum humoris, vt causæ morbi cum sero subitam & profusam quasi euacuationem vt vniuersum ferè serum è corpore effluat, *Alij* causam *attra-*

Chio-

ctionem renum depravatam constituunt.

Incontinentia verò causam præcipuam esse in musculo sphinctere dicunt, cum vesica ipsa ptopriam retentricem seri non habeat, qui musculus resoluitur intemperie frigida, & humida, a frigore, vel balneo frigido, vel sessione super marmore contracta.

§. 5. Nunc sequuntur *Chimici Paracelsistæ* insipidam scholarum pituitam nauseantes, qui in calculo, pro materia peccante amplectuntur *mucilaginem tartaream* quæ ad talem coagulationem ob facultatem λιθοποιητικὴν propendet, & vergit, sicut enim in microcosmo ligna, coria, animalcula, &c. in nonnullos fontes, & fluuios iecta, lapidescunt, vrina etiam ad matulæ parietes in sabulum, & tartarumconcrescit; Sic etiam in microcosmo *sal* microcosmicum resolutum in sabulum, & lapidem, vicissim insitâ vi rursus coagulatur variasque iuxta ipsos calculorum formas producit, ita vt etiam non desit integri embryonis in vtero materno in lapidem conuersi exemplum. *Paracelsus* ergo ceu diximus, statuit materiam calculi Tartarum, tartaream nempe mucilaginem aluminosam, stypticam, lapillosam, quæ reperitur in omnibus, quæ terra naturæ gremium producit, in ingestis potulentis, cibis, &c. qui ex debilitate separationis membrorum in corpore remanet, & adhæresci, cumque Spiritibus salis interni vnitur, & coagulatur, sed vt breuis sim ex mente *Paracelsi* calculus generatur ex *tartaro cruoris & vrinæ, &c.*

Calculum vesicæ verò ex sale vrinæ per elementum ignis microcosmici generari ait, in vesica enim fortissima vis est & potentia congelandi, & durissima adamita vltra marmoream renum.

Hæc vis est salis vrinæ, ex qua vtique per totum corpus mucilago, vel bolus extraneus sumptus coagulationem accipit nec mirum, quia in vrinâ principium lis petræ, iuxta *Paracelsum*, latet; habet enim in se proportionatam naturam vitrioli, & salis plumosi. Calculos vesicæ diutiores, & angulosiores dicit, quò in ea salia potentia, & valdè acuta continentur.

Causam *contracturæ* ex calculo dicit esse ob lesionem spiritus vitę, & humorum per proprietatem rerum arenosarum & lapidearum, harum autem materia ex acore, & acrimonia creuit, & coagulata est instar aceti congelati, & vsti, subtilitatique tartari adeoque spiritu vitæ acrior. Quando igitur in venas, articulos, ossa, medullas, carnes propellitur, membra hæc mortua acetosa, & tartareà sua humiditate refrigerat, vias nutrimenti obstruit, id quod nutrire debet, inficit, & constrictione nimia membra ad motum inepta reddit.

Dysuriam, & *Stranguriam* ex tartaro stomachi acutissimo originem habere dicit, ideoque in stomacho curari debere. Inquit, & alibi, qui non possunt mingere, eorum vrina & sperma conuersa sunt in pus, & saniem, neque in pure neque in sanie est vis expulsiua.

Difficile mingentes *ardorem à sale*, & *sulphure* habent. Inuoluntariò ii mingunt, quorum lotium, & meatus virtusque expulsiua stupescunt à narcotico sc. sulphure.

Diabeticam passionem verò describit Paracelsus, quod sit *sal succum resolutum, & scissum, & angulosum per ingressum acuti salis, positum in medio centro huius membri principalis* hoc sal est iuxta *ipsum* chronicum, permanens, & fixum.

§. 6. *Helmontius Spagyrorum ille Dynasta* materiam calculosam *Duelech*, & ex meris volatile ortum dicit, siue ea consistit in tartarea fœculentia, & limositate quà postea *Duelech* coagulatur, siue in sabulo vel calculo actuali; qui Duelech in clara vrina inuisibilis est. Si ergò lotium cum suo salis spiritu habeat spiritum terrę volatilis, necessariò ex illis duobus generabitur Duelech, nisi per scoriam saturetur sal vrinæ atque eatenus à coagulando turbetur. In lotio inhabitare coagulatorem statuit Author.

Ad generationem verò Duelech ait, quod

quod non calor, non intemperies renum, non mucus sed semen putrescens corruptumque concurrat, atque hoc consistat in odore cuiusdam fermenti, ratione cuius vrina diutius elaborata, intra nos granulatur, per spiritum coagulatorem, qui terram volatilem & spiritum vini coagulat, dolorem verò in affectu contingere ait, ex furore Archèi commoti propter exosum hospitem, quin dein spasmum, suppressionem, *mictionem cruentam*, *ischuriam*, *dysuriam*, &c. fabricat. In vesica etiam iuxta Authorem nostrum sæpè aliquando latet quoddam peregrinum fermentum, vel intus genitum, vel aliundè transmissum, propter quod muccagines ex cruore generantur, vnde sæpè *Ischuria*, & *Dysuria* oriuntur. *Incontinentia* verò vrinæ fit, quando musculus vesicæ sensim paralysi resoluitur, sic & *Helmontius* fellis officium dicit esse acidum chyli in salsum commutare, vnde si tantillum relinquit quod non est mutatum, tùc id statim stranguriam excitare aptum natum est, vt solet facere nouellæ cereuisiæ potus, cui inhæret fermenti acor, ab acido enim, vel *fermenti acore*, vel eius defectum id deducit. *Stranguriam* siue *ardorem vrinæ*, qui senibus est familiaris, ab acore esse probat, si acor nempè in venas redundat, & latex restagnat, in qua natura libenter se extricare, & liberare vellet, sed propter acorem venis inimicum non potest. Fit & *Disuria* sæpissimè ad mentem *Ipsius* à calculo vel ab abscessu, vel vlcere vesicæ, &c.

Diabetes mutat aliquando cruorem in lotium lacteum, v. de diabetes, & dysuria fiunt, quæ sæpè à furore renum excitantur.

§. 7. *Willisius* vrinam à sanguine, & quidem per arterias emulgentes ad *renes & vreteres* deferri statuit, dicitque vrinam nihil aliud esse quam sanguinis partem aquosam, quæ tandem à particulis salinis, & sulphureis, & tincturam acquirit rubicundam seu flauam lixiuialem sc. Sic iuxta ipsum vrina est lympha quædam è sanguine in partes solidas, glandulas, & lymphæ ductus suffusa seu veluti exstillata quæ copiosè aggesta fluorem concipit, vnde & sanguine illibata traiicitur. Statuit etiam *Author noster*, serum percolatione intra renes à sanguine separari, & renes quasi fermento lixiuiali quodam pollere, aliquando etiam serum sanguini importunis adhærere eiusq; amplexibus se extricare non posse scribit, vt in febribus malè iudicatis, in Leucophlegmatia & Cacochymia quandoque etiam serum aliò diuerti putat, vti in catharris, defluxionibus arthriticis & scorbuticis, hydrope, &c. In *Diabete & sanguinis mictu cruento* è contra statuit serum à sanguinis consortio nimis citò aufugere antequam pensa obiuit, atque simul humorum vtiles portiones absorbere eosque secum abripere, qui fluxus præternaturales mox veniunt & etiam mox cessant. Quoties ergò vrinæ quantitas vel deficit, vel exsuperat in hisce casibus renes non semper, sed cerebrum & sanguinea massa sæpè in vitio sint si enim latex serosus in cruoris sinu nimis cito elabitur & ad renes immoderatè ablegatur, necessariò *Diabetes* oboritur. Huius ergò morbi causa consistit in sanguinis dissolutione & compage nimis laxà; vt è contra *vrinæ suppressio* in sanguinis concretione & compactione nimia laticem aquosum è sinu suo ægrè dimittente; *laxitatem* à sale acido fluorem passo procedere, ait saporem verò vrinæ mellitum deducit, quando salibus in sero combinatis particulæ quædam sulphureæ ex colliquatione solidarum partium delibatæ accrescunt.

Is existimat etiam *Nephritin* à simili seu prorsus eadem causà quàm pro arthritide assignauit, exoriri, nempe materiam salino fixam à sanguine in renibus cum humore acido per ductus nerueos illic subinde suffuso efferuescere & propterea dolores nephriticos crebrò inducere, dein ab vtraque materia post efferuescentiam coagulata, *Calculum* efformari ait.

§. 8. *Syluius*, vrinam rubicundam calculosam acrimoniæ & acido adscribit, & notauit vrinam sæpiùs limpidam excerni,

ni

in cuius fundo ne quidem post horam vnam vel plures illę subsident arenulę, verum aut eodem aut sequenti die plurimæ tum in fundo, tum in lateribus, tum in superficie, tum in medio nebulę concrescunt ac conspectui se præbent arenulę, vtplurimum flauescentes aut rubentes rariùs albicantes conspiciuntur. Sic & contingere posse arbitratur, in ipsis renibus & vesica vt arenulæ ibi genitæ sensim augeãtur, donec tandem in magnos etiam calculos excrescant, ni priùs eliminentur & exturbentur.

Concretionem verò horum lapidum non calori exsiccanti adscribit, sed potius calorem impedire putat, ne concrescant, probatque id per exemplum quod ex ipsa vrina excreta patet, in quà dum calet rarius vllę conspiciuntur arenulæ, vbi verò calorem amisit, mox concrescere incipiunt. A sale ergò pendere omnem talem concretionem haud dubitat, diuersum verò esse *Salis* genus pro adiunctæ materiæ diuersitate, scribit. Si verò in re obscurà coniecturare liceat, inquit, in quo scilic. hæc concrescendi, & calculos efficiendi vis consistat, suspicatur, quoniam omnes calculi in salis petræ aut nitri acido spiritu soluantur, à spiritu acido, qua tali non posse calculorum expectari coagulationem, verùm ab alio illi ex parte saltem contrario, existimat atque concludit, concrescere materiam torream, & salinam volatilem glutinosę iunctam humoris austeri ope in calculos: Infringi verò coagulantis austeri vim ab acido acri, quale in spiritu nitri reperitur nullus dubitat.

Causam *miclus Cruenti* esse putat quando vas aliquod sanguineum vel in renibus vel vreteribus, vel vesica, vel vrethia ruptum erosumque est. Sic & pus & sanies vtplurimum in renibus vesica ipsiusq; collo ac sphincțere aut vrethra ruptum, abscessum sequuntur.

Inuoluntarium vrinæ effluuium sæpius à sphincteris musculi orificio vesica circumpositi ipsumque constringentis Paralysi aut vulnere ortum habere inquit, vnde dein definit contrahi musculus ac vesicæ orificium claudi quo circa emanat sponte, propellitur que foras à contracta vesica vrina. Hoc etiam fieri asserit, vbi sensus omnes interni præcipuè turbantur labefactanturque adeò, vt ad vesicæ musculos & tunicam fibrosam nulli vel conturbati duntaxat ferantur spiritus animales, quocirca vel non retinetur vel nonnisi confusè atque inordinatè adeoque inuoluntariè tunc effluit vrina, fieri solet in Apoplexia, Epilepsia, Syncope, & Ebrietate. Ab extremè verò angustato vesicę orificio vel vrethræ obstructione canalisque eius compressione aut coalitu deducit Auctor *Ischuriam*, & obstructionem hanc fieri contendit sæpius à calculo ipsi impacto, rarò à concretà pituita vel sanguinis grumis vel carne ex vesicæ fundo per ipsam vrethram excręscente, ipsumque obstruente (cuius rei stupendum exemplum vidit Author ante plures annos Amstelodami in fęmina, ex hoc affectu propter sanguinis deperditionem coniunctam, tandem miserè defunctà,) subinde a succrescente in Vrethræ canali caruncula ipsum opplente suppressio vrinæ oritur. Vrethræ canalem vel vesicæ orificium comprimi posse ait, seu à tumore vicino duro, seu inflammatione seu scyrrho facilè etiam coalescere posse vult tam vesicæ orificium quam vrethram vbi vulnerata aut derasa fuerunt tum à calculis asperioribus, tum ab humoribus, acrioribus. *Vrinæ* etiam hanc *reiectionem* supprimi posse ait, quando nulla potest fieri vesicæ contractio, vel propter eius paralysin vel propter ipsius repletionem, distensionemq; ab vrina diutiùs retẽta, extremam, quæ non tantum ob ebrietatem aut morbum grauem delirantibus euenit, sed interdum etiam mente constantibus, aut præ pudore tamdiu lotium præposterè cohibentibus, donec ad eius expulsionem ampliùs contrahi nequeat vesica, nimium ab ipso distenta.

Dysuria, vbi conatu magno sed cum ardore ac dolore exprimitur vrina satis bonà copià, oritur ab orificio vesicæ vel meatu vrinario erosо vel vlcerato; erodi

verò vlcerarique solent istæ partes, tum ab humoribus acribus vrinæ iunctis & ipsas rodentibus, tum à cauculis asperis grandioribus ipsas in transitu difficili rodentibus, & vlceri sponte mox subsecuturo ansam præbentibus.

Stranguria iuxta ipsum exoritur ab irritatione perpetua ad vrinæ vix tantillum allabentis extorsionem ab interna vesicæ superficie abrasa vlcerataque facta, quam abrasionem & exulcerationem internam vesicæ superficiei adscribit humoribus acribus eo delatis, & à calculis asperioribus præsertim ibi hærentibus, atque ad corporis motum concitatum, agitationem & concussionem ipsam sensim sauciatibus. Per insolitas vias effluit vrina è vesica, quando ipsa vel disrupta, vel aliàs, vulnerata, vel vlcere perforata est. Disrumpitur facilè vesica ex casu in ventrem, quando vesica vrinà turget. Vlcera verò vesicæ vel succedunt præcedentibus vulneribus, vel ortum habent ab humorum acrimonia rodente calculoque conterente aut inflammatione aperta, quoties autem per vesicam penetrant vulnera vlceraue, toties in abdominis cauitatem confluit vrina.

Diabetis causam deducit à sale volatili eoque acri aut forinsecus assumpto, admissoue, aut quocunque demum modo in corpore nostro secreto, ac existente, & nocentibus probare satagit.

§. 9. *Cartesiani* in nephritide vel culpant sanguinis abundantiam, vel eius crassitiem inprimis humorum acrimoniam vel arenulas, vel calculos, vel vermes, vel renum inflammationem &c. vel diuersas salium particulas acutas angulosasque.

In *Ischuria* & *Dysuria*, vel latex serosus deducit, vel imminutum, vel fermentum renum corruptum est, vel ab vreterum spasmo deducunt, hoc in casu quoque à calculo sanguine grumoso, humore viscido, vel plethorà totius vias obstrui posse non dubitant.

Stranguriam ortam volunt à particulis salinis aculeatis vel in vrina, vel in sero præexistentibus; mictus verò cruenti causam vt & omnium aliorum sanguinis fluxum putant continui solutionem, à particulis acribus & acutis ortum. Diabetis verò causam à sale sanguinem in serum præcipitante deducunt.

§. 10. Nunc ad nostra accedamus castra, in *Nephritide* esse coagulans pariter ac tormentans acidum in renibus vt plurimum hospitans nulli dubitamus, cum si offenderit oleosam salsam, tartaream, fixam & fæculentam mucilaginem, vel chylum haud benè concoctum aut fermentatum, tunc calculos, vel arenulas producere aptum natum est, prout videre licet in ore vbi à saliua nostra subacida cibus masticatus dentibus affixus in tartarum concrescit, calculis renum haud absimilem. Calculus etiam in renibus concrescit appositione arenularum, arenulæ enim istę glutine quodam coniunguntur & spiritu acido coagulantur, paruo enim tempore sæpè concrescit calculus satis ingens, debet ergo aliquid esse quòd materiam viscosam, seu chylosam quam semper quasi a calculosis obseruaui excretam, coagulet & in lapideam conuertat duritiem, quæ vis lapidifica obseruatur ab *Helmontio* cum lacte à nutrice infanti communicata. In quam rem *Bartbol.* in *Acad. Hafnienſi* elegantem habet obseruationem, quod sc. filia emiserit eiulando materiam albam mucilaginosam, quæ statim ab aere externo in subfiauum & oblongum arguit calculum, accedente acido volatili spiritu vniuersali. Suspicamur etiam cum materia tartarea, vel illæ arenulæ paruulæ in pelui, vel substantia renum contineantur, renes contrahi spasmodicè; per hanc coarctationē etiam arenulas coniungi & in calculum maiorē cōcrescere. Videmus enim, si manibus contractamus arenulas aquà madefactas eas facili marte in vnam redigi massam.

In sanguine verò vel sero (in quo nuper per V.S. plures calculos emissos vidi:) sępiùs latet hospes ille tot homines emaciās & tormentans, vnde etiam Nephritis, Arthritis & scorbutus ob causam communē

sunt affectus inuicem consanguinei.

Lapides siue calculi renum in maximam concrescunt magnitudinem, ita vt *Dn. Israel Professor publicus Heidelbergensis* dum viueret, mihi monstrauit renem ex muliere exsectum plane lapideum. Salsas ergo has particulas in omnibus verò corporis locis nasci plurium Medicorum fide dignorum Obseruationes testantur, frequentissimè verò in renum & vesicæ cauitatibus insito suo fermento depraua to coagulatæ. Rarum est & penè fidem superat quod narratur de fœtu, quem integrum, & exactè formatum & 28. annis in vtero gestatum inque marmoream duritiem conuersum inuentum esse historia dicit, erat enim ex matrice vel vtero post matris obitum exemptus. Historia sic se habet: Mulier Senonensis nomine *Columba Chatry*, quæ *Ludouico Caritæ* homuncioni quadrato tamen & bene habito, ex vulgari plebe & sartori vestiario nupserat ab annis 48. fracta ætate hic occubuit 16. Mens. Maij annum ætatis agens 58. Hęc ante annos viginti octo tunc temporis, quæ nunquam anteà vterum gestarat, licet iam pridem nupsisset (nihil de sanitate prius admodum conquesta) certissima habuit inchoati infantis indicia, nam qui statis periodis erumpere solebant menses, illi statim substiterunt. Picà primis mensibus laborauit, tempestiuum Embryonis motum & frequentem persensit, tumore lumborum & abdominis paulatim subcrescente mammisque lacte turgentibus. Tandem autem decursu penè veræ gestationis curriculo labores puerperæ graues & alui tormina experiri incœpit, vrina ad aliquot dies suppressa (Medicis tunc varia & dubia de illa χυοφορία sentientibus) quæ postea currente alueo veluti & magna vi erupit, profuso illo ichore non tam ex vesicę meatu vt credibile est, scaturiente, quam ex mulieris loculi amnio tunicà diruptà, cũ vnà cũ istis seroſis excrementis (quos mulierculæ aquas vocãt) aliquot cochlearibus sanguinis trumbus emersit, vnde autẽ & mammæ concidere visæ sunt, motus infantis ignauus aut nullus, labores mulieris tolerabiliores. Quibus omnibus attonitæ fuerunt obstetrices, quæ antea certissimum expectarant puerperium, à ludibrio autem istius fœturæ totum triennium lectulo illa decubuit, ad extremam vitæ calcem de valetudine conquesta, de tumore, de duritie, de torminibus alui) quam obuiis quibusue, & Chirurgis, & Medicis tractandam exhibebat) de inutili, & graui illo pondere, quod pro vario gestantis motu, modò in hanc, modò in illam partem procumbebat, denique de languente, & deprauatà appetentià, quam subinde acetarijs, & absorbto omphacio sollicitabat, alioque perpetuò ἄσιτος. Illamque ferunt vicinæ inter suos sales sæpè dictitasse (vt erat ingenio lepido satis) se fœtum vtero gerere, qui tandem parenti foret exitio, & internecioni, quanquam cum serio loqueretur, malesicium acceptum potiùs accusaret. Postquam autem fato esset functa, eius Vir officiosus in vxoris cineres (quum tamdiu, & tantoperè excruciatam viderat) accersiuit vnum atque alterum ex Chirurgis in vetusto Gallorum Senonum opido valentes arte, & artis vsu, quibus (scilicet de tumore scyrroso tantum cogitarunt) dissecto mulieris abdomine, & reiecto infrà peritonæo; vterus sese offert aspectu quidem rugosus, & versicolor, vt crista illa pendula, quæ Gallis Indicis ex summo capite prolabitur, vel potiùs vt operimentum illud cutaneum quod illorum collum ambit tactu autem durus testaceus & crassus instar τῶν ὀστρακοδέρμων. Tum nouaculã in portentosã illam molam, & gypseam injiciunt, qua ad aciem cultelli renitente scalprum altiùs adigunt; Eorum autem alter inflicto casu in cranium vulnere, & in aliquot costas tandem humerum dextrum impetit, à quo erumpens ossis caput certissimam fecit fidem ossium illic latitantium ex quo scalpellum aliò transferunt, & magna vi sensim tamen & recta vterum secant, deductisque durissimis vulneris labris infantem in orbem implicitum, & ex transuerso in vterum positum introspiciunt in penitissimo sinu,

& altissimis latebris stabulantem in suâque veluti cystam quâ Allanthoidem tunicam fuisse putarunt, calosissimam, recõditum. Quo spectaculo inexpectato obstupefacti Medicos conuocant, quos in re inaudita consulant adhibeantque in testimonium, & iudicium rei huius quæ penè fidem omnem superet, interea multis ad nouum prodigium concurrẽtibus & opus Chirurgorum interturbantibus, venit ipsis in mentem, totam istam molam ex illo veluti antro & manibus & vnicis Chirurgicis, qua valerent, vi abstrahere, vt arborem ex suo caudice domumque comportare, vt priuatim, & apud se accuratiùs corpusculi anatomen sectarentur, & cum peritis de portento nouo, & inaudito consilia conferrent. In præcipiti autem, & violentâ illâ lanienâ non licuit festinantibus introspicere, quod substratum esset infantulo Chorion, quæ veteri acetabula, qualia vmbilici vasa, ipsis vt prius esset Allanthoidis cum vtero & cum fœtu nexus, cum vterus ipse præsertim ad coxam dextram, ad nates, & ad partem spinæ dorsi cum cute infantuli omninò coaluisset. Situs infantis erat penè sphæricum, facie ad thoracem affixâ sublatis ad nares genibus, vnde postea eæ patulæ retrusæ, & resimæ conspectæ sunt. Ossa capitis tenuia quidem sed firma, & instar cornu nidentia, cute capitis, multis in locis pilosa, caput in sinistrum brachium ita procumbebat, vt à protuberante humero auris, & os occipitis impellerentur, quod incauatum ea parte introcessisse conspicerentur. Cubitus ad summum humerum reflectebatur porrectâ sola manu, quę in pugnum adeo firmiter erat contracta, & summi digiti ita palmæ cohærebant, vt licet apparerent seriatim inter se distincti, re ipsa in vnum idêque verè lapideum corpus concreuissent, dextrum autem brachium ad vmbilicum manum extendebat, quæ ad carpum inaduertenter excisa fuit & in aluo matris relicta, femur, genu, tibia sinistra dextris incũbebant, quibus tamen ita erant implicitæ, vt talus sinister pedisq; planta in dextrum pediſque planta in dextrum pedem imꝰ plantarentur, quibus excauatum cederet, & pene indissolubili nexu colligerentur; Vtrumqne crus in ventrem, & pectus reflectebatur, certissimamque fœminei sexus notulam tegebat; Tibia vtraque ad nates intorquebatur, pedibus; & pedum digitis, ita inter se compactis, & lapidefactis, & vt facto ex oculis, & tactu iudicio, totum istud opus opificis alicuius esse dixisses, qui vel ex ebore, vel ex marmore maturæ ętatis Embrij absolutissimam Iconem expressisset, maximè cum in ea duritie corpusculi moles non concidisset imò cum cute nitidâ integram suam *& συμμετριαν*, & *πολυσαρκὴν* retinuisset. Partes autem internæ viscera nempe omnia cor, & cerebrum se habebant naturaliter, eo dempto, quod vltra modum induruerant (minus tamen quam externæ) ita vt hodie exertum istud corpusculum neq; putredinem minetur neq; teredinem. Hæc de matris, & fœtus administrata anatome dicta sunt. Iam de istius induratiuis causi naturalibus aliquid differendum instaret, sed cum hæc iam ab aliis Medicis factum est, ergò ad pensum nostrum nos conuertamus, & paucis nostrum depromamus opinionem. Ad calculi cuiusuis genesin, spiritum acido-volatilem requiri necesse est, inde huius monstri causam facili marte hariolari possumus, nam ceu diximus in sanguinea massa, & sero latitare sæpissimè spiritum acido-volatilem calculi nostri productorem qui facile ad vterum comite sanguine peruenire potest. Multi Neotericorum calculosæ concretionis causam spiritui lapidifico debere ortum statuerũt, in quo vero huius spiritus formalis consistat essentia, non addiderunt. Nos verò audacter statuimus, coagulationis causam esse spiritum acidum volatilem, cui perpetuo inest agendi, figurandi, & congelandi vis, huius enim celeritas, angustos citiùs percurrit ductus, atque ipsis interceptis firmiùs hæret, & duriùs efficit corpus, non secus, ac si in fodinis reperti lapides scissiles aeri expositi, & mollia ex abysso maris extracta corallia, quæ Græcis

vo-

vocantur λιθοκίρδεα, aeris acidovolatili indurescunt & lapidescunt, quia & iã absconditam habent in se suę duritiei energiam, imo insunde acido valatili spiritui animal quoddam vel insectum per tempus, petrefactum inuenies, in corpore humano simul tunc temporis Reges nostri luto inhęrent, quo se extricare nesciunt, vnde facile à spiritu acido volatili superantur. Certum mihi seruo spiritum acido volatilem, in quo quæcunque immissa intra breue temporis spatium lapidescunt, eiusmodi aquas fluuiatiles & fontanas etiam habemus, in quibus iniecta ligna lapidescunt, eorumq; cortices & plantas ipsorum. Sic in vicina propè oppiduli Veronæi mœnia in agro *Senonensi* est fons perennis scaturiginis, aspectu iucundissimus, lympha limpidissima colore quidem, & odore ἄποσμος sed sapore acido non ita commendabili, incolis tamen non ingrato erumpit autem iste fons ex altissimis subterraneis cuniculis labroque vel potius cratere excipitur ita affabrè in orbem circũducto, vt nescias illam ne περιφορίαν natura dederit, an verò ars Euclydis exquisitissimum circulum elaborauerit, sic autem ad labri margines exũdat aqua, vt statim & breuissimo aquæ ductu decurrat in rotam quæ molam frumẽtariam circumagit, indeq; cum glarea, quam currente alueo secum abradit, guttatim in substratum lutum & proximã vsneam decidit, quæ omnia sua peculiari vi ita subigit, fermentat & cogit, vt tandem in lapides induret, leues quidem illos & foraminulentos, quorũq; vnam aliquando partem videas iam petrefactam, alteram verò adhuc agnoscas musco herbaceo virentem & cœnosam, quæ tandem lapidescere incipiat. Coguntur verò illi lapides tanto aggere, vt nisi ex interuallis molitor eos ferreo malleolo conterat & subtrahat, impedimento fuit ipsi molendinę, quo minus liberè circumuoluatur, vt testatur fide dignus Vir D. *Fon. Albosius Hædus* & apud Senones suo *tempore Medicus celeberrimus*, sed è diuerticulo in viam. Porrò concretorum in humano corpore durissimi calculi expiscemur causas. Spiritus ergo est acidouolatilis siue per aerem volitet, siue terræ visceribus in macrocosmo includatur, qui indurat, non quies quæ est induratorum socia vel sequitur, quicquid etiam est lapidificum, non per frigoris quietem, sed per caloris actiuitatem indurare cum *Cl. Ihen. Rhyne* statuerem, motui id omne concedens, nec excludo Gasteronacis socordiam, & ignauiam in luto hærentis. Acidum volatile in armoniaco sale congelationis expeditius causa dici potest, ex quo partim spiritus supradictus petrificans paratur, huius enim spiritus calculosæ concretionis efficiens erit, si nempè cum oleo coniungatur, nam hoc aquæ dissolutionem repudiat non enim glacie firmantur quod materia ignea earum poros tanto torrente non perfluat, sed quod ambientium spiritus fluida faciant obrigescere, sic in microc. membranæ vertuntur in cartilagines, hę in ossa, non ex quietis glutine, sed à succo spirituoso, per cauitates ossium directo seu ab vniuersali spiritu indurante, orto. Hunc acidũ volatilemq; spiritum in homine non tantum ex acidulo pancreatis succo prout *Sylvius* voluit, sed & ex tota massa sanguinea, & serosa produci posse nobis persuademus. Materia ergo calculi, vel est lympha crassa, in qua hærent Reges, vel chylus malè fermentatus. Causa efficiens est spiritus acidus volatilis, qualis etiam in saliua repetitur, si inibi calculus procudatur, vel ex limpha deriuabitur ac circulationis lege cũ sanguine ad renes deferretur, vt illic secedat, dein in renibus arenas, in vesica ex iisdem calculum vnà fabricans, vel cum potulentis, & cibis per ductus lacteos ad renes deferuntur, vel vitiatum fermentum renum calculi coercebit semina. Ruffus calculus friabilior albicanti, quia magis indigestus est. Atque hæc est calculi genesis & analysis spirituosis inducta, ab hoc si acidulum & volatilem spiritum destillatione extrahas & iterum restanti materiæ reaffuderis pristinam refarciet duritiem, si Tachenio fides. Verum enim verò si primarius petrificationis Author statuatur acido volatilis spiritus, cur idem & indi-

catur destructor? Calculus enim simili indiget soluente, quoniam soluens cum soluente eiusdem esse debet naturę, exemplũ à gummi, resinosis, & similibus etiam ex minerali regno desumptis, vbi nulla contraria contrariis, sed similibus semper solubilia vidimus. Menstruum enim cum menstruato eiusdem esse debet indolis, si oleosorũ alcalinorũ facilè cum acido volatili concretionem percipere haud possis, perpende sucini & aliarũ resinosarũ qualitates, tibi dabit expedita analysis vbi spiritum, sal volatile & oleũ simul obtines. Nullum verò adęquatius habitaculum oleosis volatilibusq; designare posse existimo, folliculo felleo & renibus & vesicæ, in folliculo enim fellis continetur bilis, si ergo in hunc folliculum fellis dilutior irruat acido volatilis spiritus, inibi calculus producitur; si verò cum potulentis vel lymphà ad renes deferatur secretus vel ibi duntaxat secedat & particulis alcalisatis oleosis vel è bile vel e pinguiore renum (videmus enim homines, quibus renes præ aliis partibus sunt pinguedine obsessi ad calculum magis pronos) adductis occurrat, arenas & calculos efficit.

Oleum enim vel bilis oleosa suppeditat alcalinum volatile quod diuersis in locis acido volatili occurrit, cum eo combinatur & maritatur in perniciem humanæ sanitatis, atque hinc non in vno loco corpus humanum calculis infarcitur, sed nulla pars ab illis immunis est. Sic Princeps Nassou. M. H. defunctus in folliculo fellis plus quam xxx. calculos exhibuit, sic ex eodem folliculo *Henricus Florentius* Anno 1618. extraxit Lugduni. Batauorum 124. calculos quadratos eiusdem ferè magnitudinis, & crassitiei, cinerei coloris, sic super viro ex aluo prodibat lapis instar oui columbini ℥ ij. pendens, & lapidem Bezoar. exactè mentiens. Ex pulmonibus sæpissimè, calculos calci similes reiectos obseruaui. Sed non licet extra limites vagari, ergo ad calculum Renum, & vesicæ redeamus, & symptomatum rationem paucis addamus. Vomitus plerumque adest, qui oritur propter communionem neruorum ventriculi & renum sexti sc. paris, qui vomitus itaque nihil leuaminis afferre potest. Vomitus autem ille fit, quiacũ spiritus animales in ventriculũ maximà copia influant, ventriculus arctatur & pylorus, ita vt contenta non possint per inferiora eiici sed per superiora, os sc. eiiciantur, à dolore verò Nephritico quomodo febres oriantur apud plures satis obscurũ est, sed nostro iudicio illę oboriuntur cũ ob fibrillarũ neruearum spasmodicam cõtractionem spiritus animales inordinatè agantur, qui etiam in musculum cordis & arteriarum impetuosiùs influunt, & sanguinis perturbationẽ faciunt, inprimis vbi iam particulę sanguinis communicatæ heterogeneę incipiunt efferuescere, & sic pulsum frequentationem producunt, adde dolorem & inflammationem Renum à calculo plerumque excitatum. Stupor cruris affecti lateris adest, idque ob pressionem neruorum ad crus euntium.

Ischuria verò oritur ab obstructione meatus vrinarii, idque vel è calculo, vel materià quadam mucilaginosà & viscidà, vel ab acido austero, vel ab impetuoso influxu spirituum animalium in sphincterem spasmodicè afficientium, à quo dein comprimitur, & musculus cum fibris suis contrahitur, & sic vrinæ suppressio augeri debet. Ischuria produci quoque potest, quando vrina à sanguine non secernitur, aut si secernitur, saltem ad vesicam non defertur, vel propterea quod desint spiritus, qui in vesicam reliquosque musculos illi excretioni destinatos, influant, vel quia fibræ vesicæ aut recipere, aut transmittere spiritus non possint, propter aut deprauatam sui intemperiem, aut conformationem, aut solutam vnitatem, aut denique, quia neruuli ad vesicam aliasque partes tendentes, aut obstructione aliqua, aut compressione, aut soluta vnitate laborant. Tumor adest in hoc casu in hypogastrio à nimię vrinæ collectione, & dolor à nimià tensione fibrarum. Materię viscosę excretio probabile est calculi signũ, à quo sępe Ischuria oritur, nul-

lum

lum tamen certius signum calculi, quàm exploratio per catheterem. Aliquando etiam Ischuria oriri potest à ruptis vesicæ fibris, item ab obstructione vrethræ, vel vlcere ibidem existente.

Stranguria varias agnoscit causas tum internas tum externas jo. vrinæ acrimoniam, excoriatione, vel vesicæ, vel meatus vrinarij, vrethræ sc. tum à varijs alijs causis, tum præcipuè à semine acri & corrupto in gonorrhæa virulenta, nimiam quoque subitaneam partium refrigerationem à diuersa etiam cereuisia inprimis nouella in eadem mensa assumpta producitur hic affectus, sine dubio quatenus copiosum sal à sanguine, vel sero præcipitatur, & ad vias vrinarias secernitur, quare & vrinæ flammeæ & rubicundæ conspiciuntur.

Vrina in *stranguria* semper guttatim excernitur, quoniam ab acrimonia musculus *sphyncter* irritatur, quapropter maior copia spirituum animalium in illum influit, adeò vt illam ita distendat, vt via vrinæ præcludatur, & ab ista constrictione partes salinæ magis partibus imprimũtur, & dolorem augere debent. Alimenta quoque venena & medicamenta acria diuretica, inprimis cantharides, facilè hunc affectum producere valent, quandoque hic affectus varios animi affectus sequi solet, ab vlcere vesicæ, pure in renibus, à malè secto calculo &c. nonnunquam oritur, nec minus à dolore ita musculus sphincter intumescere potest, vt viam vrinæ præcludat. Dolor hic est circa perineum, quod indicat collum vesicæ dolere, aliàs est mitior, tamdiu quam diu vrina emittitur, aliquando tamen, iam euacuata vrina, dolor percipitur.

Inflammatio renum & vesicæ oritur vt plurimum vel à Plethora, vel acrimonia & tenuitate sanguinis, vel ab arenulis, calculis, vermibusque sua asperitate, & durities, vel osculis vasa aperientibus, & denique vasorum vndecunque facta, vel obstructione, vel compressione, vel anastomosi, vel diæresi.

Vlcus renum & vesicæ quid sint, ex communi vlceris natura facili marte innotescit; nam omne vlcus soluta quædam est vnitas ab erosione facta, huius verò hoc in affectu præcipuæ causæ sunt, vel præcedens quædam inflammatio, vel humor aliquis acris cum sanguine eo delatus, vt serum salsum, aut acidum, vel arenulæ, aut calculi perpetuo attritu partes illas erodentes & lacerantes, dispositio etiam pororum talis quæ non potest transmittere sal volatile, quod præsertim fit, si visciditas ei est coniuncta, quæ facit vt hæreat in parte aliqua, ibidem lancinationem & postmodum exulcerationem excitans. Sæpè tamen malum hoc producitur ab ictu, casu, percussione & diureticis acrioribus, à suppressione mensium, & hæmorrhoidum hunc affectum obseruaui, pus est albũ, quia materia acris fibras neruosas transuersas carnium præscindit, & incidit in minimas minutias, accedente etiam acido volatili, quo albet. Distinguitur exulceratio renũ ab exulceratione vesicæ, quia in hac dolor est in hypogastrio, in illa verò circa lumbos sentitur dolor. Vrina est furfuracea, quia ab acredine humorum abraditur aliquid membranosi.

Vrinæ ardor & acrimonia est vt plurimũ à sale acido & corrosiuo, quod continetur à pur. membranas eductus vrinarij vellicantibus atque rodentibus. Aluum euacuandi frequens desiderium & sine dubio ab acrimonia salium intestinum rectum quod collo vesicæ annectitur, vellicante, & sollicitante.

Causæ *mictus cruenti* non aliæ sunt quã alterius hæmorrhagiæ, causæ enim proximæ sunt vasorum sanguineorum in renibus & vesicæ, vel *Anastomosis*, vel *Diæresis*, rarissimè *Diapedesis*. Causæ antecedentes, vel sunt plethora, vel sanguinis motus concitatior, vel eius tenuitas & acrimonia, vel humorum aliorum extrauasatorum vndecunque orta acrimonia; vt plurimum, vel calculi, vel arenulæ, cuspidibus suis, vel perpetuo affrictu vasa sanguifera lacerantes, à pure alioque acido acri vasa hæc facilè aperiri queunt. Sic & spirituum naturalium nimium & impetuosũ

influxum in hasce partes euasationem sāguinis producere posse, nullus dubito.

Inter causas procatarcticas recensemus aeris acrimoniam & calorem nimis intensum inprimis septentrionalem, nocet & borealis; nouimus enim nonnullos homines huic aeri se committentes, statim in hunc incidisse morbum, vel aliam hæmorrhagiam.

Incontinentia vrinæ vel oritur ab relaxatione, vel à resolutione musculi neruorumque eò tendentium, vel obstructione, vel compressione, vel vulneribus, vel vlceribus, vel inflammatione, qui etiam producitur ab ἀταξίᾳ spirituum animalium.

Diabetes, quæ est ceu diximus celerrima & copiosissima potus assumpti & planè non mutati per vrinas emissio, concomitante siti intensa & totius corporis extenuatione, plures causas nostro iudicio agnoscit. Primaria verò, est peculiare acidum sanguinem præcipitans, sic auus coniugis nostræ *D. D. Isaacus Schombardus*, *Meditus apud Francofurtenses*, dum viueret, *celeberrimus*, ferè octogenarius, qui cum biberet quadras mensuræ vini pomacei, inde noctu subsequente tres mensuras vrinæ mingebat.

Sic in memet ipse experior, si vinum acidulum assumo, tunc & plus vrinæ reddo quàm aliàs.

Sic & Tubulos istos per omentum ex fundo stomachi prodeuntes nimis laxatos culpo, per hos etiam patentiores ductus sine morà pergit ad renes quid potulenti. Ad cor enim potus in Diabete non potest deferri quia impossibile est potum per cor ita statim transire, & cum sanguine ad renes deferri. Sic & renum pori ampliores eorumque fermentum nimis acidum, multum ad hunc affectum producendum conferre possunt. Crises morborum etiam possunt sæpiùs existere Authores huius rarissimi affectus. Inter causas externas potus ingurgitatus copiosus inprimis acidulus, alimenta & medicamenta valde diuretica, excretiones aliàs consuetæ suppressæ, animi affectus varij, &c. esse possunt.

§. 11. Experientia instructi ad Prognosin horum affectuum nos accingamus. Nephritis graue malum est, & si hæreditarium fuerit, incurabilis iudicatur, inprimis in senibus iuxta *Hippocr. aph. 6. s. 6.*

Hic affectus ratione symptomatum quæ infert, est aliorum peior, inprimis cum calculus & quidem asper in vretereres detruditur, quò enim calculus est maior, asperior & acutior, eò acerbiora infert tormenta. Calculus friabilior quoque tolerabilior est siliceo, ille enim conteri, hic verò nequaquam comminui potest.

Quod si doloris causa inflammatio ob accurrentes tum spiritus, tum sanguinem accedat, & hanc febris comitetur, atque ipsa renum substantia ab asperitate & cuspide calculi vulneretur, malum est, adeò vt non paucos è medio sustulerit, & si in paroxismo dolor hic nullis cedat remediis; Si externa frigeant, palleat facies sudorque erumpat frigidus, viribus languentibus, pulsu existente formicante, mors est in propinquo. Melius verò signum hoc esse hactenus obseruaui, si vrina ab initio mingatur tenuis & alba, postea verò crassa, & in fundo matulę arenosa seu sabulosa subsideant, significāt enim calculum solutum esse. Si calculus in vreteribus hæreat, tunc dolor est intensissimus, & vt plurimum hoc renū statu ęgroti moriuntur, vti in nonnullis sectionibus obseruare licuit. Pueri magis calculo vesicali, senes verò calculo renali corripiuntur *Test. Hippocr. aph. 26. s. 3*: Virum noui Castellanum, qui ob dolores atrocissimos nephriticos planè fatuus, insipidus imò & obliuiosus factus est, qui spiritus animales exinde cladem passi sunt. Aliam fœminam noui à nephriticis doloribus in Hecticam delatam. Si calculus magnus vesicæ sit adnatus, tunc vix remedium est, nisi à perito lithotomo secetur.

Pingues & obesi magis videntur calculo obnoxij esse, quàm alij, talia enim corpora non sunt sine terrestreitatibus, sed acido volatili abundant. Sic & ii, qui ob corporis molem sunt multum otiosi & sedentarii, facilè calculum sibi acquirere queunt.

queunt. Fœminæ rariùs infestantur calculo vesicæ quam viri, materiam enim peccantem minori cum molestia emittunt, propter viarum, per quas transire debent, amplitudinem, rectitudinem & breuitatem, beneficium ipsis etiam est menstruum tributum lunare.

Quoad *Prognosin Ischuriæ*, quæ si à secretione vrinæ læsa producitur, vel ab austero nimis pontico, vel ab affectu quodam vreterum grauiori inprimis magno calculo illos obstruente, vel à neruorum paralysi, vel ob compressionem sauciatæ spinæ, vel ob casum ictumque in os sacrum lumborumque regiones, vel à luxatione vertebrarum lumbarium, vel à grauiori musculi sphincteris affectu, plerumque insanabilis est, vel si senibus hoc malum contingat. Pessimum quoque est signum, si huic affectui superueniat vel tenesmus, vel è naribus emittatur odor fœtidus vrinosus. E contra facilior est curatu, quæ vel a causis externis sæpè dictis, vel à leuioribus vesicæ, sphincteris aliarumque partium affectibus producitur, &c.

Si *Stranguria* oritur à renibus purulentis malum est signum, & lethale iudicari potest; Si verò à potu nimiæ cereuisiæ nouellæ, nihil mali portendit, & haud difficulter curari potest Hipp. ait s. 7. aph. 48. vrinæ stillicidium & meiēdi difficultatem vini meraci potus & venæ sectio soluit. Incidendæ verò sunt interiores venæ. Si verò oriatur ab exulceratione vrethræ, iniectionibus facilè curari potest. Quæ verò ab acrimonia seri, vel sanguinis, difficilior est curatu.

Euentus huius morbi sæpè dubius est, semper tamen periculosus, nam accedentibus aliis grauioribus symptomatis, conuulsione puta & delirio & similibus, repente æger vitam cum morte commutat. Vbi verò in abscessum degenerat, lenta sequitur febris & vlcus insanabile, quod ægrum ad mortē vsq; comitatur. E contra bonum est, si hæmorrhoides hoc in casu sponte aperiantur, vel hæmorrhagia nariū vel in sexu sequiori menses superuenerint. Item si in morbi incremento in vrina appareat sedimentum albicans & glutinosum cum remissione reliquorum symptomatum.

Quod Prognosin vlcerum harum partium concernit, sequentia Senis nostri perpende. Si quis sanguinem & pus meiat, renum aut vesicæ exulcerationem significat: quibus cum vrina exiguæ carunculæ aut veluti pili vnà exeunt, his à renibus excernuntur. Quibus cum vrina crassa furfuracea, quædam simul minguntur, his vesica scabie laborat. Qui sponte sanguinem mingunt (meiunt) iis à renibus venulam rupta esse significatur. Quibus in vrina subsident fabulosa, iis vesica calculo laborat. Si quis sanguinem aut grumos meiat, aut vrinam guttatim emittat, & dolor ad imum ventrē ac inter femineum incidat, ea quæ circa vesicam sunt, laborant. Si quis sanguinem aut pus aut squammulas meiat, & grauis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur.

Item ad recti intestini & vteri inflammationem purulentosque renes succedit vrinæ stillicidium: Iecori verò inflammationem laboranti superuenit singultus.

Renum & vesicæ vitia in senibus difficulter curantur.

Quod ad huius morbi prognosin spectat. *Hippocr.* experientia sufficienti instructus ait, s. 7. aph. 39. Si quis sanguinem & grumos meiat, & stranguria laboret, dolore ab hypogastrium & pectinē & perinęum pertinente, ad vesicam loca laborant. Affectus hic difficilis omnino & periculosæ curationis est, tum quia eo diutiùs perseuerante, vt quamuis aliam hæmorrhagiam grauem, Hydrops Tabes & leucophlegmatia ordinariò consequantur, tum quod his non superuenientibus, ordinariò tamen vlcus in renibus aut vesica generatur. Malum hoc si non curatu impossibile saltem difficile est.

Quoad *Prognosin incontinentiæ vrinæ & Diabetis*, sunt illi affectus etiam difficiles curatu, si enim incontinentia inueterata est, & senili accidat ætati, aut oritur à grauiori paralysi, aut affectu alios gra-

graniores sequitur, tunc vix curationem suscipit. Quæ verò in pueris, vel adultioribus, vel à causâ oritur externâ, vel à somno profundiori, facili mutatione, vel diætæ, vel ætatis progressu tollitur. Sic iuxta *Hippocratem* mictus noctu plurimus paruam significat deiectionem.

Diabetes potiùs iuuenes comitatur quàm senes, senes tamen non ab ea immunes existunt, ceu superius exemplum allegauimus. Iuniores verò magis infestantur quia eorum partes sunt molliores, & pori magis dilatantur ad potulenta transmittenda. His morbus incipiens facilè sanatur, inueteratus autem, & in senibus rarò & difficulter, vnde meritò hìc nostrum facimus illud *Nasonis*: *Principiis obsta, serò medicina paratur, &c.* crasis enim sanguinis multum soluta vix restitui potest, transit interdum in hecticam, & sæpè in mortem, Confer. Obs. xxvi. ann. viii. *Ephem. German.* Subinde quoque mutata solummodo diætâ sponte cessare solet.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Præmissis *Prognosticis de curatione* agendum restat, & vt à *diætetica* incipiamus, eo adnitendum est, vt omnia naturæ conueniant. Primo ergo *Aer*, in calculo tum renum, & vesicæ aliisque renum affectibus, sit lucidus ac temperatus vitandus è contrà frigidus ac intensè calidus.

Cibi sint facilis digestionis. Conueniunt omnes carnes vitulinæ, agninæ, auicularum montanarum. Ex oleribus conueniunt radices petroselini, apii, nasturtium aquaticum, asparagus, sphinachia, lupulorum germina tempore veris propullulantia, ius cicerum rubrorum, laudatur item raphanus cum sale assumptus, &c. Cibi sint, & quantitate modici, lubricantes, boni succi, vt sunt perdices, oua sorbilia, & plura alia, vitentur è contra crassi, & viscosi, & vel vetustate vel sale indurati, inprimis verò subacidi, ex quorum numero sunt sequentes carnes, taurinæ, arietinæ, hircinæ, annosæ exsuccæ, & inprimis salsuginosæ, & muria aut aceto conditæ, & deinceps insolatæ, & fumo induratæ. Nocent & hic omnia lacticinia in lacte enim calculi principium iam *Hippocrates noster d. morb.* 3. *s.* 5. agnouit, hinc & pertinet ex lactis coagulo paratus caseus. Nocent ferè omnia legumina, inprimis in inflammationibus harum partium, & pisces, maximè verò illi, qui aceto aut muria immersi, & sale conspersi fuerint, hæc & alia reddunt sanguinem & serum mucilaginosa, & tartarea, accedente tunc acido volatili, calculus facilè generatur. Potus sit vinum tenue, album inprimis, vel Moselanum, vel Neccarinum, vel Hanouiense, Michelbaccense scilicet, vel Hirsteinense, non admodum vetus detur decoctum cicerum rubrorum, vel petroselini, asparagi cum passulis, sebestenum, vel paretur vinum cancrinum, quod excellens est. Nocet maximè cereuisiâ nouella, inprimis ex aqua multum calce repleta cocta, suas enim partes in Duelech genesi strenuè agit, melior paratur ex succo betulæ, quę benè defæcata, & lupulo optimè condita est. Exulent mustum nouiter è torculari expressum, vina Francica, Vngarica, Gallica, &c. quæ morbis omnibus tartareis, puta scorbuto, arthritidi, lithiasi prouocandis valdè opportuna sunt, hæc & in reliquis superiùs dictis renum, & vesicæ affectibus attendenda.

In mictu verò cruento, incontinentia vrinæ, & diabete sit magis adstringens diæta. Aer ergò eligatur siccus, & serenus. Alimenta sint incrassantia, & adstringentia, boni tamen succi, à potu verò quantum fieri potest abstineatur locoque potus concedatur vinum rubrum leniter adstringens & immittatur vino aliquid Martis adstringentis, & ex Celsi iudicio optimum remedium est tẽperantia, intemperantia etenim, & incontinentia non modò vitium istud exasperant, sed etiam cum prius non adesset, id introducunt. Nocet etiam omnis potus ingurgitatus, inprimis tãtillo spirituosior, & calidior, sæpe tamen subacidus. Itidem omnia alimẽta, & medicamẽta valde diuretica, nec minus ebrietas

an-

angue peius vitãda, vt & insomnia. Motus sit in renum affectibus inprimis in nephritide paulò liberior, ex motu enim spirituum animalium fit maior, & liberior influxus, ex omisso verò influxu spiritus languent, partes flaccescuntque, & sic sæpiùs eiusmodi affectus produci debent. Magnum etiam damnum renum, & vesicæ calculo obnoxiis redundat ex vita sedentaria, otio, vsuque exercitii omisso, vita enim otiosa spiritus animales, languere facit, tum necessariò plures cruditates, & terrestres fæces vnà cum acido generari debent.

In mictu verò cruento, & diabete aliisque vrinæ profluuiis quies imperetur, omnis enim motus nimius nocet. Quoad somnum nimius hic nocet quia spiritus crassiores reddit, & languidiores, vnde acidum in massa sanguinea augetur. Sic & nimiæ vigiliæ nocent; Medium ergo tenuere beati. Decubitus non sit super dorsum, ne substantia renum magis coarctetur. In cunctis hisce renum, & vesicæ affectibus excernenda eliminentur, & retinenda reseruentur, inprimis aluus sit laxa si talis naturà non sit arte procuranda. Sic etiam quibus consuetæ hæmorrhoides sunt suppressæ in illis iterum moueantur, idem faciendum in sexu muliebri, quando retenta sunt menstrua. Ordinarius, ac sufficiens eorum fluxus nostro iudicio est causa, vt mulieres præ viris minus calculo sint obnoxiæ, multæ quippe acido volatiles salinæ, terrestres ac tartareæ (vt pro libitu eas nominare velis) particulæ cum mensibus effluere solent. Animi pathemata quod concernit, omnia decenter sese habeant, quorum effectus in calculo videbis apud *Barthol. in Act. Medic. Observ.* 38. 1675. 76. 78. *editis.* Vbi quidam in mediis doloribus superueniens lætum nuncium cùm attulisset, è vestigio prodiit sponte calculus. Sic & in viduà quadam mœror & terror eundem affectum protulit. Nos tamen ex his passionibus malum auctum vidimus, consulerem ergo ne animus turbetur. Intemperatiorem veneris vsum maximè nocere hactenus obseruaui, eo forsannomine quòd Venus renum primigenium balsamum, seu fermentum depauperet non solùm, sed & spiritus animales ita absumit, vt temporis progressu in hecticam mutetur.

§. 13. Superest nunc Cura pharmaceutica, & quidem *Galenicorum*, qui humorem crassum ac pituitosum, in lapideam duritiem accedente calore torrefactum, incidendum, dein plane tollendum suadent: in quem finem primo clystere in paroxysmo, & extra eundem aluum subducunt. Clysteres ex variis emollientibus, & nephriticis parare solent iuxta sequentem formulam:

℞. *Rad. malu.*
liquirit: ana ℥ j.
herb. saxifrag.
mercurial.
heder. terr.
violar.
bismalu.
flor. chamom.
melilot. ana m. ß.
bac. iuniper. ℥ ij.
sem. lini ℥ ß.
fœnicul. ℥ ij.
Coq. in s. q. aq. comm. Colat. lb. 1.
adde
Cass. pro Clyster. ℥ j.
ol. lil. alb. ℥ vj.
scorpion. ℥ ß.
M. F. Clyster.

In paroxysmo varia commendant anodyna medicamenta, quæ intus & extra adhibenda volunt, vt sunt theriaca, Midritatium, requies Nicolai, Diacodium, &c. Imperant & balnea ex aqua dulci aliisque anodynis parata ad meatus quosuis, inprimis vreteres ampliores reddendos, propinant etiam ægris varia iuscula pinguia, aliaque oleosa, inprimis emulsiones. Postquam dolor remissior factus, humores enemate emolliti, meatusque ex parte reserati fuerint, tunc omnia illa medicamenta administrant, quæ lapides comminuere atque expellere possunt, inter quę præ cæteris commendant li-

Lithontriptica omnia, terebinthinam, item decocta rad. graminis, fœniculi, ligni guaiaci; cicerum, mandibula piſcium teſtas ouorum, ſanguinem hirci, puluerem leporis cum pelle in furno exſiccatum, fructus alkekengi, lapidem Iudaicum, baccas iuniperi, ſemina ſaxifragię, fœniculi, petroſelini, milii ſolis, & ſi ſimul adſit *Iſchuria*, ſeu *ſuppreſſio vrinæ*, tunc ad ſygringam confugiunt, & diureticum quoddam immittunt medicamen, præſertim oleum ſcorpionum, & ſi ſimul ardor magnus in regione renum moleſtus ſit, oleo violaceo, & roſato inungunt dorſum, quibus oleis pro re nata parum aceti addere ſolent. Carnes motacillæ, reguli, item cerebrum, & renes leporis, ſuis, &c. tanquam arcanum commendant nonnulli regulum concrematum in puluere exhibent, & tanquam arcanum hoc iactant remedium, ſed mihi nunquam (abſit dicto inuidia) ſatisfecit, poſthæc alui regionem mitioribus eluunt, vt ſunt Caſſia fiſt. extract. Diaprun. ſimpl. &c. extrinſecus conueniunt fomentationes, & ſeſſiones, inunctiones, cataplaſmata ex emollientibus, malua, althea, &c. parata. Sed quis quęſo omnia recenſebit ſine faſtidio lectoris.

In *Inflammatione renum, & veſicæ* eandem inſtituunt curam, ac in reliquis inflammationibus internis, ab initio enim Venæ ſect. celebrant, ſemel aut plures, prout neceſſitas exigere videtur, tum reuulſionis tum verò depletionis, & refrigerationis ergo, præmiſſo tamen ſemper enemate aut ſuppoſitorio; aut medicamento aluum leniente, & emolliente, dein humores craſſos poros partium obſtruentes diureticis frigidis rem peragunt, vt ſunt aq. fragorum, ſumar. plantag. acetoſæ, Syrup. limon. pap. Rhæad. præ aliis verò ſuadent emulſiones ex hordeo, ſem. 4. frigid. maior. & ſimil.

In *vlcere renum, & veſicæ* commendat varia vulneraria, vt ſunt decocta è ligno guaiaci, rad. conſol. maior. minor. ariſtoloch. rotund. herb. alchymill. pyrol. ſanicula, agrimonia, plantag. biſmalu. ex quibus omnibus pro re nata variæ concinnari poſſunt formulæ, vtpote;

℞. *Raſ. lig. guaiac.* ʒ viij
cortic. eiuſd. ʒ iij.
ebin.
ſarſaparill, ana ℥ ß.
paßul. Corinthiac. ʒ vj
flor. hyperic.
verbaſc. ana m. ß.
Coq. ex aq. fontan. pur.
Colat. ʒ xxx. *adde*
hydromell. ſimpl.
ſyr. de. ſymphit. ana ℥ ij.
Doſ. ℥ iij. *ad* ℥ iv. *ter. quaterue de die.*

In *vlcere veſicæ* iniectiones vſurpandas eſſe ex detergentibus, dein ſiccantibus & conſolidantibus varijs.

In *mictu cruento* eò incumbendum eſſe cenſent, 1. vt ſanguinis inhibeatur maior effluxus, 2. vt vaſa aperta conſolidentur, & 3. vt renes, & veſica roborentur. Primo inſtituunt V. S. & adhibent omnia medicamenta, quæ in ſanguinis fluxionibus conueniunt. Sequens apozema magnifaciunt;

℞. *Rad. tormentill.*
plantag.
biſtort. ana ℥ ß.
fol. alchymill.
millefol.
ſanguiſorb. ana m. j.
equiſet. m. ß.
flor. roſar. rubr.
balauſt. ana p. ij.
bordei mundat. ʒ iij.
ſem. plantag. ʒ ij. ß.
Coq. ex aq. font. Colat. ʒ xx. *adde*
aq. cinamom. ʒ j. ß.
corall. rubr. ppt. ʒ ij.
ſyr. myrtin. ʒ ij.
F. Apozema, III. *de die* ℥ iij. *aßumend.*

Varia, & commendant refrigerantia, & anodyna aliaque incraſſantia, de quibus alibi ad nauſeam dictum.

Externa verò quæ in vſum reuocant, ſunt frictiones partium ſuperiorum, vel ventoſæ, vel hirudines, vel vnguenta, & linimenta, & emplaſtra refrigerantia, incraſſantia, & adſtringentia, aut lumbis

aut

aut pubi applicanda, qualia alibi descripta sunt.

Ischuriam, vel *Dysuriam & Stranguriam* ab intemperiem seu mala conformatione aut harum partium soluta vnitate ortam, curandam esse dicunt remediis intemperiei illi contrariis, si intemperies sit, vel calida, vel frigida, aut humida, semper contrariis suis corrigi & ad pristinum seu naturalem staturam redigi debet.

Mala autem si confirmatio ischuriam fecerit, planè incurabilis habetur ab ipsis. Si vel calculus, vel caruncula &c. in meatu vrinario hunc morbum produxerint, tunc illa, vel cathetere vel aliis instrumentis remouenda esse præcipiunt. Vbi verò crassa pituita collum vesicæ obstruit atq; Ischuriam inducit, tunc omni opera eo nitendum est, ne ab errore diætæ pituita in corpore iterum generetur, genita & præsens verò incidatur & eliminetur, in hunc finem omnia medicamenta lythontriptica superiùs recensita præscribunt.

In *stranguria* sequens Apozema magnificiunt, præmissis tamen vniuersalibus appropriatis & humores præparantibus:

℞. *Rasl. lign. guaiac.*
saßafr. ana ʒ ij.
rad. sarsaparill. ʒ j.
liquirit. ras. ʒ vj.
flor. verbasc.
chamomill. ana m. β
paßul. min. ʒ β
fructl. alkekeng. ʒ j.
Coq. ex aq. fontan. per q.s.
in Colat. ʒ xxx. *dissolue.*
syr. iuiub. ʒ j.
M.F. apozema.

Ad partes roborandas applicant cataplasmata ex emollientibus, calefacientibus & anodynis, vel vnguentis, vel linimentis & emplastris calidis resoluentibus doloremque mitigantibus parata.

In *Diabete Galenici nostri* omnium primò humores peccantes naturæ obedientes reddunt *præparantibus* vt sunt syrup. pap. rhæad. bugloss. rosarum de rosis siccis, aq. portulac. nymphææ, acetos. planta gin. Dein purgante medicamento superfluos humores ex corpore euacuant. Vacuantia *ipsis* sunt partim phlegmagoga, partim cholagoga, inprimis ea quæ modicè adstringunt, Rhabarbarum nimirum & Syrup. ros. sol. ex multiplici infusione, &c.

Dein reuellunt humoris impetum frictionibus brachiorum, capitis, scapularum aliquando & vomitu; imperat & sudores, post modum renes atque iecur corroborant dictis corroborantibus, calidamque renum atque hepatis intemperiem emendant sequentibus, vt sunt trochisci alkekengi, santal. rubr. &c. cum vino adstringenti exhibita, sistentia motum; serosiores sanguinis partes corrigentia sunt electuarium rosar. balaust. sem. plantag. cydonior. bol. armen. Corall. gumm. arab. Myrobolan. condit. Item theriach. & mithridat. &c.

Inter externa mignipendunt Epithemata pro hepate ex aqua rosarum, nymphææ, acetosa, acetosella, cum camphor. parat. Item vnguentum pro renibus & lumbis ex oleo rosaceo, nymphea, in frig. Galen. populeon. Item cerat. santal. emplast. ex farina hordei sem. plantag. balaust. & ros. rubr. confect.

Curandæ *incontinentiæ vrinæ* ab imbecillitate musculi sphincteris, vel ab eiusdem relaxatione, ab intemperie frigida humidaque productæ conducunt medicamenta calida sicca leniterque adstringentia additis medicamentis cephalicis & antiparalyticis superiùs descriptis, simul interpositis phlegmagogis, externè verò adhibenda censent omnia adstringentia tum cataplasmata de quibus specificè inferiùs agemus.

§. 14. *Paracelsus* cum *suis discipulis* in calculo curam vsneæ & grandinis vesicæ tradit, aitque ex prima tartari separatione vsneam fieri, quæ afficit spinam dorsi & ischiam, ex secunda grandinem, quæ dolores infert instar cultri scindentis, ex tertia lapidem constare, qui mouetur suo tempore digesto, & subtus vmbilicum eneruat. Aliis palmam eripit Saxifragia vtilis.

vtiliſſ. quæ ab *ipſo Authore* peti poſſunt, vnico ludi remedio calculum vtrumque curare volunt *Paracelſiſtæ*. Ex ſambuci & iuniperi apicibus cum ſuis baccis ac fungis optima remedia parari aiunt, *Paracelſus* etiam Lithiaſin per lapidem ludi & ſuum Aroph, citra metum recidiuæ, curari affirmat, qui quingenta tartari genera ſtatuit, hinc & plura remedia ad ſalia tartarea reſoluenda requiri ait. Sic ex ſignatura plerique lapides calculum in homine reſoluunt & expellunt, imò ipſe calculus vel tartarus ex ipſo homine collectus cum ſulphure & nitro calcinatus & cum ſucco herberum depurato, extractus, maximum remedium ad omnes calculos conterendos & eliminandos à *Paracelſiſtis* dicitur. Inter alia eminent lapis Lyncis, ſpongiæ, aquilæ, in felle bouis repertus, in capitibus piſcium, porcis, carpionibus, cancris, limac. item lapis ſilicis, nephriticus, cryſtall. optimum medicamentum à *Paracelſ.* æſtimatur, modò rectè præparetur. Borax. Corall. lap. betill. ſuccin. margarit. lap. hæmat. &c. ſuas merentur laudes, ſpirituum globorum cynosbati etiam magniſacit *Paracelſus*, eumque ſequenti modo parat. Menſe Maj. & Iun. magnam glomorum cynosbati quantitatem colligit & remotis vermiculis (in quibus tamen latere creditur potens vis diuretica) minutim concidit, ſucco betulæ, vel raphani, & fermento additis, fermentare ſinit dum ex putrefactis per veſicam elicit, ſpiritum & aquam, ex capite mortuo verò in cineres vſto, extrahit ſal, quod purificatum cum ſpiritu coniungit, aliquandiu in digeſtione relinquit, digeſtum in argilla miſcet, & igne modò ſuper eiusdem glomos in receptaculum maius deſtillando ſpiritum vnà cum ſale prolicit, donec omne ſal ſimul tranſit, quod in recipiente eſt, eximit & exprimit, expreſſumque per retortam igne arenam non admodum valido, ne empeyreuma redoleat, deſtillat in modum arcani, eius guttæ à III. ad XII. in conuenientibus liquoribus exhibet & ſæpiùs ab eo calculum inſenſibiliter expelli creditur. Ex rubi canini excreſcentijs capilloſis puluerem factum ad omnis generis calculos expellendum *Paracelſus* in proprio corpore expertus eſt, nominauitque in herbario ab Hebreo *Sunith*, quaſi expulſionem calculi mei. Grana iuniperi, ſemina, radices & plantæ calculi imaginem exprimentes, calculo pellēdo inſeruiunt, vt lithoſperm. ſeu ſem. milii ſolis, Lachrymæ Iobi, bacc. heder. quas in muro ad occidentem ſpectante colligi volunt Paracelſiſtæ. Fructus halicabi veſicam in volucro referens, vnde & veſicaria, ſicut & ſolanum, herniaria, radix ſaxifrag. & ſiliquæ ononidis, cœpæ etiam calculo opitulantur, quia eius habent ſignaturam. Porro ex interna ſignatura ſalia coagulata reſoluunt. Nam vt *Paracelſus ait in expl. 3. cap. 1. de tartaro*, ſal ſolummodo per ſal curari vult, ſic & tartarus vrinæ ſeu ſal vrinæ hominis, item tartarus vini curat tartarum & calcem, eſtque ſpecificum lithontripticum. Nitrum etiam in calculo pellendo magni æſtimatur, vnde ſtercus columb. quia nitro refertum eſt, in calculi ſolutione magnas obtinet vires; ſic & lac caprinum ex capra nigra atque omnia ex capra deſumpta, propter nitrum potenter calculum frangere creditur. Sanguinem hirci non tantum calculum in homine, ſed & adamantha ſoluere audacter ſtatuunt, ſed hodierna praxis haud confirmat. Quidam commendant ex hirco, vulpe, vel lupo & lepore & ſimilibus viuis beſtijs ſanguinem calentem hauriendum. Reliqua vide ſis apud ipſum *Authorem*, qui in hac materia prolixus eſt.

Dyſuriam & Stranguriam ex tartaro ſtomachi acutiſſimo originem habere vult Paracelſus, ideoque in ventriculo curari ait, hoc ergo in caſu commendat ſpiritum ſalis, atque ſpiritum Iuniperi.

In *Iſchuria* reliquiſque renum & veſicæ affectibus commendant Chimiatri moderni, ſpiritus & tincturas ex nitro, ℥ nio & ſale. A ſalibus volatilibus renum obſtructiones, & eſſentia, vel ſpiritu vitrioli veneris efficaciter ſolui aiunt.

Dia-

Diabetem verò, per sola anodyna curari vult Author. Descriptio anodyni est sequens:

℞. *de liquor. papau.*
infquiam. ana ℥ ß.
lolii ℥j.
Camphor. ℥ j. ß.
rosar.
plantag. solatri ana ℈ ß.
reduc. in formam liquidam

Vel:

℞. *Sperniol.* ℥ ii.
ol. Camphor. ℥ j. ß. *F. mixtura.*

Vnge fero, & manè imam dorsi partem, his peractis purgare iubet per illa, quę in hydrope præscripsit, membra verò vult restaurare per Diacubebe, sal enim, & alumen scissum hoc in affectu mortificari debet, quod fiat per forinsecus applicata anodyna, nam vapor, vt is ait, penetrat, & potens est. Spiritus salis marini, ex qno etiam dulcedinem eliciunt Chymici, quamcunque sitim clamosam maximoperè sedat, & est ad diabeticam sitim extinguendam magnum remedium. Nitri spiritus etiam sitim extinguit renesque, & vesicam purgat, quod ipsum sal prunellæ quoque facit.

Si verò aliquod coagulum secretum non totum per vrinam expellitur, sed in renibus iacet, & putrescit, tunc pus mingitur; hic cura est, vt vrinæ prospiciatur, ne tam citò separet ab Hepate, & ne spiritus eius anticipet secundam digestionem. In vlcere renum, & vesicæ lac quoduis aliaque in vlceribus aliarum partium commendat.

§. 15. *Helmontius* existimat inueniri posse liquorem qui citra offensam stomachi arenam, vel calculum dissoluere possit, qui pergit in *Tr. de lithiasi 39. num.* 13. quoad calculum confirmatum, vtcunque saxifragiorum speciosa gloriatio, perstrepet, non nisi vanum, & Empyricorum stentamen, iactantiæ, idiotismi nec aliud quidpiam. Solum enim potest Medicus citare, & propellere calculum per diuretica, viasque laxare per lumectantia emollitiua; Imò cum diuretica sint periculi plena, Medent; Nihil opportunius in lithiasi quàm vreteres humectando ampliores reddere, ac sordes intestinis incumbentes, per enema demere, additque nihil in natura esse, quod Duelech confirmatum resoluat, aliàs tot principes, atque magnates totque rara Medentum ingenia non caruissent hactenus tam felici remedio. Ipse Author magnificit *Aroph Paracelsi*, (quòd sonat aroma Philosophorum, sic dictum propter tincturam auream) præparatum sub fimo cum mixtura panis secalini, & postmodum spiritu vini extractum, curat enim inclinationem veterem ad calculum Renum. Nouit enim Author *Baronem* calculo renum laborantem prædicto *Aroph* bis in septimana assumpto per 18. annos sanatum, in cuius cadauere cum octogenarius defunctus fuerit, ne arenula reperta erat. Alium curauit Consiliarium per quindenas singulas miserè decumbentem, cereuisiâ cui semen dauci incoctum erat. Duelech non per corrosiua tolli, sed per resolutiua propria, & specifica ait, non enim potest acidum, vt tale, citra insignem noxam in venas transire. In succo citri, & spiritu salis marini solamina sunt calculosis, acor tamen prius auferendus est, quoniam, vt ille inquit, reuera sanatio aut resolutio Duelech, non perficitur acidis neque corrosiuis, neque pocula acida ad vesicam vnquam penetrant, nec deduci sinuntur. Lapides fructum, puta mespilorum, persicor. &c. volatiles fecit absque omni capite mortuo, postquam in succum lacteum redigissèt, idque nimirum absque destillatione separatoria; reperit enim, quod hoc remedij genus restauret, non secus atque *Aroph* præseruat. Porrò ad veram generati Duelech resolutionem liquationemque primatum obtinet, Ludus *Paracelsi*, sic dictus non quod silex sit, & pueri cum illo ludant, prout quidam interpretati sunt ipsius Etymon; sed quia ludus semper tali tesseræ aut cubi forma eruitur, cuius præparationis hæc est descriptio apud Authorem. Ludus optimè contusus, calci-

na-

natus, & vsque in olei formam redactus, quod vnico ferè verbo vocat sel *Terræ*, & *Altolizoi* correctum, quod sonat totum conuersum in oleum, per ebullitionem, loquitur tamen in sequentibus, parum apertius. Teratur ludus in puluerem in mortario, & sub pistillo, dein sub cote in silice iterum, tum dein calcinetur non quidem igne torrido, sed addatur illi sal circulatum, de quo *Paracelsus tractat libro de renouatione, & restauratione*. Et *destillato inde sale*, dicitur Ludus calcinatus, quia pauco binarum horarum spatio, & labore totus erit conuersus in salem. Ludus ergo sic calcinatus, & in salem redactus, sibique æqui ponderans, decurrat sua sponte in humido loco. Istud autem sal resolutum claudatur hermetico sigillo in ouo longi colli, & in arena, bulliat continuo igne secundi gradus, donec totus ludus in pari sui pondere steterit instar olei crassioris super aquam, quam ex aere cellarij hausit, tunc namque totus ludus est sal volatile in forma salis oleosi resoluti, habetque aliqualem vrinæ gustum; Ideoque, vt ille ait, per vrinam cum potu vadit integris viribus, atque dissoluit omnem calculum, vbicunque in corpore deliteſcit. Dosis eius est, granorum XIV. vsque ad XX. cum aq. simplic. destillatæ tantillo. Et calculus mediocris magnitudinis in vesica resoluitur in pineoli magnitudinem potissimum duabus sc. septimanis. Alia sibi seruat arcana, quæ tantum obscurè describit, & per liquorem. Alcaheſt & ludum, rem ipsam obnubilat, si ipsius mentem melius expiscari tibi animus sit. Vid. ipsius *cap.* 8. *de lithiasi*, *n.* 23. Dicit enim eodem capite se patefeciſſe, quo pacto ex putrido lotio eliciatur spiritus, qui immissus in vesicam per indolentem catetherem, soluit Duelech. Commendat etiam in calculo, tum renum, tum vesicæ liquorem in vesica tauri embryonis nondum nati inuentum, cuius singulis mane vncias circiter binas propinandas suadet, quod idem præstet ex Embryone hirco collectus liquor. Rarissimum quoque diureticum ex lapid. cancr. colligit, modò resoluantur in formam pristini lactis. Docet, & peculiare instrumentum siue fistulam in vesicam intrudendam ex corio, & filo æneo paratam. Vrinam etiam mouet ossifragia. Prædictus Author quoque in lithiasi commendat bilem confortare, aitque esse remedium à priori, nam debilitato felle, omnis generis aciditates rapiuntur in vias vrinarias, quæ solent furores, & dolores renum inducere, ex quibus dein solet oriri Ischuria, & reliqua symptomata. Monet quoque grandius Duelech non esse propellendum, nisi quis nouerit, per lapidem ludum Duelech dissoluere, & si vreteres crispantur, & inde contrahuntur commendat varia antispasmodica interna anodyna, & demulcentia. Itaque *Helmontius* in calculo admodum commendat liquorem betulæ extractum è betula vulnerata mense Martio, cum verò colligere iubet ex ramo crassiori ad semi. diametrum vulnerato indita vulneri lanà, quo seruetur apertum vulnus, atque ex hoc emanentem succum non ingratum excipere lithiaseos insigne solamen, meraciorem autem è superioribus ramis, quàm propè truncum effluere testatur.

Absque calculo, & muco *Ischuria* sæpè lethalis esse potest, quando nempè Archèus renum tam ignauus est, & officij sui immemor alienis fermentis forsan irritatus ad induendam pertinacem clausuram, ad quam segnitiem Archei stimulandam conducunt varia diuretica, vt sunt fortes acidulæ, spadanæ vitriolum martis, lapis cancr. herbæ diureticæ, quæ in se continent alkali volatile. Magnisacit etiam Author macerem, iuniperum, testas ouorum, &c. Si ischuria seu suppressio vrinæ à caruncula meatum vrinarium obstruente oriatur; *Helmontius* ad hanc auferendam catherete vtitur, & vnguento ex alumine, & cerusà, &c.

Vlcus, & scabiem vesicæ curat per potiones vulnerarias, & lapides ♃ &c.

In *stranguria* commendat puluerem

ocul.

ocul.cancr. in vino alb. ad ʒ j. exhibitum, alkali enim horum lapidum saturat prædominantem acorem in ventriculo, quæ etiam sæpè ad vesicam vsque transfertur. in *senum stranguria* nec sibi per habet remedium extinguendis quibusue ardoribus vrinæ, etiam præsente in vesica calculo, quàm spiritus salis marini. Stranguriam & crocus temperat & macis, qui acidum multum infringunt. Commune quoque sal æquè in pellendo calculo ac in *senum stranguria* maximoperè commendat Author, quia putrefactiones impedit, dissoluit mucagines & vrinas pellit.

In *Diabete* eò prospiciendum vult, vt furor renum excitatus sedetur, & vrina suauior reddatur, in quem finem nonnullos pulueres iuglandis, dactylorum & similia exhibet.

§. 16. *Villisius* plures formulas habet diureticorum, quibus sal volatile pro basi est, vt sunt sal succin. armoniac. volat. millepedes, apes, spir. vrinæ.

℞ *Milleped.recent.lot. № 40.*
Nuc.moscat. ℈ ß
simul contusis affunde. ʒ
aq. destill. saxifrag. ʒ iij.
F. expressio & colat.pro vna vice.

Vel: ℞. *Spirit.vrinæ* ℈ j ʒ
aq.rapban. compos. ʒ j.
iuniperi ʒ iij.
M.D. exhibend.

In *Ischuria* parat tincturam ex milleped. apibus, cicadis & cantharid. & cum tinctura salis tartar. infus. cuius dos. est gr. x. ad xx. in vehiculo conuenienti.

Ipsius medicamenta diuretica, quibus sal alcolisatus pro basi est, sunt præstantiora sequentia. Lapid. cancr. test. ouorum, corallia omnes pulueres testacei. Formulæ Authoris.

℞. *Pulu.è test.ouorum à* ʒ ß. *ad* ʒ j. in hausti vini albi vel alius liquoris propinatus.

℞. *Pulu. è chelis vel lapid.cancr.* ʒ ij.
sal.succin.
nitri ana ʒ ß

Excipitur terebinthina veneta & datur in forma boli, vel pilularum. Diuretica sulphurea & spirituosa ipsi sunt terebinthina ex ijsque præparata, ol. iunip. nuc. moschat. Sequens diureticum tanquam egregium sibi seruat, nobis & experientiâ probatum:

℞. *Baccar.beder.*
iuniper.
lauri recent.ana ℔ ß
sem.dauci sylu. ʒ iij.
nuc.moschat. ʒ ij.

Cõtusis omnibus affunde in retorta vitrea,
terebinth.venet.opt. ℔ j.
spirit.vini rectif. ℔ iij.

Destilla in furno calore moderato ad siccitatem, cauendo empyreuma, & habebis spiritum & ol. flauum dos. spiritus ʒ j. olei ℈ ß. in vehiculo idoneo. Magmati in retorta restanti affunde Tinctur. salis tartari ℔ j. digeratur in furno arenæ per plures dies, vt tinctura rubicunda extrahatur; cuius dos. ℈ i. ad ʒ j. in appropriato vehiculo.

Vel: ℞. *Milleped.præp.* ʒ iij.
Nuc.moschat. ʒ j.
contusis affunde spir. terebinth.
Tinctur.salis tartar.ana ʒ vj.

Destilla leni calore balnei, & habebis spiritum, oleum & salis tartari deliquium vnumquodque vi diuretica insigni instructum.

Authoris præstantiora diuretica, quibus nitrum pro basi est, sunt sequentia.

℞. *Nitri ppt.* ʒ ij.
aq.bord.c.rad.gram.& eryngij.
condit.incoct. ℔ ij.
syr.violac. ʒ ij.
M. *Dosis* ʒ iij. *bis in die.*
℞ *Sal prunell.*
ocul. ♋.
absynth.ana ʒ ij.
M.F. pulu.dos. ʒ ß *bis vel ter in die.*

In magnis Ischurijs puluis è test. ouorum, ex chelis aut lapid cancr. nonnullis præsentaneo remedio fuit, testacei enim hi puluer s sales acidos in massa sanguinea combinatione sua ligant & compescunt.

Videamus & paucis Authoris nostri diuretica, quibus sal acidus pro basi est.

℞. *Tartar. vitriolati vel nitrat.* ℥ ij.
pulu è testis onor. ℥ i ß
sem. apij vel dauci sylvestr. ℥ ß
M. f. pulu. dos. ℥ ß
℞. *Spirit. sal. opt.* ℥ iij.
C. C. vst & puluerosq. f. ad imbibendū.
F. *pulu. Dos. a* ℈ j. *ad* ℥ ß
℞. *Succ. limon.* ℥ ij.
aq. raphan. compos. ℥ j. ß
syr. è 5. radic. ℥ ß.
F. potio.

Diureticorum quibus sal fixus p̄o basi est, sunt seq. formulæ

℞. *Sal tartar. vel absynth.* ℥ ij.
corall. ad albed. calcin. ℥ j. ß
Nuc. moschat. ℥ ß
M. F. pulu. Dos. ℥ ß *ad* ℈ ij.
℞. *Cinер. sarmentor. vitis alb.* ℔ ß
Nuc. mos. bat. ℥ ii *affunde.*
Vini alb Rhenan. ℔ ij. ß
Stent calide clauso vase per diem, dein colatur.
Vsui seruetur. Dos. ℥ vj. *bis vel ter in die.*

Silices candefacti in vino, vel cereuisia martiali extinguantur, liquor hic propinetur ad ℥ vj. bis in die.

Nunc pergamus ad *Diabetem* siue *hydropem ad matulam*. Authoris huic affectui medendi præcipuæ tres sunt intentiones jo. sanguinis fusionem inhibere per remedia vulgò incrassantia dicta, quia horum corpuscula, viscosa admodum & glutinosa, in massam sanguineam admissa, particulis eius actiuis pertinaciter cohærent, adeoque eas ab inuicem separant, & (ne fluoribus obortis mutuo inter se aut cum salinis aliundè suffusis combinentur) impediunt, in quem finem orizam, amylum, vegetabilia mucilaginosa, præsertim gummi & resinosa quæuis iuuare dicit. Secunda intentio est, vt sanguinis fusio aliquatenus facta iterum tollatur; eiusmodi verò remedia indicantur, quæ salium concretiones dissoluunt, ita vt particulæ quoque elementares insitæ, denuò sui iuris factæ, situs priores recuperent, adeoque sanguinis crasin primæuam redintegrent. Huiusmodi effectum in lacte coagulato salis fixi volatilis aut nitrosi additione, vel spiritus c.c. sal armon. & similium infusione produci posse ostendit. Tertia indicatio talis est, quæ per dietam incrassantem & modicè refrigerantem perq; cardiaca temperata ac inprimis per hypnotica idonea & tempestiua perficitur. Hystoriam habet Comitis cuiusdam qui sequentibus conualuit.

℞. *Summ. arbor. cupress. m.* viij.
album ouor. conquas. ℔ ij.
cinamom. minutim incis. ℥ ß
affunde lactis recent. ℔ viii.

Destill. organis communibus, cauendo empyreuma, capiat ℥ vi. ter in die.

℞. *Gumm arabic.*
tragacanth. ana ℥ ij.
saccbar. penid. ℥ j.
F pulu.
de quo ℥ ß *vel* ℥ j. *circiter bis in die cum aq. destill. t. sumend.* ℥ iij.
℞. *Rhabarb pulu. gr.* xv.
cinamom. gr. vi.

F. pulu. sumatur mane, repetendo intra vi. vel viii. dies.

℞. *Aq. paralys.* ℥ iij
cinamom. ℥ ij.
syr. de limon. ℥ ß

M. F. haustus, sumendus omni vesperà.

Diæta ferè tantum ex lacte, quod modò crudum & vel aqua destillata, vel aqua hordei dilutum, modò coctum cum pane albo, vel hordeo aliquoties in die sumebat. Aquã calcis viuæ ter in die ad ℥ v. sumendam præscripsit eidem Comiti, qui hisce medicamentis optimè conualuit, teste nostro Authore. Ad sanguinem incrassandum & fusionem eius præpediendam commendat sequentia:

℞. *Gumm. arabic.*
tragacanth. pulu. ana ℥ j.
saccbari penid. ℥ ß

M. F. puluis diuidendus in xv. doses, sumatur pars vna ter in die, dissoluenda in aq. destil vel decoct. rad. symph. vel lacte.

℞. *Electuar. resumptiu.* ℥ iij.
spec. diatragac. frig. ℥ j.
corall. rubr. ppt. ℥ ij.
Confect. de hyacinth. ℥ j. ß
gelatin. de exuuijs viperar. q. s.

F.

F. Electuar. de quo capiendum ter in die quantitat. nucis iuglandis.

℞. *Succin. alb.*
mastich.
olibani pulu. ana ℈ vnc. i.
pulu. baly Abb. ʒ ij.
balsam. Tolutan. ʒ ß.

F. pulu. subtilis dos. ʒ ß. *ter vel quater in die.*

Vel emulsio sequens proderit.

℞. *Decocti hordei* ℔. *rad. nymphæ* ℔ j. ß.
amygdal. dulc. ʒ j. ß.
semin. papau. alb.
portulac.
lactuc. ana ʒ j. ß.

F. l. a. emulsio dos. ʒ iij. *ter in die.*

Medicamina sale fixo prædita etiam in hoc morbo proficua fore suspicatur, in quem finem sequentia conducunt medicamenta: Tinctura salis tartari, Tinct. antimonij, Tinct. salis corall. infusio calcis viuæ ad ʒ iij. ter in die. Crocus Martis rubicund. lapis specularis, quo rustici iuuenculas suas mictione sua cruenta laborantes satis feliciter curant. C. cerui vstum &c. ex quibus varias concinnas formulas. Authoris medicamina sale alcalisato prædita sunt corallia, margaritæ, ossa sæpiæ e. c. ebur, pulueres testacei, & similia, quatenus salem acidum in sanguine abundantem excipiunt, proindeque massam sanguineam à fusione liberant. In quem finem, & remedia sale volatili fœcunda conducunt, quatenus etiam salem acidum excipiunt euocantque, proinde vt liquor crasin suam debitam recuperet, conueniuntque Tinctura solaris cum sale armoniaco parata ad xx. gutt. ter. in die propinanda, vel spiritus sanguinis volatilis, Corn. cerui, suliginis, &c. Hypnotica, & hoc in affectu commendat quæ spiritus animales sistendo sanguinis cursum retardant, proindeque efferuescentiam, & fusionem eius nonnihil impediunt, vnde ipsi solenne erat in quibusdam Diacodium omni vespere præbere, & quando illud minus effecit, laudanum liquidum aut cydoniatum aut tartarisatum noctibus modò singulis modò alternis bono cum successu exhibuit.

§. 18. *Syluius* calculum omnem aut expellendum aut dissoluendum esse iudicat. Ipsi vsu multo comperta sunt sequentia, inprimis oleum amygdal. dulcium semel aut sæpiùs ab ʒ ß. ad ʒ i. cum vino Rhenano diuretico, succo citri & saccharo ad gratiam additis assumptum. Item oleum baccarum iuniperi recens ac ritè paratum à gutt. v. vel vi. aut plures ex vino sub inde vsurpatum, dein oleum therebinth. venet. itidem à gutt. iii. iv. vel v. similiter propinatum, hæc enim alijs præfert, quoniam vim naturæ nullam inferunt. Si verò calculus in renibus ac præsertim vreteribus hæreat, tunc dolor vehementissimus percipitur, qui optimè lenitur opiatis, à quibus nusquam impeditam, sed potiùs promotam vidit cæterorum medicamentorum calculos expellentium vim, & operationem. Ad calculos maiores, adeoque propelli nescios, soluendos commendat præ multis alijs spiritum Nitri ex vino, cereuisia, iusculo alioque liquore conueniente ad guttas aliquot aut aciditatem gratam, bis terue in die assumptum. Quoties verò à pituitâ glutinosâ spontè, vel arte vrinę admistâ minuitur huius fluiditas, toties vsurpanda præcipit. Quę pituitam illam glutinosam incidunt, & attenuant, vt sunt, salia volatilia, spiritus acidi temperatiores, & quandoque hęc bina simul iuncta, & alijs blandioribus dissoluta.

Calculum vesicæ etiam solui ait decocto graminis spiritus nitri g. x. vel xii. infusis. Calculi vesicę orificium obturantes cathetere sunt repellendi, si fuerint maiores, aut assumpto potu liberaliore, & quidem diuretico foràs sunt expellendi.

Si pituita crassa, & tenax aut sanguinis grumus vrethram obstruit, & ischuriam parit tunc canalem immittendam vult, vel per syringam infundenda præcipit tum incidentia, tum attenuantia, in quem finem suadet volatilia specifica. Cum suppressio lotij aliquando hæreat in collo vesicæ, quę sępè distenditur ab vri-

na,eam curat immittendo per vrethrã vsq; ad ipsius cauitatẽ candelam ceream oleo prius illitam, vel immittendo catheterem argenteum, coriaceum, aut ex balænarum setis oleo inunctum. Sic omnis ex vesicæ fundo excrescentia vix curabitur, nisi consolidans decoctum immittendo in vesicam per syringam.

In dysuria vbi orificium exulceratum aut rosum est, magnisacit balsamum sulphuris anisatum, succinatum, vel iuniperinatum ad gutt. III. vel plures bis teruè in die ex vino Hispanico aut decocto vulnerario assumptum, item externè per syringam immissum.

Si humores ardentes aut salsi muriaticique ad vesicam delati *strangurium* producant,tunc commendat oculos cancr. margaritas, præsertim verò volatilia salia, sæpe & in dies quantitate parua vsurpanda,

In *vulneribus & vlceribus renum & vesicæ* consolidantia aliaq; vlcera mundantia suadet. Balsamum sulphuris hic mirum præstare ait; inprimis si per vrethram immediatè possit ipsi vesicæ infundi, vbi nempè vlcus existat. Eundem effectum habet Balsamus sulphuris, tum anisatus tum iuniperinus,tum terebinthinatus,vbi enim pus effluit, optima remedia sunt.

Si à sanguinis effluxu à renibus mictus cruentus ortum suum habet, tunc varia consolidantia & vulneraria commendat, ad sanguinis enim effluxum impediendum & sistendum præcipit sanguinem Draconis alicuique misturæ alioue liquori admistum & cochleatim sumendum, qualem misturam iam in alijs affectibus cruentis reuelamus.

Diabetis curationem consistere ait in salis volatilis acrioris contemperatione, tum per oleosa, emulsiones puta hordei, amyg. dulcium, sem. papau. alb. melon. cucumer. &c. Item per lac dulce vaccinum,ouillum,Caprill.humanum,asininũ &c.dum per acida,sed per volatilem spiritum contemperata spiritum salis dulcem, &c. miscendo illa cum potu conuenienti iuscul. &c. non item cum prædictis emulsionibus aut lacte,cum hæc ab omni acido grumescere soleant.

§. 19. *Cartesii sequaces in Nephritide*, si copia sanguinis adsit, Venæ sect. instituunt, dein ad arenulas, vel calculos expellendos suadent omnia varia diuretica iam dicta, vel adhuc dicenda. Ad vias lubricandas & laxiores reddendas suadent clysteres ex emollientibus. In stranguria & ischuria conuenire aiunt varia præcipitantia & acidum imbibentia,anodina &c. In Diabete verò omnia adstringentia & absorbentia commendant, cum opiatis combinata quæ imbibere possunt sal istud vitiosum, quod sanguinem in serum præcipitare solet.

§. 20. Hisce prælibatis nunc ad nostras pixides excutiendas & pergamus, & iuxta præscriptam methodum affectus renum & vesicæ quosuis, quorum causam superiùs retulimus,eorum quoque curationes nunc tradamus. Primò ergo se offert, *Dolor Nephriticus calculusque Renum*, sed cum doloris huius plures causæ esse possunt;inde & diuersa requiritur curatio, quæ tamẽ ex reliquis renum affectibus facilè hauriri possunt, quare nos statim accingamus ad *calculum*, tum renum tum vesicæ, curandũ, qui aliter in paroxismo & aliter extra eundẽ curari debet. *In paroxismo* sequentem instituere solemus curationem, generaliter tamen præmonendum esse censemus, quod hìc diuretica, non semper sint adhibenda, nec valdè sit pellendum, vt lapillum nimis premamus, & sic dolorem augeamus,qui à natura sæpè satis pellitur, sed linientia & emollientia optimè conueniunt, nam laxationi ductuum præcipuè studendum est, in quem finem semper aluus laxior seruanda est, ne intestina fœcibus induratis distenta renes magis premant, cum fæces istam coli partem pertranseunt, quæ versus renes sita est, & sic dolores augeant. Hinc clyster in paroxismo & quidem emolliens maximè proficuus est, & sæpè dolores talem clysterem abstulisse experientià constat, & hìc ex solo lacte addito saccharo clyster paratus plus præstitit, quàm ex multis herbis & radicibus, ab eius enim va-

po-

multis herbis & radicibus, ab eius enim vaporibus blandis, per inteſtinorum poros, ad renes vreteres & peruagantibus, laxantur & leniuntur illi, & ſic ſæpiſſimè fit, vt, laxatis hiſce viis, lapilli poſſint tranſire ex vreteribus in veſicam.

In iuniorum gratiam vnam & alteram apponamus formulam, vbi ſc. animus eſt, ſimul primas vias ab excrementis liberare.

℞. *Herb. malu.*
parietar.
violar.
ononid. ana m.j.
flor. chamom.
malu.
geniſtæ ana p.iij.
rad. altheæ ʒ j.
ſem. dauci ℥ iij.
Coq. inſ. q. aq. com. Colat. ℥ ix. vel libr. med. adde
caſſiæ pro clyſter. ʒ i ß.
ol. lil. albor. ʒ j
ſcorpion. ſ. ℥ ij
M.F. *La. clyſter.*

Vel ad dolores ſaltem leniendos:

℞. *Ol. lini ʒ viij.*
amygd. dulc. ℥ iij.
Nitr. antimon. fixat. ſeu antimon. diaphoret. ℥ j.
M.F. *Enema.*

Vel ex ſolo lacte indita terebinthina, & vitel. ouorum, fæces enim ex vitellis ouorum probè emolliuntur. Salis autem non multum addendum eſt clyſteribus, quia clyſterem diutius detinere maximè ægro proficuum eſt. In paroxiſmo inter externa ſæpe proſunt fila ex lino recenter facta, & nondum lixiuiata, decocta in cereuiſia veteri, & exteriùs lumbis vel regioni pubis applicata. Fotus quoque vaporibus ſuis demulcere poſſunt, & laxiores reddere renes & vreteres. Eſto formula:

℞. *Rad. altheæ ℥ iv.*
fol. parietar.
malu.
melilot.
chærefol.
chamomill. ana m.iij.
ſemin. lini ʒ j.
malu.
petroſelin. ana ℥ ß.
decoque in lactis dulcis q. ſ. pro fotu.

Item conuenit vnguentum vel linimentum ſequens vel ſimile, quo inungantur renes ad pubem vſque, vreteres enim laxat:

℞. *Ol. lil. albor.*
amygd. dulc.
chamom. ana ℥ ß.
ſcorpion. ſ. ℥ ij.
M.D. *ad vitr.*
Vel:
℞. *vnguent. nephritic. Mynſ. ℥ ß.*
ol. nephritic. eiusd. ʒ i ß.
ceræ deſt. ♃ j. M.D.

Balnea hoc in caſu expeditiùs rem perficiunt, fiat tale vel ſimile ex emollientibus. Sacculi poſſunt confici renibus & pubi applicandi. Conducet etiam cataplaſma ex cæpis, parietar. & ol. ſcorpion. pubi applic.

Vel ℞. *Herb. virg. aur.*
parietar.
malu.
heder. terr.
ſaxifrag. ana m.iij.
rad. ononid.
bardan.
altheæ ana ℥ iij.
flor. melilot.
ſambuc.
chamom. ana m. ij.
ſem. lini ℥ ij.
fœnugræc. ℥ iij.
baccar. iuniper. m.j.
additis rapis multis.
Inciſ. & contuſis omnibus coq. pro balneo.

In Balneo poteſt ſumi ol. amygd. ſine igne recenter expreſs. ʒ i. in brodio carnis, cui rad. petroſelin. in coct. addēdo parum ſucci citri. Si aliquid pellere ſtudeamus, primò videamus, an calculus expelli poſſit, tunc intus exhiberi poſſunt pilul. ex terebinthina, quia pellunt, & leniunt ſimul; oleo ergo ſupradicto amygdal. dulc. addi poſſunt aliquot guttulæ ſpiritus tere-

binthin. Vel detur ℥ j. pulu. milleped. vel decoctum betonicæ, vel maluaticum iuniperinum. Diureticum optimum est lignum sassafras, quod in vino aliquot diebus maceratum propinari debet. Hic etiam prosunt pimpinellà, petroselinum quodcunque, lignum nephriticum, decoctum auriculæ muris, vel succus eiusdem herbæ, decoctum leguminum. Saxifragia, semen vrticæ, bardanæ, milij solis, genist. violarum, cuius seminis quantum capit digitale vnum pro secreto quidam seruauit. Saponaria hic quoque prosunt & Tartarea, inprimis Tinctura terræ foliat. ad gutt. 30. Raphanus rusticanus pluribus quique confert. Sal fabarum, sal genistæ, equisc.i, vrinæ, sanguinis & calculi humani, vulp. testudinum, cancrorum, stercor. columbin. Liquor nephriticus, magisterium nephriticum, Tinctura mea contra calculum, spiritus cynosbati, vrinæ human nitrum, sal armoniacum, spiritus fragor alkekengi &c. communi Chymicorum consensu renes & vesicam expurgant. Item ol. granor. iuniperi, terebinthinæ, & seminis fraxini arboris mihi pro secreto est. In nephriticis doloribus, vbi adsunt spirituum torturæ, vomitus, optimè per cinnabarina, opiata, absorbentia naturæ tumultum sistes, hunc in finem laudatur puluis Nephriticus *Ludouicianus*, qui ex ocul.cancr. cinnabari, & laudano opiato concinnatus est. Inter calculum resoluentia cinnabarina quoque palmam aliis præripiunt, cum spermate sc.ceti, sale volatili, succini & aliis iuncta.

Cl.VVedelius sequentem in vsu habet:

℞. *Spermat.ceti*,
lapid.cancr. ana ℥ ß.
Cinnabar. antimon. ℈ j.
sal.volat.succin. gr. iv.
laudan.opiat. gr. ß.
trochisc. alkekeng. c. opi. ℈ ß
M.F. *pulu. pro* iv. *dosibus.*

Essentia ocul. cancri, spir. salis simpl. claretum iuniperinum Mynsi. conterunt, & pellunt calculum, lapis lyncis, iudaicus, spongiæ, aquilæ nephriticus, crystall. percarum, ouæ struthionis, sanguis hirci. Sequens mihi vsu comprobatus est puluis:

℞. *Sanguin. hirci, leporis,*
lapid. lync. iudaic. ana ppt.
nucl. mespil.
ou. struthion. ppt.
lap. nephrit.
arill. cynosbat.
sal. genist. fabar. vrin.
succin. alb. ppt. ana ℈ ß
asell ppt.
cinamom. accerrim. ana ℥ j.
M.F. *pulu. diuident. in* vi. *part. æqual.*

Fel carpionis in vino sumptum calculum conterit & expellit. Ad calculum quoque pellendum laudamus cum *Hartmanno* vrinam hirci, & succum betulæ cum semine dauci destillatum. Sic & puluis millepedum, scarabæorum, muscarum, ex quibus essentiam parare soleo antinephriticam, generosum in hoc affectu remedium. Detur & puluis millepedum prius lotor, & exsiccat ℥ ß. qui vrinam egregiè pellit; cum calculus pellentibus non cedat, sapo Hispanicus cum ol. iuniperi gutt. 3. mixtus conuenit, potenter enim pellit, viasque laxat; gummi cerasor. quod viscositate sua vias laxat, & præterea vim habet antinephriticam potentissimam, hoc in casu pro secreto habendum, nam aliquid peculiare obtinet. Mercurius dulcis etiam egregium diureticum est. Acida, quia adstringunt, inconuenientissima sunt. Ex nitro & sale gemmæ calcina: in cella prodit liquor, qui est specificum Dresdensium. Vbi in paroxismo dolor est acutissimus, & vigiliæ adsunt sequens vel similis conueniet emulsio:

℞. *Sem. 4. frigid. mai. rec. ana* ℥ ii.
papau. ℥ j.
violar. ℥ j. ß
nucl. persicor. ℥ vj. *l.* ℥ ß
decoct. bord. cum sem. dauci fact. ℥ vj.
aq. petrosel.
liquor. betul. destill. ana ℥ j.
F. emulsio, cui adde.
lapid. canc. ppt. ℥ j
saccharicandi q. s. ad gratiam.
Vel: ℞. *Aq. petros.*

maln.

malu.ana ʒ ii.
spir.sal.armon succinat. ʒ ß
nitri dulcif. ℈ i.
laudan.opiat.gr.iii.
syr. de alib. Fernel. ʒ vj.
M. D. ad vitrum, de quo æger in paroxismo aliquot cochlear. assumat.
Vel: ℞. *Extr. nephritic. gr. vi.*
laudan. opiat. gr. ii.
M. F. pil. pro vna vice.
Vel: ℞. *Aq. petroselin.* ʒ ii.
diuretici è nucleis.
syr. dialth. ana ʒ i.
spir. baccar. sambuc. ʒ vi.
balicabi vel cynosbat. ʒ ii.
sal. dulc. ℈ i.
laudan. opinat. gr. iii.
M. pro III. *vicibus.*
Vel detur dosis trochisc. alkekeng. cum opio.

Si quis opiata abhorret, omissis his talem, vel similem mixturam cochleatim exbibere potest.

℞. *Philon. Rom.* ℈ ii.
spec. lyntbontript. ʒ i.
M. F. pulu. vna vice vino calido assumendus.

Extra paroxismum eò curam dirigimus, vt coagulator extirpetur, & Rex noster Gasteronax à segnitie suscitetur, inprimis si concretio fabulosa adhuc sit in fieri, & renes ob contrariantium pugnam infestentur, pungantur & inflammentur, &c. In quem finem propinari possunt varia diluentia simul resoluentia, dulcificantia & similia. Succus betulæ per mens. Mart. assumptus maximè prodest, item acidulæ Selterenses, Donningsteinienses, Suualbacenses, & VVildungenses quibus edulcorantur humores, cui scopo puluis liquirit. ad ʒj. vel sequens conducit.

℞. *Rad. liquirit.* ʒ ii.
althææ ℈ i.
sem. papau. alb. ʒ ß
portulac.
gumm. tragacanth. ana,
mag. lap. cryst all.
saccbar. cand. alb. ʒ ß
M. F. pulu. dos. ℈ i.

Sed hic notandum, quod in calculo renum semper ad ventriculum respiciendum sit, in quo Gasteronax sedem habet, quare stomachica, vulgò sic dicta, non contemnẽdi vsus sunt in nephritide; in primis succolata, aliaque blandiora aromatica. Præmissis itaque resoluentibus in calculo, anodynis, topicis, carminatiuis, pellentia, ceu diximus, cum fructu applicari possunt. E. gr. Tinctur. aperitiu. Mæbii cum spirit. succin. mista spirit. nitri dulc. cum spirit. sal. armoniac. combinatus, & oleo petroselin, imprægnatus, Tinct. alkekeng. cum spiritu nephritico & spirit. salis parata, quæ egregiè pellunt. Alii dicunt nullum excellentiùs ac securiùs esse remedium, tum præseruandi, tum curandi gratia, sequente puluere antinephritico.

℞. *Sem. anis.*
petroselin.
aneth.
herb. saxifrag. ana ʒ ß
mandibul. lucij pisc.
lapid. cancr.
semin. cynosbat. ana ʒ i
M. F. pulu. dos. ʒ i. III. *dies ante nouilunium.*

Alij extollunt pulu. herbæ terræ, nonnulli rob. cynosbati extollunt, & in his cruciatibus tanta est farrago remediorum vt quilibet sibi secretum contra istos dolores habere studeat.

℞. *Sal succin.*
cryst al. tartari ana ʒ ß.
magist. ocul. cancr. ʒ vj.
saccbari Candi alb. ʒ j.
ol. anis. ℈ j.

M. F. pulu. mane ieiuno stomacho per XIV. dies assumendus. Vinum maluaticum iuniperinum ad II. vel III. cochlearia quater de die assumpt. mira præstat. Tinctura nostra ad calculum ex nitro, tartaro &c. parata magnas in comminuendis calculis vires obtinet: reliqua lythontriptica ex præmissis habere poteris. Quædam mulier magnum leuamen habebat ex modica quantitate Zinziberis

electi & mellis in form. boli redacti mane & vesperi assumpta. Ex vermibus maialibus egregium paratur diureticum. Si multum pituitæ per vrinam reddatur, tunc potest purgatio instituí ex phlegmagogis, sunt verò specifica, extracta cassia, cremor tartari.

Vel ℞ *Therebinth. venet.* ʒ ß
scammon. rosat. gr. vj.
F. pilul. xxi. pro vna dosi.

℞. *Aq. petroselin.*
altheæ.
saxifrag. ana ʒ i.
sassi extract. ʒ ß
pulu. rhabarb. el-
ialap. ana gr. xv.
extr. rhabarb. gr. viij.
spir. sulphur. ℈ ß
sal. dulc. gr. iii.
M. F. potio pro vna vice.

Vel tantum semen violarum exhibe, quod fuit purgans Ser. Electoris Palatini, Caroli Ludouici, Domini mei clementissimi b. mem. purgantia enim hoc in affectu potiùs omittenda censemus, quàm largiter exhibenda. Et cum etiam sæpiùs calculi in folliculo, fellis, habitaculo perquam commodo generantur, vt & reliqui calculi & suum habent principium, qui extirpandi sunt fere iisdem, vel parum mutandis.

In vesicæ calculo, cum primis in paroxysmo, eadem cura instituenda. Iuuenem vesicæ calculo laborantem (cuius omentum simul erat inflatum ex vrina aliquot dies retenta,) sequenti clystere &c. curauimus:

℞. *Rad. liquirit.*
altheæ.
malu. ana ℥ j.
oß. mespilor.
semin. milij solis ana ʒ ß
Coq. colat. ℥ vj. *add.*
ol. oliuar. ℥ ß
verbasc.
scorp. ana ʒ i.
cass. rec. extract. ʒ v.
terebinth. Cypriæ,
elect. benedict. laxat. ana onc. ij.
anodyn. miner. al. ℈ j.

F. Enema quod summo cum emolumento vrinam mouit & aluum.

Internè verò præcensita & proposita lythontriptica, vel sequentia exhiberi possunt.

℞ *Sal tartari* ʒ j.
aq. diuret. è nucl. onc. iii.
M. pro vna vice

Millepedes è spirit. salis præparatos optimo cum successu aliquoties dedi.

Vel: ℞. *Therebinth. sum aq. petrosel.* ʒ ij.
magist. nephrit. ℈ i.
asel. ppt. ℈ ß
M. F. Pilulæ pro iii. *vicibus.*

℞. *Sanguin. hirci legit. temp. coll.* ʒ iij.
magist. nephrit. ʒ j. *m.*

℞. *Herb. auric. muris,*
saxifrag.
virg. aureæ,
flor. genistæ ana m. j.
bacc. cynosbat. №. vj.
rad. eringij.
ononid.
bardan. ana ʒ j.
lign. nephritic. ʒ ß
sem. violar.
saxifrag.
milij solis,
bardanæ ana ʒ ij.

incis. & contus. grossè. modo. D. pro mensa vini infundenda

In calculo vesicæ conuenit aloè contusa ad ʒ ß in lacte dulci. It:

℞. *Asell. cum spirit. salis ppt.* ʒ j.
spirit. iuniper. ʒ j.
iur. cicor. rubr. ℥ x. *M.*

Vel: ℞. *Sal. simi columbin.*
stipit. fabar. ana ʒ ij.
nitri ʒ ß. *m.*

Pubem externè illinimus sequenti, vel simili linimento.

℞. *Ol. Scorpion.*
ranar.
lumbricor. ana ʒ j.
sapon. hispan. ʒ iij.
sal nitri ʒ. j.
M. F. Linimentum.

Possunt & varia ex cæpis, stercore columbino

lum-

lumbino aliisque &c. cataplasmata parari & applicari. Confert etiam decoctum contra calculum Foresti. Vitrum combustum & in cinerem redactum inter efficacia calculi remedia refertur. Lapis microcosmi, quem *Helmontius* Dulech intitulat, qui vel in renibus, vel vesicà humanà concretus & coagulatus, vel excisus, de eo quotidie ℥ j. ex aq. raphani, vel alio vehiculo conuenienti propinatus, lapidem comminuit, inprimis si prius cum sulphure & nitro calcinatus fuerit, cum succo berberum extractus potens & generosum remedium est, remedium ad omnes calculos diminuendos & expellendos. Item lapis percarum, apri sylvestris, in iecore aliquando repertus qui in boum ventriculo & vesica fellis reperitur, sunt aduersus calculum remedia haud contemnenda. Tali leporis, puluis leporis combusti, testarum cochlear. cinis, puluis membranarum interiorum ventriculi gallinæ & galli, etiam perdicum & vrogalli, it: passerculus, motallica, reguli combusti & exhibiti vrinam pellere creduntur. Aselli, ouum struthionis & sexcenta alia simplicia possunt acidam illam mucilaginem, calculi fabrum resoluere. Ex his prædictis præterea conflantur medicamentorum formulæ, quarum hìc aliquot comprobatas adijcimus. Sequens tinctura nephritica sæpissimè à nobis vsu comprobata est. ℔. pulu. lap. nephritic. asell. & glom. cynosbat. q. s. affunde spirit. salis rectificat. q. s. stent in digestione fiatque dein l. à Tinctura. Puluis nephriticus *Rolfincij* non contemnendę virtutis est.

℞. *Ocul. canc. ppt.*
sanguin. birci ppt. ana ℥ j ß
lapid. indaic.
nephritic. ana ℥ j.
ocul. lucij pisc.
sem. milij solis ana ℈ ij
crystall. tartar. ℥ ß
salis ℈ j.
M. F. puluis.

Sic & *Michaelis* puluis nephriticus seq. magni æstimatur.

℔. *Lapid. nephritic.*
percar. ana ℥ i. ß
lyncis,
indaic. ana ℥ j.
spongiæ.
crystall.
glaci mariæ,
cancror. ana ℥ ii.
aquil.
ophit, ana ℥ i.
ouor. struthij ℥ ii ß.
M. F. pulu. subtilissimus dos. ℥ i

Inter salia, præter superius enumerata, sal Crollii pro magno arcano circumfertur; it: insigne & admirandarum virium lythontripticon est sal tartari volatilisatum. Efficax etiam erit laudanum vrinarium *D. Mich.* quod singulariter in vrina prouocanda, calculo expellendo, renum obstructionibus aperiendis, doloreque sedando deprædicatur:

℞. *Succ. liquirit. in aq. alkek. sol.*
℥ i ß
camphor. ℥ i.
croci orient. ℈ iv.
baccar. alkek. ℥ ß
gumm. tragacanth.
mastich. ana ℥ i. ß
laudan. opiat. ℥ ii.
M. F. pilulæ.

In grandiore vesicæ calculo nulla curatio nisi Chirurgica locum habet. Aliter autem comparatum est cum calculis minoribus, aut ex arenulis quasi cohærentibus prognatis, qui subinde & dissolui, & ordinario expelli possunt. Sed interea dum his incumbit Medicus nec diætam negligat, nec causas antecedentes, nec symptomata, si quæ adsint, grauia. Cæterum, si quis curiosus etiam nosse velit, quæ circa lithotomiam requirantur, & quæ in ea obseruanda sint, videat inferius librum nostrum Chirurgicum, si plura cupit, adeat *Paræum, Fabricium, Hildanum, Barbette* & alios. Sequentem

tem soleo in desperato casu infundere liquorem per syringam in vesicam.

℞. *Therebinth.* ℥ ij.
ol. scorpion. s. ℥ ß.
eß. iuniperi ℥ j.
balsf. sulph. succin. ℥ ß.
sacch. saturn. ℈ j.
aq. alkek. vnc. j. *M.*

In vesicæ, & renum inflammatione externè sequens linimentum applicandum.

℞. *Vnguent. refriger. Gal.*
rosat. Mes. ana ℥ ß.
ol. papau. alb. exp. ℥ j.
sacchar. saturni ℈ ß.

M.F. Linimentum. Internè conueniunt lap. Prunellę, nitri, Antim. fixat. Tinctura ros. violar. Sacchar. Saturni, ol. camphoræ maximè à nobis laudatur. Ex. gratia.

℞. *Lap. Prunell.* ℥ j.
sal. Saturni gr. x.
pulu. sant. ℈ j.
Diuid. III. *part. æq. pro tribus dos.*

In *scabie vesicæ* conueniunt ea medicamenta omnia, quæ sanguinem purificant, & serum educunt, inter quæ Mercurius dulcis eminet, Ex. gr.

℞. M. P. *de fumar.* ℈ j.
mercurij dulc. gr. xII.
scamon. ros. gr. IV.
cum spir. therceb. F. l. a. pilulæ pro vna vice.

Vel. ℞. *Herb. fumar.*
agrimon:
trifol. fibr. ana m. j.
flor. bellid.
violar. ana p. iij.
rad. polypod.
rhabarb. monach. ana ℥ j.
fol. sem. ss. ℥ vj.
cremor. tartari ℥ ij.
F. Nodulus l. a. pro vino.

In *vlcere verò renum, & vesicæ*, si vlcus est ab vsu cantharidum, lac præcipuè prodest, si in eo coctæ fuerint rad. symphit. altheæ propter mucilaginem. Ess. fl. hyperici, agrimon. & alia vulnerar. Ex. g.

℞. *Aq. agrimon.*
flor. hyperic. ana ℥ iij.
essent. flor. hyperic.
agrimon.
oc. ul. cancr, ana ℥ ij.
syr. de symphit. ℥ ij. M.

Vlceri ab vrina acri conuenit decoctum altheæ, Tinct. ros. Epatic. rubr. Si ab humoribus salsis & acribus, conducunt pil. de therebint. Syr. de nymph, aq. endiu. purgandum est tamarindis. In *vlceribus & fistulis vesicæ*, vbi multum puris effluit, suadeo balsf. sulphuris terebinth. anisatum, & succinatum. Conueniunt etiam omnia vulneraria, & specifica, vt succus cancrorum per syphonem infusus.

In *Ischuria* verò explorandum per catheterem, vel candelam ceream; cum oleo amygd. dulc. inunct. vel ol. lil. alb. addito parũ ol. scorpionis, num obstructio meatus vrinarij sit à materia aliqua viscosa, à qua dum comprimitur, & dolet musculus sphincter, & contrahitur, vel an sit à calculo, vel spasmodica contractione, ab austero nimio, vel acri acido inducta. Hic prosunt in genere omnia illa, quæ in præcedentibus, & calculo proposita sunt. Clyster emolliens prodest, cuius vapores ex intestinis in abdomen, & vesicam prouenire possunt. Extrinsecus solemus applicare decoctum ceparum in vino intrinsecus verò tanquam specificum est spir. salis armon. vrinos. super cortic. aurant. cohobat. inter pellentia prosunt, sed prius humores edulcorare debemus, antequam ad hæc transeamus, vnde & hoc casu mercurium dulcem, vel puluerem rad. liquiritiæ exhibemus. Si audeamus pellere, & spes sit materiam obstruentem per vrethram transigi posse, sumamus ol. Iuniperi a ℈ ß. ad gutt. xII.

Conueniunt quoque succus cancrorum expressus sal fimi columbini, flores chamomillæ, consolid. regal. vino coct. sal. silicum, emuls. sem. violarum, & nuc. persic. Optima verò Tinctura est vermium maialium, maluati cum iuniperi conducit hic & Essent. verm. terrest. dum destillatus eius spiritus & superfunditur, hacque ratione essentia extrahitur, pellit fortiter spiritus lumbric. Scarabæorum, item spir. terebint. c. oleo scorp. pro rusticis succus stercoris equini, valde prodest,

su-

ſumuntur quoque IV. nuclei perſicorum aq. vrticæ, vel ſumitur ſal rad. lupinorum ʒ j. Si verò hæc pellentia dolorem augeant tunc loco eorum oleum amygd. dulc. aut lac dulce aſſumendum. Si affectus à nimia extenſione ortus eſt, confert cataplaſma ex parietaria cum oleo ſcorp. ſeu ex cępis, & parietariâ. In *Iſchuria notha* conducit ſpecificè eſſentia prædicta lumbricorum, mag. ouorum ſtruthion. vel liquor teſtarum ouorum excluſis pullis, item hoc caſu maximè commendo ſpiritum vrinæ, ſal armoniac. vrinoſ. Ex. gr.

℞. *Aq. fl. cyan.*
calcatripp. ana ʒ iij.
mag. nephrit. ʒ j
ſpir. vrin. vol. ʒ ß.
ſyr. fragor. ℥ j.
M. *cochleatim aſſumend.*

Calculi aut arenulæ meatum vrinarium obſtruentes, per catheretem optimè à perito chirurgo retrudi poſſunt. Si verò obſtructio à ſpaſmodica contractione ſphincteris, & fibrillarum fit, exempla enim nos docent, quod aliquis licèt nunquam arenulas aut calculos excreuerit, poſſit tamen incidere in ſuppreſſionem vrinæ, aliquando & ſerum ad veſicam non defertur, eſtque iſchuria notha. In ſpaſmodica illa iſchuria conuenit clyſter cum ſero lactis, cui addi poteſt ſal aliquot diureticum, vt magis aperiantur pori veſicæ obſtructi. Fotus quoque adhiberi poteſt ex herbis emollientibus, & addi quoque debet ſal diureticum; prodeſt hic quoque oleum ſcorpionum, conueniunt & hic omnia antiſpaſmodica, cinabarina, abſorbentia ſpecifica, nam nuper me exemplum Conſulis Hanouienſis docuit, qui non duntaxat in tali Iſchuria contractionem conuulſiua circum veſicam habebat, ſed totum etiam corpus indeſperato hoc malo conuellebatur qui & ſatis cedebat. In tali caſu aliàs magnipẽdo ſequẽtẽ puluerẽ.

℞. *Cinnabar. nat.* ʒ j.
aſell. ppt.
pulu. liquirit raſ.
ocul. cancr. ppt. ana ʒ j.
M. F. *pulu. ſubtil. doſ.* ʒ j. *ad* ʒ ß.

Vel ℞. *Ocul. cancr. pulu.* ʒ ß.
ciner. anicul. regul. ʒ ß.
ſanguin. leporis ʒ j.
M. F. *pulu. in* III. *part. æq. dividendus.*

Vel: ℞. *Ocul. cancr. pulu.* ʒ j.
ſyr. dialth. ℥ j.
aq. petroſelin. vnc. ij. ß.
ol. iuniper. deſt. gutt. iij.
M D. *Pro* I. *doſi*

Sal ſuccini & hic poteſt eſſe diureticum Halecum veſiculæ exſiccatæ exhibitę proſunt internè. Regio pubis decoct. parietar. fl. ſambuc. & ſem. apij, dauci cum ſpongia foueatur, & poſt fotum ol. ſcorpion. & vnguento dialth. inungatur.

Vel: *Rad. allij.*
cepar. ſub. cinerib. aßat. ana ℞. II. *ſem. lini.*
bacc. iuniper. ana ʒ ß.
ſem. carui ʒ ij.
herb. cherefol.
parietar.
flor. geniſt. lupul.
chamom melilot ana m. j.

Craſſiuſculè inciſa coq. in modica aq. & vini quantitate ad liquoris conſumptionem, leuiter expreſt. add. ſal. diuret. ℥ ij.
Ol. ſcorpion.
vermium terreſt. ana vnc. j.
M. *ad modum cataplaſm.*

Pectini & perinæo calide applicandum. Conuenit & in omnibus *Iſchuriis* balneum, os etiam aqua fontan. colluendum eſſe experientiâ meâ ſuademus, quoties enim aquam in ore detinemus, ſtatim inſtigamur ad mingendum. Nouimus quendam, qui in deſperata ſuppreſſione vrinæ ſumpſit copioſè vinum Rhenanum antiquum, & ſanatus fuit. Sic & obſeruauit Barthol. *in Act. Hafn.* vbi amicus ipſius, exhauſto vnico cochleari aquæ vitæ intra medię horæ interuallum vrinam reddere cogitur bis teruè, licet ante hauſtum veſicam exonerauerit, rationem reddit, ſpicula illa ſalis tenuiſſima, & ramenta acutiſſima oleoſa in aqua vitæ reſidentia, ſubitò fugere ad renes, ductuſque ibi aperire. Sequentes pilulas magnificamus.

℞. *Therebinth. venet.*

pa-

parum toſtæ ʒ ij.
ſucc. liquirit.
pulu. eiuſd. ana ℈ ij.

M. F. pilul. cicer. mai. magnitudine pulu. milleped. aſpergendæ.

Decoctum ſabinæ, raphani potenter vrinam pellunt. Si aciditas adſit ſanguini tunc oc. cancr. & corallia, quæ acida infringunt, & ſimul ſunt diuretica, inſignem vſum præbent.

Hic omnia emollientia, edulcorantia, acrimoniam corrigentia, & pellentia conueniunt, quæ in *nephritide* conuenire diximus, omnia calida veſicæ grata ſunt, frigida verò noxia. Affectus hic per ſe, non indicat purgationem, ſed ſi conijciamus, viſcoſitatem adeſſe, poſſet purgatio lenis inſtitui, & ſic caſſia vtilis eſſet, quæ mollibus ſuis particulis ſal inuoluit. Ex. gr.

℞. *Caſſiæ ex tr.* ʒ ij.
pulu. ialap. ℈ i.
ſacchar. q. ſ. pro bolo efficiẽdo S. pro vna doſi.

Si oritur ab vrinæ acrimoniâ, confert oleum deſtillat. cort. aut maluat. iuniperin. poſſunt & ſpecificis miſceri medicamenta falſos, & acres humores educentia, & demulcentia. Syrup. dialt. Fern. decoct. rad. alth. & ſumm. malu. add. ſem. maluæ, & papau. ad ʒ ß. Vinum generoſum ſolum hunc affectum ſoluit, teſt. Hipp. ſ. 7. apſ. 18. Omnia blandiora aromatica, & volatilia hic ſunt proficua, inprimis armonicalia oleoſa, ſpirit. enim ſalis armoniac. volatilis ſuper cortic. aurant. cohobatus, & hiſce aſsumptus, numquam te in ſtranguria fallet; ſunt qui ſal injciunt cereuiſiæ, alij ſilices, ocul. cancr. exſtinguunt in vino, & exhibent, ſeuum vaccinum, vel hircinum multos iuuat, vmbilico illitum. Ad aciditatem in ſanguine abſorbendam commendo ocul. cancr. aliaque abſorbentia, ſimulque diuretica. Pilul. de terebinth. ſubinde quoque ſumi poſſunt, porro ſal geniſt. fabar. millepedum puluis, & Chriſtallus martis proſunt. Si ſal peccet proſunt ſpir. ſalis, ſal vitriol. ſulphuris, &c. Conuenit ſerum lactis cum flor. cyan. & calcantippa, & decoct. cicerum, proderit etiam pecten, & & perinæum ol. ſcorp. c. ſpirit. terebinth. mixtum inungere. *Stranguriæ* à refrigeratione ortæ externè medetur ſequens linimentum ex *ol. rutb. coct.* ʒ iij. *rutb. deſt.* ℈ ß. *ſeu birc. q. ſuff. ad liniment. conſiſtent. interne ſequens bolus ex midriat.* ʒ j. *rutb. deſt. aurant. anagutt.* iiii. *cum ſacchar. q. ſuff. parat.* Omnia conueniunt neruina, cinabarina, oleoſa, item ſtomachica, aromatica, opiata, &c. In diæta potus nimius vitetur, ne nimia copia vrinæ congregetur in veſica. Oua ſorbilia, iuſcula veruecina, lac, amygd. oryza, eaque omnia, quæ ſalis acrimoniam obtundunt, & corrigunt. In ſtranguria virulenta à lue venerea ſemper ſpecifica contra hunc morbum admiſcenda ſunt: & ſi in vrethra vitium hæreat, iniiciantur per ſyphonem varia corrigentia. In ardore vrinæ, & dyſuria conueniunt & hic quæ ſupra ſunt notata, & inprimis omnia medicamenta ex therebinthina, ſpecies terebinth. Mynſ. ſpecificè tamen hic proſunt fructus, & alkekeng. & ex ijs parati trochiſci cum opio, puluis, & extractum liquiritiæ, aqua contra ardorem vrinæ Mynſ. decoct. contra ardorem VVekeri, ſyr. de cort. aurant. lac vel per ſe, vel cum appropriatis aſsumptum hic etiam conueniunt opiata reliquis appropiatis iuncta.

℞. *Trochiſc. alkek. c. op.* ii.
terr. ſigill. ʒ j. ℈.
theriac. cæleſt. g. iij.
℞. F. *Pulu. ſubtiliſſimus.*

Terra ſigil. & ocul. cancr. vel ſilices potui ordinario iniiciantur, omnia hic proſunt ſanguinis acrimoniam corrigentia, & præcipitantia medicamenta. In dyſuria maximè prodeſt, Electuarium ad ardorem Fallopij.

Maiorem ſanguinis effluxum impedit V. ſect. in bracchio, vel alibi inſtituenda; ado. medicamenta temperantia, incraſſantia, & anodyna, vaſa verò claudunt, conſolidantia, & adſtringentia, præ alijs vegetabilibus conuenit agrimonia, ex qua & floribus hyperici, eſſentia traumatica, parari poteſt. Poterius mirè commendat decoctum iuæ artheticæ Mynſin potu pe[illegible]

ali-

aliquot dies. Conducit & hic saturninum antiphthisicum cum syrupo corall. vel dialth. Fern. sæpiùs exhibita. Troschisc. Gordonii præcipuè valent, si pus excernitur. Grumos verò sanguinis dissoluunt medicamenta incidentia, attenuantia, calida, & diuretica, ♀ n. diaphor. bezoart. miner. ☉ re, lunare, limatura & crocus ♂ tis adstring. vitriolum ♂ tis ad albed. calcin. ocul. cancr. sperm. ceti, mumia, specificè prodest, lapis specularis ad ʒ ß. Sint in iuniorum gratiam nonnullæ formulę nostrà experientià confirmatæ:

℞. *Succ. plantag. Vel millefol. depurat.* ʒ iij.
aq. cinamom. ʒ ß.
corall. rubr. ppt.
lapid. ♋ *ppt. ana* ℈ j.
diacod. ʒ j. *M.*
Dosis subinde cochlear. I.

Vel mixtura notissima Sylui:

℞. *Spec. diaplantag. Mynsi.* ʒ ij.
croc. Mart. adstr. ℈ ij.

M. F. puluis pro aliquot dosibus vel detur essent. Mercur. adstring. ad gut. L. Lx.

Vel: ℞. *Essent. agrimon.*
hyperic.
mumiæ. ana ʒ j.
M. dos. gut. xL.

Vel: ℞. *Aq. millefol.*
plantag.
agrimon. ana ʒj.
essent. eiusd.
hyperic. ana ʒ j.
syr. de sympbit. Fern. q. s. M.

Summo etiam cum successu vsurpatur laudanum opiatum, vel cydoniatum, vel pilulæ d. cynoglossa, d. styrace, Theriac. cœlest. &c.

Sequens apozema multo vsu mihi comprobatum est:

℞. *Herb. agrimon.*
alchimill.
sanguisorb.
millefol. ana m. j.
flor. hyperic.
musc. prun. sylu. ana m. ß.
flor. vos. rub. m. ß.
rad. symphit.
plantag.
tormentill. ana ʒ ß.
sem. hyperic.
plantagin. ana ʒ ij. ℥
Coq. ex aq. fontan. Colat. ʒ xviii. *adde*
aq. Cinamom. ℈ j. ℔
corall. rubr. ʒ j ß. ℥
sirup. d. ℥ *symphit.* ʒ iij.
M. *Dos.* ʒ iv. *bis in die.*

Possunt etiam ex iisdem speciebus sacculi confici, & aquà ferrarià coqui, renibusque applicari. Liquor ille stipticus potest in vsum trahi, qui omnibus fluxionibus sanguineis egregium existit remedium. Externè verò quæ in vsum veniunt, sunt vel frictiones, vel ligaturæ partium superiorum, vel ventosæ, vel hirudines, vel vnguenta, linimenta & emplastra adstringentia, aut lumbis aut pubi applicanda. Ex. gratia

℞. *Vnguent. Comitiß.* ʒ j.
croci Mart. adstringent. ʒ ij.
ol. myrtillor. q. s.

F. linimentum. Reliqua superiùs videre poteris.

Si *incontinentia vrinæ* à neruorum paralysi oritur, vnctio fiat, cum oleo & vnguento neruino adiectis variis adstringentibus. Ex. gratia

℞. *Vnguent. neruin.*
martiat.
Comitißæ ana ʒ j.
croc. Martis adstringent. ʒ ij.
ol. Mastichin. q. s. pro linimento M

Balnea etiam ex neruinis parata conducunt. Si verò à sphincteris laxitate & fibrillarum nimia extensione & mollitie, in hoc casu conueniunt omnia medicamenta calefacientia, additis medicamentis cephalicis & antiparalyticis: Specifica verò sunt lignum mastichin. stomach. gallin. cineres erinac. combust. pudendum suillum vel coctum vel assatum, & commestum. Vesica capræ clibano exsiccata, & pulueriſata ad ʒ j. exhibita, piscis in ventre lucij piscis inuentus, puluis buson. combust. medulla lapidis, lignam aloes, hæc omnia prodesse creditur.

℞. *Ciner. erinacei,*

pulu.

pulu.interior.ventric.gallin. tunic.vesicæ capr.exsiccat.ana ℥ ß.

M.F.pulu.pro aliquot vicibus.

Sic & sacculi possunt confici ex thacamahacà, rad.tormentill.fol. quercus, rad. symphit. & in aqua ferraria coqui, & applicari. Mirã habet historiam Bartholinus de puella quadam, quæ cũ multis generosis vsa esset remediis, quibus nihil iuuantibus, tandem ab incontinentia vrinæ liberabatur, cum vitrum propia vrina impletum apud demortuum in ferali capulo recondit, & sic semper ad consuetum tempus vrinam benè retinuit.

In *Diabete* conueniunt omnia leniter adstringentia, vt sunt omnia martialia & potus chalibeatus. Purgantia siue non, siue leniſſima, adhiberi debent. Ex. gr.

℞. Elect.Hydragog.Sylu. ℥ ij.
cremor tartari ℈ j.
aq.petros. q.s.
M. F. bauſtus.

Corpore euacuato reliqua discutienda sunt, vel decocto aliquo lignorum, vel opiatis, prout testatur *Etmullerus* amicus noster colendus in Disp. de opij vi. diaphoretica, hisce verbis: *Diabeticorum vrinarius nymbus per opiata, sistendus venit.* quare commendo laudanum ribesiatum, vel cydoniatum, Theriac. cœlestem, vel laudanum solare nostrum. Prosunt & Tinctura Martis, corallorum, sulphuris, vitrioli, croc.Mart.adstring.

℞. Spec.diaplantag.m. ℥ iij.
croc.Mart.adstring. ℥ j ß.
M.F.Pulu.dos. ℈ ß. *ad* ℈ ij.

Diaphoretica hic sunt vitanda, quæ simul sunt diuretica, vrinam enim hic mouere minimè conuenit. Clyster conuenit ex infrigidantibus, vt nimium humorum motum sistat, & leniter adstringentibus, vt poros restituat. *Riuerius* sequentem habet formulam.

℞. Conseru. ros.r. ℥ iiij.
corall. rub.
C. C. vst. ana ℈ j.
c.myuæ cidonior.q.s. F. Electuarium.

Decoctum ex semine papau. alb. foliis ros.rubr. rad.tormentill.bistort.ana ℥ j. cum quo crystall. Martis ad gr. vj. sumi possunt, quod puluis omnibus sufficiet; Corall. rubr. terra sigillata, bolus armena, lap.hæmatit.conseru.ros. maximè prosunt. Conueniunt hìc quoque ea omnia, quæ lentorem sanguini inducere possunt, vt gumm. Arabicum, tragacant. mithridat. Dam. theriaca rec. decoct. pruni sylu. Alii laudant lac bubul. caprill. in quo silices candentes extincti sunt. Aqua aut serum lactis chalybeat. etiam conducit, decocta varia ex adstringentibus parari debent. Externè etiam regioni lumborum admoueri possunt, aut vnguenta, aut fomenta, aut linimenta leniter calefacientia, vt emplastrum stipticum, ol. myrtillorum, cydonior. additis succis & pulueribus adstringentibus, &c.

CAPVT XIV.

DE ARTHRITIDE VAGA, & Fixa, seu Podagra.

§. 1. *Arthritis*, passio arthritica, *Plinio* morbus articularis, *Celso* dolor articulorum, *Paracelso* morbus tartareus, nonnullis per iocum sat graphicè tamen, vocatur *Dominus morborum, & morbus Dominorum*, Barbaris *Gutta*, nostris Germanis *ein Fluß Vicht Gliedier vvehe* quia ex defluxu quasi guttatim facto, hoc malum excitari credunt.

DEFINITIO.

In genere & vulgò *definitur*, quod sit dolor articuli partiumque vicinarum circa articulum ab humore aliquo acido extrauasato, fibrillas, articulos hoc cingente & irritante, oriundus.

DIFFERENTIÆ.

Arthritidis nomen generale est, cuius statuuntur vulgò quatuor species, à diuersis articulis diuersa nomina sortitæ. *Chiragram* dicunt cum manus, *Gonagram* cum genua, *Ischiam* cum articuli circa coxendicem, & *Podagram* cum pedes hoc infestantur immani dolore, nec à dolore hoc immunes sunt cubiti, humeri, carpi, malleoli, articuli. Nos quintam addamus speciem, puta *Arthritidem vagam*, articulos ferè omnes

omnes infestantem. Dolor hic non est, vti in reliquis, fixus & stabilis, sed potiùs vagus, & errabundus, subsultorius, & saltans in corpore. Scorbuticus dolor maximè variat, arthriticus verò pungit, rodit, & tendit articulos.

Arthritis cum *nephritide* necessitudinem adeò coniunctam habet, vt vtrique affectus, quasi eiusdem originis sint, sæpissimè enim concurrunt, quippe nullus ferè morbo illo laborat, qui etiam huic obnoxius non reperitur; porrò inueterata arthritis concretiones lapideas in articulis, quales nephritis in renibus fabricare solet.

Affectus arthriticus aliquando contagiosus est; experientiâ enim, & ratione constat, multum salis volatilis adesse, quo possit contagiosa esse. Dolor miseros ægros maximè infestat, cuius etiam tanta nonnunquam ferocia, tanta est atrocitas, vt eo laborantes ad violentas manus sibi inferendas cogitent. *Affectus arthritici* omnes, tanquam reliqui morbi tartarei, cum semine parentum in liberos transferuntur, inde & inter *hæreditarios* recensetur morbos.

Aduentitia quoque erit arthritis, quæ ex varijs causis mutationibusque in corpore ortum ducit. Podagricus etiam facile futuras sentit tempestates. Arthritis diuturna sæpiùs scorbutum sibi accersit, & affectus quidam scorbutici Arthrididem ita planè mentiuntur, vt non facilè distingui possit, quia similis in vtroque affectu sanguinis, & seri est discrasia, à sale acido & fixo pendens.

PARS AFFECTA.

§. 2. Nonnulli pro fonte huius mali cerebrum, catharros humoresque acres ad articulos ablegans statuunt, alij Hepar, Pancreas, glandulas conglobatas conglomerataſque prout facit *Syluius*, qui pro loco affecto membranea ligamenta ipsos articulos cingentia, & colligantia, tanquam fontes huius mali, tanquam subiectum causæ ponit. *Helmontius* ventriculum primò accusat, quòd & facit *Th. Sydenham* in Nouissimo suo de podagra Tractatu. Nostro iudicio subiectum sunt Ventriculus, articuli, parteſque omnes vicinæ sensiles, nerui, tendines, membranæ, ligamenta. Partes ergò sensiles plerumque sunt membranosæ, neruosæ, & perioſtia inprimis in cauitatibus circa articulos membrorum ferè omnium, prout enim dolor, vel hunc, vel illum occupat articulum, ita quoque alia atque alia eius solet esse denominatio. Partes ergò membranosas, & fibrillas neruosas, perioſtium constituentes, pati ex eo arguere licet, quod omnes membranæ in corpore nostro ope spirituum animalium, animæ ideas offerentium, sentiant, adeoque tactus sint instrumentum, in quem vsum, & finem scribit *Archangelus*, *Picolomineus l. 6. prælect. 6.* membranas nobis elargita est natura, vt essent tangendi organa, earum enim ope partes sensu pollent acutissimo, ex eo etiam elucet, quod vbi podagra tophos parturit, eos non in cauitate articulorum sed potiùs in partibus articulos ambientibus producat. Inde *Willisius* hunc affectum inter morbos capitis, & neruosi generis refert, sedem enim in partibus neruеis esse, à symptomate primario, sc. dolore, concludit, Sic & *Cornelius Piso*, & *Fernelius* huius affectus causam intra caput existere statuunt.

DIAGNOSIS.

§. 3. Affectus sui ipsius index est, quis enim est, qui dolorem hunc non agnoscit? imminentem arthritidem inter alia torpor arguit, aut sensus in articulis propter morem solito exquisitior, vt à leuissima quasi lædantur causâ, eorundem ardor & leuissimus rubor, subinde cum aliquando sine tumore, inprimis si hæc subinde repetant, continuò grauiora & maiora. Præcedit quandoque febris; sæpè criticè ab alia febre producitur, à glandulosо lymphaticis febribus sæpiùs producta obseruaui arthritidem vagam, mentitur aliquando ab initio Erysipelas, si verò sine inflammatione est, & citò fit, dicunt esse catharrum. Præsentem verò demonstrant arthritidem, quando nempè certis temporibus circa iuncturas articulorum vnius, vel plurium dolor inflam-

ma-

matorius cum tumore percipiatur, sæpè dicunt ægri nil aliter sentire, ac si à formicis essent tacta membra, si dolor excruciat brachium, tunc digitis omnia percipiunt crassiora, quam natura sunt, & pedis articulum præcipuè sinistri pollicem frequentiùs inuadit, vnde postmodum facilè ad alios exporrigitur articulos, & quasi ascendere sentitur ad genua, vel ad alterum lateris. Dolor in ipsa articulatione subinde maior, subinde minor, quandoque etiam intolerabilis, adeo vt animi deliquia, conuulsiones, &c. patiantur patientes. Motus quoque adest impotentia, nam arthritide afflicti eam partem, quæ laborat, omninò mouere non possunt, nisi cum intolerabili doloris exacerbatione. Febris, ceu dictum est, vel synocha, vel intermittens antecedit, vel comitatur nullo, vel notabili frigore aut calore molesta sed leui capitis dolore infesta, subin. de tamen sitis maximè vrget, nunc sequuntur etiam vigiliæ, virium deiectio, appetitus prostratus; &c. In vrina Arthriticorum in parietibus vrinalis vt plurimum reperio arenulas ruberrimas. Pulsus in hoc plerumque est frequentior, & minor, dein aliquando maior. Rubedo articuli adest instar Erysipelatis, sed dignoscitur ardoris vehementiâ, quæ intensior est in Erysipelate. Rubedo hæc sæpiùs stipata est cum doloribus, & tumore, color est aliquando ex rubro, & flauo, vel ex rubro pallidoque mixtus, tumor etiam est saltem vaporosus. In malo inueterato tophi apparent, sæpiùs quoque irascuntur ægri, & sic somitem mali augent. In Arthritide vaga dolores sunt inconstantes, & vagi, modò hos, modò illos inuadunt corporis articulos, in scorbutica arthritide nigricantes sæpè maculæ apparent, & pulicum morsibus sunt similes, aliquando cum tumore pruriente, quasi vtricæ vrentis vilieessent experti ægri, quod mulierculæ vocare solent idiomate germanico *die Nesselsucht*. Has maculas nonnunquam in principio rubicundas, hinc purpureas, & subliuidas, tandem ad nigrum colorem inclinantes vidimus, partes etiam affectas sudantes, & saniem ichorosam concernentes obseruauimus. *Vniuersalis* illa *Arthritis* instar ignis statui est, modo hanc, modò illam accendit partem, interdum remissionem simulat, sed opinione ægri citiùs redit. Doloris Ischidaici signa sunt, dolor continuus in illis partibus impotentia totius cruris, tibiæ & pedis ad motum animalem, absentibus tumore, & plerumque etiam ardore, & similibus alijs inflammationem consequentibus signis. Podagrici sæpè ob nimium spirituosorum abusum patiuntur Hæmorrhagiam narium & sibi accersunt indigestionem ventriculi ex qua dein plura oriuntur mala, de quibus in causis.

CAVSÆ.

§. 4. Diagnosi iam tradità faciliùs etiam erit causas enucleare, quas tamen ordine examinaturi sumus. *Galenus* cum tota antiquitate more solito causam propinquam huius affectus dicit esse humorem, & articulorum infirmitatem seu imbecillitatem. In fluxione hac considerant quatuor ipsius discipuli, humorem influentem, partem mandantem, partem recipientem, & viam per quam fit fluxio. Partem recipientem dicunt esse articulos seu ossium coarticulationes, in quibus præsupponunt imbecillitatem, aliàs fluxionem non admitterent. Partem mandantem dicunt mox cerebrum, mox iecur, mox lienem, mox vterum, & quandoque totum corpus. Materiam dicunt esse solum cerebri excrementum, nempè, vel pituitosum, vel serosum, alij ex ipsorum grege addunt interdum esse posse etiam humorem sanguineum, & biliosum. *Mercurialis lib.* 4. rem acu tetigisse sibi videtur, cum causam ponat in miscellam humoris pituitosi, & biliosi. Viam per quam humores defluunt, censent, non esse solum inter carnem, & cutem, licet frequentissima sit, sed per continuitatem membranarum, musculorum, neruorum, aut vasorum, aut per ipsas venas, & arterias, vt à iecore, quæ ob id ar-

ab legant, quæ saltem humores excrementitios, pituitosos, serosos alioſq; generare & augere valent, quarum mentionem infra, vbi de Diæta acturi sumus iniiciemus.

§. 5. Nunc sequitur *Paracelsus* qui vocat ipsam Podagram, à causa, *Synoviam*; nominis à parte affecta deducti vsum liberum relinquit. Podagrici nomine intelligit quemuis dolorem in articulis seu potius Synouia ipsorum existentem; existimat quoque ſpecierum distinctionem, & diuersa nomina superflua esse, licèt ipse *Arthriticam*, *Chiragram*, *Gonagram*, *Sciaticam* interdum vocitet. Locum autem & sedem huius morbi dicit esse synouiam, (*Das Gliedwaßer*) vbicunque enim iuxta eum sit synouia, ibi etiam est podagra. Est verò Podagra, prout in libro germanico de podagra habet, *morbus Tartareus*, *siue salis mineralis* aut *liquoris acetosi in synouia exaltatio*. Salis genera & species sunt alumina, victriola, salia calcinata alkalia aut acetum &c. Hinc si in homine ceu microcosmo producuntur, & perueniunt in synouiam, quæ ipsis contraria est prout est natura salina, acuta, pontica, acetosa alkalia, ita mouetur synouia, & in dolorem & morbum abit, quia hęc duo simul consistere nequeunt; alibi dicit. Quid est aliud podagra? quàm sulphur accensum in synouia sæuiens, ex tribus primis depromptum, aut accendit frigiditatem, id est, *mercurium*, qui facit grandines, & in vtriſque concurrens sal. In *fig. theor. vniuers. morb. l.* 2. Podagram ait non generari ex fluxione, sed ex *spiritu vrinæ*, ipsiusque causam esse tartareitatem cum sale, quando enim is venit ad locum, vbi non datur exitus, ibi adhæresci, & coagulatur in concauitatibus, hoc etiam explicat exemplo aceti, & lactis. Tartarus ille cum sit acutus, premit, distendit, constringit pungitque; Paroxismum verò oriri ait ex permistione contrariorum, salis nempe seu mercurij acetosi cum synouia dulci, sicuti videmus in confusione olei tartari cum aqua forti in qua chalybs solutus fuerit, item si spiritus victrioli oleo tartari confertim infundatur, inde enim tanta producitur efferuescentia, vt fractionis vitri metus sit nisi cautè paulatimque fiat. Differentias dolorum arthriticorum ex diuersis proprietatibus & gradibus saporis sanguinis salibus desumunt *Paracelsistæ*; tinctura enim salium sunt acerbę, austerę, amarę, salsæ, acres, tartareæ, victriolatæ, nitrosæ, & aluminosę &c. vehementiores arthritides sunt, victriolatorum, tartareorum quàm aluminosum & sal gummeorum spirituum, nitrosæ verò arthritides, & salis communis acerbissimos pariunt dolores.

§. 6. *Helmontius*, *indufirius ille per ignem Philosophus*, ait huic affectui subesse liquorem salsum ex latice, & præcedere semper stomachi indispositionem cum febriculà, inde & stomachum accusat, pro causa principali spiritum vitæ fermentali, & artubus hostili aciditate indutum accusat, inde primò culpat stomachum ex digestionum errore. Vno verbo ab *acido* Archęum inficiente ortum habere arthritidem probat ipse; ab acidis enim subtilibus & varijs aciditatis accessus stimulantur, conceptà aciditate synouia grumescit, caſei formis & opaca fit. Est autem synouia ex qua fit, degener morbosus partus, infelix illa nodorum mater. Synouia nihil aliud est, quàm mucilago quædam pellucida, qualis vitulo mactato, amputatis pedibus, è tibijs stillat. Ex indurata illa synouia fit illa calx, & creta Podagricis aliisque familiaris atque solemnis, quæ creta podagrica fit per exsiccationem. Podagram excitari posse à concubitu per libidinem & alibi Author statuit.

§. 7. *Vvilisius* horum dolorum causam morbificam nunquam sanguinem esse cõtendit, quia tumores arthriticorum nunquam suppurantur. Arthritici etiam quasi cum priuilegio (nempe ob salinas humorum discrasias) à diathesi febrili immunes habentur. Statuit ergo in morbi huius minera humores genuinos concurrere, mutuo efferuescere, ex eorum enim lucta, & efferuescentia fibrarum nerueatum

tum vellicationes dolorificas exoriri probat, pari modo ac cum spiritus vitrioli oleo tartari infunditur. Si ergo liquoris nervei, iuxta Authorem, à volatilitate in fluorem sive aciditatem degeneres particulæ, fluxionibus inde exortis, nimiâ copiâ in artus alios descendat, quatenus illæ ibidem cum *muxo salino* sive lixiuiali prius aggestæ effervescunt, paroxismos arthriticos cient. Primò ergo mineram salino fixam circa ostium internodia depositam ponit pro causâ coniunctâ, non ergò esse vel humorem bilioſum vel pituitoſum inculcat. Ad procatarxin hanc præuiam nempe salino fixam, & sanguinis discrasia, & membri affecti debilitas conferunt. Quod spectat ad causas *euidentes*, de quibus liquor nutritius è sanguine articulis allatus *sale fixo* nimis imbuitur; Prima est *ipsi* dispositio hæreditaria, dein ob malam victus rationem, & errata in sex rebus non naturalibus insertur. Qui enim crapulæ, & Baccho dediti multum ac inordinatè comedendo & bibendo genio indulgent, atque inprimis si alimentis salsis, & aliis concoctu difficilibus vescuntur, & vini pocula auare hauriunt, facilè sibi hunc morbum accersiunt. Succi nervei acetositatem etiam præ aliis in hoc morbo Author accusat, & multis rationibus probat, fluxiones acetosas ab humore nerueo produci. Hoc ergo in affectu iuxta ipsum à sanguine secretæ fæculentiæ salinæ sive lixiuiales in loco aliquo depositæ mutuo effervescût, ita vt effluuia illa acria & veluti corrosiua, qui abscedunt, lumbricum loco dolenti impositum & suspensum enecant.

§. 8. *Syluius* vti in omnibus ferè affectibus, ita & hìc ad succi pancreatici ac lymphæ acrimoniam acidam, bilisque atque humoris saliualis vitium, & ex horum in intestino confluxu oriundam præter naturalem fermentationem, & humorum corruptionem confugit, & prout hi humores magis aut minus acres existunt, ita etiam dolores magis minusque acres esse contendit. Si enim succus pancreaticus, lymphaque magis ineſſent bilique occurrant acriori, dolor satis molestus excitatur, verum magis ardens quàm rodens. Si verò succus pancreaticus lymphaque magis inertes pituitam viscidam bilemque minus acrem offendunt ab ea sc. pituita obtundatur succus pancreaticus, ac tumore œdomatoso quàm dolore acuto affectæ partis motus tunc impeditur, idcirco vbi dolor est vrens, potius quàm rodens, acrimoniæ id portus salinæ quàm acidæ imputat, vbi contra dolor magis rodens quam ardens est, vti in regionibus frigidioribus sæpius obseruatur, potius acidæ quàm salinæ adscribit acrimoniæ. Putat ergò in arthritide vt plurimum liquorem in glandulis, puta tum pancreatis conglomeratis, tum passim conglobatis omnibus præparatum primariò peccare, & plurimorum, inprimis huius, morborum causam esse indeque productam effervescentiam vitiosam deducit, & optat vt effervescentiarum species infinitæ ferè, plus minus inter se variantes, in certas redigantur classes, quo non tantum illorum cognitio, verum etiam curatio innotescat. *Tackenius*, & *Suualbe* suos hìc ostendunt pugiles Alkali & *acidum*, à quorum infelici pugna iugiter dolores hos arthriticos producere aiunt. *Thomas Sydenham* felicissimus apud Anglos Practicus, amicus noster singularis, per 25. annos podagra vexatus, labefactatam tam in partibus quàm succis corporis vniuersis concoctionem in podagra culpat, quam vt plurimum lædi ait, à spirituum animalium defectu, veneris vsu nimio, vel ætatis consumptione exorto, de quo vide ipsum Tractatum de Podagra & Hydrope, quem nuper in gratiam curiosorum, & solatium podagricorum hìc Cassellis typis mandare curauimus. Aliàs *Angli* ab acrimonia salina vel acida succi nervosi dolores arthriticos exoriri, firmiter credunt.

§. 9. Qui in magni *Carteſij* castris militant, diuersas salium angulares figuras adferunt, quando enim à causa quadam præcedête in sanguinem deferuntur particulæ scabræ, vel salinæ crassiores, qui eum

inci-

incidunt circa articulos, vbi plures sunt partes membraneæ, quarum pori constantiores sint, quia non facilè sese accommodant figuris particularum transmittendarum, hinc particulæ istæ scabræ & angulares seu salinæ ibi hærentes scabritie sua & cuspidibus lædunt fibrillas neruosas, aut particulæ illæ salinæ acrimonia sua easdem fibras vellicando, dolores illos atroces producunt, & haud dissimiles humores ijsdem particulis imprægnati eo delati, & reliquos prementes dolorem augent, & tumor sæpè adest cum leni inflammatione, & tunc dicitur *Arthritidis vera* ex causa calida orta, & videtur ibi sal, permixtum humori peccanti, esse magis volatile, & tunc facilioris solet esse curationis, & vt plurimum arthritidem infert vagam.

§. 10. Perspectis aliorum opinionibus, nunc etiam nostram proponamus, vnumquemque enim suo abundare ingenio concedimus, sed absit Nemesis dicto, iudicamus maiorem magnorum & celeberrimorum virorum discrepantiam sæpè sub verborum lusu latere, quod enim veteres humorem biliosum, nostro æuo salis alkali lixiuiosi nomine indigatur; quod pituitam acidam salsam crassam dixere, nos dicimus humorem saliualem, ac lympham acidam salsam ac viscidam; quod verò melancholiam nuncuparunt, impuritatem sanguinis tartaream ac succi pancreatici, præprimis acido-austeriusculi ichoribus nomine venit, si res verò intimius spectetur, cum antiquis quidem nonnunquam re conuenimus & verbis maximè ab inuicem distamus, sed vt verum dico, melius tamen res à Neotericis enucleatur, & facilius remedium idoneum inuenire possumus. Exempli grat. Si hoc in malo bilis exsuperet, acidis ergo esset curandum, sed ab acidis malum hoc potiùs exasperari obseruamus, & sic de cæteris; nimis enim generaliter causas morborum allegant *Veteres*, & nunquam intimius rem perspexere, vti hodie fit. Nos ergò huius affectus causam statuimus, primum vitium in deprauata latere alimentorum *digestione*, in ventriculo, alijsque visceribus, & glandulis digestioni dicatis, facta, & accusamus *Gasteronacis digestionum præsidis* socordiam, qui facili marte ab hostili acido vincitur, quo victo, hostis in massam sanguineam ingruit, eiusque consistentiam labefactat, vnde dein oriuntur plures hostes, qui & *Microcosmetorem* aggrediuntur, qui tunc ad tutelam suam milites, hoc est spiritus animales ad excubias mittit, ne hostis planè irrumpat, quò facto, necessariò oritur ἀταξία spirituum animalium, qui spiritus per manipulos cum hoste dimicantes, tandem trucidantur, ac deficiunt, hostes verò in humoribus tanquam in syluis latent, & fossulas faciunt ad planè expugnandam arcem. Hostes sunt in arthritide vaga particulæ lixiuiales, in fixa verò acidæ quæ partes membraneas, & nerueas seu ligamenta, & tendines rodere aptæ natæ sunt. Vnde verò fæculentiæ tartareæ sint, ambigitur inter Authores, dum alij eas serum vitiosum, alij verò alium humorem esse contendunt, & vel à sanguine immediatè in partes illas deponi, vel aliunde, inprimis à capite eò defluere affirmant, alii ab his illisuè visceribus malè dispositis prouenire aiunt, Materiam verò harum peccantium lixiuialium, & acidarum particularum aliquando serum, & quidem volatile in arteriis existens ordinariè verò chylum male digestum, & lympham stagnantem, postea verò extrauasatam, & cum tempore etiam ad habitum corporis propulsâque propulsa etiam postea ibi notabilem tumorem facit, maiorem tamen aut minorem, prout quantitas, vel maior, vel minor est, vel plus minusue eò ex apertis vasis lymphaticis affluit. Lympha autem illa modò naturalis, magis præternaturalis est, modò acrior, lixiuiosa modò minus acris, & acida modò viscosior, & tenuior, modò fluidior, modò pura, modò multis lixiuiosis, & acribus salibus referta; prout subiectum est dispositum. Ex glandulis ergo, & eam ductibus lymphaticis circa membranas & neruosas articulorum partes seu ligamen-

ta & tendines, veluti totidem cellulas, copiosè deponitur lympha s. materia peccans, quæ sic circa articulos, congesta rodendo vellicandoque vim suam exerunt, cui cum quædam solito acidiora succi acidi recrementa accedunt, dolores perseuerantes & fixi producuntur, nempè in quantum salis diuersæ indolis commisti valdè efferuescunt, proindeque à mutua particularum lucta & agitatione membranæ insigniter vellicatæ & diuulsæ, in distensiones valde dolorificas aguntur, neu dolores citius remittunt, quàm particulæ hinc congestæ, aut euaporant, aut mutuà luctà subactæ, simulque spiritibus defessis, ab efferuescentia & orgasmo acquiescunt. Totam enim naturæ necessitatem fermentescentibus quasi ligatam seminibus, si dixeris vix aberraueris. Vniuersus namque sublunarium mundus (verba sunt *Clar. Willisij*) videtur non nisi vna & eadem moles, particulis fermentatiuis per totum consita, & valdè prægnans est in qualibet eius regione & angulo, tanquam in molecula sua formicæ in perpetuo versante motu & agitatione huc & illuc circumuolitant, modò sursum, modò deorsum rapiuntur, sibi inuicem variè occurrunt, associantur & rursus decedunt, continua vicissitudine diuersa ineunt coniugia, & patiuntur diuortia, spiritus quoque animales & hoc in casu à particulis istis vitiosis, propè habitacula sua consitis, multum irritantur, indeque in orgasmum incitantur, hinc illincque subsultant, tandemq; ob commeatum deficientem acriores reddunturs, & *Microcosmetor* ad iram commouetur, vnde etiam videmus arthriticos facilè fieri *epilepticos*, imò sæpiùs animaduersum in ipsis spasmus, aliique motus conuulsiui, tremores &c. qui spiritus nonnunquam suo Regi ita immorigeri sunt, vt manum ipsi adhibeant, eumque planè è medio tollant. Coagulans pariter ac tormentans acidum aliquando sanguinem coagulat, alioquin humores figit, imò calcis speciem præ se fert, in articulis plane coagulatus humor diximus huius effectus mineram vt plurimum lymphaticis vasis communicari, eamque à succi acidi recrementis acidiusculis actuari, quod probamus per vrinas arthriticorum, si ipsis affundas sal tartari vel lapides cancrorum, experieris efferuescentiam, ac sal tartari transmutabitur ex acido vrinæ in sal acido salsum, quale est tartarus vitriolatus, quod etiam ex iuuantibus & lædentibus probari potest; Cura enim huius morbi potissimum per salia volatilia balsamica perficitur, non verò nimis spirituosa. Causa antecedens partium est labefacta concoctiò ventriculi, & dispositio sanguinis vitiosa, partim lympha in corpore abundans, partim vel acrior, vel fluidior, vel crassior, partim & morbi vasorum lymphaticorum & glandularum, partim denique infirmitas articulorum vndecunque orta vel contracta.

Causæ procatarcticæ, quæ talem lympham generant, sunt sex res nonnaturales inprimis ex ijs vlnum acidum culpatur. Arthritis enim vulgo putatur oriri solummodo à multo potu vini Rhenani, & præsertim ab eius tartaro, qui copiosus creditur in vino Rhenano, hoc tamen semper verum non est, interdum enim homines hoc affectu laborant, qui vinum vix gustarunt, vel nunquam vt rustici & similes, noui enim duos abstemios, morbo hoc atrocissimè iactatos, in quibus tamen alia incommoda adsunt, quibus exponuntur, vt calor & frigus subitaneum, vtpote quæ multum possunt adhunc affectum excitandum. Verum tamen est, quod vinum Rhenanum hunc affectum possit producere, sed illud, quod nocet, non est verus tartarus, sed est massa calci formis, quæ fundum occupat illarum terrarum, in quibus hoc vinum nascitur. Vina enim quæ in locis, vbi multum calcis latet, hunc affectum pariunt, non verò tartaro suo, sed calce sua tartaro inclusa nocent. Sic etiam videmus sæpè circa articulos congregari materiam calci similem, similem non autem tartaro. Sed tamen non omne vinum Rhenanum æquè scatet materia calcea,

cea, sed vnum plus aliud minus. Sic dantur vina Hungarica quædam, quæ maximè hàc materiâ imprægnata sunt, inde in illa regione vix familia est, in quâ non alioquis sit podagricus, ab vsu scilicet huius vini Hungarici. Sic & nos Castellis habemus aquam calce refertissimam, ex cuius vsu plures sunt arthritici, & nephritici. A venere, à lucubrationibus, curis, mœroribus & omnibus aliis, quæ spiritibus animalibus vim inferunt, faciliùs hic morbus oriri solet, qui rarò fatuos insipidosque inuadit. De reliquis causis procatarcticis, rebus sex nonnaturalibus à Medicis dictis, inferiùs acturi sumus, nunc enim ad *Prognosin* accedamus.

PROGNOSIS.

§. 11. Euentus huius morbi varius est, & ambiguus, siue paroxysmum spectes, siue totum morbi decursum, nam interdum paroxysmus citò, interdum verò tardè soluitur, inprimis si lympha in nodos & tophos concreuerit & indurauerit, vnde illud vulgatum:

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Aliàs arthritis & præsertim eius recensitæ species quamuis longo tempore remittant, ordinariè tamen redeunt alijs citiùs, nonnullis seriùs, & quosdam ad vitæ terminum concomitantur. Huc spectant sequentes *Hippocratis aphorismi*. Assiduis imbribus fiunt dolores articulorum *s. 3. aphor. 16.* it: *Celsi. 45. l. 5. & 7.* sic & iuxta *Hippocr. diuinum Senem*, verè fiunt articulorum dolores, quia materia, quæ totâ hieme latitauit, nunc se manifestat. Item *inquit Senex noster. s. 4. aph. 31.* qui per febres lassitudinem sentiunt, iis ad articulos & iuxta maxillas potissimum abscessus fiunt, quia lassitudines oriuntur ab obstructionibus, & acrimoniâ. Item eâdem sectione *aphor. 44. dicit*: Quos febres longæ exercent, iis tubercula ad articulos vel dolores fiunt, quia propter vires exhaustos, sanguis & spiritus acriores redduntur, & minor motus est in sanguine & lympha, quæ materiam excernat, quibus tubercula ad articulos vel dolores post febres diuturnas fiunt, ii cibariis pluribus vtuntur. Item *s. 4. aph. 74.* quibus spes est ad articulos obsceßum fieri l. futurum, absceßu liberat vrina multa, crassa, & alba reddita, qualis in febribus cum lassitudinis sensu, quarto die quibusdam exire incipit; *quod si ex naribus etiam sanguis fluxerit breui admodum* solutio fit. Si multum vrinæ exeat, bonum est quoniam pori renum tunc patent, & materia peccans per eos excernitur, *Sect. 5. aph.* Idem *Senex* ait articulorum dolores, & tumores absque vlcere, atque etiam podagricos, & conuulsiones magna ex parte aqua frigida largè affusa leuat & extenuat, soluitque dolorem, qui aphorismus nusquam verus est, nam hic affectus in nostris oris & à causa frigida, vt à frigore magno, & obstructionibus oriri potest. *sect. 6. aphor. 30.* ait *Senex noster*: Puer Podagra non laborat ante *Veneris vsum*, ante annos pubertatis puta, quia tunc humores sunt nimis acres. Eadem sect. aph. 55. habet, dolores podagrici vere, & autumno ferè mouentur; in fine verò *huius sect.* dicit, quibus longo coxendicum dolore conflictatis femoris summum coxæ excidit, rursumq; recidit, iis mucores innascuntur. Et quibus diuturno dolore ischiatico vexatis femur excidit, iis crus contabescit vel claudicant, nisi vrantur, quia enim femur sæpe laxetur, cauitas in qua os femoris excipitur, callo & muco impletur, & ideo os femoris non similiter in suo acetabulo hæret, sed sæpius cum æger incedit, exterius relabitur, & ita claudicationem infert, postea ligamenta ab isto peruerso situ oblongantur & extenduntur, ita vt non nisi vstione duriora fiant. Bonum verò est, si hæmorrhoides sponte fluant, vel arte promoueantur. Pro immedicabili vulgo habetur arthritis hæreditaria, puta tamen ipsam sanari posse, si æger præscriptis medicis lubens morem gerat. Diutius hoc malum subsistit, si incidit

in subiectum scorbuticum, aut cachecticum, aut à progresso morbo valde eneruatum. Nec minus est periculum, si materia peccans se ad coxas recipiat, ob dolorem enim & orgasmum spirituum vigiliæ oriuntur & inflammatio, imò quandoque ossis femoris ex ligamentorum laxatione luxatio, imbecillitas, & motus impotentia, vti sæpe obseruaui: inprimis in senibus, dolorem hunc transiuisse in Paralysin, cum iam artus hinc inde vario ac misero modo ac motu agitati fuerint. Arthritis sæpe nucham, locum illum ob medullæ spinalis initium considerabilem, inuadit & tũc ægros è medio tollit. Terribilia quandoque accedunt symptomata, vt Cardialgia, dispœna, lipothymia, conuulsiones, paralyses, apoplexia, melancholia, mania. Sic exemplum noui cuiusdam, qui in paroxysmo manus sibi inferebat. Quò plura ergo & frequentiora subsequuntur symptomata, & periculosæ inflammationes, febres acutæ, eò difficilius curatu est malum. In iuuenibus verò, si Baccho & Veneri & Iræ non sint nimium dediti, vel ab his abstineant, item si medicamenta conuenientia in tempore admittant, & in eorum vsu per tempus insistant, inprimis cum lacte vel quod melius, decocto à D. *Sydenbam* præscripto, & exactà diætà, & si simul prudentibus, & diligentibus non imperitis vtantur Medicis, sanabilem Podagram esse affirmamus. Verum quemadmodum rarò tales reperiantur ægri, ita etiam rarò curantur, ęgros enim continuò in diæta peccantes curare impossibile, aut saltem difficillimum Medico etiam expertissimo est. Bono animo etiam nos esse iubet, patientis ætas & fibrillarum neruearum robur, inprimis si viscera bene constituta sint (& nullo substantiali vitio laborent) si malum indoctè tractetur, nimis scilicet resoluentibus vel aliis infrigidantibus, tenuiore dissipato latice, reliquum induratur, & ex hospite domesticus euadit incola, tophaceam sibi sensim faciens arcem & oppugnaculum regibus nostris. Desinit hic affectus sæpius in apoplexiam, sæpissimè in calculum, sunt enim affectus consanguinei, quò enim lympha peccans protrudit, & figitur, ibi fomitem suum spargit. Arthritici quasi cum priuilegio ob salinas humorum discrasias à febribus continuò immunes sunt, teste *VVillisio*, omnibus morbis articularibus podagra est contumacior. Tumor, varices, vrinæ spissæ, ac veluti iumentorum turbidæ, si superueniant, bonum, morbi enim solutionem promittunt, vt dolores fiant mitiores, *mulieres non laborant podagra, nisi menstrua* deficiant, inquit *Hipp. s. 6. aph.* 29. Sed experientià hodie contrarium ostendit. Sic & fatui ab ea vt plurimum immunes audiunt.

CVRA DIÆTETICA.

§. 12. Præmissis his ad *curam diæteticam* progrediamur, hoc est ad *victus rationem*, huic enim tantum inest roboris in præseruando atque curando hoc nostro affectu; vt spreta huius obseruantia, medicamentis etiam præsentaneis & specificis omnem lapidem sine successu secundo mouere soleant Medici, nam secundum Oraculum Coum, non sat est suum feciſſe Officium Medicum, nisi suum quoque ægrotus, suum adstantes faciant, sintque externa ritè comparata. Aer ergò sit, ceu in aliis affectibus, ita & hoc in affectu serenus ac purus temperatusque, si non per se talis, arte est parandus, nam quoties in aere multum salis siluestris inesse contingit, inde minùs aptus euadit visibus respirandi ritè explendis, toties enim sanguini & lymphæ deest exquisita ad ipsorum perfectionem puritas & temperies, quoties aer impurus inspiratur. Maximè ergo nocet aer nolter Cassellanus, quia multum salis siluestris in se continet, item nocet nitrosus, frigidus, humidus, nebulosus, pluuiosus, plures enim per intensam brumam hunc morbum sortiti sunt. Ad aerem corrigendum cortex iuniperi (eius bacca aut lignum) vel puluis ad defluxiones vsuales frequenter accensi

plu-

plurimum conferunt. Cibus sit facilis digestionis boni succi, concoctu facilis, concedantur carnes pullorum & gallinarum, perdices alaudæ, temperatiora etiam acida non nocent, vt succus citri, aurantiarum,& quia languidum ventriculi fermentum susciteant & appetitum excitant viscerum colorem, sal volatile furiens acre præcipitando restringuunt, massamque sanguineam purificant; è contra lympham ad hunc affectum excitandum aptam generant; alimenta acida salsa fumoque indurata, vinum Francicum & Vngaricum, acria omnia, vt Sinapi, ditioribus in mensa loco salis communis, salia alcalia fixa ex regno vegetabili parata & commixta egregiè conferunt; obseruetur verò legitimum sumendi (cibandi) tempus, modus ac quantitas, hinc *Valescus de Tarãta* refert podagricum quendam, quotiescunque imminere paroxysmum sentiret, ab omni cibo & potu abstinentem sola inedia fuisse sanatum, & centum annos vixisse. Sacharata etiam multum nocent, quia potens in gremio suo acidum gerunt, & simul propter viscosam impuritatem obstructiones pariunt. Potus sit cereuisia benè fœcata lupulo cocta, & si potest haberi cum succo betulæ parata, vel decoctum Sydenhammij, quod omnibus palmam eripit, vel cornu cerui, hordeaceum. Vinum etiam modò sit absque calce & acido aqua dilutum in assuetis non prorsus à mensa ablegamus, admittimus enim tenue, parum ac parca manu, vti vinum est circa Hanouiam Michelbacense, Hirsteiuiense, Moselanum, quæ vina vim diureticam habent; præ alijs tamen confert vinum Canariense in Hispanicum optimum sæpiùs circa vesperam cochleatim exhibitum. Cauendum & abstinendum à Gallico, & Vngarico, Francico, vino adusto, alijsque potentioribus, quæ maximè obsunt, sub horum enim dulcedine summum acidum & acrimonia latet ignea & corrosiua. Omnis cereuisia malè cocta & ex aqua multa calce referta, parata, vt nostra Cassellana maximè nocet, omnis quoque crapula & intemperantia Medicorum nutrix longe exulent, nam à Bacchi & Veneris nimio vsu ortam esse podagram veneranda credidit antiquitas. Hinc illi versus à *Iulio Cæs. Scal.* latina ciuitate donati.

E soluilumba Venere, soluilumboque
Baccho creata est soluilumba chiragra.

Et alius:

Vt Venus eneruat vires, sic copia vini
Et tentat gressus debilitatque pedes.

A Venere enim maximè spiritus consumuntur animales.

Nam ante Veneris vsum rara quidem esse solet Arthritis, quare & Eunuchi rarissimè aut nũquam arthritide corripiuntur, quà tamen, quod miror, Monachi alijque Canonici extra cœlibatum viuentes haud immunes sunt, sed sæpè miserè torquentur: verum in promptu causa est, quia vt plurimum lasciuiosi & otiosi sunt. Lac loco potus ordinarij assumptum mirum in modum valdè confert, arthriticorum etenim solatium est. Tres podagricos ego diætà tali lacteà cura vidi restitutos, inter quos eminet *Illustrissimus & multum venerendus Dn. Episcopus de VVallendorff.* adhuc superstes, sed per annum & vltra lacte vescebantur illi, tandem accessere ad panem triticeum, dein ad oua, oryzam hordacea, (& auenacea) & sic feliciter restituti sunt, de quo *confer Greißelium de cura lactis.*

Somnus & vigiliæ modum non excedant ægro tamen vigiliarum tempore & diuturnitate & doloris sæuitia defatigato somnum & quidem meridianum concedimus, vt defatigati spiritus animales iterum reficiantur. Quod ad motum & quietem attinet, aurea illa Dictatoris regula memoriæ & hic imprimatur, ne quid nimis, exercitia tamen magis conferunt, quã quies: quare commendamus vectionem & equitationem, item semper se moueat, & non facilè se sollæ affigat, aliàs fastum erit. Animus ad lætitiam & tranquillitatem componendus est, animi enim affectus concitatiores, præcipuè ira mæ-

ſtitia, terror, curæ facilè paroxyſmum arthriticum excitare proni ſunt; frænum ergo iis inijciendum, potiùs verò gaudio aſſueſcendum eſt, item iocis muſiciſque concentibus. Referunt enim de Limenio Thebano tibicine eximio, quod multos podagricos modulandi ſuauitate priſtinæ ſanitati reſtituerit; cuius artificis etiam Cardanus meminit, ſed hodie vix tantum nos valebit; lucubrationes & ſtudia nimia quæ animum fatigant deſerat æger. Excreta & retenta quod concernit, cuncta cum natura conueniant, aliàs excitando ſymbolum ſuum addunt, ſuppreſſiones inconſuetæ & ſolitariæ euacuationes. Hinc *Hipp. ſect. 6. aph. 29.* Mulierem podagra non laborare ait, niſi menſtrua ipſi defecerint, magnum enim præſidium & beneficium mulieri aduerſus omnis generis morbos eſt menſtruorum excretio legitima. Hic etiam nocet ſudoris impedita excluſio ob pororum cutis conſtipationem, qua præſente vix naturalis ἀπόστασις nedum ſalia ſilueſtria illa extirpari poſſit. Vrinæ & alui omnimoda ſuppreſſio idem poteſt efficere, quia per has vias copioſiſſimè quandoque lympha peccans expellitur.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Sequitur nunc *cura Pharmaceutica* ex variorum Auctorum penu deprompta, & prima acie ſtat *antiquitas* ad cuius *dogmatica curæ ſynopſin* nos conferamus. Primò ergò communem corporis ſentinam euacuant enemate conuenienti humores dein naturæ obedientes reddunt per præparantia. Pituitæ præparandæ inſeruiunt, maiorana, calamentha, hyſſopus, betonica, bili verò præparandæ conducunt, Cichorium, Intybacea; Melancholiæ fumaria, borrago, bugloſſa; Humoribus verò mixtis mixta, ex his aliiſque, conficiunt ſyrupos, deſtillata, aquas, infuſa, decocta, ſyrupum de ſtœchade cum aqua betonicæ & abſynthium valde commendant veteres, dein ſic præparatos & ad euacuationem ſequaces redditos humores è corpore deturbant purgatorio medicamento, Purgationem hanc pro diuerſitate humoris peccantis prædominantis diuerſa præſcribunt, vt phlegmagoga, cholagoga, melanagoga, vel etiam panchymagoga, omnibus verò palmam præripere dicunt pilulas de hermodactylis maiores & minores, conueniunt quoque ex ſimplicibus caſſia, aloe, Rhabarbarum, ſenna, Mechoacanna, Elleborus, ex compoſitis electuarium è ſucco roſarum, benedicta laxatiua, diaturbith cum rhabarbaro, Thriphera Perſica, confect. Hamech, (præprimis electuarium caryocoſtinum Petri Beieri in Pharmacopœa Auguſtanorum deſcript. Pilulæ arthriticæ, de agarico, de ſagapeno, de Turpetho, de lapide lazuli, fœtidæ. Purgantia plurima, à *Practicis Galenicis* paſſim deſcripta reperiuntur, quibus non tantum vtendum, præſente morbo, ſed etiam metu futuri, quolibet anno bis, vere & autumno, quibus circa hoc tempus arthritis maximè pullulare ſolet, addunt verò & ea, quæ viſcera & cerebrum reſpiciunt. Et vomitum tentandum eſſe in aſſuetis Galenicis ſuadent, quo vomitu multos perfectè liberatos eſſe teſtantur. Si ſanguis redundet, Venæſectionem cum electione aut qui inſtituunt, dein humores aliunde affluentes in partem affectam à vertentibus medicamentis inhibere ſtudent, in quem finem, ceu diximus, vomitum cum decocto radicum raphani, atriplicis, aſari excitant, & cucurbitulas ſuperioribus affigunt partibus, imò magnas loco dolenti apponunt. Item commendant frictiones, ligaturas, cauteria potentialia, ex calce viua, melle, ſapone, nitro, euphorbio, aut cantharidibus parata, vel ex radicibus cum ſolijs *Iberidis* herbæ cum axungia veteri emplaſtrum faciunt, quod articulo dolenti applicant, idq; ſingulis vicenis diebus repetunt. A repellentibus verò abſtinere iubent, quia ea humores, vti aiunt, intus pellunt ibiq; detinent: ſed potiùs ad ſeroſi humoris auerſionem, & rexti-

tirpationem diaphoretica quę per sudores & sensibilem transpirationem euacuant, exhibent, vt decoctum guaiaci cum stœchade, sarsaparilla, chinæ, cichorij, cum passulis minoribus. Probant etiam diuretica, vt radices fœniculi, petroselini, sem. dauci &c. Causam continentem in articulorum cauitatibus conclusam per resoluentia, & discutientia moderata cum emollientibus misto rem peragunt, ne tenui resoluto, crassàm lapideam induat duritiem, quæ & dolores simul leniunt. Sunt ergo oleum sambucinum, lil. alb. chamom. spicæ, verbasci, iuniperi, vulpin. axungia humana, vulpis, porcina, oleum terebinthinæ, &c. Cataplasma ex folijs, & radic. althææ, lil. alb. cum farina hordei, sem. fœnugræci, althææ, lini flor. chamom. melilot. stercore vaccæ parare solent; & si dolores persistunt leniunt illos anodynis varijs & opiatis, ipsi cerarum ex thure, galbano ammoniaco ol. rosarum resin. magnificiunt: Vltimus ipsorum scopus est, vt articuli corroborentur, ne fluxiones recipiant, ideoque externè, fomentum ex vino rubro, internè Theriacam, & mithridatium, item confect. rosar. rubr. rosmarin. commendant. Externè porrò prosunt iua arthetica, betonica in forma cataplasmatis, vel vngu. ex ol. vulpino, nardino, lumbricorum terrest. vnguentum Agrippæ, Martiaton. balneum ex granis iuniper. alijsque cephalicis herbis parata magni æstimant, ex stipticis balaust. sol. quercus, sale, sulphur. thermis sulphureis, cupreis, aluminosis vti iubent vt eo meliùs articuli firmentur. In tophis, & vbi iam materia indurata est, empl. de meliloto, diachyl. sine & cum oleo, & axungia imponunt, caseum quoque vetustissimum, & acerrimum, cum suillæ axungiæ veteris anatica portione ad tophos resoluendos applicare consulunt, item ficus tritas, vrticam, bryoniam, rad. bulbi apponunt. Si verò nodi, & tophicis non cedant, ad caustica temerario accedunt ausu. Reliqua non libet tangere.

§. 14. *Paracelsus in lib. 2. de vita longâ c. 1. de podagra.* Tria sunt, inquit quę ad perfectam podagræ curam requiruntur, *purgatio*, *apertio*, deinde *cura*. Purgationem instituit per *arcanum corallinum* quod ex essentia auri est, alii putant esse *mercurium fixum* diaphoreticum, qui vires auri æmulatur, huic medicamento tantam vim ac virtutem tribuit, vt absque hoc vix podagra curari possit. Idem purgationem podagricorum instituit per rad. hellebori nigri, & albi in quo totam curam consistere dicit, in prima & secunda ætate. Arcanum asari, vel solum, vel cum essentia hellebori mistum, totum corpus à defluxionibus arthriticis liberare dicit. *Vrius vitæ*, puluis arthriticus Authoris, quem delineat *Croll p. 2. l. 3.* Basilic. *Essentiam & nii, & eiusmodi maximè commendat* Author, qui etiam *Tr. x. l. 1. arthritic. mag.* plantas pedum, & partes dolore affici solitas, luna crescente quouis interlunio scarificare, & sanguinem extractum in tabula vitrea formicis ad deuorandum afferri iubet, locumque scarificatum vnguento sympathetico ad ignem accuratè inungi præcipit. Vngu. tale est; Sumatur sanguis hominis podagrici, siue scarificatione siue V. S. prolectus ac ęgro inscio in M. B. destilletur igne mitiori, postea recipe dicti liquoris ℥ vii. axung. human. vrsi, succi sed maioris à ℥ j. ol. rosac. saponis venet. Medul. bouis à ℥ ß. Misce. Saragine ex cupro eoque ad consistentiam vnguenti, materiam continuò agitatà spatulà vnguentum hoc ex mente *Paracelsi* Podagram vii. septimanarum spatio curat, quo annotius est, eo meliùs esse creditur, vireique suas frigido loco expositum, sartas tectasque seruare dicitur. Liquor ex mumia temperatus magni ab ipso penditur, inprimis si morbus adhuc recens est, per mumiam reductam in vltimam materiam alkalisatam indies artus inungendos suadet idque ad 7. vel 8. hebdomadas pro ratione ac natura podagræ. Commendant *Paracelsi* discipuli etiam plurima egregia remedia, quæ partim in crisi nostra dicemus, partim

tim

tim hic communicabimus. Plures sulphur Vitrioli, alij tincturam eius extollunt, spiritum calcis viuæ à Basilio Valentino primùm descriptum commendant alij. *Hartmanus* laudat spiritum, & oleum ♆ rij albi; & rubri tanquam sudorifera, *Fabri* bezoarticum solare, lunare, iouiale, minerale ab alijs valdè extollitur, sed quis quæso omnia recensebit; Inter externa *Crollius* præscribit genuina balsama, quæ efficacissima sunt ex oleo, & phlegmate vitrioli, nec non ex vrina pueri multi excellens parant mitigatiuum. *Quercetanus* tale communicat: ℞. *Colcoth. Vitrioli à quo oleum extractum* ʒ iiij. *solis gemmæ fusi, nitri, communis fusi à* ʒ ij. *Herb. Chamædr. chamæpith. flor. beton. ana m.* j. *flor. sambuci m.* ß *Coq. in aq. chalybeat. q. suff. colentur, omnia Colato adde vitri antimonij* ʒ ij. *Mercurij sublimat.* ʒ j. misce optime, & macera per tres dies ante vsum pannus madefiat, & eo tepido dolens foueatur, oleum destillatum è semine ebuli tanquam insigne paregoricum commendatur ad podagricos extemplo sedandos dolores, exteriùs illitum. Ad tophos, & nodos Emplastrum ex vitriolo, alumine, rochà & nitro parant, etiam adhibent varia corrosiua attractiua ex magnete, succino, lythargirio, &c. Et hæc sunt, quæ de leuamine atrocissimi doloris podagrici vulgò incurabilis habiti Paracelsici tumultuariè differunt.

§. 15. Ex *Helmontij* vrna arthritis inprimis podagra curatur characterem seminalem auferendo; in podagra enim, vt ait, non spectanda tantum aciditas producta, quæ fructus, & posteriores vices habet, sed meditandum est, quomodo è spiritu vitæ character seminalis podagræ sit abolendus. Ideoque purgatio per arcanum corallinum podagram in sui semine interimit: arcanum hoc est materiâ metallicum, colore corallinum, sapore melleum & essentia aureum, & sulphur auri est, in quo omnes vires solis congregauit Omnipotens. Vid. Descript. obscurè dat. in *Tract. de Febribus c. 16. n. 9.* Inter alia reijcit Author Cauteria, quæ nil nisi pus, & saniem exsugunt, ita & irridet vanas medentum purgationes, extenuationes, V. sectiones scarificationes, thermas, quæ viribus saltem detrahunt, vitamque abbreuiant, nec asthmatico curatur remedio. Testatur quoque Author, quod podagræ characterem sæpè pauor mortis enecuerit. Sanat & podagram ♆ rius corallinus. Quæcunque ergò acorem è spiritu vitæ ac laticè ante accessum demunt, introrsum plus, vel foris apposita si non accessum amoueant, anteuertant, vel præseruent, tamen mitigant dolores, nodosque inhibent. Sic Author *in tractat. de Mag. Vulnerum cura f. m.* 458. sequentia habet, Reperies ex *Paracelso* veram magneticam curam plurimum morborum, puta hydropis, podagræ, icteri, &c. sanguinem calentem ægri includendo testas ouique putamen, quòd fouendum exponitur, & carnibus admixtũ sanguinem hunc cani vel sui (porco) esurienti dabis, mox ęgritudo abs te in canem trahitur, & abit non secus atq; in Gehasin lepra Naemani exsecratione transmigrauit. An & hoc diabolicũ censebis sic proximũ solius mumialis magnetismo restituisse? Restituitur autẽ prorsus, & indubitatò.

§. 16. *Willisius*, qui hunc affectum inter morbos capitis refert, cum sedẽ ipsius in nerueis partibus collocet, & à primario symptomate dolore nempè concludit duas hasce intentiones curatiuas habet, 1. vt solutio continui auferatur, & 2. vt fibrarum seu spirituum in ijs scatentium irritatio siue incandescentia compescatur. Ad iam impactam materiam discutiendam seu dissipandam, *Euacuantia seu alterantia* commendat, purgantia verò illis, qui non sunt adeò teneræ constitutionis, inter quæ laudat electuarium caryocostinum, vel pilulas à *Fonseca* descriptas sequentes

℞. *Aloes succotr. pellucid.* ʒ ß.
flor. rosar. rubr. ℈ ij.
hermodact. decorticat: ʒ j. ß.
diacryd. ʒ j
mel rosat. q. sufficit:

Vel sequentes Authoris.

℞. *Mercurii dulcif.* ℈ j.

Re-

resin. ialap. gr. iij.
ol. caryophill. gtt. j.
balsam. peruu. q.s.
F. pilulæ No. IX. pro vna vice.

Idem Noster monet, vt inter purgantium vsum, Emplastrum aliquod defensiuum parti dolenti imponatur, vomitorium etiam in consuetis hoc in affectu suadet, Tartarum scilicet Emeticum, &c. Inter alterantia in paroxysmo sc. arthritico magnisacit lapides, ossa & testacea, nec non vegetabilium acrium pulueres, qui huius morbi alexiteria dicuntur, quia particulas quasque subiugant, cumque ijs efferuescendo quasi mortificant, & demum subiugatas per vrinam & sudores foras eliminant. Ad spiritus furentes sedandos, & compescendos Author inter interna hypnotica seu anodyna commendat, inter externa topica anodyna, quo scil. mulcimine quodam fibras neruea reuniant, & spiritus compescant. Idem cataplasma ex lacte, & mica panis, radicibus maluæ, altheæ magni æstimat, totum quoque cum aquâ stillatitiâ è contentis stomachi bouini recenter mactati laudat, quod remedium à Generoso sibi detectum scribit. In maximis doloribus etiam ad narcotica externa confugiendum esse docet, ad folia sc. hyosciami, cicutæ, &c. ex quibus cum floribus chamomillæ, & vitello oui, egregium parat cataplasma: vel partem dolentem sequenti liquore illinit:

℞. *Tinct. croci cum* ℥
spirit. vini parat. ℥ IV.
camphoræ,
Opij, ana ℥ j.
Digerantur vase clauso, & loco calido ad dissolutionem.

Sic & fotus qui ordinariè alijs doloribus aut tumoribus infesti esse solent, hic maximi emolumenti sunt, Ex. gr. dissolutiones salis armoniaci, nitri, vitrioli, calcis, &c. quoniam particulæ salinæ illis mineræ arthriticæ salinis oppugnandis destinatæ sunt, easque præcipitant, non verò operæ pretium duco formulas apponere, quæ pro lubitu apud ipsum Authorem videri possunt. Idem prælaudatus Author pedem affectam sale marino calcinato, & pulueriſato impleto includendo ægrum leuamen sensisse audiuit. Emplastra quoque varia ex Minio, sapone, cerussa, &c. in paroxysmi scil. declinatione laudibus effert. In diris etiam, & diuturnis doloribus internè ad opiata tanquam ad Anchoram sacram confugiendum esse præcipit, & opium sale tartari, vel Tinctura eius paratum præ aliis commendat, nec contemnit legitimum vsum theriacæ, Andromachi, Laudani Paracelsi, pilul. d. Styracc, d. cynoglossa. Cura eius præseruatoria est sequens: Primò Arthritici Vere, & Autumno solemniter purgari debent, atque vomitorium (si nihil contra indicat) hinc celebrari, & postea interdum ex interuallis iuxta ipsum repeti expediet. Phlebotomiam, aut vasorum hæmorrhoidalium apertionem arthriticis temperamento calido, & sanguine acriori præditis aliquando Vere, & Autumno commendat: cauteria in brachiis, & iuxta homoplatas excitata vtilia censet, nec omittenda vult alterantia Arthriticorum antidota inprimis sale volatili, & sulphure balsamico prædita, quatenus hæc salem fixum exaltant, illoque acetosum reducunt. Præcipua habentur insuper amara, & adstringentia vti herbę, chamædris, chamæpithis, centaurium, rad. gentianæ, & aristolochiæ. Formulas varias habet, præcipuas hic tantum extremo tangamus digito.

℞. *Pulu. chamæpith.* ℥ VI.
ocul. cancr. ppt. ℥ ij.
terebinth. Venet. q.s.

F. pilul. exiguæ, sumantur III. vel IV. vesperi, & mane per XXX aut XXXX. dies, superbibendo aq. stillatit. seq. ℥ ij. vel ℥ iij.

℞. *Fol. cupreſs.*
abietis,
viſci pomor. ana m. VI.
rad. caryophillat.
bardanæ ana ℔ I.
Cortic. exterio. x. aurant.
VI. *limon.*

Nuc.

Nuc. moschat.
macer. ana ℥nc. j.

Concisis, & contusis omnibus affunde
lactis recent. ℔ vii,
vini maluat. ℔ i.
destilla f.a.

Pauperibus præscribere solet ad hũc modũ
℥. *Pulu. fol. saluiæ* ℔ ß.
lapid. cancr.
sacchar. cryst all. ana ℥nc. ii.

M. seruetur in vitro, sumatur cochl. i. bis in die cum hausti decoct. folior. salu. vel rad. bardanæ.

Vel ℥. *Pulu. fol. chamæpith.* ℥ i.
oss. human. ped. combust. ʒ ii.
rad. liquiritiæ ʒ iii. *M.*

Pro potu ordinario parare iubet Bochetum ex sarsaparilla, santalo, lign. rhod. rasura eboris, cornu cerui &c. Inter alterantia non infimum locum habere dicit Lac; nempè vt Patiens per tres, aut quatuor Menses nullo alio alimento vtatur manè, & vesperi; lac recens emulctum bibat. Circa meridiem, & aliis temporibus comedat cum pane albo, hordeo aut farinà auenaceà coctum. Nouit multos ab hac victus ratione insigne inuamen accepisse, alios verò à lactis vsu multo deteriùs habuisse, & arthritide nullatenus curatos, sed viscerum magnas obstructiones, & cacochymiam contraxisse, aliquando etiam arthriticis vnoquoque manè vrinam propriam haustam optimè profuisse obseruauit, sed quia vrina nephriticum dolorem augere potest ab eà potiùs abstinendum monet. Arthritis enim cum nephritide maximè coniunctæ amicitiæ est.

§. 16. *Syluius* incipiente paroxysmo arthritico, quem semper cum febre accessisse obseruauit, ad efferuescentiam præternaturalem compescendam, & humorem efferuescentem articulosque infestantem sedandum, opiata & anodyna quæcunque, & victrioli aliorumque sulphura, tanquam pacatiua commendat, quæ simul acrimoniam tum acidam tum salsam lixiuiosam corrigant, & contemperent, omnia enim narcotica, & anodyna sulphure abundant, cuius vis est, omne acre tum acidum quàm lixiuiosam temperare, ad quam efferuescentiam suadet noster omnia Medicamenta sulphure, seu oleo abundantia vt spirituosa, quæ acre illud peccans demulcent, aquea etiam vtilia erunt, quia salia acria peccantia diluunt, & eneruant. Vbi verò spiritus acidus solus peccat, tam commendat Author sal lixiuiosum fixum, quàm volatile, sal tartari puta Card. benedict. absinth. centaur. min. quo refert ad absorbendum scil. acidum lap. ♋. corall. margaritas, cretam, lapidem hæmatitis, sanguinem draconis, limaturam Martis, & similia. Inter salia volatilia tanquam præstantiora dicit esse sal volat. cornu cerui vrinę, sal armoniaci, &c. Conducunt etiam spiritus aromatici omnes acres, vt cochlearia nasturtium, aciditatem etiam peccantem contemperant, & concentrant. Aquam lumbricorum Magistralẽ in Pharmacopęia Londinensi descriptam in arthritide vaga scorbutica maximè commendat Author. Quando verò turgent humores, inprimis in initio paroxysmi, vult expurgari, sed semper post temperationem humorum, & quidem per hydragoga si pituita peccet, peculiaria exhibet remedia, quæ vocantur vulgo phlegmagoga, si verò bilis abundat, tunc cholagoga præscribit. Inter vomitoria omnibus alijs præfert Antimonialia, quoties bilis præsertim peccat; vbi pituita redundat Mercurialia laudat Mercurium nempè dulcem, in alijs victriolum album vomitiuum s. Gilla Theophrasti Paracels. Tandem accedit ad *diuretica*, *& sudorifera*, quæ etiam vim habent humorum acrimoniam temperandi, sicque efferuescentiam vitiosam cohibendi, sed ita exhiberi debent, ne ægri tegumentis multis vt plurimum noxijs vrgeantur, sed blandè eorum operatio expectetur, inde sudorifera, & diuretica hìc iuuasse dicit, quia tale constant volatili. Inter externa topica ipse Author laudat omnia quæ adstringendi vi prædita sunt, vt bolus, terra sigillata, emplastri vel cataplasmatis formà vsurpata. Iuuãt & hìc omnia topica, quæ tantũ humorsi acri-

mo-

moniam temperant, & quæ parti stuporem inducunt, vt *Narcotica* omnia Theriaca, &c. oleum lumbricorum, ranarum, & busonum sæpiùs hìc proficua Noster reperit, vt & Cataplasma ex mica panis triticei cum lacte dulci cocta, addito tantillo croci, in ardore acriore loco lactis dulcis vsurpandum inculcat ebutyratum; sic & ex floribus sambuci, chamomillæ, &c. & similibus fotus parare iubet. Quando ægri pinguia ferre possunt, laudat axungiam porcinam, vnguentum populeonis, martiaton. ol. liliorum alb. chamomillæ, magnifacit quoque saponem Venetum linteo affricatum, & parti dolenti applicatum, item Theriacam forma emplastri applicatam.

Quoties in partibus affectis, vel languor, vel debilitas remaneant, tunc iuxta ipsum languor, & imbecillitas, per pharmaca spiritu volatili, & oleo aromatico prædita curari asserit, nodos verò difficiliùs imò rariùs sanari affirmat nisi ad suppurationem prius deducantur.

§. 17. *Cartesianorum* curationis cardo in eo vertitur, vt particulę angulares, & salinæ obtundantur, & corrigantur, & si fieri potest educantur, & hæc obtineri credunt, partim per ponderosiora, vt sunt lapides cancr. corall. Martialia, Mercurium dulcificat, & id genus sexcenta alia, partim per sudorifera inprimis decocto lignorum, quia simul incidunt. Tandem & per euacuantia generalia, & particularia, nec neglecta volunt topica de quibus omnibus iam diximus, & adhuc in sequentibus dicendum restant.

§. 18. Nos perlustratis hactenus curationibus aliorum celeberrimorum Authorum, nostram nunc addamus opinionem quoad curationem huius affectus, non tantum experientia sed & ratione suffulti Curatio ergò illa ad paroxysmum spectat, alia verò in paroxysmo arthritidis fixæ, alia in arthritide vagà. In paroxysmo ergò curando hæc potissimum obseruanda veniunt: 1. vt dolor, qui ab initio acerbissimus est, mitigetur, & demulceatur. 2. vt vires conseruentur. Dolorem autem leniunt, & fibrillas neruosas, simulque spiritus furentes animales, vna cum Rege demulcent, atque poppismate leniunt opiata blandiora, quæ tamen in exhaustis viribus nunquam exhibenda sunt; inprimis sequentibus formulis.

℞. *Pulu. anodyni gr.* vi.
cinnabar. natiu. gr. v.
oß. microcosm. ʒ ß.
M. F. puluis pro vna vice.

Vel ℞. *Theriac.* ʒ j. *quod omnem implet paginam, & simul inflaurat maßam sanguineam.*

℞. *Eßent. artritic.* ʒ ß
anodyn. cephalic. ʒ j. ß.
M. F. Eßentia à xL. *ad* L. *gtt. propinanda in vehiculo conuenienti.*

Inprimis commendamus Practicis iunioribus *puluerem nostrum Regium*, ob regias, & egregias vires mihi experientia notum, qui paratur ex cinabari, Mercurio dulci, & momento opii, & particula auri, quo mira præstitimus æquè in scorbutica vaga, & fixa. Qui præiudiciis occupati sunt, & omnia noua abhorrent, ijs exhibere possunt Theriacam, Mithridatium, Diascordium, requiem Nicolai, pilulas de cynogloßa, de styrace, Tinctura opij, & id genus alia; quæ in principio adhibita, præmisso clystere, non tantum dolorem leniunt, spirituum animalium orgasmum sedando, Regemque Microcosmi placando, sed & per sudorem particulas peccantes eliminando, sic & sudorifera non spirituosa, quæ maximè nocent, cum massam sanguineam nimis exagitent, sed fixiora, quæ simul absorbendo vim suam exserunt, in paroxysmo maximè prosunt, quia dolores egregiè demulcent, & salsuginosum lixiuium, & acidum enorme sensibiles articulorum partes lancinans atque rodens corrigendo, imò quoquomodo foras euehendo imminuunt. Sequens potio in arthritide, inprimis vaga rarò me fefellit.

℞. *Aq. pini*
veronic.

trifol.fibrin.ana ℥ j.
theriac.cpt. ℥ j.
Tinctur.tartar. ℈ j.
succ.lumbric. recent. c. vino express. ℥ iij.
syr.scelotyrb. ℥ vi.

M. F. potio cochleatim exhibenda, vel vnica vice necessitate requirente propinanda.

Vel:

℞. *Antimon. diaphoret. vel recent. parati,*
vel cochlear. argent. de igneat. ℈ ß.
theriac. cœlest. gr. ij.
oss. microcosm. ppt. ℈ ß
M. F. pulvis superbibendo seq. iulapium.
℞. *Aq. chamædr.*
chamæpit. ana ℥ j.
essent. trifol. fibrin.
lignor. ana ℥ ß
syr. de succo citri ℥ ß
M. D.

Conducunt etiam decocta ex lignis, scorbutus enim & arthritis curari debent, vt lues venerea. Sequens præscripsimus sæpè maximo cum effectu.

℞. *Rasur. ligni guaiac.* ℥ ij.
sassafr. ℥ ij.
rad. sarsaparill.
chinæ ana ℥ vi.
leuist.
liquirit.
herb. trifol. fibrin. ana ℥ ß.
sem leuist. ℥ iij.
papau. ℥ ij.
Infunde in vini albi q. s. mane fiat decoctio lenta in vase duplici, Col. ℔ iij. *adde*
syr. papau. ℥ j.
spir. sal. armon. ℈ iv. *M.*

De hoc apozemate sæpiùs est bibendum, ter ad minimum de die, horam sc. vnam vel alteram, ante ientaculum, sic sumitur deinde illud ante prandium, tertiò ante cœnam. Prima autem dosis assumi debet manè, dum æger adhuc in lecto decumbit, vt corpus sic ad lenem sudorem disponatur, pro ordinario verò potu bibatur decoctum Sydenhammij. Folia trifolij cum radicibus huic apozemati addantur, quia hæc specifica sunt hoc in morbo, vti & in scorbuto, quà sola herbà plures (Deo sit laus) feliciter curauimus, tum arthriticos, tum scorbuticos, imò & hydropicos. Conducunt hìc etiam omnia salia volatilia, inprimis in arthritide vaga, & quæcunque abundant tali sale, vt sunt lumbrici, aselli, & in specie totus scarabæorum exercitus; eliminant, & discutiunt omnia salia syluestria, & minus symbolizantia; lumbrici terrestres, & quidem qui cinguntur cingulo albo, valde hìc prosunt, qui vino debent ablui, & tunc succus ex illis exprimitur, qui cum vino exhibetur. Hic succus potest singulis decocti nostri dosibus ad ℥ ß. admisceri, salia lumbricorum, & scarabæorum aliis maritata, incantamenti instar nunquam non sistunt paroxysmos arthriticos vagos; prosunt quoq; Tinctura bezoartica Dr. Michaelis, spiritus sal armon. aromat. & essent. lign. sassafr. magisterium viperarum, bezoarticum & ale solare Exemplo sit seq.

℞. *Essent. chamed.*
pini ana ℥ ß
Tinct. bezoardis. D. Mich. ℥ ij.
M. D. ad vitr. S.
Tinctur. ad xxx. vsque xxxx. gutt.

Sunt qui exhibent herbam Thèe cum aqua coctam; alij laudant saluiam, nonnulli herbam chamædriæ, sed nescio hisce aqueis ventriculo noxam insringamus præsertim nimium potando. Præter hæc & addimus illa, quæ acre illud acidum partium austerarum, à quo dolor ille contumax & fixus dependet (quò enim acidum acidius, eò dolores fixiores & longiores, quò verò mitius, eò sunt dolores mitiores & breuiores) absorbent præcipitantque, vt sic tandem affectis iniuria partibus suis cuique tonus restituatur. Primaria autem quæ huc referri volumus, sunt sulphura metallorum ac mineralium fixa, ob vim anodynam. Anodyna seu pacatiua dicta, spirituosa volatilia in subiectis nonnullis, sed in vaga arthritide non in podagra, optimè adhibentur, in alijs verò abstinendum.

Ab

Ab omnibus purgantibus planè abstinendum esse nobis persuademus, nam omnia sponte fluunt, absit violentia rebus; his enim sæpè administratis paroxysmus magis accersitur quàm depellitur.

In præseruatione, & in curatione soleo exhibere, vel seq. Electuarium Sydenhammij, quod iam in Anglia magnipenditur.

℞. *Rad. angelic.*
calam. arom.
imperator.
enul. campan.
fol. absynth.
centaur. min.
marrub. alb.
chamædr.
chamæpyth.
scordij.
calamenth. vulg.
pariben.
saxifrag. prat.
hyperic.
virg. aur.
serpill.
menth.
salu.
puleg.
abrotan.
santh.
flor. chamom.
tanacet.
lil. conuall.
croc. Austr.
sem. thlasp.
cochlear. hort.
carui.
baccar. iuniper.
M. F: pulu. subtilissimus ad ʒ iiij.

Eycipiantur syrup. ex vino canarico cum saccharo facto, & in electuar. debit. consisten. conf. s. a. de quo electuario sumat singulis diebus mane, & sero ʒ ij. vel huius defectu, sequenti vtatur ex tempore parabili ad mentem Sydenhammii.

℞. *Conseru: cochlear. hort.* ʒj. ß.
absynth. Rom.
trifol. fibrin.
flaued. aurant. cond.
angelic. condit.
N. M. condit. ana ʒ ß.
Theriac. Androm. ʒ iij.
pulu. ari comp. ʒ ij.
c. s. q. syr. aurantior.
F. Electuarium.

de quo capiat æger bis in die ʒ ij. superbibendo seq. aq. cochlearia v. vel vi.

℞. *Rad. raphan. rust.* ʒ iij.
cochlear. hort.
trifol. fibrin.
nasturt. aq:
beccabung.
saluiæ,
menth. ana m. vi.
cortic. aurant. No. vi.
N. M. contus. add.
cereuis. Brunsuic. ℔ xii.
destill. organ. conducib. & ℔ viii. *aquæ elicientur prouisu.*

Omnia enim antiscorbutica valde hic prosunt, specificè tamen hic prodesse trifolium fibrinum experientiâ nostrâ constat.

Ex fonte chirurgico durante paroxysmo generosum remedium creditur Venæsectio, quam tamen non admittimus quia spiritibus animalibus pabulum sanguis scilicet intercipitur, & sic vires deficiunt. Malè ergò sanitati suæ consulunt, qui sæpè vitæ thesaurum hunc emittunt, sic enim huic affectui fenestra aperitur, quod & nobiscum fatetur Clariss. *Thomas Sydenham.* Frictiones, subsistentibus lymphæ riuulis dispellendis vnicæ debitæ, vt sæpè visæ sunt, vel solæ mitigasse dolorum incendia, institutæ, vel solâ manu, vel simul neruinis, vt eò promptius iuuent, parte vna roboratâ. Vesicatoria probatissima aliquando arthriticorum existere remedia, vnanimis Authorum quasi omnium est opinio, & visi sunt ægri, frustra aliis remediis vsi, ab hoc solo sæpè reportasse leuamen. Vnicum asseramus exemplum, nouimus enim virum, qui paroxysmum arthriticum futurum à se remouebat excitando vesicam circa locum affectum cum tribus foliis herbæ ra-

nun-

nunculæ pratensis: cum verò hoc remedium omiserit, paroxysmo aduentante dirè excruciatus fuit. Alii laudant nasturtium sylueſtre sic impositum. Sin malum contumacius inhæreat, vel sæpè reuertatur, alii in robustis ægris suadent vstionem fonticuli circa suras, quo exitū inueniat salinus ichor,& vellicare cessat membranosum genus. Ne verò quid intactum relinquamus commendãda quoque venit *inustio actualis*, hodierno die iterum sub *moxa* peregrinæ habitæ & ab Indis repetitæ, apud nos tamen nascentis *artemisiæ* concerptæ mollagine, præstanda. Audiamus de hac inustione diuinum, & antiquiss. nostrum Senem *lib. de aff. c.* 30. *l.* 12. Si in vnum aliquem locū incubuerit dolor, & constiterit, & medicamentis nō fuerit exactus καῦσαι inquit, vrito quocunque loco fuerit dolor, vrito autem lino crudo: non potuisset reuera ipsius moxæ tam decantatæ meliorem descriptionem dare. Processum reliquum *Prosp. Martianus Comm. in l. de aff. 2. v. s. 2. p.* 170. accuratè & neruosè tradit, ranunculo pratensi exsiccato eandem inustionem feci eodem successu, vt cum moxà. Ergo totius rei cardo in vrendo vertitur, siue sit lana, siue moxa, siue alia res, in moxà sc. artemisię verò vim aliquam anodynam latere posse, multi statuunt, quam tamen prę aliis adhibendam eligimus, tot experientiis nobilitatam, cui tamen succedit ranunculus.

In paroxysmo etiam ad externa topica confugere debemus, quibus aliquando totam implemus paginam. Topica repellentia & refrigerantia in malo iam confirmato proscribimus, ne æger incidat in scyllam, dum vult vitare charybdim. Conducunt omnia balsamica neruina antiscorbuticis temperatis mixta; ferocientes spiritus optimè compescuntur per oleum cerebri vituli, tanquam præstantissimum linimentum dolorum arthritidis, quod à *Francisco Iosepho Burri* feliciter adhibitum fuit.

Oleum parare solemus ex tribus animalibus quadrupedibus, ex tribus aquaticis, ex tribus reptilibus, & tribus volatilibus, quo mira præstiti in affectibus arthriticis, si simul mixta fuerint. Oleum compositum ex scarabæis, asellis, & lumbricis, vtpote mirificè arthriticam tyrannidem sedans commendamus, sed nō omnes pinguia ferre possunt, imò plures ab ipsis læduntur; quibus ergo conueniunt salia volatilia, spirituosis & oleosis mixta, inprimis specifica & appropiata, in arthritide vaga, quorum formulas nonnullas addamus in Iuniorum gratiam.

℞ *Spirit. flor. verbasci c. vino tartariſ. parat.* ℥ vj.
sal armon. volat. ʒ j.
lumbricor. ℥ ß.
Campbor. ʒ ß. M.D.
Vel:

℞ *Aq. topic.*
Anbaldin. ana ℥ j.
eſſent. pini.
trifol. fibr. ana ʒ ß.
ſpir. ſal. armon. volat. ʒ ij.
Campbor. ℈ j.
M.D.S.
Vel: ℥

℞ *Spir. ſal. armon. volat.* ʒ j.
balſ. ſulph. c. ol. ſuccin. parat. ʒ ij.
ſpir. lumbricor. terr. ℥ ij.
ol. caryophill. deſt. ℈ ß.
M.D. ad illinendum.

Succus lumbricorum terrestrium nonnunquam cum vino expressius apprimè conducit, quæ spirituosa potius conueniunt in doloribus arthriticis vagis quàm fixis, fomentationes ex cereuisia decoct. formic. lumbricorum, & herb. arthriticarum in subiectis calidioribus plus præstant quàm specifica volatilia. Sequens cataplasma in doloribus vagis atrocissimis ab initio (aliàs non esset tutum) felicissimo cum effectu, & successu sæpius applicatum, obseruaui, in confirmato verò affectu nocet, quia materiam fixiorem reddit.

℞. *Ferment. acerrimi* ℔ iij.
flor. carthan. ℥ iij.
verbasc. ℥ ß.
nitrippt.
Camphoræ,

ob

ol. iuniperi dest. ana ℥ j. ß.
aceti vini q.s. F. l. a. supra ignem cataplasma.

Seq. fotus proderit.

℞. *Fol. trifol. fibrin.*
lauendul.
chamæpyth.
flor. sambuc.
baccar. iuniperi ana m. iij.

Affunde aq. calidam quo foueatur per nouem dies pars affecta. Hoc enim generaliter verum est, quod vni prodest non semper alteri prodesse potest. Subitò in doloribus arthriticis non est discutiendum ne efferuescentia intus concepta, & cum materia vno impetu non effluat, dolores eo modo augeamus. Aliquis bene ferebat sequens linimentum.

℞. *Diachyl. simpl.* ℥ j.
ol. camph. ℈ ij.
papau. expr. q.s.
F. linimentum.

Aqua theriacali s potest circumuoluit vel theriaca potest addi, & ita illiniri.

Ad dolores sedandos in Hollandia cum effectu optimo adhibitum obseruaui sequens linimentum ex lacte ebutyrato, & milio simul coctis pro linimento aut cataplasmate. Saponem Venetum, etiam nigrum applicatum magno cum iuuamine egomet Principi adhibui, tamen ob inflammationem camphoram addidi. Quidam pro secreto mihi reuelauit muriam halecum, ex qua faciebat balneum. Sic & nonnulli fermentum cereuisiæ cum aceto fortissimo coctum, & applicatum mirè extollunt, sed *adstringentia*, vulgò dicta *repellentia*, non nisi in principio, idque summà cum cautelà adhibenda esse volumus, vel nunquam, cum suspicemur nos posse fluxum materiæ inhibere. Cataplasma etiam fieri potest ad mentem *Syluii*, sequens, addito succo lumbricorum terrestrium:

℞. *Mic. panis alb. in lacte dulc. coct. ℔ i.*
croci ℥ *ij.*
succ. lumbric. terr. ℥ vi.

Quod emplastrum non habet periculum dolorum excitandorum. Vermes maiales, & ex ipsis paratum oleum, potens est remedium, sed in omnibus subiectis non satis tutum, sic & oleum' sabinæ egregium remedium est, si parti affectæ illinatur, quibus, & aliis aliquando anodyna admiscere soleo, vel Tincturam auream anodynam, vel laudan. opiat. vel Theriac. Ex. gr.

℞. *Spir. vini rectif.* ℥ viii
sal armon. ℥ iij.
camphor. ℥ ß.
Tinctur. opii,
castor. ana ℈ ij.

Cui addi potest quid sacchari Saturni.

Vel

℞. *Micæ panis trit.* ℥ viij.
fol. nicotian.
byosciam. ana m. ß.
lac vaccin. dulc. q.s.

coctis & contusis adde.

alb. græc. ℥ ij.
sapon. venet. ℥ iii.
opii Thebaici gr. xii.
vitell. oui №. iij.
croc. opt. ℈ ij.
ol. lil. alb. vel butyri recent. q.s.
F. cataplasma.

Vel: ℞. *Vnguent. de litharg. aceto macerat.* ℥ j.
amyl. cæruli ℥ ij.
opii Thebaic.
sacchar. saturn. ana ℈ ß.
ceræ q.s.
F. l. a. Ceratum, partibus dolentibus applicandum.

Balneum formicarum quoque discutiet, euocabit, ac roborabit simul, siue nidum syluestrium maiorum sacculo inclusum coqueris in aqua, siue addere malis plantas specificas. Sed quis omnia recensebit? Omnibus hisce frustra adhibitis ad thermas, tanquam ad anchoram sactam, confugiendum censemus. Hisce in locis Embsenses eligimus; ex his enim plures conualuisse scimus. In Podagra vnicum commendamus topicum repellentia verò hoc in affectu non magnifacimus, quia inde plus damni quàm

commodi experti sumus. Sequens verò pro arcano hìc in solatium podagricorum communicare voluimus, quod nunquam Te frustrabit effectu, modò in tempore adhibeas, mille enim experientijs est comprobatum, quod extrahat dolores podagricos non repellendo eosdem, sed morbificam materiam extrahendo, resoluendo, & discutiendo. Cum enim primordia sint vt plurimum ab aciditate hostili, ad corporis ambitum delata, & artus molestante, in quibus podagræ caracter Gastcronacem, digestionum præsidem afficit.

℞. *Confect. Hamech.* ℥ j.
pulu. ialapp. ʒ ß.
extract. trifol. fibrin. ij.
lythargir. aur. ʒ vj.
sapa antimonii ʒ ß.
sacchar. canth. ʒ vj.
ol. oliuar. q. s.
ceræ, & picis parum.

F. l. a. Emplastrum, quod imponatur artubus dolorificis quamuis inflammatis, & relinquas, donec dolores, & humores euanuerunt, quod mira præstat. Potest & aliquando applicari cataplasma ex lacte medulla pan. & croco, quod dolores lenit. Potentissimi Electoris Brandenburgici topica sunt sequentia:

℞. *Empl. gryf.*
cer. citrin. ʒ
ol. lini ana ℥ viiij.
mastich.
bol. armen. ana ʒ iij.
F. l. a. emplastrum.
Vel:
℞. *Ceræ vnc.* IV.
seu. coruin. ʒ ij.
spermat. ceti.
ol. amygdal. dulc. ana ʒ ß.
bol. armen. ʒ iij.
F. l. a. Sparadrappus.
Vel:
℞. *Sapon. venet.* ℥ j. *spirit. vini.*
solut. q. s.
minis, ʒ ij.
camphor: ʒ ß.
M. F. l. a. massa.

Massa saponaria maximo cum fructu applicatur, si nulla adsit inflammatio. Sequens etiam spiritus salsus volatilis cum extinguat acidum, podagricis notabilem leuaminis effectum præbet.

℞. *Spirit. conuall.*
arthritic. vel topici ana ℥ iij.
sal. armon. vrinos. ʒ iij.
camphor. ʒ ij. *M. D.*

Extra paroxysmum verò ad causam antecedentem, lympham nempè extrauasatam acriorem, & debilitatem articulorum, à quacunque causa sit contracta, respiciendum, semper enim in arthriticis ab initio lympham animaduerto acriorem, quam corrigunt emendantque aquea, vt succus betulæ tempore verno assumptus per IV. septimanas, & vltra, item serum lactis, &c. Conducunt etiam oleosa spirituosa terrea; & vel sale vel spiritu acido volatili prædita, vt decocta ex lignis, & radicibus, vtpote guaiaco, sassafras, china, sarsaparill nec minus ex herbis, chamædr. chamæpith. rorism. saluia, lauendula aliisque aromaticis. Sudorifera & diuretica mineralia magni vsus sunt, nec negligenda est herba trifol. fibrin. varijs modis exhibenda. Diæta simul sit rigorosa, de quà sæpiùs diximus. Inter species huius affectus Rheumatismus numeratur, & conferre possunt eà quæ superiùs de catharro, & modò de arthritide diximus, quæ facili marte conciliari possunt.

In arthritide vagà scorbuticà, existentibus doloribus, sui *ein Mehlsack*, cuius pori farinà subtilissima sunt repleti, qui calefactus supponitur corpori ægri; adeò vt corpus illo circumuoluatur, quod remedium valdè emollit, & optimè dolores lenit.

Vinum in quo silices albi igniti extincti sunt, epotum iuuat. Tinctura vermium maialium etiam hìc laudatur, omnium tamen securissima est diæta sudorifera, nam curatio per sudores consistit, reliqua ex eis quæ iam diximus petenda sunt. Nam de hoc affectu ille Arabũ aphorismus vtique valet: *Omnis residuum est de-*

deterior sua radice, vel sexcentis arthriticorum exemplis veritatem eius confirmantibus.

CAPVT XV.

DE LVE VENEREA, Gonorrhœa; atque Pollutione nocturna.

§ 1. VNo hoc capite affectus hos consanguineos simul tractaturi vt ordine incedamus, affectus huius atrocitatem videamus. Nullus enim est ex omnium morborum genere, qui clam & subdolè, imò quandoqoe crudeliter in corpus humanum magis debacchetur, quàm hæc lues Venerea, quę accensas Furiarum faces æmulatur, quibus miseri durissimè nonnunquam affliguntur, vt mori sæpè malint, si daretur electio, quàm cruciatus tam immanes ac intolerabiles diutiùs perpeti. Quin imò multos eò scio adactos, vt consultius esse duxerint, violentas sibimet manus inferre, quàm longè acerbissimis vexationibus vlterius agitari, hocque desperato ac infelici consilio vitam cum morte commutare ausos fuisse. Operæ pretium nunc erit summo digito synonyma tangere. Lues Venerea, vt in pluribus cum scorbuto conuenit (nam vterque est contagiosus) ita malitia, & symptomatum crudelium, & dolorificorum torturâ ipsi haud cedit: & venerea dicitur, quia facili marte ab impuro coitu contrahi potest. Gallicus etiam vocatur hic morbus, quod inter milites Gallos sub Imperio Caroli VIII. Galliarum Regis cum *Alphonso* Neapolitanorum Rege ad Neapolin bellum gerentis, in Italia primum obseruatus sit, potissimum in illorum castris grassatus est hìc affectus. Alii dicunt, quod anno 1495. cum *Christophorus Columbus* cum 1500. militibus primum ad Indos peruenisset, & quidem ad Insulam sancti Dominici, cuius subditi Indi erant, hac lue infecti, & cùm Hispani rem cum mulieribus Indis habuissent, statim hoc veneno infecti fuerint, & sic reuersi ad Italiam, & quidem prope Neapolin, ad alios & hoc venenum transtulerint, vnde dicitur & Morbus *Neapolitanus*. Narrant porrò originem traxisse, quòd Indi Peruuiani cùm omnis generis bestijs concubuerint, & ab ista diuersitate fermentum aliquod nouum ortum fuerit, quod hunc morbum producere potuit. *Helmontius* comparationem circa equum (agens sc. de origine huius mali) verme laborantem, qui alios equos facilè inficit, instituit & existimat, nequam quendam sodomicum exercuisse cum istiusmodi equo vermes infecto venerem, indeque natales suos morbum hunc habere putat. *Cæsalpinus l. 4. Art. Medic. c. 3.* primum contagium refert ad vinum Græcum sanguine leprosorum infectum, Gallis in famosa illa expeditione Neapolitana, in oppido quodam montis Vesuuij ab Hispanis venditum. *Paracelsus l. 2. Chirurg. magn. c. 7.* luis huius primordia deriuat ex coitu Galli leprosi cum scorto bubonibus inquinato in exaltatione ♀is, cui tempore congressus menstrua quoque fluere incipiebant, quod dein omnes cum ipso congredientes infecit, adeoque malum hoc ex bubonibus & lepra, veluti mulus ex equo & asina, prognatum, virisq; & mulieribus amore factum totum peruasit. Gallis dicitur *la grande ou grosse verole, nouueau Cristalline, mal venerien, ou enfection venerienne*. Dicitur & à Medicis morbus Indicus, quod ibi endemius existat: patria enim huius mali habetur India, à qua, ceu superius diximus, vnà cum remedio, ligno sc. guaiacino, in Europam fuit transportatum. In India in nonnullis locis quoque solet, esse epidemius. Alijs dicitur etiam Mentagra, Pudendagra. Sed nostra opinione malum hoc vbiuis suam originem habere potuerit, quando sc. homines cum multis scortis rem habuerint, & ita facili marte sibi contagium hoc conciliare poterunt, ob nimiam acrimoniam seminis huius, vel illius.

Affectus hic maxime contagiosus est

& non ſolum per coitum cum impura & infecta oritur, ſed ſæpiſſimè communicatur infanti, nempè ſi mater hac lue fuit infecta, & parit infantem, qui hac lue etiam inficitur, vti plurima noui exempla. Imò infans poteſt communicare venenum nutrici lactenti. Per concubitum ſæpiùs vidi hoc malum communicatum. Sic Lutetiæ Pariſiorum vidi Nobilem quendam, qui tribus fratribus hoc modo communicauit hanc labem. Oſculis quoque, longo & frequenti corporum affectorum contactu veſtium & poculorum communi vſu, eadem pars ſtatim inficitur, vel proximiores ad corruptelam magis pronæ, tanguntur. Si quis tantum in linteolis dormiat, vbi lue venerea infectus iam cubuerit, facili marte malum hoc ſibi accerſire poteſt. Malum hoc citra caſtitatis læſionem homines aggredi poteſt, id quod omnium Medicorum conſenſu conſtat. Sed vt plurimum lues venerea communicatur per coitum impurum, quo humores acres recipiuntur in poros meatus vrinati, & glandularum proſtatarum, quarum pori ab humore illo exeduntur, & nimis aperiuntur, & ſic fit, vt ſemen facili negotio, & citra voluntatem effluat. Alii denique (quod tamen falſiſſimum eſſe ſcio) oriri poſſe putant, ſi quis ſanus cum muliere menſtruoſa, ſeu ſana, ſeu morbida, congrediatur.

DESCRIPTIO.

§. 2. Hic affectus deſcribi poterit, quòd ſit dyſcraſia omnium humorum in corpore noſtro exiſtentium, & quidem in aciditate volatili corroſiua conſiſtens, omnes actiones noſtrorum Regum perturbans, imò tandem planè exedens. Nos iuxta frontiſpicium huius capitis duas adhuc alias ſpecies addamus, quia tantùm ſecundum magis & minus differunt, & ſunt, *Gonorrhœa & Pollutio nocturna. Gonorrhœa virulenta* etiam ex impuro contrahitur concubitu, ſed etiam gonorrhœā ſimplicem ſubſequi poteſt, ſi nempè per aliquod tempus durauit, quia tandem materia illa ſeminalis alba corrumpitur, & fit flaua & virulenta, & ſæpè hoc malum vnico coitu contrahitur; quod & ortum vidi ex petulanti frequenti ſeminis electione & emiſſione. Simplex verò eſt, quando ſemen, quod effluit (quod impropriè ſemen appellatur) aquoſum eſt, tenue & albicans inſtar albuminis ouorum, ſine vllo aut dolore, aut ardore exiens, ſine vlla aut prurigine aut cupidine in venerem, ſine erectione penis, & ſimilibus alijs ſymptomatibus, ſubſequente tamen, ſi affectus protrahatur, emaciatione corporis, partiumque genitalium infirmitate.

Pollutionem nocturnam dicimus eſſe excretionem ſeminis cum voluptate dormientibus & ſomniantibus euenientem. De quibus iuxta ordinem nobis propoſitum agamus, & quidem ante omnia hic videbimus, quid de huius affectus foco Medici cenſeant.

PARS AFFECTA.

§. 3. *Syluius* pro parte affecta glandulas agnoſcit. *Veteres* hepar focum huius morbi eſſe exiſtimant, in quo ſeminium infigitur, ſeruaturque. Alii lienem, alii renes, alii teſtes, pauci cerebrum pro parte affecta declarant. Nos omnia vaſa lymphatica, & inconfirmata totum genus arterioſum, venoſum & neruoſum pro ſubiecto admittimus, quia his in partibus atrocitas huius affectus percipitur. In his enim ſæpè latere acidum illud volatile, cum tempore corroſiuum euadens, tot crudelia, & formidabilia producere ſymptomata, ſolet.

In Gonorrhœa & Pollutione nocturna itidem maſſam lymphaticam, & ſanguineam; præſertim verò pro parte affecta agnoſcimus veſiculas, in quibus ſemen præparatur, non tantum ex ſanguinis optimi ſpuma, ſed etiam à lymphæ balſamicæ portione, in quibus veſiculis ad eiaculationem ſeruatur, quæ veſiculæ ab acido illo corroſiuo facilè corroduntur; ſicque euaſari debet,

DIA-

DIAGNOSIS.

§. 4. Signa, quæ hunc affectum venereum manifestant, aut insequuntur, varia sunt & innumera, neque in omnibus eadem, sed diuersa, imò etiam obscura, & ambigua, adeò vt œdipo narratore opus sit ad eum explorandum. Nam si vllus vnquam morbus laruatus incessit, hic præcipuè illud nomen meretur. Præcipua tamen recensebimus, & quæ in plurimis obseruari solent. Primum itaque signum est Gonorrhœa Virulenta, quæ præcessit stipata varijs symptomatibus, adest ab initio grauitas totius corporis, & lassitudo ossifraga; apparent quoque in principio, tanquàm præludia, vlcuscula in parte primariò affecta, in labijs videlicet, si osculis, vel poculis contagiosis malum ortum habuerit. Infantes quoque talia oscula portant, si à nutrice malum hoc traxerint, si scortatione in glande, præputio, inuenies inflammationem cum penis intumescentia, & vlcusculis, itidem in scroto, ad ora matricis in fœminis lasciuis. Comitatur hunc affectum ferè semper sputatio frequens, conqueruntur sæpiùs ægri de phlogosi faciei. Dolores vagi sub noctem ingraueſcentes suspicionem præbent commutatæ Gonorrhœæ in Luem veneream. Si malum iam altas egerit radices, adsunt capitis dolores noctu quidem grauiores, itidem dolores brachiorum, crurumque inter duos articulos sub noctem ingraueſcentes, fauces quoque quasi vruntur, & in quibus etiam sæpè exulceratio cum carnosis excreſcentijs in palato, vnde ipsis quandoque vox rauca fit, quæ sæpissimè tum Medicis, tum Chirurgis multum faceſſit negotij, tandem inueterato malo accedit caries ossium. Si acidum istud corrosiuum periostia atque membranas ossa cingentes abraserit, oriuntur dolores arthriticis os humeroſque similimi. Quod si acidum hoc volatile, vti sæpiùs sit, intra caput ἐπίφυτον suam exercet, & in neruos, spirituſque animales, inprimis in Regem nostrum Microcosmetorem fuerit, tunc oriuntur Conuulsiones, Epilepsiæ, Cephalalgiæ insomnia terrifica, imò mania, melancholia, prout non ita diu ægro hàc lue laboranti medicinam feci, qui maniacus factus fuit, in quo tamen perpetuus seminis fluxus absque voluptate aderat. Alium noui, qui statim post seminis fluxum inuoluntarium in cordis palpitationem, animique deliquium incidebat. Pustulæ varię maiores minoresque in capite, fronte, naso, labiis, vel alibi obseruantur, halitus oris fœtidus est, & graueolens. Exesiones nonnunquam cartilaginum in naribus collabente naso, seu alibi oriuntur. Itidem tophi siue tubercula in ossibus enata seu brachii, seu femoris producuntur, hinc affectum modò dixeris arthritidem, modò cephalalgiam, modò scorbutum, modò cachexiam, modò febrim, modò scabiem, sub quorum nominibus ægri etiam hoc malum tegere studeant.

In desperato verò malo capillorum adest defluuium, imò & barbæ, & supercilio-rum, & si portio acidi huius volatilis imperium sibi rapiat circa gingiuas, tunc oriuntur odontalgiæ, atque dentium casus, ægri emaciantur, vrina excernitur sæpè exulcerantur, ita vt *Francbotali in Palatinatu* in quodam totum penem, & testes exulcerata, & tandem planè ablata obseruauerim, & sic miser miserè vità defunctus est. Quibusdam penis erectio inuoluntarià, & sæpe eius incuruatio contingit. Si maritatis hoc malum accidit, cognoscitur ex sterilitate, quæ illos comitatur. Oriuntur & in inguine bubones venerei, condilomata æquè in ano, ac in pudendis muliebribus, virilique præputio, quibus accedunt vita anteacta, libidó & pruritus in venerem, consortium, medicamentorum vulgarium frustraneus vsus, similiaque alia, ex quibus ritè examinatis, & inter se collatis certo certius quidem constat, morbum non alium esse quam luem veneream. Plura quidem adhuc alia in hoc affectu reperiũtur signa, sed tempus propterea conterere æquum esse minimè existimaui, sed

quoad potero grauiter, quæ ad rem spectant, perstringere præstantiora tantum proponens. Gonorrhœam verò comitantur mitiora & pauciora signa, quæ tamen dicenda, & Medico notanda, quia sæpe ab ægrotante dissimulatur hic affectus, aut etiam negatur, nam plerique hoc morbo correpti præ pudore certissimum intemperantiæ suæ signum, & indicium confiteri nolunt, sed alium esse morbum simulant, & vel de dysuria, vel stranguria, vel si fœmina sit de fluore albo conqueruntur. Signa verò potissima sunt, ardor, colorque in reddenda vrina, ac si stranguria foret. Vrina albicantior est, & quædam filamenta hinc inde dispersa exhibet, penis cum dolore ferè perpetuo riget, præsertim vbi vrina mingitur; adest etiam ab eadem acrimonia, continuus quis in venerem stimulus, subinde quoque in glande aut præputio aut tumor, aut dolor, aut inflammatio, aut pustulæ vlceroſæ conspiciuntur, hæc quando negliguntur, sæpè etiam vlcuscula varia, & quandoque gangrænam inducunt. Sæpe etiam tumor durus in testibus, qualis ferè esse solet hernia carnosa obseruatur. In Gonorrhœa maximè virulenti apparent bubones in alterutro, aut vtroque inguine, qui, nisi ex arte tractentur, facilè etiam Luem veneream producunt. Adsunt somnia venerea, pallor faciei cum grauitate corporis, & cauitate oculorum. Frequentes & hic sunt sputationes stomacho ieiuno. Gonorrhœa maligna cognoscitur ex putredine & fœtore, nec non materia profluente subflaua, viridi, & maximè rodente.

Propero ad signa pollutionis nocturnæ, & quidem ad Pathognomonica, quæ sunt somnia venerea cum seminis excretione. Vtut enim in confirmato affectu, & magis debilitatis vasis citra venerea insomnia contingat sæpe hic affectus, aliaque insomnia crudelia, terrifica, vel aliàs phantasiam fortius mouentia in hunc censum veniant, & frequentius tamen, & vtplurimum venerea esse consueuerunt eoque magis pollutio appellari meretur, quò magis cum hisce in somniis potius, quàm aliis euenit. Eiaculatio seminis inprimis fit decumbente ægro in dorso, corpus exaret, metusque sterilitatis insequuturæ adest, vires labascunt, & imminuuntur, memoria vacillat, oculi caligant, tristitia ac mœror, & quæ sunt alia, compati maximè cerebrum docent, inprimis si ægri abusi sunt cibis acribus, salsis, & piperatis, quæ inferius pluribus libabimus.

CAVSA.

Expositam *Diagnosin* excipit *Aitiologia*. Examinemus ergo eandem ordine, & quidem qualem putauerint Veteres, qui ad suam confugiunt humorum quadrigam, itaque modò bilem, modò pituitam, modò melancholiam, vel sanguinem culpant, ex quibus vitiosis humoribus etiam hepar obstrui, & ventriculum labefactari aiunt, vnde hernam maiorum deducunt. Alii dicunt esse venenum in occulta qualitate latens sanguinem & iecur principaliter afficiens intemperie calidà & siccà. Sed quis minutias has omnes recensebit, cum quot capita tot opiniones tradatur? Gonorrhœa cacochymiam sanguinis pituitosam, propter quam plus pituitæ continuò ad illas partes quam alias deferri solent, refrigerationem & humectationem partium, siue ab aere ambiente frigido, siue ab aquis, siue à medicamentis perperam applicatis &c. Pollutionis nocturnæ causam immediatam statuunt facultatem expultricem irritatam, quam irritationem seu perceptionem molestiæ, & consequentem expulsionem à materia retenta, hoc est semine vitioso deducunt. *Mediatam* verò *causam proximiorem* secundum essentiam consideratam duplicem assignant, vnam humoralem, alteram flatulentam. Humoralem tamen materiam præcipuè accusandam esse volunt, cùm in humidi excretione affectus hic positus sit. Remotiùs etiam dicunt peccare sanguinem, qualis enim sanguis tale semen;

pro-

proximius verò semen quoad ipsius qualitatem & quantitatem. Sunt enim Authore *Galeno lib. de tuend. sanitat. cap. 14.* qui semen genitale copiosum gignunt, quod eos ad sui expulsionem proritet, videlicet omne nimium, licet in se bonum sit atque præstans, naturæ est inimicum. Inter causas mediatas remotiores naturales referunt temperamentum calidum & siccum, quod præ reliquis ad producendum hunc affectum aptum est; ætatem iuuenilem, regionem calidam, victum calidum, &c. huc referunt. Est ergo ipsis morbus non in manifestis, sed potiùs occultis qualitatibus consistens & totius, vt vocant, substantiæ.

Paracelsus de generatione morbi Gallici *lib. 2. paramyr. c. 4.* ait: quod hic affectus generetur per sublimationem Mercurii à calore, per quem adeò fit subtilis, aut nihil ei possit resistere propter vim internæ naturæ; cuius iterum causa in promptu est. Nam sulphur & sal non possunt ipsum coercere propter vehementissimum calorem, qui repellit hæc duo, ob id Mercurius adeò attenuatur, vt ossa & carnes penetret, non duntaxat poros, verùm alijs in partibus tanquam sudor transit, & penetrat, vt cum afficitur, & acutissimus redditur in Lue venerea. Mercuriale ergò statuit principium non excluso tamen salino, nam absque salibus Mercurii sublimatio non fit, imò à salibus acrimoniam, & corrosiuitatem suam Mercurius consequitur, salque volatile nunquam à Mercurio separatur, & aquæ fortes venenositatem Mercurio imprimunt, à quibus dentium nigredo, ossium erosio, imò pleraque symptomata ex salium natura rectissimè deriuant. A salibus enim resolutis & serpigines, impetigines, pruritus vlcera, caries deducitur, vti pluribus in *Encyclopedia* nostra *Chirurgica* videre erit. Alibi & Paracelsus ex putrefacto sanguine morbum hunc Gallicum oriri asserit, ex putrefactione enim ens corrosiuum in actum dicitur, sitq; salium separatio, & Mercurij sublimatio.

In Gonorrhœa & Pollutione nocturna Chymici Paracelsistæ accusant etiam sal resolutum, si nempè id rupto mistionis fœdere in partibus genitalibus sibi rapiat imperium, & partes genitales, inprimis vesiculas seminales, corrodat, quo ipso semen ob stimulum salinum ad exitum pronum est.

§. 2. *Helmontius* causam Luis venereæ dicit esse venenum inquinatum, seu fermentum venenosum solidis & liquidis nostris partibus odoris instar affixum, vt plurimum autem excrementis quàm partibus resistentibus associatur, qui affectus facilè in varias morborum larvas transmigrat, in testibus domicilium eligit, si per solutiua à lotii officinis retrò trahitur, vt per venas in alium recidat, necessariò luem in totum spargi solo isto transitu tradit. Luis enim huius venereæ progressus est insensibiis, & à nutricibus fugitur. Luis huius tubercula atque dura gummata ablato contagio euanescunt.

Pollutia nocturna, in qua profluit semen cum lasciuiæ somnio, non contingit inter vigilandum, nec offendit thoracem, neque musculos, imò per pollutiones somniales semen sterile tantum eiici contendit Author, inde etiam corpus maximè emaciari asserit.

§. 3. *Willisius* nullibi quidem ex professo de hac tractat Lue, attamen ex Capite de lepra ipsius opinionem de hac nostra Lue facilè expiscari possimus. Luis ergo venereę miasma consistere in sanguine particulis salinis diuersimodi status ac indolis saturato putat. Enim verò sanguinis corruptelæ, postquam diutinà morà heterogeneæ prorsus, ac indomabiles fiunt, tandem particulas salinas sibi conscisciunt, quibus cum in coagula eiusmodi tartarea concrescentes, ac in cutim protrusæ exanthemata inpetiginosa producunt. Culpat ergo salino sulphureas particulas volatiles in sanguine & sero delitescentes. Gonorrhœæ & Pollutionis nocturnæ causâ dicit esse sal resolutum in semine, quod corruptum semen vasa corrodit, & ita eiicitur.

Sylnius veneream Luem à spiritus acidi acrimonia deducit; acidum enim vt dicit non tantum lancinantes in corpore dolores, producere solet, verum talem quoque in partibus corruptionem excitare, qualem in Lue venerea obseruamus, inprimis autem id accidere ait, quando pituitæ viscidæ admiscetur, quam in hoc morbo simul peccare plurima sunt, quæ euincunt. Concludit proinde venenum venereum in Acido, sed suo modo peccante, consistere: non negat tamen interdum in hac lue sal lixiuiosum simul peccare, præsertim vbi pustulæ apparent vel maculæ, primariò tamen asserit hic peccare spiritum acidum in corpore affecti corruptum, ac modo peculiari vitiatum; Sal lixiuum verò peccare secundariò, à sale etiam acido acri & Gonorrhœã atque pollutionem nocturnam deducit. Reliqua possunt apud ipsum Authorem videri, & quidem in Appendice III. pag. m.667. &c.

§. 5. *Cartesiani* particulas acutas scindentes atque pungentes salinas in sanguine aliisque humoribus, item semine latentes accusant, indeque omnia symptomata in hac Lue venerea occurrentia explicant.

§.6. Nos Luis Venereæ venenum in aciditate volatili potissimum consistere existimamus, fermentum quoque Venereum simul esse viscidum cum acrimonia volatili coniunctum. Lues enim hæc communicatur plerumq; per coitum impurum, quo humores acres recipiuntur, in poros meatus vrinarii, & glandularum prostatarum, quarum pori ab humore illo exeduntur, & minùs aperiuntur, & sic accidit, vt semen facilè, & quidem citra voluntatem effluat. Humores autem illi acres communicantur interim sanguini; & sero per partes illas circulantibus, & sic per circulationem totus inquinatur sanguis sylueſtris & peregrino hæc veneno & sale, & mirum sanè est, quod à tum exiguæ istius quantitate integra sanguinis massa ita inficiatur, & mala tam pertinacia inde oriantur. Robur fermentationum & Regum nostrorum quoque facit, vt hic citiùs, ille tardiùs hoc venereo veneno inficiatur. Contagiosum est hoc malum, quod denotat materiam morbidam esse volatilem, sed tamen non ita volatilis est, vt facilè per expirationem posset communicari, vt in peste, quamuis etiam non valde tutum sit, bibere ex eodem vase cum Lue hac infecto. Nam licèt illud quod per expirationem potus admiscetur ab infecto, non possit valde nocere, fieri tamen potest, vt aliquid saliuæ eius vasi adhæreat, vel potui admisceatur, quo infici non infectus potest. Sed tamen ordinario communicatur per sudores, & per concubitum cum infectis, sæpè enim hoc malum vnico coitu contrahitur. Obseruaui & hunc affectum & sola victus ratione, & aeris incongruitate contractum fuisse, in hortulano pio & probo, nunquam rem habente cum sexu fœminino. Alium bubulcum noui, qui rem habuit cum vaccis, crudeliter hoc morbo afflictum, & tandem in carcere defunctum. Pili seu capilli decidunt, quia ab acredine humorum glandulæ, cutaneæ, seu quæ adstant poris cutaneis, ex quibus capilli tanquam ex fundo emanant, & in quibus radicibus suis infixi sunt, exeduntur, ita vt capillorum radicibus absumptis atque erosis capillos quoque decidere necesse sit, qui etiam difficilè regenerantur, quia istæ glandulæ cutaneæ ægrè restaurantur. Ardor vrinæ frequenter hic occurrit, qui vt plurimum ab exulceratione meatus vrinarii producitur; vrina etiam frequenter redditur à stimulatione sphincteris ab humore acri. Dolorem artuum deducimus à materia viscosa & acri partes lancinante, & vellicante. Dolores autem sub vesperam augentur & ingraueſcunt, quia tunc à calore lecti particulæ acriores magis agitantur & mouentur, adeoque magis neruos pungunt, & quia minus temperantur ob spirituum defectum & acrimoniam; & dum æger se in lectum recipit, ita vt incaleſcat, vnde vt humo-

mores isti viscidi, quibus acres particulæ, seu peregrinum illud sal admixtum est (in quo morbi essentia consistit) à calore plus agitantur, vnde vellicationes maiores, ac sic dolores fiunt, dolor non est grauis, sed magnus, nam membranarum fit lancinatio. Facies tumida & fulgens si appareat, indicat materiam esse valde viscidam, adeò vt humores impediantur fluere per sua vasa, qui stagnando distendunt faciem, & leuamen eam reddunt, vt in hydropicis sæpè accidere solet. Penis erectio inuoluntaria, & sæpe eius incuruatio producitur, quia spiritus acres infixi sunt materiæ viscosæ, & hærent quasi in luto, vnde diu manent in musculis, dein fieri facilè potest, vt meatus, qui trasmittunt spiritus ex vno musculo in alium, sint obstructi, & hinc penis sæpè incuruatur. Adsunt sæpe bubones inguinum, vlcera oris, ani, & totius corporis, palatum sæpe cum naso exeditur, quod voci est incommodum, indeque vox redditur rauca, quæ vlcera fiunt à materia acri corrosiua illas partes erodente.

Præcipua signa Gonorrhœæ virulentæ seu diximus sunt, (1.) cum id, quod excernitur, fœtet. (2.) cum semen ad viridem accedit colorem. Lues venerea à Gonorrhœa virulenta non nisi gradu differt, ideoque signa pleraque occurrunt, & tantum mitiora & pauciora sunt. Sæpe hoc morbo laborantes steriles fiunt, fœcunditas enim oritur à latice spirituoso, qui à neruis in semen stillat, & illud fermentare facit, qui latex, quia in Gonorrhœa aut non, aut malè affectus influit, infœcundos facit, quamuis tandem à Gonorrhœa hac liberantur, tamen in posterum steriles euadunt, quia pori vesicularum seminalium non ita arctè constringi possunt, vt semen cum vigore & impetu excernatur, qui impetus maximè necessarius est ad conceptum, vt semen nempe profundius per Tubam Fallopianam, & sic ad testes perueniens oua, seu vesiculas mulierum testiculis contenta, felicius aperiat, prout hanc opinionem inferius de morbis mulierum accuratius probaturi sumus. Reliqua symptomata ex his ante dictis facilè explicari possunt.

Pollutionis verò nocturnæ causa consistit in nimia apertione & relaxatione pororum glandularum prostatarum, & testium & vesicularum seminalium versus vrethram, & præcipuè prostatarum, per quarum poros hiantes semen facilè, & citra voluntatem effluit, deinde causa etiam consistit in nimia seminis fluiditate, ita vt per poros apertos continuò & sine dolore excernatur. Hoc in affectu sine sensatione semen effluit, quia pars seminis salina volatilis abest, quæ aliàs titillationem excitat, oculorum adest cauitas, & versus interiora subsidunt, quia musculi oculos mouentes propter minorem sanguinis & humorum motum in eosdem collabuntur, vel quia musculi non debito modo inflantur à spiritibus animalibus, quapropter spatium non implent. Alimenta humectantia nonnunquam relaxant poros, & semen aquosum producunt, loco enim spirituum salinorum hìc aliquid lymphæ deponitur, vnde solita titillatio fieri nequit, hinc nulla in Gonorrhœa simplici est titillatio, seminis aquositas est à pororum testium nimia apertione, adeo vt in illis semen corrigi non possit, nimiam seminis excretionem sequitur maxima debilitas, & aliquando macies. Vnde mirum est, quod ab exigua illa materia seminalis excretione maior subsequi possit debilitas, quam si decuplo plus sanguinis excernatur; sed respondetur, materiæ seminalis effluxum non esse causam maciei, sed dicimus, maciem istam, & materiæ seminalis effluxum, ab vna causa dependere, scilicet à sanguine nimis acri & aquoso, adeoque ad nutritionem minus apto. Pollutio verò nocturna fit cum titillatione, quia in semine adhuc latet illa vis salina volatilis, quæ titillationem excitat.

§. 7. Nunc verò paucis videamus Pro-

gno-

gnoſin, vt vulgarem obſeruemus methodum.

PROGNOSIS.

Euentus Luis Venereæ varius eſt proſui diuturnitate maiori aut minori, pro diuerſa ſanguinis conſtitutione puriori, aut impuriori, aut magis cacochymica, pro diuerſitate ætatis, temporis anni, regionis, & ſymptomatum paucitate ac pluralitate, magnitudine aut paruitate. Nam Lues Venerea, & Gonorrhœa, quò recentiores, eò curatu faciliores ſunt. Difficiliùs quoque hoc malum eradicatur in corporibus pituitoſis, aut melancholicis, aut valdè plethoricis, quàm alijs, faciliùs in ſanis curatur, quàm debilioribus, alioue morbo laborantibus. Lues Venerea cum raucedine difficilis eſt curationis, inprimis ſi iam oſſa carie ſunt corrupta, omnis enim Lues venerea & gonorrhœa virulenta periculoſa eſt, præſertim ſi fuerit cum tumore penis, & fœtore ſeminis, ſi vlcera, & caruncułæ in vrethra iam ſuborta ſunt. Faciliùs tamen faucium, gutturis, & narium, peniſque curantur vlcera, quàm ani. Lues Venerea, vt & pollutio nocturna, & Gonorrhœa maciem minantur, atque ſterilitatem poſt ſe trahunt, perdito ſcil. vigore ſeminali, & fermento depauperato, ſemen enim eſt quinta quaſi eſſentia ſanguinis, volatilis enim illa ſalina pars. Senes, & valdè adulti difficiliùs liberantur ab his malis quàm iuuenes, Mulieres verò minus afficiuntur, quia pro beneficio habent menſtrua. Difficiliùs etiam curantur ij, qui multa & grauia habent concomitantia ſymptomata, inprimis vbi adſunt vlcera, caries, tophi, ſimiliaque alia mala. Autumno, & hyeme ſunt periculoſiores, quàm vere & æſtate, in regionibus frigidis atque humidis quàm in calidioribus, vt Gallia, Italia, Hiſpania &c. Gonorrhœa facilè in Luem Veneream degenerat, eſtque morbus diuturnus, multumque negotij, & Medico, & ægro faceſſit, ſæpè etiam in Gonorrhœam ſimplicem deſinit, curatu admodum difficilem.

Gonorrhœa verò ſimplex, & Pollutio nocturna ex ſe non admodum periculoſi affectus ſunt. Diuturnus quoque eſſe ſolet hic morbus, adeò vt ſæpiſſimè integrum duret annum, & vltra, inducta macie ſæpè & aliorum morborum cauſa eſt. Si denique aſthma accedat malum ferè deploratum eſt, ſicuti & vbi ab vtero, & hæreditarie lues ingruit. Difficulter etiam curantur illi, qui recidiuam patiuntur, & quibus acceſſit hydrops, quibuſque alui profluuium putridum, ſanioſum accidit.

CVRA DIÆTETICA.

§. 8. Itaque iis, quæ ad Luis Venereæ reliquorumque conſanguineorum affectuum theoriam faciunt, cognitis, nunc eorum curationem; & quidem primò dieteticam aggredimur, ſine dieta enim medicamenta nihil proſunt, quod & ipſe fatetur *Galenus de vſu Theriaca ad Pamphilianum*: Nullum, inquit, tam efficax remedium medicina habet, quod ſolitum auxilium afferre queat, ſi ei victus, vel reſiſtat, vel non adiuuet. Conſiſtit verò illa in legitimo *ſex rerum non naturalium* vſu, vbi agmen ducit Aer, quantum enim conſentiant corpus noſtrum cum atmoſphæra hac, ac quantum mutationes tempeſtatis faciant in corpore Medici prudentes norunt. Hiſce ergo in affectibus Aer ſit temperatus, magis tamen ad caliditatem vergens, vt poris apertis maligni ac acres vapores faciliùs exhalare queant, ſit etiam purus, ſerenus, & alteretur ſuffumigijs alexipharmacis. Locus, in quo æger decumbit, vel mortuus eſt, quantum poſſibile, vitetur.

Cibus ſit euchymus, eupepeus, gratus, & ſuauis. Proſunt iuſcula conſummata pullorum, gallinarum, caponum cum pane ſimilagineo, vel tritico cremor hordei, ptiſana hordeacea, ſed inprimis hic notetur, ne cibis variis contrariantibus.

bus malo suppeditemus pabulum. Cibi saliti, acres, fumo atque sale conditi, lacticinia, pisces vitentur, salis, aceti, sacchari, mellis & aromatum sit parcissimus in cibis vsus. Potus sit decoctum lignorum, seu cereuisia tenuis lignis saturata, alijsque herbis appropriatis maritata, cereuisia sit optimè fermentata, triticea, & vt diximus, medicata, conuenit non solum vt potus ordinarius, sed etiam vt medicamentum. Possunt & potui addi essentia lignorum, &c. Vinum potens hic summè pernitiosum est.

Somnus sit moderatus, vitetur situs supinus, ne vasa circa lumborum regionem incalescant. In Gonorrhœa optimum est, elato capite decumbere, quo pacto nec in dorsum facilè erit resupinari, quo plures nouimus se ab hoc malo seruasse. Vitentur lecti plumis referti, meliùs in vsum adsumitur hodiernum genus lectorum, quos vocant Matratgen. Vigiliæ tamen nimiæ etiam hic coercendæ sunt, spiritus enim animales turbant, debilitant, dissipant, doloresque augent.

Motu nimio, & vehementi se æger, non defatiget, sed placidè agat, nocet enim saltatio, equitatio, indeque ægri inquieti compescendi, & vt tranquilli sint, admonendi sunt.

Excreta, & Retenta in statu suo naturali conseruentur, aluus quotidie officii sui sit memor, nam in aluo dura intestinum rectum ob vicinitatem premit vasa spermatica, vnde & Gonorrhœæ, & pollutioni nocturnæ occasio præbetur, si verò subsistit lenientibus, & suppositorijs admoueatur. Sic & cum reliquis consuetis euacuationibus naturalibus procedendum est.

Animi pathemata rectis ægri moderentur habenis. Vitentur cane peius, & angue affectus grauiores, amor, libido, ira, excandescentia, tristitia, & inprimis, quæ omnia mala grauiora efficit, impatientia. Tum etiam metus mortis ab adstantibus prudenti ratione, & conuersatione auertatur, quo æger moderato gaudio tantò felitiùs cingatur, & inprimis pollutione nocturnâ laborantes ad coniugium legitimum monendi sunt.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 9. Perpensâ iam dictâ curationi quoque pharmaceuticæ aliquot pagellas tribuemus, & quidem primò, vt ordinem seruemus, ad veterum Galenicorum mentem curationem videamus. Breuissimè ergò iuxta ipsos sic cura instituì potest. Si non ita pridem malum inuasit, & plethora adsit, vena secetur cubiti, præmisso aliquo lenitiuo, vel clystere. Hinc humores crassi attenuantibus præparentur, vt sunt aq. buglossæ, fumariæ, borraginis, oxymel scyllitticum, aliaque postea, vt medicamento adpropriato è corpore propellantur humores, collimetur, & hoc in casu vt plurimum vtuntur extracto hellebori nigri, &c. Demum reliquiæ morbosæ balneis siccis, & si opus est, exhibitis decoctis sudorem prolicientibus, excludantur. Si altius egit radices, facta V. sectione ad decocta, vel guaiaci, & cortic. sarsæ parillæ, chinæ & sassafras transeunt benè priùs purgato corpore, bibatur calidè, & in sudatorio, vel lecto stragulis iniectis probè sudet æger linteis per vices mutatis hinc surgat, absistergatur; & obambulet in cubiculo, prandeat quartâ aut quintâ à sumpto medicamine horis.

In pollutione nocturna præmissis vniuersalibus ad varia adstringentia accedunt tum interna, tum externa, nec negligunt quæcunque vulneraria. Formulæ infinitæ occurrunt apud huius sectæ scriptores Medicos, vt non videatur opus vllam hic apponere, cùm præsertim cuiuis, in arte exercenda adminiculis aliundè petendis instructo, haud queat esse difficile ægris varia præscribere.

Paracelsus, lib. 2. de vita longa cap. 12. de pustulis in speciebus morbi Gallici inquit: Tria obseruabis, *Purgationem, Curam, & Conseruationem.* Purga ergo in principio pustulosum *Coniectio* (est Mercurius specificè ad Luem ve-

ne-

ræream præparatus)quo pellitur causa morbi vnà cum materia peccante. Porrò *si* pustulæ adhæserint cuti extrinsecus, aut alioquin dolor iuncturarum altius insederit corpori, inunge oleo, quod est ex Realgare (arsenico scil. fixo) & conualescet ægrotus. Aliis verò in locis oleum Mercurii, Solis, marchasit. cum Mercurio imò Mercurium vulgi commendat. Omnes etiam Chymici Mercurium pro vero,& vnico huius luis alexicaco habent, qui radicitus eam exstirpat, quod alia medicamenta haud præstant. Præparatur verò à Chymicis Mercurius, vt vel per secessum tantùm moueat, & per vomitum tantùm. Ille Catharcticus, hic Emeticus dicitur. Tutiores ipsius iudicantur ad purgandum sublimatus dulcis crystallinus, & rubeus, siue arcanum Corallinum à *Crollio* descriptum, Emetici verò ipsis sunt Turpethum minerale, & Mercurius vitæ. Sed ipsis est diureticus, vt *Mercurius dulcis crystallinus*, *Mercurius viridi cum venere præcipitatus*. Idem etiam singulari arte fit diaphoreticus, vt in bezoardico minerali, & aliis modis. Spiritus Mercurii fragrantissimus profundissimam luem ex penitissimis fibris eradicat.

Idem *Paracelsus* quoque in libello *Xylobebeno*, luis venereæ curationem ex ligno tradit, efficacissimam. Elicit tria medicamentorum genera, *liquorum*, *gummi*, *& alkali*. *Liquor* est ipsi potus, *Gummi* vnguentum, denique *Alkali* purgatio. Cætera ibidem videantur; Muscas enim captare nolumus.

Plures Chymicorum diaphoretica vulgò purgantibus miscent, aliaque externa internaque exhibent, quæ ex infra dicendis cuilibet innotescent.

Paracelsus Gonorrhœam speciem guttæ facit in schol. ad l. 7. Gutta autem ipsi est Synouia à parte resoluta. In Synouia est virtus retentiua, quà destructà semen effluit. In hac morbi specie corpus etiam purgari vult, & quidem lacte terebinthinæ, quod fit terebinth. cochl. 1. cum albumine oui no. 1. & vini cochl. 2. in patina stannea concussis, & subactis. Ipsius assectæ, & hic exhibent magister. essent. ol. margaritarum, & coralliorum, item parum laudani opiati. Sistunt & fluxum hunc ijsdem remediorum generibus, quibus & alios fluxus.

Sequitur nunc *Helmontius*, qui pro diuersitate subiecti, & veneni inquinatiui hunc morbum diuersimodè curandum esse censet, & solo mercurio, & inde excitata saliuatione hunc affectum facilè extirpari asserit. Magnificat etiam hoc in morbo Mercurium suum diaphoreticum. In Gonorrhœa, & Pollutione nocturna commendat varia diaphoretica ex mercurio parata, aliaque vulneraria, & acidum imbibentia.

VVillisius respectu causæ coniunctę, & procatarcticæ duas præcipuas habet medendi intentiones, nempè vt viscerum, & humorum impuritates repurgentur, & dein vt sanguinis, & liquores neruei dyscrasiæ acido-salinæ in meliùs reducantur, propter quos fines medicamenta tum *euacuantia* diuersi generis, tum alterantia præscribere solet, & inprimis remedia tantùm magnà hic conuenire ait. Inde in vsu maximè proficua deprehendi sequentia, vt sunt catharctica, phlebotomia, serum lactis, acidulæ chalybeatæ, herbarum expressiones succullentæ, decocta ex lignis, medicamenta chalybeata, & saliuatio. Infusionem seq. vel similem catharticam commendat:

℞. *Rad. oxylapath.*
polypod. q. ana ℥ ß.
fol. senn. s. ſt. ℥ x.
epithymi ℥ vi.
rhabarb.
mechoacann. ana vnc. ß.
santal. citrin. ℥ ij.
spicæ Celtic. ℥ ß.
salis tartari ℥ ß.
Ponantur in vitro cum vini albi ℔ iij.
aquæ florum sambuci ℔ i.

Stent clausa in frigido per dies tres, dein in vsum depromantur effundendo quo-

quotidie q. s. liquoris clari.

Ad sanguinem edulcorandum, eiusque sales acidos eluendos serum lactis simplex, vel cum fumaria, cichoraceis, ex oxylapatho infusis, bibatur omni mane ad ℔ ij. per dies viginti, vel triginta, si stomacho congruet. In hunc finem commendat acidulas ferratas, in quibusdam verò sero nimio, & constitutione aquosiori præditis, vbi seri lactis, aut acidularum potus minus conuenit, nonnunquam decoctum ex lignis medicis, ac insuper pro potu ordinario suadet. Ex. gr.

℞. *Rasur. lign. salicis* ℔ ß.
rad. sarsaparill. ʒ viij.
santali albi,
lign. lentisc. ana ʒ ij.
rasur. ebor.
C. C. ana ʒ vj.
Antimonii crudi in petia ligati ʒ iiij.
rad. liquirit. ʒ j. ß.

Infund. & coq. in ▽ fontan. ℔. xvi. ad medietatem, colatura seruetur ad vsum. Vltimum refugium est saliuatio, quæ per inunctionem ex hydrargyro instituatur. Commendat etiam medicamenta sale volatili prædita, & præcipuè ex viperis. In lue venerea ergo, vel ad decocta ex lignis ijsque, parùm aut minimè iuuantibus ad medicamenta ex hydrargyrode veniendum erit, & hac methodo plures pro imperiginosis, ac leprosis habitos, & miserè diuexatos, facilè ac citò curauit. Authoris nostri Topica varia ex *Capite de Lepra Græcorum* peti possunt. In pollutione nocturna varia adstringentia, & glutinosa conducunt, quæ vasa illa aperta iterum constringunt, conglutinantque, de quibus superiùs in fluxibus varijs abundè, & ad nauseam vsque egimus:

Syluius (qui vt dictum Veneream luem produci existimat ab humoribus acidis, acrimoniâ suâ tum sanguinem ipsum, cæterosque ex ipso humores ortos, tum pilos, tum glandulas, parteſque glandulosas omnes, tum cutim, tum ossa ipsa rodentibus, ac corrumpentibus) primaria luis Venereæ remedia esse dicit *mercurialia*, aut ex lignis, radicibusque gummosis atque sudores mouentibus petita. Inter quæ, tanquam optimum, & tutissimum commendat Mercurium crudum cum porcina axungia, vel alijs oleis, vnguentisque mistum, & forrinsecus illitum, inprimis in pedum plantis, manuumque volis alijsque articulationibus quibusuis. Finem namque scopum illitus istiùs cum Mercurio dicit esse Ptyalismum, siue saliuationem, cuius ope vnà cum pituita copiosa expurgatur ex vniuerso corpore Virus venereum, sicque facilè, & satis feliciter imò certò curari ægros, imò per Mercurium spiritum acidum cum pituita vnitum, & coniunctum optimè euacuari addit: nam facilè Mercurius se admiscet spiritui acido, vnde & Mercurius ptyalismum promouet, quia pituitosæ sanguinis parti se admiscens h. e. materiæ saliuali, vna cum ipsa salina secedit in glandulis saliualibus, quinimò saliuæ copiosius secretæ, h. e. ptyalismi causa existit. Eundem effectum, & præstare Mercurium sublimatum, & præcipitatum existimamus. Ad ptyalismum verò excitandum magis conducere medicamenta mercurialia minus acidi continentia; aluum verò vomitumque mouere dicit, potentiùs ea quæ copiosiore, & acriore abundant spiritu acido, vnde & feliciùs, excitari ait, saliuationem cum Mercurio præcipitato, & quidem non nimis fixato. Eundem spiritum *acidum* in Venerea lue peccantem corrigunt ligna, cortices, radices, gummosa. Gummi siquidem tale sale volatili, & oleo aromatico abundare censet, à quo proinde cùm curetur Venerea Lues, patet id accidere, quatenus occurrit suo contrario, quod corrigat, emendetque. Curam ergò in Lue venerea dicit esse vel *vniuersalem*, quæ in massæ sanguineæ in hac lue corruptæ, & inprimis ab acido acri vitiatæ purificatione consistit, vel *particularem*, quæ singulis eius symptomatibus in specie debetur gonorrhœæ puta

vi-

virulentæ, pustulis, vlceribus, cariei, &c. Duobus scribit absolui Venereæ luis curam vniuersalem, correctione scil. ac contemperatione spiritus acidi acrioris; atque expulsione eiusdem per vias conuenientes. Inter simpliciora dicit, quæ acrimoniam hanc acidam temperare solent, numerari 1. *Spirituosa volatilia*, spiritum vini, frumenti, ac quemuis alium post debitam mistorum fermentationem destillatione prolectum 2. *Oleosa* & pinguia omnia, vti sunt olea ex fructibus oliuis puta, vel seminibus, & nucleis, lini puta, raporum, nucum iuglandium, & similibus expressa. 3. *Salia lixiua fixa* ex combustarum rerum, plantarum maximè cineribus extracta. Tandem 4. addit *Aquea*, quæ non tam temperare dicit, quam diluere *spiritum acidum*. Inter magis composita numerat *salia volatilia*, ex sale lixiuo fixo, & spiritu volatili, vel naturà vel arte iunctis orta, qualia sunt sal volatile C. C. vrinæ, cuius species existit spiritus salis armoniaci dictus, sal Tartari volatile, &c. Huc & refert olea aromatica omnia ex sale lixiuo, sed volatili, & oleoso genita, qualia sunt, oleum succini, C. C anisi, cinnamomi, macis, garyophyllorum, maioranæ, rorismarini, &c. galbani, myrrhæ, mastiches, &c. Hisce addit Tincturas aromaticas, ex plantarum præsertim partibus aromaticis per spiritum vini extractas, siue id solà fiat infusione aut decoctione siue accedat destillatio, in qua partes maximè volatiles duntaxat cum spiritu vini assurgunt, & obtinentur: tales sunt, Tinctura Cinnamomi, aqua Theriacalis, vitę Matthioli, & similes plures. Huc & spectare dicit Apozemata siue decocta aromatica, ex plantarum partibus aromaticis cum aqua, & quandocunque cereuisia vel vino decoctis parata, quibus frequenter vti solet in luis venereæ curatione. Ad composita medicamenta spiritum acidum temperantia numerat quèuis *saponem*; ex sale lixiuo cum aqua soluto & oleo, siue pinguedine, decoctione longa paratum, & cum lacte exhibitum, quo & refert Emulsiones ex aqua & seminum parte solubili, & satis oleosa constantes. Laudat tamen præ aliis decocta (quæ sumantur calidè) ex binis radicibus, totidemque lignis parata, radicibus putà chinæ & sarsaparillæ; lignis verò guaiaco, & sassafras, addit tamen & radices in nostris oris crescentes, quæ tam facilè, tam tutò, tam iucundè præstare possunt, quàm ista exotica, & subinde suis ex parte viribus priuata & exolera. Illa nostratia sunt radices *smilacis asperæ*, perasitidis, radices, cortices & lignum iuniperi, vna cum eiusdem baccis, lignum quercus, &c. Etiam conducere *salia lixiuia*, & præsertim volatilia experientià habet & proinde medicinam facientibus ea commendat in Lue Venerea, & alimenta admisceri vult medicamenta, quæ alimentis admista vnà cum chylo, quem præstantiorem faciunt, faciliùs, blandiùs, & vtiliùs toti massæ sanguineæ admisceantur, ipsamque sensibiliter emendent, sicut id sæpiùs tum in Venerea lue, tum in aliis affectibus cum magno ægrorum commodo à se factum esse scribit, atque tamdiu perseuerandum esse in alterantium vsu, donec obseruentur ex functionibus priùs læsis, & nunc integratis, ad statum bonum, & laudabilem *reductæ* actiones. Tunc enim si copia *humorum* nimia in corpore obseruetur, educendos ac euacuandos esse per vias conuenientes, ac medicamento appropriata vult; mox per *vomitoria*, mox per *saliuationem mouentia*, mox per *purgantia*, mox per *diuretica*, mox per *sudorifera*. Tutiùs verò, ac iucundiùs, & blandiùs euacuati humores in lue Venerea peccantes per *sudorifera*, *diuretica*, & *deorsum euacuantia* statuit, citiùs autem at difficiliùs *saliuationem mouentia*, quoniam verò semper obtineri non potest luis Venereæ curatio per sola sudorifera, & purgantia deorsum, id circa recurrendum esse nonnunquam, imò sæpiùs ad saliuationem tum solam, tum aliis iunctam inculcat. Decoctis lignorum aliisque sudoriferis & diureti-

ca

ca simul miscenda Author noster præcipit, sic enim, & sudores, & vrinæ simul propelli possint. Inter purgantia *Phlegmagoga* aliis præfert, colocynthidis pulpæ inter vulgaria, & mercurialibus inter chymica primas tribuens, & vel colocynthidem in decocto vsurpandam præscribit, vel in pilulis trochiscos *albandal* ex ipsa paratos suadet, additis simul, quæ pituitam incidant & educant, gummatibus, galbano, sagapeno, opopanace, ammoniaco, bdellio, mastiche, &c. & colocynthidi mercurialia medicamenta copulat, relicto mercurio sublimato corrosiuo solum eligit mercurium dulcem, præcipitatum laudat, at fixum omnibus tamen præcipitatis præfert *Corallinum*, ab eleganti suo colore nomen habentem, atque iteratà sæpiùs spiritus acidi abstractione paratum. Tamdiu autem perseuerandum esse in Mercurialium medicamentorum vsu iubet, donec omnia Luis Venereæ symptomata, primaria eius ope fuerint sublata. Solent, *inquit*, præ cæteris medicamentis omnibus Mercurialia tum circa regionem lumbarem, tum circa gingiuas, genas, & fauces singulares alterationes excitare, atque operationis secuturæ certa signa præbere. Vomitum, & quandoque ciere per antimonialia in hac lue, haud dissuadet Noster. Saliuationem excitat Author vel per Mercurium internè assumptum, aut externè in forma vnguenti illitum, aut cinguli forma circa regionem lumbarem applicatum, aut suffumigii modo ore exceptum, in his verò lentè esse procedendum suadet, aliasq; hoc in casu cautelas allegat.

Gonorrhœam verò virulentam *Syluius* sequenti modo curat. Fermentum illud virulentum, & acre, vlcus excitans, soluens, atque sanguinem cum semine corrumpens, corrigit, emendatq; aut è corpore planè exturbat, vlcus verò ab ipso productum mendat ac consolidat. Et hoc se obtinere scribit per iam dicta remedia, inprimis ad humorem acrem ac virulentum corrigendum commendat.

Emulsiones, decocta emollientia, & lenientia dicta ex liquiritia, hordeo, & similibus parata. Terebinthinam quoque laudat, item oleum eiusdem, balsamum Peruuianum, oleum de copaiua dictum. Oculos cancr. hoc in affectu magni æstimat Noster. In Vlceris mundatione, & consolidatione præscribit Terebinthinam, balsamum Sulphuris multiplicem, balsamum Peruuianum, &c. Ad glandulas prostratas, & vesiculas seminales maligno fluxu debilitatas corroborandas commendat blandè adstringentia, & aromatica, sale saltem fixo, & acidum frangente donata, castoreum, succinum, myrrham, mastichen, corrallia, lapidem hæmatitem, laccam, internè assumenda, & similia olea, mastichinum puta, & alia forinsecus circa perinæum vsurpanda. Qui postularum curam festinare, aut forsim eandem instituere libet, quo minus oriatur apud alios de Lue venerea suspicio, tum Guaiaci, cæterorumque lignorum decocto partes illas externas fouere suadet. His aliisque non proficientibus ad pustulas fœdas & malignas tollendas sale volatili cupri tinctura imbuto vtitur. Inseruire quoque dicit pustulis curandis Mercurium præcipitatum atque dulcem alicui immistum, & forinsecus applicatum. Ad Cariei verò curationem necesse est, ait, vt tota pars carie affecta, vtpote mortua, separetur à sana & viua, cum qua nec coalescere nec diu subsistere potest cariosa, quin eandem itidem inficiat, & ad corruptionem similem paullatim deducat. In hunc finem adhibet varia cauteria actualia, & potentialia, maximà tamen cum cautela. Post cauteria commendat ipse salia volatilia, item in ossium carie curanda præscribit tutiam, lithargyrium, cerussam, imò guaiacum, in puluerem trita & insperta, quæ omnia iuuant, quatenus acidum in se concentrant, & ab ossibus allectum auertunt ne vlterius serpere, ac ipsa corrumpere pergat.

Tuberositates sub periostio excrescentes,

tes vel tophi iuxta Authorem noſtrum curantur emplaſtris & vnguentis Mercurialibus inprimis verò vniuerſali cura per ſaliuationem.

Ad dolores noctu inprimis ſæuientes commendat præ cæteris ſarſamparillam, & eius decoctũ internè aſſumptum, inprimis verò *opiata* quæ circa veſperam recrudeſcente ſc dolore vſurpari debent. Inter externa laudat prædicta vnguenta mercurialia, & fotus guaiacinos, & iuniperinos.

Capilli adradendi ſunt, quando effluere incipiunt qui ſponte *abſolutà ritè curà vniuerſali renaſci ſolent*. Sic & *maculæ* ſponte abeunt, modò foueantur aliquoties decocto guaiaci, & aliorum aromaticorum. Bubonum verò ſuppurationem atque apertionem maturandam cenſet Author, quod per Emplaſtra cum aromaticis gummatibus parata, diachylum magnum & ſimilia obtinere poteſt; cauterio quoque potentiali efflagitante neceſſitate putat apertionem tentandam eſſe, ne ad interiora pergat venenum in illo tumore exiſtens.

Condylomata tum in muliebri pudendo, tum in vtriuſque ſexus podice oborta, vt & verucæ in membro virili iuxta ipſum curantur, per medicamenta mercurialia acriora ipſa conſumentia, cæteroſque ſpiritus acidos, vitrioli ſulphuris, & ſimiles, & poſſunt iſtæ partes ſpirituum illorum guttà vna atque altera tangi, & quidem toties, donec corroſa ſint, & ſiccata decidant. Commendat etiam aquam plantaginis, & roſarum ana ad libram vnam, cum aluminis crudi mercurij ſublimati ana drachmis duabus miſtam & in vitro decoctam, poſt ſubſidentiam effuſam ac linteo parti affectæ applicatam.

Plura qui volet conſulat Noſtri Authoris Tractatum tertium; præcipua enim eligere animus nobis eſt.

§. 10. *Carteſiani* ad particulas acutas pungentes ſalinas obtundendas ſuadent decocta lignorum, mercurialia itidem omnia dura, & ponderoſiora, imò ad eaſdem eliminandas & laudant ſaliuationem mouentia, variaque purgantia. In primis ex mercurio dulci parata, quæ omnia ex ſubſequentibus peti poſſunt.

§. 11. Nos curationem Luis venereæ ſequentibus indicationibus ſuperſtruimus, 1. vt ſanguis & limpha emendentur, depurentur venenum vero venereum, acidum puta corruptum, & vel fixum, vel volatile nimium *ſanguini & lymphæ* permixtum per appropriata alkalia temperetur & corrigatur, & quantocyus poteſt eliminetur, aut per ſudores, aut per ſaliuationem, aut per diureſin, partim etiam per aluum; 2. vt partes, quas maximè corrodere ſolet hoc venenum acido-acre, ſeu corroſiuum, præſeruentur, & ab eo defendantur. 3. vt morbi præſentes, aut ſymptomata ab eo producta mitigentur, viresque ſeruentur. Sanguinem autem emendant, & depurant à ſuis recrementis ſalinis corroſiuis. 1. Salia volatilia balſamica; 2. Olea aromatica blandiora; 3. Medicamenta terrea, & præcipue aut metallica, aut ſale volatili ſpirituque prædita, aut oculi cancr. margaritæ, denique reſinoſa omnia, ſiue ligna, ſiue cortices, ſiue reſinæ ipſæ, ſiue gummi, aut ex his parata olea ſtillatitia. Venenum autem venereum infringunt, tum eadem illa, cum ex his præcipuè recenſita reſinoſa, terrea, vt & antiſcorbutica omnia blandiora, & mercurialia. Per ſudores euacuant, tum diaphoretica omnia antimonialia, quæ ſimul ſanguinem maximè purificant, tum inprimis metallica alia mineralia, & decocta ex *lignis* reſinoſis: per diureſin verò omnia diuretica etiam blandiora & balſamica, ne ſpiculis ſuis malum augeant. Per ſaliuationem ſola, quod hactenus noui, mercurialia interna & externa conducunt. Ex his omnibus facilè apparet, quod ad eradicationẽ huius affectus venerei ſpectat, duos præprimis eius modos eſſe, alterum per ſudores alterum verò per ſaliuationem. Venæſectio non quidem ſpectat ad hunc morbũ, quia fermentum non ſolùm in ſanguine hæret, ſed & maximà copià in partibus ſolidis latitat, ſed cum plethora adſit

pro

pro circumstantiarum ratione Venæ-sectio potest institui, vt plethora curetur.

Si verò cachexia & crudi succi copia corpus repletum existat, fiat initium à purgantibus cum ratione adhibitis, V. gr.

℞. *M.Pilul.hermodactyl.*
cochlar.ana ʒ ß.
mercur.dulc. ʒ j.
Extr.panchymag. ℈ ß
diagarid.ritè ppt.gr. xii.
trochysc.alband.gr. ij.
ol.lign.sanct.
fœnicul.ana gr. iii.
M.F.pilulæ pis.magnitud. Dosis xvii.
& plures.

Vel:

℞. *Extract.panchymag.Croll.* ℈ ß.
resin:gialap:gr: iv.
mercur.dulc.gr. xii.
F.c.spiritu guaiaci pilulæ pro vna dosi

Vel:

℞. *Herb.fumar.*
trifol.aquat. ana m. j
radic.belenij.
polypod.ana ℥ ʒ j,
bellebor.nigr.propt. ʒ vj.
hermodactil. ʒ ß
fol.senn.s.ft. ℥ ʒ j. ℔
lign.guaiac. ʒ ℔
saßafras ℥ ʒ ℔
paßular.minor. ʒ j.
cremor.Tartar.albiß. ʒ iij.
F.l.à Nodulus.

Vel forma boli.

℞. *Electuar.de succ.rosar.* ʒ ij.
mercurij dulc.ritè ppt.gr. xij.
sacchar.q.s.F.l.à Bolus.

Vel:

℞. *Conserv.rosar.* ʒ i.
resin.gialapp. gr. vi.
arcan.corallin.gr. viii.
F.l.à Bolus.

Conueniunt & antimonialia per inferiora purgantia. Conueniunt enim hæc tanquam sanguinem purgantia, nec dentur specifica, nisi præmissis vniuersalibus, non tamen omnia generalia hic prosunt, sed quæ habent vim specificam contra hunc morbum:

Corpore iam copiosis cruditatibus liberato, & purgato ad specifica & appropriata sudorifera fiat transgressio. Inter hæc excellunt decocta lignorum, quæ specificis suis particulis alkalinis acidum corruptum corrigunt. Sunto formulæ:

℞. *Rasur.lign.guaiac.* ℥ ʒ vi.
saßafras ℥ ʒ ij.
cortic.vtriusque ana ℥ ʒ i.
radic.chin.
sarsaparill.ana ʒ x.
paßular.maior.mundat. ʒ vi.
glycyrrhizæ ras. ʒ j.
Coq.s.a.ex aqua pura, colaturæ ℥ ʒ xl.
addendo aquæ theriacal.s. ʒ j.
syrup.trifol.aquatic. ʒ j. ß.

M. D. Dosis subinde ter, quaterue in die circiter ʒ iv. quibus assumptis sudores expectandi, & promouendi sunt.

Vel pro pauperibus.

℞. *Rasur.lign.iuniper.*
quercus,
buxi.
alni ana ℥ ʒ iij.
guaiac. ʒ v.
rad.zedoar. ʒ ß
liquiritiæ ʒ j.
sem.fœniculi ʒ ß
Coq.ex aqua pura ad remanentiam ℥ ʒ xl.

Vbi animus est maximè exsiccare sumimus decoctum ligni guaiaci, decoctum v. corticum guaiaci adhuc magis exsiccat, quòd duntaxat humidissimis naturis est concedendum, vel debet alijs corrigi, post hæc sarsaparilla & sassafras, dein radix chinæ, quod optimum est corrigens guaiaci, nec adeo exsiccat. Decoctum sarsaparillæ, & radicis chinæ non tam diu debent coqui, vti guaiacum, quia habent particulas multas alkalinas, quæ facilè auolant in auram. *Petrus Borellus centur.2.curat.96.* mirè extollit decoctum ex lignis & antimonio crudo, laudatur & decoctum *Zuuelferi*, decoctum *Borelli* hunc habet processum.

℞. *Antimonij crud.*
sarsaparill.ana ʒ vj.

Antimonium nodulo incluſum in VI. amphoris aquæ, in quibus ſit ſarſaparilla cum XI. nucum putaminibus viridibus, & hylis, ſuſpenſum coque ad tertias partes, eiuſque decocto vtatur æger, capiendo de die ter, nempe manè, meridie, & veſperi hauſtum longè à cibis. Radicem lappæ maioris & addere ſoleo decoctis ex lignis, quod decoctum hunc morbum ſanat, & ex ingredientibus ſuprà dictis fieri poteſt Bochetum pro potu ordinario, vt eo tota maſſa ſanguinis imprægnetur. Continuetur cum tali, vel ſimili decocto ad aliquot dies, imò ſeptimanas, & tum ex fæcibus relictis iterum paretur decoctum, quod debilius eſt, & poteſt bibi loco cereuiſiæ; & interea mane & veſperi, vel ter in die vtatur decocto ſuprà dicto ſudorifero. Sed ſudatio debet fieri ad tolerantiam ægri, & virium rationem, non enim neceſſariò ſudor exprimendus, ſed naturæ locus & operatio committatur. Peracto ſudore linteis calidis abſtergatur æger, & detur confortans atque liberior concedatur paulo aer, inprimis à meridie. Circa ſudoris actum notetur, Laconici egregii eſſe vſus, vel lecti, ad hoc opus parati & feneſtrati, quo igniti carbones, vel lapides, vel ſcoriæ ferri, vel ſpiritus vini rectificatus in exigua doſi patheæ inditus, ſubmitti queant. Nono die ſemper purgans interponendum eſt. Si verò accedant febris & nimia ſitis, non nimium propinetur decoctum guaiaci, ſed potiùs decoctum Chinæ cum paſſulis, vel ſaſſafras cum decocto carnis vitulinæ, &c. vel ratione febris æger per vnum aut alterum diem à decocto abſtinere poteſt. Decoctum verò exhibeatur tam diu, donec omnia ſymptomata ſint remota, & facies colorem naturalem recipiat, quod tamen in aliis citius, in aliis verò tardius fieri ſolet. In bilioſis Cichorem & addi poteſt, ad corrigendam ligni guaiaci vim exſiccatoriam, inprimis in hecticis, & ad demendam acri ſanguini noxiam, adduntur pro correctione paſſulæ minores, & radix liquiritiæ. Cum verò æger decocta hæc ſudorifera aſſumit, interea diæta tenuis eſt inſtituenda, & perpetuò corpus ad ſudores diſponendum eſt, ità vt ægri macilenti fiant, qui ſubitò denuò pingueſcunt. Si iam hæc Luis venereæ curandi methodus per decocta nimium videtur tædioſa, in vſum veniant acidum venereum corruptum fixum corrigentia, dulcificantia, alkalia volatilia, abſorbentia, vt ſunt ſalia volatilia C. C. cranii humani, ſuccini, Eſſentiæ C. C. ſalſaparillæ, ſaſſafras, Tinctura bezoardica, varia bezoardica antimoniata, item ſuccinata hic optimè conducunt, &c. Pro experimento curioſis communicamus axungiam viperinam veram à ʒ ß. ad ʒ j. in conſerua roſarum vel ſumariæ aliquoties ægro exhibitam; qua ſola plures feliciter curauimus, præmiſſis tamen vniuerſalibus. Item ſcabie, impetigine, & lepra infecti ab hoc remedio ſolatium habuerunt. Gummi ex ligno guaiaco potentiſſimum eſt remedium a ℈ ß. ad ℈ j. vſurpatum. In lue hac ſingularem quoque promittunt energiam atque effectum *Cinabarina*, propinatis prius bezoardicis, Antimoniatis, ſuccinatis, lignoſis ac purgantibus ſequens puluis.

℞. *Cinnabar.* ʒ ij.
mag. ſaturni,
ſuccin.
Antimon. ♂ *cac.*
oß. ſep. ana ℈ j.
laud. op. gr. ij.
M. F. puluis.

Cum malum altius radicatum ſit, ad *Mercurialia* ſe Medicus conferre debet, ſed maximà hic opus eſt cautelà, ne bilioſis, & copioſis, reſolutis, & acrioribus humoribus repletis corporibus eam adhibeamus curam, quia in his malum augeretur; poſt ſe enim relinquit indelebilem characterem, particulæ enim hæ ſubtiliores acidæ Mercurii ſpiritibus animalibus negotium faceſſunt, vnde oriuntur conuulſiones, Epilepſiæ, & id genus alia ſymptomata, quæ omnia in

Prin-

Principe Nassouico, non quidem ob luem Veneream, sed ob paralysin suasu cuiusdam Empirici curæ huic se committente, tristis spectaui. Sed quomodo Mercurius hanc saliuationem excitare possit, iam notum est, subtilioribus enim suis acidis particulis resolutionis aptis visciditates, in corpore hospitantes, incidunt, attenuant, sicque forma saliuæ, per ductus saliuales eiiciuntur. In debilioribus, & iis qui vlceribus oris, vel fuerunt obnoxij, vel qui anginâ, paralysi, tremore, macie, vel hecticâ infecti, abstinendum est à saliuatione, nec etiam in senili vel puerili ætate ea instituenda venit. Præmissis cautelis ipsam nunc præscribamus curam.

Saliuatio ergò sequentibus instituenda modis:

℞. *Turpeth. mineral. à gr. III. ad v. mercur. dulc. gr.* vi.

M. F. Puluis cum regimine exhibendus, & per aliquot dies, vsque dum saliuatio subsequatur, aut subsequutura præideatur, repetendus.

Vel ℞. *Mercur. vitæ gr.* ij.
dulcis gr. vj.

M. F. Puluis, vel additâ theriacâ aut conserua aliquâ f. Bolus. Tutiùs verò excitare soleo saliuationem exhibitis granis decem mercurii dulcis ascendendo ad granâ viginti vsque dum effectus subsequatur. Alij etiam præcipitatum aut sublimatum sumunt, sed satis incautè meo quidem iudicio.

Externè verò saliuationes promoueri possunt aut suffitibus ore exceptis vel linimentis, aut vnguentis mercurialibus, vt:

℞. *Cinnabar. antimon. vulg. myrrh. rubr. ana q. s.*
F. Puluis.

Dosis est, vt eius, quod cuspide cultri capi potest ter, quaterue in prunam iniiciatur, vaporque per infundibulum vitreum ore excipiatur, capite benè tecto, ne quid eius pereat aut auolet, & tamdiu repetendus, vsque dum saliuatio prodire incipiat. Inseruit quoque cinnabaris Antimonij cum succino, sulphure, mastiche mixta suffumigijs ad mouendam saliuam. Cum autem saliuationes instituuntur, tum abstinendum est a purgantibus. Linimenta verò vnguentaque hæc & similia sunto.

℞. *Mercurij viui saliua hominis, vel ol. therebinthinæ, vel lilior. vel lumbricorum extincti* ʒ ij.
vnguenti de althæa Fernel. ʒ ß.
ol. succini ʒ j.

M. F. Vnguentum, quo inungendi sunt omnes articuli, linteo priùs fricatis locis inungendis, plantis item pedum.

Inunctio hæc instituatur semel in die vel manè, horâ vnâ post ouum sorbile, vel iusculum assumptum. Alij cum Mercurio præcipitato albo inungunt spinam dorsi, quod tamen cum *Syluio* periculosum iudico, quia in dorso totum neruosum genus, latitat, quod facilè lædi potest a Mercurio.

Medicamenta saliuantia meliùs intrò assumuntur, quàm externe illinuntur.

Aliquando cum vomitus à mercurialibus excitatus fuit, saliuatio sequitur, quia interuomendum particulæ quædam Mercuriales gingiuæ, & toti ori adhærent, & ita ductus saliuales aperiunt, quapropter in vomitu, & assumptione mercurialium, si saliuationem cauere velimus, os sæpiùs est colluendum, aquâ communi, vt particulæ mercuriales hàc aquâ ità eluantur. Durante hàc saliuatione nec hypocaustum calidum, nec lectum, nec indusium mutandum esse censeo, ac vt supra dixi, purgatio, & venæ sectio vitentur. Incipere verò solet saliuatio quarto, vel quinto sæpè etiam decimo quarto die, vbi malum contumax est, & finitur vt plurimum per se intra xv. dies, intra quod tempus nutriendus est æger sorbilibus iusculis carnium gallinæ, caponum, &c.

Pro ordinario potu concedendum decoctum lignorum, sic enim vnà fidelià plures dealbamus parietes. In prandio & cœna concedi potest vnicus vini haustus. Si verò saliuatio votis non succedat per alias vias euacuandus est Mercurius

ne maneat in corpore, sed tamen hoc quoque notandum, quod Mercurius sæpè non per saliuationem vim suam exserat, sed vel per insensibilem transpirationem, aut sudorem, vel per vrinam. Sed hæc satis de saliuatione dicta sunto. Si dolores articulorum valdè vrgent, maritari possunt cùm sudoriferis *Opiata*.

Quòd si verò malum nimis inueteratum sit, & ægri ob immanes nocturnas ossium nodorumque torturas ferè desperati fiant, ad Dantiscanorum Medicorum, & Beati nostri *Ettmulleri* conatum ad infusionem nempe, transeundum esse existimo, & infundi possunt, Essentiæ Sassafras, guaiaci, sarsæparillæ, cum spiritibus fumariæ, pini, &c. paratæ: item ex iunipero aliisque lignis, & corticibus parati liquores.

Symptomatum quoque luis veneteæ rationem paucis attingamus. Ad tentiginem potest adhiberi vnguentum rosatum cùm Mercurio præcipitato edulcorato.

Ad Bubones, si venereum virus in glandulis inguinalibus coagulationes instituat, oleum guaiaci optimum externè, & internè vsurpatur ad grana decem, in quibus & commendatur emplastrum vigonis cum Mercurio. Emplastrum diachylum cum gummi potest *malaxari* cum modo dicto oleo ligni guaiaci, emollitum bubonem cauterio, vel lancettà tutò aperire, & aperto vlceri terebinthinam lotam ex decocto guaiaci cum melle cocto imponere, & per emplastrum oppodeldoch ad sanationem perducere possumus. Si verò dolores concurrant, & atrocius excrucient ægros, potest imponi cataplasma mitigatiuum anodynum cum decocto guaiaci.

Si statim post coitum tumores glandularum inguinalium exoriantur, cucurbitulæ, vel alia attrahentia applicentur, quo virus venereum statim extrahatur, antequam sanguini communicetur, & sic totum afficiat corpus. Aliquando scrotum, & testes valdè intumescunt, indurescunt, sæpè cum inflammatione, aliquando sine ea. Si sit cum inflammatione, tunc fiat cataplasma ex foliis rutæ, & ebuli in aceto coctis, spiritus quoque theriacalis camphoratus prodest. Si verò non adsit inflammatio, sed tantum durities, tum fiat inunctio ex balsamo sulphuris succinato, quod mirè emollit, aut oleo ligni guaiaci lintea intincta applicentur, quod citissimè, & potentissimè penetrat.

In *Tophis*, & *Nodositatibus*, quando scilicet venereum acidum eò inualuit vt circa brachia, & frontem lympham gypseà duritie coagulet, vt oriantur tubercula velut gummi arboribus innata, & indurata, concurrente medulloso ossium nutrimento, conducit Mercurius malleabilis, qui figitur beneficio Saturni. Vel imponi debet lamina plumbea Mercurio illita, aut emplastrum de ranis cum Mercurio duplicatum, triplicatum, &c. prout scilicet morbi magnitudo id exposcit. Interea denique sæpiùs dicta salia volatilia blandiora continuanda, oleosa, aromatica, & spirituosa modicè vsurpanda, vnguenta quoque aromaticis salibus, volatilibus, camphoratis spirituosisque parata, magnum afferunt sæpe commodum, & auxilium.

In pustulis exanthematibus, scabie, fissuris prosunt exsiccantia, & demulcentia, inprimis in narium vlceribus pro secreto reuelamus sequens linimentum multà experientià nobis comprobatum.

℞. *Cinnabar. natiu:*
saccbar. tinctura.
spermat. ceti.
campbor: ana q.p.
Except. cum balsamo Peruuiano
F. linimentum.

Conducunt & Elyxir. Balsamicum, quod & rhagadibus, & fissuris manuum & pedum medetur, item vnguentum pomadę, nicotianę, de heleno cum arcano corallino.

In Carie Venerea omnibus præfertur phlegma vitrioli non admodum acre item decoctum calcis viuæ, præcipuè si cum Δ ad-

adpropriata paretur, in decoctis potest addi parum mercurij dulcis, aut sacchari saturni. Pro ablutione etiam valdè decoctum scordij, & persicariæ, item lignorum iuuat, & scaries sit leuis rem expedietq; sola aqua calcis viuę. V. gr.

℞. *Aqua plantag.*
pomar. rosar.
veronic.
calcis viuæ ana ℥ ij.

Et si inflammatio coniuncta est, addatur sacchari saturni ℥ j.

Si vlcera sint in sinu muliebri confert vnguentum diapompholygos vel vnguenti rosatum cùm mercurio dulci, & sacchar o Saturni, aut decoctum guaiaci. Ad consolidationem optimè conducit vnguentum de minio cum amalgamate saturni & mercurij commixtum.

In doloribus articulorum prosunt Emplastrum vigonis cum emplastro neruino, malax. cum balsamo Peruuiano, fomenta ex neruinis, præcipuè si addatur trifolium fibrinum.

In hypersarcosi Venerea vrethræ præmissis vniuersalibus linimentum sequens proderit:

℞. *Mellis in cineres vsti,*
tutiæ præparat.
butyr. recent. in aq. plantaginis.
loti, vt sal elicia tur,
cerę flauæ ana ℥ ß.
alumin. vsti ℥ ß.
M. F. Linimentum.

Quo linimento oblinitur caruncula linteo intus cerà albà illito, transuersum digitum longo, ac iusta cauitatis latitudine prædito, & longo filo appendente transfixo, quod adhibetur caruncułæ in meatu vrinario. Caruncułæ autem illæ non facilè curantur, primò, quia sunt in parte, in quà quies non est, secundò, quia vrina acris continuò transit, & rodit tertiò, quia ibi remedia apponi nequeunt. Sequens, & alii commendant:

℞. *Cerußæ* ℈ j.
campbor. gr. IV.
tutiæ præparat. gr. VI.
litbargyr. ⊙ *gr.* XV.
antimonii pulueri sati gr. VII.
opii,
olibani,
mastich.
aloes opt. ana gr. iij.
ol. rosar. q. s. F. linimentum.

Nonnunquam opus est maiori mordacitate, quando caro magis suppullulat, & vlcus magis est sordidum, tunc præscribi potest talis, vel similis iniectio:

℞. *Aqua hordei* ℥ iij.
decoct. lignor. ℥ j.
alumin. vsti gr. XXV.

Sub finem lenis ebullitionis add. rosar. rubrar. p. j. in colatura dissol. vnguen. Ægiptiaci ℥ j. aut ℥ ij. prout mitius vel fortius illud habere volueris. Vbi vlcus illud in vrethra probe deterfum fuerit, tunc. ad curationem eius accedendum, & præscribi poterit iniectio, qualis sequitur:

℞. *Herb. saniculæ,*
veronicæ ana m. j.
flor. rosar. rubr. p. j.
aluminis vsti gr. XXV.
sacchari saturni gr. XV.
vnguent. diapompholyg. ℥ iij.
M. F. decoctio in aqua & vini alb. ana ℥ x.

Hartmannus sequentem habet iniectionem:

℞. *Seri lactis caprin.* ℥ VI.
aquæ plantagin.
rosar. ana ℥ VII.
ceruß. ℥ VI.
margaritar. candidiß.
Spondii pulueris,
crystal. alumin. rocb. ana ℥ ß.
camphoræ ℈ ß.

Pulueri sata ebulliant cum sero lactis

Idem eadem paginà habet sequens vnguentum:

℞. *Mercurii dulc.* ℥ ß.
antimonii crudi ℥ j.
tutiæ præparat. ℥ ij.
ol. amygd. dulc. q. s. M.

In vlceribus oris & ani prodest aqua theriacalis, vel vnguentum rosarum cum mercurio præcipitato edulcorato, vel balsT Tartar. anisat. Si inflammatio adsit, omnia saturnina valent.

Reli-

Reliquorum symptomatum curationem partim ex antedictis, & adhuc dicendis, quilibet petere potest.

Hactenus Lui Venereæ vela expandimus, nunc & Gonorrhœæ virulentæ, & simplici aliquot lineas concedamus.

Curatio huius affectus non multum differt à curatione Luis Venereæ. Primò ergo adhibetur sequēs, vel similis purgatio:

℞. *Rabarb. pulueris. gr.* xii.
therebint. Venet. ℈ ij.
mercurii dulc. gr. xii.

M. Fiant pilulæ, in fortioribus vnum vel alterum granum Mercurii vitæ addi potest.

Post hanc purgationem sumatur decoctum sudoriferum ex radicibus & lignis antè dictis bis in die. Post quinque aut sex dies purgatio iteretur; tum decoctum tenuius, aut bochetum continuò loco cereuisiæ bibatur, & subinde hausti lus de dococto fortiori sumatur. Elapsis octo diebus rursus purgetur, & tum iterum per decem dies decocta vsurpentur, tum rursus purgetur, & sic cōtinuandum est. Cum æger decocta assumit, interea diæta tenuis instituenda, & perpetuò corpus ad sudores disponendum est, ita vt ægri macilenti fiant.

In Gonorrhæa simplici Mercurius dulcis quoque appropriatus est, adeoque eius dosis extendi potest ad grana xv. quod si addatur hausti, tunc ille valde commoueri debet, ne aliàs Mercurius fundum petat, atque talis purgatio sæpe est repetenda, quia tamen singulis diebus non possumus purgare, sumi potest therebinthina lota cum aqua maluæ, aut petroselini & ad indurationem cocta, ad ℥ j. cum vitello oui. Vel therebinthina lota in aqua fæniculi, & ad indurationem cocta sumitur ad ℥ ß. cum Mercurii dulcis gr. xv. *Mylerus in miraculis sbymicis* habet spiritum destillatum ex radicibus, & herbis cum therebinthina non inconuenientem. Præmissis ergo purgantibus tunc leniissimis medicamentis adstringendum est. In quem finem sequens vel simile proderit.

℞. *Rosar. rubr. p.* iij
fl. hyperici p. ij.
aqua plantagin. ℥ vi.
spirit. vitriol. philos. q. s.
Extrahantur l. a. Tinctura.

Lentor & sanguini est inducēdus gummatibus & herbis lenientibus. Si decoctum videatur esse necessarium, suademus supra præscriptum. Si adest vlcus, tunc non statim est adstringendum. Si non adest, vt in gonorrhœa simplici, tunc licet leniter adstringere, in quem finem sequens sudoriferum propinandum:

℞. *Mithridatij* ℥ j.
bezoardic. mineralis gr. iiij. *Vel*
antimonij diaphoretici ℈ j.
camphoræ gr. iij.
tincturæ rosar. rubr. ℥ ij.
sirup. granator. ℥ iij.
M. F. Haustus.

Succinum specificè huic occurrit morbo, inde oleum succini, vt & oleum calami aromatici, quia post incisionem etiam adstringunt, tanquam secreta cōmunicātur.

Hartmannus commendat nucem moscatam cum guttis aliquot olei calami aromatici.

Balsamum copaiuæ aliis præfero, & in hoc affectu egregium est remedium.

Os sepię etiam solet specificè commendari, nam huic affectui dicūt esse apropriatum. Sequens non contemnēdum medicamentum iunioribus Medicis communico:

℞. *Pulu. oß. sepiæ* ℈ ij.
corall. rubr.
succin.
lapid. hæmatit. ana ℈ j.
ol. succin. dest.
calami aromat. dest. ana gtt. v.

M. F. Puluis diuidendus in quatuor doses.

Efficax quoque est hoc in casu aqua Quercetani ad gonorrhœam.

Tinctura Martis, & Tinctura antiphthisica, itidem quæ præparatur ex lapide hæmatite, vt & pilulæ Burdegalenses, quæ pro secreto habentur. Tinctura ex scoriis reguli antimonii cum oleo terebinthinæ parata nobis pro secreto est. Potentissima quoque est Tinctura vermium

mium maialium. *Hartmannus* habet sequens.

℞. *Fol. mentbæ,*
mumiæ,
corall. rubr.
semin. agni casti,
carabes ana ℥ j.

F. Puluis, de quo accipiat æger aliquid manè ieiuno ventriculo cum ouo tremulo.

Riuerius simile quid habet, sed incommoda est assumptio tam magni boli. Pilulæ eiusdem meliores sunt:

℞. *Gummi arabic.*
tragacanth.
carab. mumiæ.
bol. armen. ana ℥ j.

F. Puluis qui excipiendus cum sirup. de rosis siccis, & f. massa.

Ex hac massa formentur Pilulæ, & sumat æger singulis diebus manè duabus horis ante pastum ℥ j.

Profluuium etiam sistunt magisterium ossis sæpię cum essentia castitatis, bezoardicum martiale, essentia lignorum; Tinctura coralliorum. Sequens etiam emulsio proderit.

℞. *Semin. cannab.* ℥ j. ß.
c. aq. lignor.
nymphææ, lactuc. f. Emulsio.
cui add.
antimon. diaphoret.
ossis sepiæ ana ℥ ij. M.

Regio lumborum, & perinæi inter scrotum & anum illinatur sequenti, vel haud absimili vnguento.

℞. *Ol. mastich* ʒ ß.
rut.
menth. ana ℥ ij.
sem. agn. cast.
vrtic.
rutæ ana gr. vj.
menth.
caryophyll. ana gr. v.
Ceræ q. s.
F. vnguentum.

Demersionem penis in lacte dulci pro dolore commendamus.

Prosunt, & iniectiones in penem ex lacte, in quo appropriata sunt cocta, vt semen cydoniorum, abstergit enim, & consolidat; item althææ, acetosellæ, vel potest coqui radix symphyti cum lacte, & possunt per syringam immitti.

In pollutione nocturna præmissis vniuersalibus suprà sæpè dictis, diaphoretica his veniunt subiungenda, tantum temperatiora, quæ materiam serosam acrem & tenuem facilèque spumescentem absorbendi, adiiciendi, atque præcipitandi vim habent.

℞. *Antimon. diaphoret.*
ebor. s. aq. parat.
C. C. vsti ana ʒ i.
alkabest. mineral. ʒ ß.
bezoard. solar. gr. vi.

M. F. Puluis pro tribus vicibus. Diuretica inprimis balsamica, quæ sanguinem non ita fundunt, nec colliquant, sed temperatiora.

Specifica verò modicè adstringentia alijs palmam præripiunt, inter quæ sequentia, tanquam Luna inter stellas minores, elucent Tinctura antiphtisica, Tinctura coralliorum cum phlegmate vitrioli; Essentia lignorum; vitrioli martis.

Vel:

℞. *Magister. ossis sepiæ* ℥ ij.
corall.
succin.
ebor. sine igne ana ʒ j.
cap. mort. therebinth. Ven. ℥ ß.
camphor. gr. vj.
M. F. Puluis.

Hisce nihil iuuantibus ad opiata confugiendum est.

Nostra Theriaca cælestis therebinthinæ Venetæ ad grana quædam permixta, & sæpiùs assumpta curat pollutionem nocturnam, gonorrhœam simplicem, & Virulentam.

Reliquas formulas quilibet ex præcedentibus colligere potest.

Externa etiam hìc maximè in vsum sunt trahenda, præprimis frigida lumbis subdita, exempli gratia: Portulaca, folia viticis. Neque fragaria prętereunda erit, quam in vino rubro coctam, & sę-

piùs

pius pubi & pectini impositam in pollutione nocturna efficacissimam comperit *Simon Pauli* Botan. Quadripartit. f. 307.

Optimum quoque est laminam plumbeam tenuem, siue integram, siue multis in locis perforatam, lumbis alligare. Sic & herbæ refrigerantes cum ros. rubris in sacculum contusæ lumbis apponi possunt.

Smaragdus etiam lidinosa arcere phantasmata exterius loco amuleti gestatus, dicitur.

Ex vnguentis & linimentis conducunt refrigerans Galeni album camphoratum rosarum.

℞. *Empl. de hyosc yam. saturnin.* ℥ ß.
sacchari saturni ℥ j.
camphor. ℈ j.
Coloc nymph. q.s. Empl.

Ceratum santalinum alutæ indactum, hepatisque regione applicatum, celebratur à *Timæo* aliisque.

FINIS LIBRI TERTII.

IOH. DOLÆI

ENCICLOPÆDIÆ MEDICINÆ, THEORETICO-PRACTICAE.

LIBER QVARTVS.

DE FEBRIBVS.

CAPVT I.

DE FEBRIBVS IN GENERE.

§. I.

TOta fere mortalium manus ex internecina febrium sæuitia, seu ea simplici, seu complicata & maligna suffragio *Helmontij* decidit. Parum ergo illum errare puto, qui febres, per quas tertia fere pars mortalium hodie cadit, communissimum morbum vocauerit, siquidem id suo æuo approbauit *Hippocrates lib. de Flatibus*, quod etiam confirmat *Helmont. in Tr. de Febribus. num.* 1. aiens, quippe febris licet familiarissima, potentissimum tamen nostra saginat cœmiteria, & castra depopulatur, vix sine febre mori clamitat *Poeta*, inuens, febrem esse morbum communissimum. In primis præter *intermittentes*, *pestilentiales* ac *petechiales* aliasque tam impune in nos sæuire dies loquitur; credula inde Romanorum ignorantia *Deam* esse *Febrim* credidit, sacellaque in honorem, ne noceret forte, & corpus affligeret, erexit, teste *Valerio Maximo dict. factorumque memorabilium cap. V.* Certe, non *Dea*, sed *furia microcosmi* per populos penetrauit vndique cunctos. Hæc *Hydra Lernæa* nec parcet vel ætati vlli, vel regioni, vel sexui, sed omnibus existit crudelis. Mitius vero intermittentes affligunt, quam illæ, quæ continuis ardent ignibus, non enim tam graue est certis siue alternis diebus torqueri, & tortorem ferre, quàm continuò vri. Sed de his omnibus ordine acturi sumus.

§. 2. Febris, si nomen spectes, tam Latinum, quam Græcum, videtur illud accepisse à *Calore* vnde Latini à verbo *ferbeo*, quod idem est ac *ferueo*, deducunt. Est enim veluti feruor quidam seu feruescentia, quam corpus feruet vel æstuat, licèt *Paracelsus lib. 1. param. cap. 6. tom. 1.* erroneè nomen à feruore deduci scribat, quod ille saltem sit signum morbi, non materia, non causæ. Græcis πυρετος dicitur, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, h. e. ab igne, seu vesuuiano æstu, calore igneo, ac incendio. *Vvillisius* huius nomen à *februo* (seu purgamento, quod etiam à ferueo deriuatur) ortum ducere dicit, quia iuxta ipsum hæc vox commodè vnicuique febri imponitur, eo quod sanguis hoc in morbo efferuescat, & insuper feruore suo velut mustum efflorescens à sordibus purgetur. Alijs est etiam Febris à ferbeo *ferbis*, & per metastasin *febris*. Alij per februum (vti videre licet apud Varronem) purgamentum intellexere. Februa enim dicta, quæcumque purgamenti causa in quibuscunque sacrificijs adhibebantur, vnde, *Ouidius l. 2. Fastorum* canit:

Februa Romani dixere piamina Patres.

Vnde & nonnulli Medicorum filij, *febrem* sanguipurgium barbarè dicunt. Veteres etiam *Querquerae* nomen imposuere iuxta *Lucilium Poetam*:

Querquera consequitur febris, capitisque dolores.

Potest & appellari *Turbatio sanguinis*, quia omnium febrium essentia & ratio formalis in mixtionis sanguinis turbatione consistit. Sed non libet hic γραμματζειν & non corticem, sed potiùs nucleum degustabimus, plura enim inconuenientia, & plures contentiones ex hisce etymologijs otiosa ingenia quærunt. Latini ergo hactenus febrem à *calore* deriuarunt. Germani verò econtra *febrem* ab horrore & rigore *das Kalte* (frigus vel horrorem) *das Frieſen, Fieber das Zangen* nominant.

Si enim febris in solo *calore* consisteret, tum febres algidæ, quas tamen plures obseruauimus, non essent febres. Frigus enim & calor non sunt ipsa febris, quod optimè notauit *Helmontius*, adserens, *calorem*, tantùm esse simptoma febrium, non febrim ipsam, nomina enim hæc imposita non semper ipsam rem ostendunt, ea propter non libet diutius hisce minutijs inhærere.

DEFINITIO.

Quoad definitionē febris in genere, definiunt illam *Galenici* per *præternaturalem totius corporis incalescentiam, pro varia quadrigæ humorum dispositione inductam*, vel quod idem est, describunt eam, vt breuibus me expediam, per intemperiem calidam & siccam. Hinc *Hipp. in l. de natura humana* in fine vult omnes febres esse ex bile: & plures Chymicorum ex sulphure solo eas deducere voluerunt. Alij, qui rem acu tetigisse credunt, definiunt febrim per *calorem* præternaturalem *Vvillis* & eius assecłæ per *fermentationem* seu *effervescentiam in massa sanguinea obortam*; Qui in *tractatu de febribus* statim ab initio ita scribit: *Febris* est fermentatio seu effervescentia immodica sanguini & humoribus inducta. Adeoque Febris iuxta egregium hunc Authorem consistit, *in insigni sanguinis & humorum effervescentia*.

Helmontius febris naturam per Archei accensionem explicat, & ait, febrem esse impuritatem ex vna parte Archei, qui propterea ira & indignatione afficitur, & tales motus excitat.

Sylvius autem febres per effervescentiam p. n. in intestino duodeno inter ibidem concurrentes succos, contingentem describit, quam effervescentiam deinde etiam in corde augeri haud negat.

Barbette febrem in actu sanguinis circulatione consistere contendit, asseritque, febrem alterationem quandam esse in sanguine, & præprimis in eius motu citato.

Sunt deīn & alij, quī febrem *in sanguinis coagulatione & motu impedito* consistere autumant.

Paracelsus cum *Chymicorum turba* dicit febrem consistere in incendio sulphuris & nitri; vel febrem esse incandescentiam vniuersalem balsami & mercurij vitæ. Hinc Chymici nonnulli negant, consistere formale febris in intemperie calida, tanquam accidente, sed potius in quadam substantia.

Alij definiunt febrem per ebullitionem sanguinis & humorum.

Sunt & *nonnulli*, qui prætendunt, febrem oriri ex globulis *istis*, à D. Lœuenhoek in sanguine detectis, indeque febris originem, & principia deducunt.

Non *Pauci* febris causam in acido vitioso sanguinem coagulante, & in corde illum figente quærunt.

Quam *Alij* in spirituum animalium ἀταξίαν reijciunt.

Ex hisce dictis patet, quàm intricata & quàm dubia adhuc sit vera febrium causa & essentia. Cum multis ignotum sit, vbinam materia febrilis infallibiliter niduletur, & in quonam acido, aut in quonam humore præcisè consistat, teste *Helmontio in Tractatu de Febribus statim ab initio*: Febris morbus vel à limine, siue sui initio notus quidem; at ne quidquam à medentibus cognitus hactenus in causis, modo fiendi, sedibus, vt nec in remedijs.

Quid verò in arduo & difficili hoc negotio humeri nostri ferre possint, quidue recusent, paucis videbimus. *Nos cum Cartesianis febres per plus minus turbatam sanguinis mixtionem cum ἀταξίᾳ spirituum animalium & Regum nostrorum excandescentia describimus, quæ pro particularum incongruarum sanguinem & humores circulantes componentium diuersitate variæ indolis & naturæ existunt.*

Quan-

Quando ergo humor quidam fermentatiua præditus qualitate motui & mixtioni sanguinis planè contraria, è suo foco, in quo sensim atque sensim cumulatur, perpetuò tanquam è minera cordi suggeritur, vel tantum antequam totalis contingat ἀπυρεξία, priorque portio materiæ febrilis nondum penitus attenuata, & vel à sanguine subacta, vel etiam foras protrusa sit, ad sanguineam massam cum reliquis humoribus circulantibus defertur, & irritando cordis fibrillas spirituum animalium ἀταξία accelleratur, febris producitur continua periodica. Quod si sanguis sponte leui forte hinc indè nacta occasione efferuescant, & eius partes in inordinatos cieantur motus, vt intra plures dies vix ad pristinum reduci possint motum, *febrim continuam* eamque ob nimiam sanguinis mixtionis turbationem, & indè pendentium grauiorum symptomatum colluuiem putridam, vt cum vulgo loquar, adesse dicemus; in quibus essentialis, si quæ est, continuarum ab intermittentibus ponitur differentia. Si hæc animo tuo optimè imprimere velis, considera sanguinem nostrum tamdiu sub exactæ mixtionis vinculo detineri, quamdiu partes illæ indefinitæ cum constituentes, quales forsam sunt, quæ vinum constituunt, ita se, mutuò tangunt, vt materia illa subtilis, omnia spatiola replens, iustam earum & naturæ nostræ conuenientem agitationem conseruare possit, sin verò peregrina materia ætherea influat, destrui hoc vinculum, vnaque plus minus relaxari quasi, & alia interstitia peregrinosque poros inter partes fluidas efformari; inde enim tot prodeunt febres, inordinatique humorum, & sanguinis in primis, motus & fermentationes. Per sola enim corpuscula actiua, Sal, Sulphur, Spiritus, phænomena febrium explicari non possunt, quia nihil mouetur à se ipso, sed omnis motus est ab alio. Ergo statuimus, omnium particularum sanguinem constituentium motum esse à materia ætherea subtilissima, minima etiam interualla, omnesque poros intelligibiles replente, variaque corpuscula varijs motibus exagitante, neque tamen in Regibus nostris imperium denegare volumus, sed semper id supponimus; vtpote Microcosmetor de insuetis saltem iudicans, quam primum motus fibrillarum corporis sui augetur, vel imminuitur, spiritusque turbantur, statim idea caloris vel frigoris concipit. Præterea habet etiam hoc sanguis cum vino commune, vt hoc vel illo anni tempore plus exagitetur quàm alio.

Ex his facilè concludere licet, omnium febrium essentiam & rationem formalem *consistere in turbata sanguinis mixtione*, & inde facta simul perturbatione regum spirituumque animalium. Neque tamen omne, quod sanguini immiscetur, statim excitat febrem, sed tantum illud, quod est naturæ fermentatiuæ, hoc est, quod sanguinis turbat mixtionem, de quo vide inferius plura, vbi de causa acturi sumus.

DIFFERENTIA.

§. 3. *Veteres* nostri statuunt, diuersas dari febrium species, quasdam in spiritibus, quasdam in sanguine, quasdam denique in partibus solidis.

Primas nuncupant ephemeras, h. e. febres vno die durantes, secundas putridas, tertias insigniunt nomine hecticæ: quibus adhuc adscribunt pestem, febres malignas, & aliquot alios morbos totius substantiæ, vt illi loquuntur. *D. Syluius* verò hoc numero non contentus, alias adinuenit febris, quibus diuersa nomina imposuit. Ex. gr. ob vomitum comitem nuncupat, febrem vomitoriam, propter sedes nimias febrem concitantes, cacatoriam, &c. sed entia præter necessitatem haud multiplicanda sunt, sufficit enim obseruari omnia symptomata, atque hæc detegendo planè inutile est diuersas fingere febrium species, cum omnes tantùm gradu differant. Sunt ergo vel *intermittentes*, vel *continuæ*. Multæ & aliæ dantur differentiæ, quæ sunt quasi subordinatæ, vti à tempore accessionis sunt vel *Vernales*, vel *Autumnales*, aliæ *quotidianæ*, aliæ *tertianæ*, aliæ *quartanæ*, &c. aliæ *benignæ*, aliæ *malignæ*. Pro diuersa enim acidarum illarum febrilium particularum natura, mixturam sanguinis variè turbantium, variæ etiam producuntur febrium species.

Quomodo febres putridæ à non putridis differunt, non explicant authores. Verum quidem est illos dicere in febribus putridis adesse pulsum inæqualem, sed hoc tantum exinde est quia guttæ sanguinis cor intrantes non omnes æquè malè sunt mixtæ: Quod tamen nihil facit ad realem febrium differentiam.

Secundum *Nos* febres tantùm differunt, ceu dictum, ratione magis & minus, prout sanguis magis vel minus turbatus est, & hic ipsa curatio differt secundum maius & minus ratione efficacium medicamentorum. Differunt quoque ratione causæ proximæ & remotæ, aliæ enim à chylo acido & corrupto sanguinem turbante excitantur, aliæ immediatè ab aere &c. dein differùt ratione symptomatum diuersorum, quorum curatio seorsim erit tractanda pro necessitate vrgente. Dulcedo oris, quam sæpius in febricitantibus obseruaui, indicat non peccare acidum aut amarum in sanguine, quare non erit pessimum signum.

PARS AFFECTA.

§. 4. *Subiectum febris*, quamuis varijs controuersijs reddatur dubium, dum alij inprimis Veteres, *Venæ portæ* ramos hic ceu fontem agnoscunt; nonnulli Epitis *Venas* & *Arterias* maiores & principaliores; alij vasa sanguinis maxima, & cordi vicina habent, *plures* tamen *Veterum* & *Recentiorum* pro subiecto febris vnico & vero *Cor*, illud viscus nobile, constituunt quod pati, putant, quoad partes humorosas, spirituosas & solidas, probantque per id, quod actio cordis sit læsa, nimirum pulsus, qui hoc in effectu pluribus est vnicum febris indicium. *Sylsius* intestinum duodenum pro nido febrium accusat. Alij *ventriculum*, nempe orificium eius superius culpant, præsertim *Helmontius*, qui hoc orificium palæstram febrilis certaminis credidit. Minus principale subiectum plurima Medicorum pars dicit esse massam sanguineam, vel si mauis totum corpus, qualis enim à corde calor producitur, talem reliquæ etiam partes accipiunt, vt hinc eandem subditi cum Rege experiantur fortunam. Subiectum verò causæ dicuntur primæ viæ, *ventriculus*, mesenterium, pancreas, aliæque glandulæ, item chylitum elaborationi, tum perfectioni dicata viscera, quorum pleraque de tono suo deiecta, nil nisi acidas gignunt eruditates.

Nos vt paucis dicamus, pro subiecto febris omnes partes, & viscera, vbique tantum tubuli existere possunt, cum stamine neruoso vel fibrilloso toto in corpore obuio, agnoscimus, & nec caput exemptum volumus, nec vasa sanguifera & lymphatica, quæ sanguinem & lympham vehunt, nec chylifera, in quibus sæpe acidæ illæ, & ponticæ particulæ latere solent, imò nec glandulas, vel cutaneas, immunitate donamus, quia & in his acidum illud syluestre & febrile hospitari aliquando solet. Quod in sero sæpe acidum illud lateat, in filio meo natu maximo *Ioanne Daniele* expertus sum, qui anno ætatis quinto maximam saliuationem, & quidem ob propinatam dosin, propter vermes mercurij dulcis passus est, qua pertæsus exhibui opiata, & præsertim theriacam cœlestẽ, à quibus statim cessauit saliuatio, sed incidit in febrem tertianam, tunc antifebrilibus præmissis vniuersalibus vsus sum, redeunte saliuatione emansit febris, dein iterum opiatis rem aggressus sum post mensem, & iterum opiatis, & vsus sum purgantibus & exsiccãtibus, decocto lignorum, & sic feliciter Deo sit laus pristinæ restitutus fuit sanitati. Retenta enim lympha in corpore acidior redditur, quæ dein massam sanguineæ communicata eam perturbat & efferuescere facit.

DIAGNOSIS.

§. 5. Hic paucis signa, quæ febrem in genere demonstrant, perpendamus, non verò ea, quæ febrem in specie, seu febrim hanc detegunt, cum & speciatim de his acturi simus. Nulla verò signa hactenus ab Authoribus reuelata sunt, quæ in specie hanc vel illam febrem manifestant, antequam iam typum suum habeat, quicquid dicant de frigore & rigore authores.

Pro signo pathognomonico habetur pulsus præternaturalis frequentior, sed & hunc obseruaui in alijs morbis absque febre, in lypothimijs, conuulsionibus, epilepsia, ictero, & etiam in infantibus pulsus semper est celer, &c. Dein confugiunt Medici ad lassitudinem nimiam, pandiculationem, oscitationem, frigus & calorem, dolorem capitis, & lumborum, nauseam,

& ap-

& appetitus prostrationē, quæ tamen omnia signa in alijs morbis incipientibus obseruare licet, vbi scilicet Spiritus animales partes vt decet, non irradiant, hinc enim sequuntur hæc superius dicta Symptomata; quando verò Medicus typum febris cum prædictis symptomatibus obseruauit, certus de febre hac vel illa esse potest. Optimè ergo sibi prospiciat Medicus hæc probè attendendo, nec vulgi iustas in se calumnias deriuabit. Signa tamen hæc coniuncta vt plurimum febrem adesse aliqua modo ostendunt, sed non hanc vel illam febris speciem, calor enim in febribus nonnunquam est excessiuus, in quibusdam verò mitis, quatenus videlicet motus fibrillarum tremulus à particulis fluidis plus minus augetur. Adest sæpius dolor capitis vehemens ob maiorem sanguinis turbationem, nec non particularum rigidarum copiam, & nimiam fermentationem. Pulsus magnus & frequentior ob auctam fermentationem & spirituum animalium impetuosum influxum in cor.

CAVSA.

§.6. Febris omnium consensu suam habet causam, quia autem Medici ferè omnes (absit inuidia dicto) hoc in negotio, confusi, & obscuri sunt, palam fit, quod vera febrium causa in profundo demersa iacet puteo.

Veteres, in primis *Galenicæ* putrefactionis defensores, febres has explicant per quatuor humores putatitios in sanguine existentes, cuius tamen, teste etiam *Hippocrate* sexcenta insunt, quos humores in maioribus vasis putrescere dicunt, & quidem pituitam singulis diebus, bilem tertio die incluſiuè, & atram bilem quarto demum die. Sic & putridas omnes ab ijs humoribus deducunt, per putrescentes enim hos humores, & ex ijs exhalantes vapores, calorem, & frigus, imò omnia febrium symptomata explicant, putrescentes enim in his vasis humor, calorem, cordis naturalem accendit, & in præternaturalem siue igneum conuertit, siue sit intra corpus, vt obstructiones, putrefactiones, humoresque & vapores calidi ad cor transmissi, siue extra idem, vt æstus aeris, solis, &c. Et si illi in genere per intēperiem calidam & siccam, febrem definiunt.

§.7. *Paraselsistæ Hermetici* febres non tam ex humoribus, quam nitro sulphureis impuritatibus, ortum habere cōtendunt, humores non perse accēdi posse, sed quicquid accendatur de natura *Sulphuris* esse statuentes. Ipse enim *Paracelsus* testatur materiam peccantem in febribus esse *Sulphur*, & *Sal petræ*. Alibi verò ait, febrem oriri ex *obstructionibus spiritus vitæ*, & omnium febriū causam esse *oppilationem ex centurio*, qui in putredinem abit, *Assectæ* ergo *Paracelsi* secundum principia ex Sulphure, mercurio, & sale in viscеribus hinc inde conglomeratis explicant causas febrium. Alij elegāter febrium genesin deducunt à salibus acidis vitriolatis, si cum lixiuiosis & sulphure efferuescant, qualis calor & efferuescentia fit V. gr. quando cum oleo Terebinthinæ iungitur vitrioli, & cum miscetur nitrum cum vitriolo ad præparationem aquæ fortis, vel cum calci viuæ affundatur aqua vel cum luna tertæ martis addatur aqua fortis.

§.8. *Helmontius* acori corrupto, & extra ventriculi pomœria diuagato, adeoque *Archeum* irritanti totū opus adscribit, dicitque materiā non fluctuare in sanguine, sed intus vasis adhærere, & solum Archeū efficienter omnem excitare febrem. *Blas* enim febrile, frigus primò, ac dein calorē in *Archeo* excitare ait *Archeus* enim iuxta *Helmontium* ciet rigores febriles, frigora & calores, non autem materia peccans. Sic enim, vt ille inquit, *Tractat. de febrib. c. 5. n. 4.* in ossium exarthrosi statim quatiunt dentes, & rigores, nascūtur. Pergit, *n. 14.* fel regulariter chylum stomachi acidum commutat in salsum, in febribus autem præpostero negotio succum iam conuertit in amarum. Item *cap. 10. n. 1.* Febrium continuarum, ac intermittentium sedem non differre ait, sed illas febres variare, non conmigratione locorum, aut ex natura diuersorij, sed solius materiæ occasionalis ergo. Sic & *cap. 11. n. 8. ait*, febrium causa occasionalis, & materia prior est: in vltima alimenti digestione, dum partes solidæ sibi è sanguine assimilare nutrimentumque contingit persæpe degeneres fieri alterationes, & velut abortus præposteros. Hoc igitur degener alimentum varias subiens suæ mutationis abusiuas tesseras, diuersas quoque febres gignit. Altera febrium occasionalis causa

ipsi dicitur, quod venæ mesaraicæ trahant ex Ileo intestini extremis, hisque cognatis grossioribus intestinis, scoriam seu stercus liquidum. Si scoria obliquè alio feratur (quæ recta ad lotium, naturale sibi emunctorium) fit febris continua. Alioquin alimentum in via digestionis vltimæ degener, plerumque mitius est, atque insipidum, ideò intermittentes dat, & longiores, quatenus glutinosior est illorum materia. Atrocior verò est scoria, atque ideò crudeliores febres continuas suscitat citiusque ad periodum adspirantes. Duo vel hæc excrementa, siue ambæ causæ occasionales cum conspirauerunt, spurias, hepialas, hæmitritæas, sesquialteras, & erraticas febres proferunt. Potentioribus ergo incisiuis egent intermittentibus, quàm continuæ, quia pertinaciorem magisque glutinosam materiam occasionalem habent, vasis quæ intus adnascitur. Sin autem alimentum istud supra hepar degeneret, apostemata varia suscitat, non autem febres primarias: quia & in phlegmone cruor, vel alimentum solidorum in pus degenerat, febrim quoque necessariam aduehit. Cumque ad vltimum deuenerit minor labor & dolor, prout & per continuas, tum crisis vel absessus instat.

Helmontius ergo, ceu iam diximus, asserit febrium radicem esse materiam peccantem, ex cuius positione spiritus membrorum, seu *Archeus* propria thymosi se ipsum accendit, & gradu suo supra exigentiam deducto totus molestus est, non autem quod materiæ peccanti insit calor, quia hic fortius in propinquum ageret, quam in distans, imò cadauer caleret, in quo manet materia putrida, quæ putrescendo incalescit. Hæc igitur tantum occasionaliter calefacit, exemplo spinæ, quæ calorem & tumorem occasionaliter excitat, non quia spina calet, sed quia spiritus membrorum, *Archeus* scilicet, se accendit in nisu, quo cupit materiam expellere occasionalem tanquam spinam, hanc quicunque aufert, siue per calida, siue per frigida, is morbum à radice tollit, eo ipso sedatur thymosis huius spiritus.

Febris ergò iuxta Authorem nostrum non est nuda caloris tempestas, sed materia occasionalis, ad cuius appulsum *Archeus* se accendit, veluti indignatus. Spinam dicit Author nidum suum habere in primis officinis à pyloro per duodenum, & vasa ibidem multiplicia, intestina & venas mesenterij, lienem vsque ad hepar, proximiores autem ori stomachi infestationes & molestiores, & sequuntur postea grauiora accidentia, vt sitis, inappetentia, cephalalgia, sopor, vigiliæ, anxietates. Febrim porrò ait *Helmontius* non esse solum nisum expulsiuum, seu alteratiuum, sed esse ipsam partem *Archei* deturbati ex indignatione propter præsentem hospitem exosum, quæ est causa occasionalis. Hinc palã est, quod *omnium febrium essentia* consistat in illa indignatione *Archei*, & solũ quoad causam occasionalem differat. Sic & *Helmontiani* dicunt febrem & oriri posse sine causa occasionali, quando *Archeus* sponte scilicet luxuriat, & leuiculo errore intus species furoris sibi assumit, & sic deturbatur, & sequestratur à reliqua parte *Archei*, addunt autem, hanc vt plurimum tamẽ lacessiti à causa occasionali, quæ est instar spinæ; propter hanc *Archeus* cõmouetur per suum *Blas*, quod habet ab anima, id ipsum aliquando in tantam thymosin exsurgit, vt *Archeus* ignescere videatur. Sunt autem spinæ ad mentem *Authoris* nostri *Celeberrimi* nihil aliud, quàm salia corrosiua, acuta, ex indigestionibus prognata, quorum ministerio facile accenditur *Archeus* & generatur, quoties cruor nõ bene diffiabilis volatilisando redditur, vel etiã causa occasionalis inde oritur, quod stomachi vitio eremor insolitè fiat *acidus*, & in venas mesenterij delatus errore *duũ viratus* febres pariat.

Cura in febribus pulsus p.n. frequentior sit secundum *Helmontium* hæc est ratio, nempe id non fit propter refrigerij aut fuliginis expulsionis necessitatem, sed propter celerrimam spirituum dissipationem: per citatiorem enim pulsum restauratio spirituum festinatur. Quod reliqua concernit symptomata febrium, illorum causas dabimus ex *Helmontio* inferius, vbi de symptomatibus febrium ex professo dicturi sumus.

§. 9. Celeberrimus *Vuillisius* cum *Hogelando* & *Kergero* tuentibus sententiam de fermentatione aliam ingreditur viam, & dicit febrem consistere in *insigni sanguinis & humorum efferuescentia*. Sanguinem enim

enim in febre immaniter ebullire, & impetum facere non veretur statuere, quia de cruore affecto, eodemque in vasis effervescente, ac velut in furorem acto vnusquisque (rudis & imperitus licet) febricitans queritur. Porrò succum parte nervosas & cerebrum irrigantem præsupponit, æquabili motu, & quadam circulatione à sanguine in nervosum genus transmitti, indeque denuò ad sinum cruoris refundi, qui si labem à sanguine contrahat, vel in motu peruertatur, autorem fieri dolorum, ignorum, conuulsionum, delirij, phrenitidis, & plerorumque nervosi generis symptomatum statuit. Nutritium succum seu chymum vult è quotidiano pabulo suppleri, sanguini misceri, ab eo inter circulandum sibi assimilari in humorem perfectum demum veterascentem in partium nutrimentum abire & seponi: quamdiu hæ mutationes ritè obeuntur, sanguinem inculpatè fermentari opinatur; sin eiusmodi succus à sanguine non ritè maturetur, nec assimiletur, sed confusus, & tanquam heterogeneum quiddam in sanguine maneat, ebullitionem febrilem contingere, non tamen continuò, sed saltem quando sanguis ad plenitudinem fuerit saturatus; hunc autem succum, ait, non sui, nec viscerum, sed sanguinis vitio corrumpi; sanguinem enim sanguificare rectè dispositum, sin verò à nativa & genuina indole in naturam acrem aut austeram degeneret, succi nutritij penum quoque peruerti.

Componit etiam sanguinem nõ ex quatuor *Dogmaticorum* humoribus, *sanguine* sc. *strictè sumpto*, *pituita*, *& vtraque bile*, sed ex quinque *Chymicorũ* principijs, *Spiritu*, *Sale*, *Sulphure*, *Aqua & Terra*. Pituitam verò, & vtramque bilem, cum sint sanguinis recrementa, in proprijs receptaculis, aut viscerum angustijs concludi, ac sanguini haud misceri existimat, ideoque nec febris causam esse.

Duplicem quoque in massa sanguinea *Vuillisius* ponit fermentationem, *naturalem* vnam, *morbosam* alteram. *Naturalem* ex duplici deducit causa, ex ipsius scil. sanguinis crasi, quæ in debita sulphuris, salis, & spiritus proportione consistit, & ex *Hogelandico* fermento, siue igne *Cartesiano* in cordis foco recondito, qui sanguinem eo influentem in momento accendit, ortum trahit. *Morbosam* in principiorum vnius aut plurimum *ἀμετρίᾳ* ponit.

Ex fermentatione morbosa febrium natales deducit, & pro triplici fermentationis in sanguine gradu, seu modo, triplicẽ statuit febrium continuarum differentiam. Vel enim solum spiritũ, vel etiam sulphuream & oleosam substantiam fermentescere, vel miasmate venenato sanguinem infici; ex primo *Ephemeram* vnius aut plurium dierum, seu *synochum*; ex secundo *febres putridas*; ex vltimo *pestem*, *febres malignas*, *variolas*, & *morbillos* deducit.

Vltra temperiem naturalem euehitur tertius præternaturalis effervescentiæ modus, & *Authori* est, in quo sanguis alterationem subit, quæ minimè vino, sæpissimè autem lacti contingit, nimirum interdum à causa morbifica huic liquori coagulatio inducitur, ita vt substantia eius fundatur, ac in partes secedat, fiatque crassi & terrestris à tenui secretio, cuius ratione cruor minus idonee in vasis circulatur, quin portiones eius gelatæ, in extremis aut in corde stagnare aptæ, motum æquabilem interrumpant, aut graviter impediant; cuius restaurandi gratia effervescentiæ solito maioris in sanguine concitantur, quales nempe in pleuritide, febribus malignis, &c. fieri solent.

§. 10. *Sylvius* ex pulsus præter naturam frequentioris causis varijs, modo vario agentibus, varia rimatur febrium multifariarum species ac differentias, cuius causam assignat nimiam permanentemque sanguinis rarefactionem ab igne potentiore vtriusq; sanguinis effervescentia erumpente factam. Culpat ergo quodlibet acre, nunc acidum, nunc lixiuo salsum, nunc muriaco salsum per venas vna cum sanguine ad cor propulsum, atque internè cordis parẽchyma mordicans, item quodlibet halituoso flatulentium itidem cum sanguine ad cor delatum, aut ex eiusdem in corde effervescentia excitatum, atque cordis ventriculorum explicationem augens: item quodlibet acre, durumue aut in pericardio, aut alibi existens, atque cor externè rodens aut pungens. Ad quas febres excitandas multum conferre autumat succum pancreaticum aliqua sui parte in vno pluribusue

ductibus lateralibus obstructis stagnantem, ac mora sua ibi acriorem factum, atque acrimonia ista acida per pituitam plus minusue viscidam, & notatæ obstructionis causam via vi peracta penetrantem, ac in tenue intestinum effusum, vitiosâque ibi cum bile atque pituita efferuescentiam excitantem. *Syluius* ergo, vt breuis sim, succum pancreaticum ob vias aliquantisper obstructas acrioré factum, & vitiosam hinc postea enatam efferuescentiam accusat, quod acidum præterea vna cum sale lixiuioso prædominante per venas lacteas ad cor delatum huic calorem præternaturalem inducere concludit.

Contra hanc, quam Celeberrimus hic Practicus fouet de Pulsu, opinionem, Nobil. quidam Medicus assurgit, dicens, pulsum celeriorem non esse verum signum febris, 1. quia notum in frigore, febris æquè ac in calore pulsum esse celeriorem, nemo tamen Syluianorum affirmabit in frigore circulationem esse auctam. 2. Id quod accuratius intelligitur, considerando, quid sit, & quomodo fiat pulsus. Pulsus ergo iuxta ipsum nihil aliud denotat, quam motum cordis & arteriarum celeriorem, vel conuulsiuum. Cor autem est musculus, vel potius ex pluribus musculis compositum, qui cor aperiunt, & claudunt, distendunt & constringunt. Apertionem autem & constrictionem cordis tum prouenire ab in & affluxu sanguinis probat, quia cor auulsum, & à sanguine liberum tot pulsationes edit, sanguis enim non mouet cor, verum cor accipit, & reddit, seu potius se exonerat, veluti cum aqua anthria exantlatur. Pulsum ergo vel tardiorem vel celeriorem non prouenire statuit, nisi à motu & arteriarum (quæ arteriæ sunt fistulæ & canales, qui accipiunt, & propellunt sanguinem, non quidem per sanguinem, sed per paruos musculos eadem ratione vt cor) citeriore aut tardiore. Hinc concludit cor & arterias celeriter posse distendi & constringi licet sanguis sit tenuis, calidus, & in celeriore motu, imò licet sit crassus, frigidus, atque in celeriore motu. Cum enim cor possit pulsare absque sanguine, potest etiam pulsare si sit crassus. Pulsatio enim cordis propriè non dependet à sanguine, imò liquet seriò attenden-

ti, vt ille ait, crassiorem & tardius motum sanguinem esse causam pulsus celerioris. Ratio hæc est, quod crassus & tardius motus sanguis difficulter transeat per minutissimas arteriolas in venas, ergo cor celerius debet pulsare, videlicet vt se exoneret à sanguine in arterij quasi restagnante, atque sic crebris pulsationibus compensatur, quod vna fieri nequit, atque declarat locum Paradoxum, in *febribus* scilicet *pulsum celeriorem* non esse, signum auctæ circulationis & efferuescentiæ sanguinis *Syluij* quoque & *de Graaf* opiniones, ocum etiam habere non posse de peste prædictus ait Medicus, quando nempe *Syluius* causam pestis in sale volatili acri & penetranti ponit, quod verò in volatili illo acri non consistat, sequentibus confirmat rationibus; 1. quod remedia, quæ adhibentur in peste vt plurimum constent sale volatili, vt Sal. volatil. C. C. viperar. &c. 2. Quod magna sit similitudo inter morbos, qui ab acido oriuntur, & pestem. Sic & quod oleum Vitrioli, Salis, & omnia acida in sanguinem alicuius animalis immediatè infusa, eadem symptomata excitent.

§. 11. Iuxta *Nos* Febris essentia in eo consistit, imo oritur, quando sanguineæ massæ optimè constitutæ tale, quid permiscetur, quod nec in particularum figura, earundemque motu cum ipso bono sanguine vllam habeat proportionem, i.e. quod talibus poris, & quidem ex globalis rotundis, sit constitutum, quæ interstitia materia quædam subtilis peruadat, quę nullum cum illa bonam sanguinis massam perfluente habeat commercium: quãdo ergo aliquid incõgrui intimius se sanguini miscеat, quod tum fermentatio insolita, siue ipsius sanguinis excandescentia exoriatur, inde dein omnes Reges nostri in arcibus sui residentes inquietantur ac infestantur, imprimis Microcosmetor, qui hinc suos milites Spiritus sc. animales conuocat: vnde eorũ ἀταξία, ex qua plura symptomata pulsus p. n. frequentior, delirium, phrenitis, conuulsiones deduci possunt, in febribus sæpius obuia. Quoties ergo sanguinis particulæ disgregatæ, vt sunt acuminatæ, multangulæ, quoties, & quamdiu, dico, hæ particulæ dominatum, & per consequens motum quen-

dam

dam confusum exercent, toties & tamdiu febris in sanguine imperium tenet, vnde non potest non fieri, quin & regna Regum nostrorum occupentur, & quandoque penitius euertantur.

Sanguis ergo tamdiu sub exacte mixtionis vinculo detinetur, quamdiu partes illæ indefinitæ eum componentes ita se mutuo tangũt, vt materia subtilis, omnia replens interualla, iustam earum agitationẽ conseruare possit destruitur verò hoc vinculum, quoties alia interstitia, peregrinique pori, inter partes fluidas formantur; indè tot quotidie febres statuimus, inordinatosque humorũ motus, & fermentationes. Per sola enim corpuscula actiua Sulphur & Spiritus, nullus sequitur motus, quia nihil iuxta axioma Philosophicum mouetur, se ipso. Hinc non tãtum per materiam mundi subtilissimã minima etiam interstitia, omnesque poros intelligibiles replẽtem, variaque corpuscula varijs motibus exagitantem frigus etiam & calorem à motu imminuto & acto deducendum esse putamus, sed etiam à Regibus nostris, imprimis Microcosmetori in cerebro Mucopolio residentes mandato & actione id fieri posse nulli dubitamus. Omnium ergo febrium essentia & ratio formalis iuxta nos in turbata sanguinis mixtione, & spirituum indè oborta ἀταξία, Regum excandescentia & indignatione consistit, sed tamen non omne, quod sanguini miscetur, statim producere febrem potest, sed saltem illud, quod est naturæ fermentatiuæ, quod sanguinis turbat mixtionem, quæ dein turbata mixtio Regem nostrum inquietare valet, vt iam supra dictum, & hæc possunt esse, salia scoriæ & sylueſtria, item sulphura, minus symbolizantia, lympha seu chylus aciditate corruptus, & id genus alia, & quod fermentum febrile appellamus, quod ab omnibus partibus & visceribus corporis haud difficulter cordi per vasa lymphatica communicari potest, in eiusque thalamis sanguinis mixtionem turbare, quod per vulnera, bubones, & vlcera probari potest. Ferem tamen vt plurimum ottum habere dicimus, tanquam ex rebus non naturalibus ita dictis, ex aere peregrinis corpusculis contaminato, cibi & potus vitiosa administratione, hinc chyli vitiosi in sanguinem alluitione intermissa consueta quadam euacuatione, vel animi affectibus.

Sed oriuntur nonnullæ difficultates circa hanc opinionem, Ex. gr. 1. Num sanguinis particulæ certæ quodam ordine inter se sint mixtæ, quæ dein accedente febre mutentur & confundantur; 2. Quis sit effectus confusæ huius mixtionis, & quo ordine sint dispositæ in statu sanitatis; 3. Quæ sit causa, mixtionem confundens; 4. Quo modo sanguis hic turbatus febrem efficere possit? Et denique; 5. quo modo ex hac hypothesi rationes dari possint de phœnomenis & symptomatibus febrium. Hinc nobis incumbet ostendere certum istum ordinem mixtionis particularum in sanguine, dein quomodo turbentur, & tandem quomodo ex hac turbatione oriatur febris. Notandum igitur est, ordinem & harmoniam particularum esse in sanguine quoad motum, figuram, magnitudinem, & situm; nulla enim confusio in statu naturali admittitur, sed proportionata earundem mixtio, quæ à superueniente miasmete, aut fermento febrili turbatur, non in particulis sensibilibus, quale quid in quauis intemperie, & cacochymia fit, sed in sensibilibus. Deinde effectus huius mixtionis hic est, vt proportionatus ille sanguinis motus fermentatiuus, & vitalis conseruetur, omnesque actiones vitales commodè peragi possint. Ordo etiam naturalis particularum est talis, vt nempe nec acidæ, nec salinæ, nec amaræ, nec aquosæ, nec gummosæ, &c. sint conspicuæ, quod ipsæ *Hippocr.* iam dudum docuit: sed omnes ita inter se temperentur, quo in vnum eundemque motum conspirent. Mixtionem verò sanguinis id turbat, quod aliam materiam ætheream infert alius motus authorem, hoc est, eius fermenti pori cum poris particularum sanguinem constituẽtium planè non conueniunt, vnde in corde, vbi secundum minima misceri debent, oritur mixtionis turbatio, in qua consistit ratio formalis febris, quæ efficit febrem, & non sanguis turbatus. Meridiana igitur luce clarius est, posita hac ratione formali febris, omnium febriũ symptomata facili negotio explicari posse, id quod etiam quotidie in scholis recentiorum fieri videmus:

de

de verb. omnibus, vbi de febribus in specie acturi sumus, pluribus agemus.

PROGNOSIS.

§. 12. Turbatio sanguinis quo maior vel minor est eo febris etiam magis vel minus periculosa est, qui seui copiam habent, non tam facilè febribus intestantur, quam ij, qui eo carent.

Vrinam turbida, nullum deponens sedimentum, magnam humorum turbationem & confusionem indicat, quo autem citius vrina redditur, coloris nonnihil remissioris cum consistentia & sedimento aliquo spõte subsidente, eo breuior erit febris, & salutari indicabitur crisi; quo enim vrina rubicundior, & tenuior, eo peior.

Pulsus debilis dubij euentus prænuncium est. Intermittens, nisi simul valdè debilis sit, non semper exitiosus.

Pulsus bonus, magnus nempe & æqualis, cum symptomatum ingraueſcentia & prauitate, melior est, & tutior quam debilis cum symptomatis mitioribus, hic enim sæpe functus.

Autumnales febres magis periculosæ sunt, peioriſque notæ symptomatibus stipatæ, quam vernales, cum spiritus in sanguinea massa tunc temporis absumti sint.

De febrium specialium prognosi, suo loco & speciatim agemus.

CVRA DIÆTETICA.

§. 13. Cum vero omnis Medicinæ ratio in eo vertatur, vt hominem in totum, quantum possibile est, à morbo vindicet, morborumque vehementia obtundat, adeoque iuxta *Hippocratem* non tantum in sanitate integra tuenda, verum etiam vacillante suffulcienda, & collapsa instauranda occupetur, permagni interest, vt iuxta etymologiæ, definitionis, subiecti, differentiarũ, signorum, causarumque constitutionem, quæ iam sunt summo digito tacta, etiam febrium indicationes generales curatiuæ internoscantur, & quidem primò, vt scilicet ordinem seruemus, *Diætam febrium* videbimus. Rectè ergo de hac scribit *Hippocrates lib. aphr. 1*. Non solum Medicum, sed & adstantes, & ægrum, officio suo fungi debere, aliàs remedia administrari nequeunt, si, quæ rectè Medicus præscripsit, adstantes aut omittunt, aut intempestiuè adhibent, aut inconsulto Medico aliquid circa ægrum moliuntur, quod postea ipsi futurum est nociuum. Solent enim mulierculæ, quæ ægrotis adsident, vel inseruiunt, tam affines, quam amici, ægrum inuiscentes, in eorum totalem perniciem cibos obtrudere quam plurimos, & sæpius ad vires, prout garriuntur, sustinendas. Victus vero ratio omnium maximo virium incolumitatem spectat, per accidens enim curationem. Primò ergo considerandus Aer, à quo febris vt plurimum ortum suum trahit, in primis peregrinis corpusculis contaminato. Aer proinde eligatur purus, serenus, & temperatus, si natura talis haberi nequit, arte saltem parandus. Vitandus nimis calidus, frigidus quoque maximè arcendus est, quia poros occludit, adeò per plurium seculorum ætatem hæc foraminum intercutaneorum vel hiscentia fuit obseruata à Medicis, vt non vltimam febrium causam in pororum cutis occlusione reiecerit *Galenus*.

Quoad cibum, is consistit in quantitate, qualitate, & vtendi modo.

Quantitatem quod concernit; Considerandum ad febres dispositos homines habere semper latitantes, intus causas morbificas, quæ turbatam sanguinis mixtionem facilè accelerare possunt; ciborum ergo plurium ingurgitatione materia illa febrilis tantum cumulatur, imò chylus fit viscidior exassior & acidior, qui si massæ sanguineæ infunditur, necessariò febris intermittentes produci inde debet; verum ergo elogium illud *Hippocratis 2. aph. 10. Corpora impura, quò plus nutries, eo magis lædes*.

Qui ergo febricitantibus opem & morem in his gerunt, pessimè cõsulunt ægroto & eum in certam perniciem detrudunt; ventriculus enim in febricitantibus ob Casteronacis ignauiam & ob fibrillas neruosas continuo in motu detentas, & ob multum potum assumtum laxiores redditas, languidior est, & potius ob alimentorum copiam chylificatio læditur, eiusdemque fermentatio corrumpitur, sicque febrili causæ fomentum & fomitem præbet. Hinc verè dixit *Hippoc. 7. aph. 65. Si quis cibum febricitanti dederit, vt sano robur, sic laboranti morbus est*. In acutissimis ergò, qui vt plurimum quatuor primis

mis diebus iudicantur, tenuissimo vtendum victu; in acutis non adeò tenuis victus requiritur, & hic obseruari debent regiones, anni tempus, ætas, & morbus, in quibus febribus expedit aut non, *iuxta aphor.* 11. *s.* 4.

Qualitatem quod attinet, sorbitionibus potius, quam cibis solidis alendos ægros suadet *Hippoc.* Eiusmodi enim dieta naturæ magis conueniens est, citius enim reficitur natura his, nec reuocatur à pugna, quam iniuit cum morbo: facilius enim est, refici potu, quam cibo prout inquit *Hippoc. aph.* 9. *s.* 2.

Vtendi modum quod spectat: hic notandum, in febrium accessionibus à cibo prorsus abstinendum esse, qua in re hoc nostro æuo multum peccatur, ceu diximus, in quo plurima pars hominum indiscriminatim alunt ægros nulla obseruata temporum ratione. Natura enim dum in accessione aduersus morbos decertat, conficiendo alimento minus intenta est, quo fit, vt ille non fermentatus febrem, ciusque symptomata augeat. Quæ autem damna ex importuna cibi oblatione succedant, docet *Hippoc. l.* 10. *de acutis*. Sunt tamen corpora nonnulla biliosa, calida ac sulphurea sensus exquisitissimi, quæ cum pluribus laboribus copiosoque victu vti solent, nisi cibus detur in paroxysmi initio, incidunt in syncopen, marasmum, &c. cuius historiam recenset *Galen.* x. *meth. c.* 3. de quodam iuuene, qui æstate tertiana laborans, nisi in accessione cibum capiebat, incidebat in syncopen, sed vna hirundo non facit ver. Consuetudini aliquid concedendum esse, existimo. Plurimi tamen Medici Politici, id negotij tantum sibi dari putant, populo vt placeant, ac videantur esse de viribus ægri solliciti, quarum conseruatio non ex verbis, sed commoda remediorum administratione dependet, sed mundus vult decipi, sicuti nimis austeros Medicos non probo, peiores tamen sunt quoad conscientiam nimium indulgentes qualis pro exemplo olim erat Romæ *Asclepiades*, qui ægris concedebat Balnea, Vinum, Carnes, & quicquid ægris gratum erat & optatum, sicque mentes ciuium Romanorum mirabili artificio ad se trahebat, haud dubiè non sine insigni multorum pernicie & morte. Nos verò experientia edocti dicimus: *Ne quid nimis*.

Quoad motum & quietem: Motus nimius sæpe nocet, & febrem excitare potest, quia sic particulæ febriles in tubulis latitantes maximè eliciuntur, quæ massæ sanguineæ communicatæ ea facile turbare, & febrem excitare queunt. Sic & quies nimia nocet, quia sic particulæ magis quiescunt, & ob moram malignam iuducunt naturam, quæ dein ad copiam nimiam turgescunt, & sanguinem turbant *Medio ergo tutissimus ibis*.

Quod somnum & vigilias concernit, eodem modo comparatum est.

Sic & animus liber sit ab omnibus curis, terrore, mœrore, ab his enim tibi facile febrem, imò mortem accelerare poterís.

Excreta & Retenta sint naturæ conuenientia.

Reliqua omnia plenius in febribus particularibus sunt tractanda.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 14. Nunc ad curationem nos conferamus, & quidem ad mentem *Veterum*. Notandum ergò in genere; Omne quod præter naturam est, re notiorem sui indicare, vti *Galenus* docet *l.* 8. *meth. med. c.* 1. Si ergo febris iuxta *Dogmaticos* sit ex caliditate & siccitate, conuenienter recipiendum in curatione adhibitis in primis refrigerantibus & humectantibus, vnde *Galen. lib.* IX. *meth. med. c.* XIV. inquit: *Omnis febris, qua febris, humectatio, refrigeratio, remedia sunt*; quod & confirmat *Hippoc. lib.* 1. *aph.* XVI. Et plerumque illi febres curare solent per Venæ sectionem, purgantia, clysteres, vt certè hic quadret illud *Satyrici Mollier Galli*.

Clysterium donare, postea purgare venam secare.

Iterum.

Clysterium donare, postea purgare, venam secare, &c.

Putridos enim humores calorem illum præternaturalem in febribus parientes expurgare tentant. Reliqua, quæ exhibent, sunt vel frigida, vel humida, vt sunt varia alterantia, imò & pro symptomatum ratione diuersa exhibent. Alij vt *Auicenna*, in febribus facta venæ sectione, aluum re-

re le-

re leniendam putant, alij verò purgationem præmittendam censent, dein venam secandam esse. Methodus enim ipsorum medendi in vnicum hunc scopum dirigitur, vt morbi minera, quam in humoribus esse volunt, eradicetur, & sine fomite residuo, aut recidiuæ metu materia febrilis è corpore nostro exstirpetur, quare chatarticis; & vomitorijs, imò venæ sectioni diligenter insistunt, sic n. *Galen.* sentit 9. *meth.c.*5. *de sanguin.missione* 20. Si cruditas præcedat, vel ciborum in ventriculo, vel excrementorum in intestinis, tanto tempore differendam sectionem venæ, quantũ ad alimenti coctionem, & excrementorum descensum videbitur fore satis. Plures ergò *Veterum*, antequam veniunt ad venæ sectionem, si ventriculus & intestina ipsis videantur referta esse excrementis ex consilio *Galeni* solent ad breue tempus remedium differre, & interea leniente medicamento corpus exonerare, dummodo morbus tantas permittat inducias, vt non immineat periculum omittendi huius remedij occasionem. Quod si aliter eueniat, morbusque sit adeo grauis, vt nullas videatur inducias permittere, tum sine vlla dilatione applicato clystere venæ sectionem aggrediuntur, dein si ita ferat occasio ad leniens properant medicamentum. *Auicenna* igitur post venæ sectionem, ceu antea diximus vult aluum leniendam esse cum ijs, quæ sunt sicut aqua hordei, & alsiracost parum, qui hoc loco tria ponit medicamenta, primum est ex aqua hordei, i.e. ptisana, quæ, vt placet *Galeno* 1. *de ratione victi.*8. aluum mouet, & alsiracost, i.e. manna, quam *Galen.* quoque nouit, & appellat mel aerum 3. *de alimentor. facultat. cap. de melle*. Reliqua remedia febrium à *Galenicis* adhibita, sunt aquæ stillatitiæ, cordialia, iuscula alterantia cum cremore tartari, quæ mucaginem in ventriculo resoluunt. Reliqua medicamenta, quibus *Veteres Galenici* in febribus vsi sunt speciatim inferius reuelaturi sumus, ne crambem bis cocta afferamus.

§. 15. *Paracelsus*, qui venæ sectionem contra mentem *Galenicorum* vituperat, *l.* 2. *de vita longa p. m.*139. *de febribus c.*5. ait: De febribus breuiter sic habeto. Principio fiat purgatio febrilis, deinde cura specifica, & minutio causalis, ita vt Diacelta tessõ præcedat secundum medicamentum. Nam hac purgatione pellitur omnis febris in materia peccante, porrò si non dilatatur morbus, iam neque cura, neque minutio requiritur. Plerumque enim Diacelta tessõ integram curam complectitur. Sin in membra spargitur, sequitur continuò opopyron Laudani, id quod febrim vna cum dilatatione propellit. Minutio autem siue saluatellæ, siue cephalicæ, siue ea, quæ per spinam dorsi fieri consueuit, materiam peccantem in sanguine, idque intra cutem & carnem tollit. Quare hoc loco tria sunt, quæ sub vnam medendi rationem clauduntur, singula per se perfecta. Postremo autem, ne plus minusue, quam par est, adhibeat Medicus, diligenter obseruet, quid dilatatum inquit enim & alibi de *renouat. & restaurat. p. m.*100. Essentiæ pariter, Extractiones & Magistria de pharmacis maioribus, integrum corpus renouant, & restaurant, febres vtpote quotidianas, quartanas, synochas, ephemeras tollit, & febrium species vltra 200. esse existimat. Curam febrium in stomacho duplicem esse statuit *Autor. c.*3. *tr.*1. *lib.*2. de tartaro; purgatio ergo sine digestione, deinde pil. de laudano administrandæ sunt iuxta *Nostrum*, ante paroxysmum. Omnia enim medicamina in febribus ante paroxysmum exhiberi vult, vt simul cum eo operentur, non duntaxat deorsum, sed etiam sursum debet omne euacuatiuum esse, & disponi. Hic purgationes cum vomitu debent esse arcanum, non humorales. Est enim Tartarus ipse subiectum in arcanis specificum, sicut sunt centaur. hellebor. Cataputia, colocynth. &c. descript. pilular. ibidem refert *Cap.*7. Pro febribus hepatis curam ponit triplicem, de oppilationem, mundificationem, & instaurationem. *In* febribus renum laudat alkali de testud. crystall. mum. &c. oleum sulphur. dulc. vitrioli, opiata & alibi laudat, aliaque *Chymici* ipsius *affectæ* sexcenta alia denominant, de quibus nonnulla in nostra crisi referemus.

§. 16. *Helmontius*, qui febres omnes vnico remedio tollere vult, cæterum cum in curatione febrium apud *Galenicos* præsidium principale sit *venæ*

sectio

sectio, Author ipsum vilipendit, affertque experientiam Infantis Hispaniarum, in quo toties venæ sectio repetita fuit, vt aperto cadauere nec gutta cruoris inuenta fuerit, & tamen febris ad mortem vsque haud fuit diminuta, sed potius seruauit suum typum, additque Author, venæ sectionem suffurari spiritum influum, vnde vires non tam citò reparantur, & ægri propter venæ sectionem destituuntur crisi, & si conualescunt longiore tempore, & cum metu recidiuæ aliqualiter melius habent, absque venæ sectionem restituuntur de facili. Dicit porrò *Helmontius*, quod per V.S. potius occasionaliter putredinis aditus ad cor, quàm vt per eandem diffletur. Ridiculum etiam esse ait, celebrare venæ sectionem propter reuulsionem, quia materia febrilis non fluctuat in venis, sed vasi intus adhæret, vnde venæ sectio nihil separat separandorum, quia sine præcognitione finis agit, & vicinor effluit, quem metu vacui subsequitur alius, hinc menstrua per venę sectio retrogrediuntur, vnde *Helmontius* gloriatur, omnes febres citra venæ sectionem feliciter curaturum, Turcæ quoque & alij populi à febribus liberantur, qui tamen venę sectionem ignorant. Arcana verò sua extollit *Helmontius*, vti & *Paracelsus*, quos vti gloriantur nunquam. Omnes enim febres mercurij diaphoretici vnica dosi, & hecticam intra Lunæ spatium, quartanam vnico haustu arcani corallini curasse aiunt. In febrium enim cura *Helmontiana* non duntaxat causa occasionalis consideranda est, sed dignitas, & perturbatio *Archei*, & quæ materialiter peccant, facilè à natura coguntur, cessante scilicet confusione *Archei* ad appulsum arcani.

Gloriatur Author, se febres sanasse sine venæ sectione, concessoque vino, imò ait, qui febrim intra quatriduum non curauerit, Medici nomine indignus sit, & hoc est illud remedium sudoriferum, nempe *Mercurius diaphoreticus*, quod incidit, attenuat, resoluit, & abradit causam occasionalem, vbicunque locorum ea existerit, & hoc citra sudorem sæpe præstat. Remedia autem particularia dicit, quæ ad vniuersalem amplitudinem non adscendunt, sunt salia ex cephalicis maiorana, roremarino, non tamen sint alkalia, sed volatilia, crasin simplicium in se continentia, hæc sunt diuretica temperata, quæ semper ante paroxysmum intermittentium, & quouis tempore continuarum, ieiuno nempe ventriculo exiberi debent, *Helmontius* non tam pro nutritione, quam humectatione cereuisiam vino tincta cum mica panis porrigit, idem cordialia ex cocco, perlis, auro parata improbat, eo quod nec aurum, nec gemmæ naturam intus reficiant, quoniam non symbolizant cum spiritibus nostris, id quod confirmat *Petronius de victu Rom. c.4.* Curandi verò febres vnica intentio Authoris est per sudorem. Nam *Archeus* vt plurimum propria thymosi se ipsum accendit, calidumque sudorem profundit, & ipsi Medico viam demonstrat, per quam febrilis calor expelli debet, nempe per diaphoretica, quæ sola sunt febrium appropriata & specifica remedia.

§. 17. *Vvillisij* methodum medendi in febribus, præsertim intermittentibus, quod concernit, ipsi sequentes intentiones sunt: primò sanguinis ad temperiem naturalem restitutio; secundò depravationis succi nutritij (quantum fieri potest) præcautio; tertiò fermentationis febrilis, ne paroxysmus suscitetur, inhibitio. Vtrumque in curatione febris plus naturæ, & benè institutæ victus rationi, quàm pharmaciæ tribuendum esse *Vvillisius* existimat. Vt primæ intentioni satisfaciat, *vomitoria, venæ sectionem & purgationem* commendat, præcipuè in morbi principio celebranda, & administranda, postmodum verò omittenda, tunc enim parum opis præstant, imò sæpe obesse solent, quia constat ab his remedijs serò admotis febrem tertianam rarò vix omninò curari, & sæpe in quotidianam transire. Nouit enim *Author* quosdam satis integra valetudine fretos, verno tempore ab emetico fortiore præcautionis gratia sumto, & euacuationem violenter cientem è vestigio in febrem tertianam incidisse, alios recidiuam passos, quia minera febris hactenus sopita purgantibus iterum exsuscitatur. Author ergo lenem purgationem fortioribus catharcticis præfert. Iuuare enim dicit *Vomitoria*, tum quatenus ventri-

triculum euacant, vt coctio primæua melius peragatur, indeque chymus nutritius pro materia sanguinis purior suppeditetur, tum præcipuè, quatenus bilem emeatu choledocho largiter exprimendo folliculum fellis exantlat, vt exinde fel è massa sanguinea plenius eliciatur, adeoque sanguinis à recrementis salis & sulphuris adusti depuretur. Venæ sectio vero sanguinem refrigerare dicit, & ventilare, vt propterea minus torrefiat, aut præassetur, atque liberius sine adustionis periculo in vasis circuletur. Purgationem bilem è vasis felleis, & per consequens è cruoris massa copiosè emulgere, & proritando exprimere dicit, in hunc finem quoque refert digestiua (ad cruoris nempe reductionem) acetosa temperantia, quatenus sanguinem fundunt & alterant, eiusque feruorem attemperant. Sic & nonnunquam soli & aeris mutationem malam hanc sanguinis constitutionem præ cæteris generosis remedijs insigniter corrigere Author testatur.

Secunda ipsius *Vuillisii* intentio peragitur exacta victus ratione, quæ in febribus tenuis & parca esse debet, vnde & vulgò dicitur, fames optimum febris remedium, & per experientiam cõstat à parciori victu, imo & abstinentia ciborum, paroxysmum febrilem vltra tempus consuetum sæpissimè protelari, imò planè emanere. Author ergo noster in febribus alimenta expetit tenuia, nihil exhibeatur sulphureum, aut spirituosum, quia sic conflagrationem sanguinis minorari ait; dein vt ingruente paroxysmo nihil alimenti assumatur, quare in ieiunis paroxysmus & leuior, & facilius imò citius terminatur.

Paroxysmi verò febrilis inhibitio instituitur iuxta Authorem nostrum per remedia, quæ sanguinis fermentationem sistunt. Quod genus remediorum maximè proficuum est, post pharmaca & venæ sectionem de quibus inferius agemus, vbi febres in specie ex Authoris scrinio perquisitas persequemur.

§. 18. *Syluius*, cui febrium intermittentium causa visa est & constituta succus pancreaticus propter ductuum suorum lateralium à pituita in ipsis coagulata productam obstructionem, factus stagnatione acidior, acriorque, hinc postperterebratam obstruentem pituitam in tenue intestinum delatus, ibidemque vitiosè cum occurrente bile atque pituita intestinali effervescens, mox cum ijsdem quauis demum forma vsque ad dextrum cordis ventriculum serpens, ac in eo non tantum acrimonia sua, vel flatulentia, cor irritando frequentiorem pulsum excitans, verum insuper vitalem effervescentiam, ipsamque sanguificationem modis varijs alterans & turbans. Curatio illarum iuxta ipsum Authorem absoluetur, si primò pituita obstruens plus minusue glutinosa, & coagulata incidatur, soluaturque, quæ inde loco nimirum peccans remoueatur, & ad tenue saltem intestinum deducatur, aut in totum è corpore educatur, secundo succi pancreatici aciditas & acrimonia aucta temperetur, corrigatur; tertio eiusdem ac bilis essèt vescentia in tenui instino vitiosa impediatur, aut emendetur.

Pituitam obstruentem incidi conuenientissimè statuit Author *aromaticis & sale volatili* imprægnatis medicamentis, sed ita præsertim vsurpatis, vt corpus vniuersum vel motu, vel igne, balneoue, vel tegumentis simul incalescat, quo medicaminis, vis quaqua versum dispersa pertingat quoque ad ipsum pancreas, eiusque ductus laterales, locumque adeo affectum & morbi focum, quæ conducunt in primis melancholicis & pituitosis. In hunc finem sequentem commendat misturam ad cochlearia tria ante paraxysmum duabus præter propter horis assumemdam, & corpus bene tegendum.

℞. ▽. *Petrosel.* ℥ij.
fœnicul. ℥j.
theriacal simpl. ℥jß.
⊖ *volatil. succin.* ℈j.
sirup. card. bened. ℥j.
M.

Quoties verò constitutio ægri vel naturalis, vel præternaturalis obseruatur biliosa, exhibet soluentia, incidentiaque *acida*, V. gr.

℞. ▽. *fumar.* ℥iij.
✻ *ci vel tartari vitriolati.* ℥j.
☿ *ii diaphoretic.* ℥ß.
Syrup. fœniculi. ℥j.

Quo-

M.

Quoties verò simul phlegmatici crassi & biliosi humores in eodem abundant, ægro ex binis modò laudatis subcontrarij propinat misturam.

℞. ∇. *Card. bened.*
cichor. ana ℥ij ß.
theriacal. simpl.
acet. stillat. ana ℥j.
ocul. ℞. pulueris. ℥ß.
sirup. ∇ radic. ℥j.
M. ad ∇itrum.

Si obstruens pituita non fuerit adeò glutinosa, vna sudatione illam solui statuit, & sic curatur febris.

In corpore quoque pauca pituita sed copiosiore bile scatente, quatuor, tribusque ante paroxysmi aduentum horis vomitorium exhibet, cuius ope non tantum iuxta *Nostrum* bilis redundans, sed simul pituita obstruens ad tenue intestinum, hinc ad ventriculum, & tandem per gulam & os expellitur. In quem finem *Syluius noster* sæpe felici cum successu sapam vomitoriam ex vitro antimonij paratam exhibuit.

Idem præstare ait purgantia per aluum, sed additis ijs, quæ simul incidunt, & educunt pituitam illam glutinosam. Ex. gr.

℞. *Mass. pilul. fœtid. mai.* ℈ß.
trochisc. alband.
merc. dulc. ana gr. v.
ol. succini gr. ij.
M. F. Pilulæ ℕo. vj.

Has pilulas quatuor vel quinque horis ante futurum paroxysmum assumendas, corpusque blande mouendum esse præcipit ipse.

Aucta vero succi pancreatici aciditas & acrimonia, quæ multum ad febrem excitandam tribuit, temperabitur ad mentem *Syluij nostri*, salibus volatilibus & aromaticis omnibus, haud omissis opiatis. Sic & eiusdem succi pancreatici, & bilis efferuescentia vitiosa prædicto modo impedietur & corrigetur.

§. 19. *Nunc nostra* cum *Cartesianis* expandamus vela. Curationem febrium absolui credimus particularum salino-sulphurearum, imo exoticarum excussione, & earundem oppressione, vel visciditate, vel accidilitate peccantis correctione, vel mixtionis turbatæ restitutione, & vt Microcosmetor cum satellitibus suis consopiatur, cum symptomatum vrgentium mitigatione.

Quoad primam indicationem vt scilicet particulæ illæ febriles excutiantur, *Galenica cohors* venæsectionem, tanquam summum remedium huic indicationi satisfaciens exclamat, quia eorum Magister *Galenus docet lib. 2. method. med. cap. 15. Saluberrimum est in omnibus febribus, quas putrescens humor concitat, non continuis modò*, sed etiam reliquis, *venam incidere*. *Asclepiades*, *Chrysippus*, *Ouidius*, *Erasistratus*, & *Artiogenes*, celeberrimi Medici, & nostro tempore *Helmontius* in nullo morbo venam secabant; Alij è contrario, vt *Galenici*, quos vt plurimum sequuntur *Galli*, tam liberales in eo sunt, vt ferè nullo in morbo ab ea abstineant. Nouimus ipsi experientia edocti, venæ sectionem in febribus sæpe fuisse nociuam (quia sanguinem magis turbat) imò præseruationis gratia frequentius celebratam febribus fores aperuisse, sed & haud ignoramus sæpe vnicæ venæ sectione ante paroxysmum administrata febrem vno actu & ictu fuisse sublatam. In sequ. ergò consistere huius rei modum existimamus. Venæsectio ergò nil iuuat, quando particulæ illæ febriles iam intimius inhærent tubilis, & cylo, & sanguineæ massæ iam permixtæ sunt, sic enim sanguis exhauritur, vt reliqua massa non sufficiens sit ad expellendas illas particulas extra corpus nostrum: tum verò iuuat V. S. si particulæ hospitentur tantum in massa sanguinea, vel lympha, tunc enim instituta V. S. facilè hæ particulæ cum sanguine elutriari & elici possunt, quibus emissis Reges nostri reliquas particulas pauciores facilius expellere possunt, & sic vno ictu tollitur sæpius febris. Vena ergò secunda est in febribus putridis in principio, & antequam particulæ illæ frebriles tubulis impactæ sunt, & quidem iuxta *Hippocr.* nostrum *lib. 2. aph. 29.* Incipientibus morbis si quid mouendum videatur moue, præsertim in ijs, qui abundant sero in continuis & sumpto matic. pro re nata longè euidentius prodest V. S. quàm in intermittentibus. Certum enim est per experientiam iniusto tempore celebratam

V. S.

V. S. vt plurium V. g. tertianam simplicem in duplicem commutasse. Vigentibus enim quiescere multò præstat, sed semper circumstantiæ considerandæ sunt ratione ætatis, speciei febris (in malignis potius ipsam omittendam censemus, loquimur enim hic tantum de febribus putridis & intermittentibus) regionis, temporis, autumno enim venæ sectio non conuenit ac tempore verno in paroxysmis ipsis V.S. non conuenit, aliàs ægrum Medicus iugulabit. Interdum sanguis per V.S. emissus seu cruor ater, liuidus, viridis, &c. apparet, sed hæc accidentia iuxta *Helmontium* non testantur sui corruptionem; sed solius effervescentiæ aut turbulentiæ fermentalis signa præbent.

Eodem modo comparatum est cum purgantibus remedijs, quæ ab initio tradenda, vel planè omittenda; fortiora sunt nociua; purgantia potius cacochymiæ medentur quàm febri. Obseruaui enim cum *Vvillisio* à purgantibus serò exhibitis febrem tertianam rarò aut vix nunquam curari, & sæpe in quotidianam transire. Noui cum eodem prælaudato *Vvillisio* verno tempore nonnullos sanos ab emetico præseruationis gratia assumto statim in febrem incidisse ob serum exhaustum, atque alios planè ab his exhaustos & emaciatos vidi, & alios à febre liberatos obseruant. Quare cautè cum his mercandum est, & præstat mitius purgans, in principio nempe & fine, quàm in statu & quidem fortius exhibere, propinari potest infusum sennæ cum rhabarbaro, santal. citr. cum sale, absinthij addito syrupo quodam amaro: tamarindi sunt optimi, quia sunt acidiusculi, ideò maximè in febribus prosunt, maximè si intemperies biliosa adfuerit.

℞. *Extract. cathol. gr.* xv. *vel* xx.

Si pituita peccet, possunt addi trochisc. alhand. gr. ij. l. iij. solus sæpe sufficit tartar. vitriol. & cremor tartari.

Si purgatio nondum cesset, est adhuc sedes expectandæ sint, non detur statim aliud medicamen, nam prius purgans suam operationem absoluisse debet. Male enim faciunt febricitantes, qui vno die purgans, dein sudoriferum assumunt.

Sed purgationes ad febres non spectant, nisi adsit cacochymia, mixtio autem sanguinis perturbata non restituitur purgantibus: & an sit purgandum, hoc Medicus quodammodo ex appetitu prostrato, nausea, &c. potest hariolare. Signum enim solet esse, ventriculum ab humoribus peccantibus esse grauatum, qui prius euacuari debet, nam alias si sudoriferum daretur, & ventriculus esset ab humoribus grauatus, medicamentum non ita posset claustra perrumpere, & sic vomitus excitaretur, hinc & vomitoria antimoniata in principio data, optima sunt, chylus enim vitiosus sæpè vnico hoc remedio elutriatur.

Omnium verò febrium curatio in eo vertitur, vt obstructio tubulorum, in quibus latent illæ particulæ, quæ ob moram cum tempore acidæ factæ febrem excitant, & visciditas, seu aciditas chyli præsertim in intermittentibus tollatur & Reges nostri ab his particulis in furorem acti compescuntur. Vniuersalis etiam nobis est regula: In febribus non adhibenda esse frigida, quæ nempe obstructiones producunt, alias damus quidem refrigerantia, vt lapidem prunellæ, & camphoram, sed hæc non obstruunt, sed potius deobstruunt. *Sudorifera* ergo sunt, quæ obstructiones tollere, & fermentum feruile præcipitare, imò aciditatem chyli absorbere, & in sequentes febres facilè exstingere valent. Per *Hæc* n. particulæ illæ acidæ non tantum corrigi, sed & per poros cutis eliminari possunt; vndique enim sudor facilè per meatus quosuis, & tubulos glandularum patulos ob fibras nerueas intercutaneas relaxatas, adeoque cute existente plus minus molli, rara, vaporosa, ceu per tubum aut filtrum excerni, & transcolari potest. Sed quis numerum sudoriferorum in febribus proficuorum explicabit? Alij laudant salia fixa, alij volatilia, alij alkalia, alij salia essentialia. Et cum hæc pro febris specie & natura etiam specifica & appropriata exhibenda sunt, ne Empiricum agamus, inferius de singulis tractabimus, nunc enim in genere hæc & alia notata velimus.

Diuretica quoque seu vrinas mouentia, aliquando cum fructu in febribus exhibentur, præ primis in intermittentibus,

tibus, scilicet natura eò vergat vt nulla magna humoris copia, & glutinositas obstet: sed temperatiora, & mitiora eligenda sunt, quæ simul meatus, & tubulorum obstructionem aperiendi, fibrilesque particulas expellendi vim habent sinti exempl. rad. v. aperientes, asparag. saxi frag. ononid. rub. tinct. anserin. quę specificè prodest, Herb. millefol. saxifrag. obrotan. agrimon. sem. dauci fœnicul. baccæ iuniperi, lauri, sal prunellæ, ♃ salis, vitriol. sulphuris, tartari, ol. iuniperi. &c. Et hoc notandum est, quòd omnia medicamenta in omni febre intermittente hora circiter ante paroxysmum quo sc. instanti exacerbationi præripiatur, febrilis materia, ac causa intercipiatur. Nam tum sanguinem alterant, cùm particulæ illæ acidæ ex tubulis expressæ, seu chylus vitiosus, iam ad sanguinẽ peruenere, alias si antea assumantur, chylum non corrigunt, sed tantùm sanguinem ♃ benè costitutum alterant, & causam ♃ morbi attingunt, quare tenpus & circumstantiæ in exhibendis febrifugis benè attendendæ sunt, aliàs laterem lauabis; vbi verò crisis aliqua per vomitum, vel aluũ, vel hæmorrhagiam instat, à sudoriferis, ne operatio naturæ turbetur tantisper supersedendũ. Sudorifera verò omnia sunt acria & acuta, quæ particulas illas acidas febriles non tantùm corrigere, sed ex tubulis istis, sublata sc. obstructione pituitosa, elicere valent. Communiter ergo conducunt sales cardui benedicti, centaur. min. absinthij, anserin. (quod mihi pro specifico est) fumariæ, scordij, tamarisc. diascord. Rob. sambuci, Cortex peruuianus, trochisc. de viper. ther. Andromach. Mithridar. spir. C. C. In ♃ ferbribus intermittentibus pro singulari secreto mihi est lapis lazuli ad ʒß. ad ʒj. cum spiritu vini ante paroxysmum traditus. Spir. * ci, puluis diaphor. Cranij ex ♀ nio paratus, in febribus intermittentibus pro arcano venditatur. Tinctura de china, excellens est remedium, & sic paratur:

℞. *Chinæ de china* ʒiij.
salis tartari ʒj.
spir. vini q.s. extrab. l.a. tinct.

Item china cum purgantibus vel sudoriferis pro renata exhiberi potest.

℞. *Chinæ de china* ʒj. *scammon.* gr. vj.
M. in fine paroxysmi exhibendus:
Vel ℞. *Salis absynth.*
chinæ de chiana a ʒß.
diagrid. gr. iiij. M. F. *puluis.*

Chinæ à plerisq; æquiparatur gentiana, quæ itidem cũ vino sæpe exhiberi potest, vel in forma extracti in pilul. Decoctum quoque gentianæ, vel decoctum rad. anserinæ, itidem agrimoniæ tibi satisfaciet. Itẽ hac in vicinia magni æstimatur puluis ille martiali ex bolo paratus, & cum aliquor guttis olei caryopylorum maritatus ante paroxysmum exhibitus. Sal febrifugum parare soleo & salibus cum ♃ tu vitrioli fixi quatuor horis ante paroxysmum exhibendum non est contemnendum medicamentum febrifugum.

℞. *Mercur. dulc.* gr. xv.
ex croc. Metallor. gr. iij.
antimon. diaphoret. gr. vij. M.

Magni venditatur in febribus cõtinuis, & intermittentibus panacæa illa duplicata quæ me rarò fefellit ad ʒj. cum oculis ♋ exhibita in liquore conuenienti.

Quoad acidulas & thermas singulari constitutioni, & pro re nata illa adhiberi possunt. Sed de his, vbi de febribus in ♃ specie agemus, dicemus.

Quod amuleta in febribus concernit, ipsa possunt adhiberi vel omitti. Ex sequente tamen plures affectus vidi, num verò casu id acciderit, non iudicare hactenus potui.

℞. Nouem species herbar. cum pane ♃ iudaico (vulgò Magtuchen) & sale communi, quæ sacculo includantur, & qui sacculus per nouem dies collo appendatur, & dein flumini inijciatur, inprimis in febribus intermittentibus, & quartanæ sæpiùs iuuamen attulit.

Quod hirudines, sacrificationes, vesicatoria, infusionem in sanguinem, attinet, de his etiam seorsim tractabimus infrà.

Inter externa alia topica recensemus emplastrum febrifugum Strobelbergeri. Ruta in aceto propri (rutaceo) macerata carpis manuum, & ad saphænam in pede (vbi saphæna excurrit) applicata iuuare creditur: Item halec salsum per medium scissum sub planta pedis applicatũ, item tinca. V.S. cum parte salis capiti & pedi-

bus solent aptari. Oleum scorpionum Mathioli, theriaca permixtum, & ante aduentum frigoris seu horris regioni spinalis medullæ inunctum maximè iuuare dicitur.

CAPVT II.

DE

Febre Ephemera vel Diaria, siue Synocho simplici pura.

§. 1. CVncta, quæ hucusque perspeximus in genere breuiter, quantum fieri potuit, dicta sunt; nunc verò, qua ratione & via vnaquæque febris in specie pernoscenda & curanda sit, ordine referemur. Singulas itaque febrium species enucleaturo ab *Ephemeris* auspicandum esse iudico: partim quia vt plurimum reliquas febres præcedunt partim quia omnium sunt simplicissimæ, & curatu facillimæ, & ab ipsa natura, vt barbarè loquar, curantur. Dicitur à Græcis ἐπὶ & ἡμέρα, dies, quasi vnicum diem durans, vnde Latinis à duratione sic dicta, alij hanc febrem nomen sumpsisse arbitrantur ab animali quodam, cuius mentionem facit *Arist. l. 5. de natura animalium*, quod vnius diei interuallo nascitur & moritur, dicitutq; *Ephemeron*. Hæc febris vel breuis est, vel longior, vel longissima; breuis *Ephemera* dicitur, longior *Synochus simplex*, longissima *Synochus fermentatiua* siue *putrida*. Sed cùm febres hæ secundùm nos tantum iuxta magis & minus differunt, prout sanguis magis vel minus turbatus est, & hinc etiam curatio tantum differt secundùm magis ac minus ratione efficacium medicamentorum, quare hos affectus vnico hoc capite pertractabimus. Describitur Ephemera, *quòd sit minima perturbatio sanguinis mixturæ, vt plurimum ab acris incongruitate insensibilem transpirationem impediente, exorta*. In *Synocho* verò turbatio mixturæ sanguinis est fortior. Dividitur ephemera in simplicem, quæ per diem tantùm durat, & in extensam quæ plures durat dies. Differentia *Synochi* visitatissima hæc est 1. Ratione augmenti & decrementi, quando calor decurrit eodem tenore vsque ad Crisin & dicitur *homotonos*, æquabilem dicunt vel semper increscit, aut è contrario semper decrescit, & vocatur *Paracmastica*, seu decrescens, hoc enim incrementum vel decrementum vulgo metiri solet ex aucto & diminuto calore, rectiùs meo iudicio ex minori vel maiori perturbata sanguinis mixtione.

§. 2. Subiectum harum febrium communi Medicorum suffragio spiritus esse statuitur, sed est potius massa sanguinea in qua turbatio fit, harum febrium nidus, aliarumque partium tubuli, in quibus obstructiones fiunt.

DIAGNOSIS.

§. 3. Signa diagnostica harum febrium sunt sequentia. Cum horrore leui, in synocho verò fortiori incipiunt, dein calor febrilis horrorem subsequitur aliquando & per se incipit, à principio ad finem vsque nullis paroxysmis interuenientibus, exasperatur; Sed vel in æquali gradu permanet in *Ephemera* & in *Synocho Aomastica*, *Homotono* vniformi ob id dicta vel augere videtur in *Epacmastica Anabatica*, vel decrescere in *Paracmastica* Synochis, sic tunc appellatis, idque donec ceu dictum, sensim desinat. Variat autem calor in illis, quo is mitior est & remissior, quo breuior est febris, vt in *ephemera* quem blandum & halituosum, quod tactu cutis mollis nuda magis sentiatur, vocant: vel fortior est & vehementior, si diutius perseueret in *Synocho sanguinea* à causa ita dicta, accedente nonnunquam acrimonia quadã in Synocho, quam biliosam vocant. Reliqua quæ vrgent, sunt & reliquis febribus communia & solemnia, dolor capitis cum pulsatione, sitis magna vel exigua, orisque amaritudo in biliosa, nausea, vomitus, inappetentia, apepsia, diarrhæa, oris & linguæ scabrities & duities, vt plurimum humoribus in stomacho pius congestis ibidemque putrescentibus vulgo adscribitur, inquietudo, artuum lassitudo, vigiliæ vel somnus profundus, hæc comitantur respiratio concitata & præcordiorum æstus, pulsus celer & frequens aliquando validus & magnus, non tamen inæqualis aut inordinatus, vt in rubicũda, facies rubra, tumida, venæ turgidæ, cutis mollis, in biliosa verò arida; Vrina

si hæ febres sunt breues à naturali non multum mutatæ, si longiores turbæ & tinctæ; Sudores qui sæpe citius quàm decet, erumpunt, nec grauolentes nec molesti, in putridis verò fœtor æquè notatur in sudore quam in excrementis aluinis; at *Synochus simplex* circa horas vespertinas & à cibo sumpto sæpe exacerbatur, cuius rei ratio hæc est, quod constrictis cutis partibus transpiratio insensibilis circa vesperam impeditur & cohibetur: non durat hæc febris vltra quartum aut quintum diem. Vocatur aliàs *Synochus putrida* siue *fermentatiua*, in qua fermentatiua seu putrida synocho maculæ quoque aliquando apparent, quia denotat maiorem perturbationem & volatile sal in massa sanguinea; pulsus hac in febre etiam est valde celer ac inæqualis, idque potissimum ob magnam particularum malè figuratarum ac inordinatatarum fermentationem, inde cordis irritatio ac per cõsequens inæqualis pulsus, qui & dependet à spirituum animalium fortiori influxu in cor & arteriarum fibrillas: Quandoque adest Diarrhæa, hypochondriorum inflatio, sequuntur & deliria, vigiliæ immodicæ, anxietates circa præcordia, & deliquia animi cum sudore frigido: At si materia ad neruosum tendat genus, tunc oriuntur tremor, rigor, dolores, motus conuulsiui, viscerum spasmi, stupor, Phrenitis &c.

CAVSÆ.

§. 4. *Veteres* dicunt quemcunque externum vel internum calorem has febres excitare posse sed quo temperatius corpus in quod incidit febris, eo breuiores fieri Ephemeras, Temperatum enim corpus, si à causis aduentitijs accendatur, cum diutius in eo calor persistere nequeat, breues febres iuxta ipsos ephemeræ gignũtur & quæ primo die cessare solent, & vbi calor mitior est, isque nullas turbas in corpore parit, & cum impurus minimè sit, sine horrore hæc febris vt plurimùm incipit & Crisi sensimq; per insensibilem transpirationem exspirat. In constitutione biliosa vel sãguinea diutius Synochos simplices febres permanare aiunt, quia calor hisce humoribus augetur, & probant per id, quod Iunioribus & Plethorici & naturà calidioribus & quibus consuetæ hæmorrhides, seu hæmorrhagiæ, seu menses suppressæ sunt, febres hæ facilius. Si verò febris hæc Ephemera impurum offendat, corpus & sanguis impurus ad putredinem aptus sit, simplex & pura febris diutius minimè manet, ast cum putredinem sanguis concipiat, febres hæ simplices in putridos Synochos longiores permutantur, tristi quidẽ metamorphosi.

Febres putridas in continuas & intermittentes distingũt *Galenici* continuasq; generari dicunt, quando putridus vapor, seu calor præter naturam, qui ex putrescentibus humoribus oritur, continuò cor affligit, caloremque continuum in eo producit, inde vti aiunt, febris calor in vniuersum diffunditur *Intermittentes* vel sunt, quando ijdem vapores per interualla quædam ad Cor deferuntur *Continuas* iterum diuidunt in *Essentiales* seu *primarias* & *symptomaticas*: primariæ hæ *essentiales* ipsis dicentur, quando putredo in venis communibus & extra partes priuatas accenditur; *Symptoticæ* verò quando in parte speciali inflammata putredo aut suppuratio fit, è qua ob vasorum communium vapores cordi cõmunicari possunt, quales apparent in Pleuritide alijsque inflammationibus. Aliæ & dicuntur *tertianæ continuæ*, quæ tertio die recrudescunt, aliæ *quotidianæ*, quæ singulis diebus exacerbantur; aliæ *quartanæ*, quę quarto die paroxysmum repetunt, aliasque plures diuisiones inutiles faciunt.

Febres continuas putridas generari asserunt ex putredine humorum, qui in venis & arterijs maioribus continentur & pro varias humorum putrescentium natura varias species dari, ex qua putredine vapores ad Cor & cerebrum ascendere dicunt, & inde ferè omnia deducunt symptomata in febre hac occurrentia.

Synochi putridæ causam & Galenici circa Cor in vena caua & *Diariæ sedem* in ipso spiritu vitalis & in ipso corde collocant.

§. 5. Iuxta *Paracelsum* his in febribus causa est sulphur fœtidum cum dissoluto Mercurio & impuro sale in hepatis plerumq; regione conglomeratum collectũque, & imprimis has febres ex nitro sulphureis impuritatibus oriri asserit.

§. 6. *Helmontius diariæ* febris sedem in

cauo ſtomachi conſtituens plerumque ex vitiato cibo eam oriri contendit, probatque per id, quod hæc febris ſolo peracto vomitu ceſſet. *Synochi putridæ* cauſam non *Galenicis* putreſcentibus humoribus, ſed acori corrupto diuaganti adeoq; *Archeum* irritanti attribuit; vt plurimum laceſſitu *Archèus* à cauſa occaſionali, quæ eſt inſtar ſpinæ, propter hanc *Archeus* commouetur, per hoc *blas*, quod habet ab anima; id ipſum aliquando in tantam exurgit hymoſin, vt *Archèus* iraſci & igneſcere videatur. *Cauſa occaſionalis* ex eo ſæpe prouenit, quod Stomachi vitio cremor inſolidè fiat acid⁹ & in venas meſenterij delatus errore *Duum viratus* has febres pariat. *Galenici* etiam iuxta noſtrum *Authorem* pro cognitione febrium putridarum malè exemplum fimi adducunt, qui ſi putridus, calefaceret, verùm inquit fimus quò magis putridus eſt, eò minus incaleſcit, omnino autem non ſi ſpargatur: itaque ſolùm incaleſcit, quando in cumulum colligitur madidus, ſic fœnum quoque per proprios ſpiritus ſalium compreſſus incenditur. Calor eſt ad mentem *Authoris* noſtri non febris, ſed eſt quoddam *blas* ex proprietate ab *Archèo* ſurgens, cui tam frigus quàm calor genialia ſunt, vnde ſolus *Archèus* eſt efficiens caloris & frigoris, quæ ſunt paſſiones vitæ ab *Archèo* per propriũ *Blas* commotæ, vnde etſi Cadauer putreat, in eo tamẽ calores vel frigora non contingunt.

§. 7. Cauſa huius febris iuxta *Viliſium* eſt ſubtilis & ſpirituoſa ſanguinis portio nimis exagitata & excalefacta, quæ ſæpè inſtar vini de leui quauis occaſione ebullit & feruorem concipit. Quando verò à diuturna ſanguinis ſpirituoſi agitatione & ebullitione tandem particulæ ſulphureæ craſſiores incendium concipiunt, cum vltra viginti quatuor horas durant, dicunturque *Ephemeræ plurium dierum* ſeu ſynochus ſimplex, & non putrida. Cauſa verò *Synochi putridæ* eſt pars ſanguinis oleoſa ſiue ſulphurea, quæ nimis excalefacta ſupra modum turgeſcit, ac veluti inflãma ad igitur inſtar vini, quod ob ſulphur ſuum nimis euectum, vel inſtar fœni humidi quod ob denegatam ventilationem ſponte ſua efferueſcere incipit, vnde ſtatim in pulmonibus & corde (in quibus accẽſio ſit à vitio aeris) totus ſanguinis Oceanus rarefactus ac velut accenſus, exinde motu rapidiſſimo per vaſa defertur & deflagratione ſua caloris effluuia quàm plurima diſpeſcit. Hinc tota cruoris maſſa (inſtar aquæ ſupra ignem poſitæ) continuo ebulliens vaſa diſtendit, cerebrum & neruos vellicat, in ijs ſpaſmos & dolores concitat, efferueſcentia ſua ſpiritus vitales vt plurimũ diſperdit, viſcerum fermenta deſtruit, coactionis & diſpenſationis munia impedit, ſuccum neruoſum alibilem neruoſo generi deſtinatum ſæpè deprauat, vt exinde ſpirituũ animalium maximè inordinationes conſequantur, imò tota ferè naturæ Oeconomiæ peruertatur.

§. 8. *Syluius Diariarum* omnium cauſas eſſe reputat ſex res non naturales dictas, vitioſè vſurpatas, vnde ipſas vel oriri à ſolo aeris æſtu, vel ſole, vel igne, vel balneo exiſtimat; *Diaria* n. facili marte à corporis æſtu ſuperueniente frigore excitatur; ſic quoque à potu generoſo & multum ſpirituoſo inprimis aromatico, à nimio corporis motu & defatigatione, plerunq; ab animi affectibus ira ſc. mœrore, &c. produci ſolet hæc febris ephemera, ſeu ſynochus ſimplex pura & non putrida, à vigilijs quoque nimijs hunc affectum productum obſeruauit Author, & ſymptomata præter pulſum frequentiorem in *febribus Diarijs* obſeruabilia pro cauſarum notandũ ſolitariarum aut computatarum diuerſitate occurrunt diuerſa.

Synochorum continentium cauſam dicit eſſe *bilem*, *nunc lympham* nunc *utramq;* ſimul malè affectam & talem in dextro cordis ventriculo efferueſcentiam producentem, vnde & continuò pulſum produci aſſerit præternaturalem, & ob cauſam diuerſam diſtinguit *Synoches febres in bilioſas & lymphaticas*, ſub lymphæ etiam nomine comprehendit *ſuccum pancreaticum ſaliuam & liquorem* ex inteſtinali *Triumuiratu* oriundam.

Febrium Synocharum continuarum quæ cum calore inſigni & continuo ægris ſunt moleſtæ, cauſam bili & acrimoniæ & inflammabilitate nimia peccanti attribuit, vnde non tantùm in dextro cordis ventriculo perpetuò vitioſam excitari efferueſcen-

sententiam ait, sed in tenui quoque intestino à præprimis affluente sensim ac sensim succo pancreatico propter sui stagnationem acriore facto, atque Paroxysmum excitante, indeque existimat obstructionem in vno pluribusque pancreatis ductibus existere, eoque curam dirigendum esse iudicat.

§. 9. *Nos* cum *Cartesianis* febris *ephemeræ* vel *diariæ* causam quærimus in *exigua sanguinis mixturæ turbatione*. Quare aer externus ratione suarum particularum mixturam sanguinis turbare potis est, quæ mixtura prout variè turbatur, varias febrium species excitat. Sed non sola insensibilis transpiratio impedita febrem producit, nam tum omnes hyeme cum insensibilis transpiratio impeditur, deberemus febricitare, sed talis esse debet impedita transpiratio, quæ mixturam sanguinis interturbat. Affectus hic plerumque producitur ab insensibili transpiratione impedita & pororũ cæterorum obstructione, in Paroxysmis experimur frigus ob minorem sanguinis motum, dein verò cum humor iste crassus à spiritibus animalibus in cor influentibus magis actuatur, tunc & maximè mouetur, & ideo calorem sentimus. Æger putat se frigere, quod tamen falsum est, quod inde venit, quod frigus vt plurimum est causa horroris, ergo anima iudicat, cum corpus horrore afficitur, illud frigere, quod tamen non sequitur, nã acrimonia salina vel acida vellicans panniculum, carnosum horrorem inducit, imò in puerperis lactis prouentus hanc febrem excitare potest.

In *Synocho* verò *putrida* ita dicta *mixtio sanguinis magis perturbata est*, imò adeò, vt fermẽtationes sanguinis nõ vincant & restituãt malam mixtionem, quia humor peccans est pertinax, & è latibulo continuò in sanguinem delabitur. Hic morbus sæpissimè ortum suum trahit ex potu frigido & exercitijs nimij, cum corpus maximè calefactum sit, & ita omnes pori subitò mutantur; & inde insensibilis trãspiratio impeditur, & hostis *qui Regibus nostris* multum laboris facit, intra præmunimenta cõseruatur Vehementia ceu diximus exercitia & multus vini potus inter causas externas meritò recẽseri possunt, quatenus sanguinem multò mouendo & exagitãdo humorem è latibulo puta visceribus quibusuis eluunt & in sanguinem vegunt, qui dein humor sua stagnatione poros suarum particularum ita immutatos accipit, vt materia primi elementi peregrina transfluat, quæ mixturam sanguinis interturbat, nec tamen hçe causa per se febrim efficiet, nam mille homines se nimium exercent & potum ingurgitant, qui tamen non febrim nanciscuntur; sed hoc notandum, quod eiusmodi homines, qui à tali causa incidunt in hanc febrem, multos tales habeant humores peccantes in tubulis necesse est, quare ijs conueniet aliquando purgari, vt hæc latibula eluantur. Maxima ægros hoc morbo laborantes, inquietudo comitari solet, quæ inde oritur, quod multum salis volatilis reperiatur in eorum massa sanguinea, quod neruos vellicando illos aperit, & si ægri præ inquietudine sese hinc & illinc in lecto iactitant sesque frigido exponunt aeri, insensibilis transpiratio impeditur, inde & sal volatile, quod aliàs per insensibilem transpiratione abit, in corpore manet, & neruos magis vellicando & pungendo eorum inquietudines continuò auget & mortem illis interdum infert.

Authores scholastici non benè expicant, quomodo febres putridæ à non putridis differant, dicunt quidem in febribus putridis adesse pulsum inæqualem, sed hoc tantum est, quia guttæ sanguinis cor intrantes non omnes æquè malè sunt mixtæ, quod nihil facit ad realem febrium differentiam. Secundum *Nos* febres duntaxat differunt ratione magis & minus, prout sanguinis magis vel minus turbatus, est & hinc curatio tantum, ceu diximus, differt secundum magis & minus ratione efficaciũ medicamentorum; Deinde differunt ad mentem *Syluii*, ratione symptomatũ diuersorum, quorũ curatio seorsim erit tractanda pro necessitate vrgente.

PROGNOSIS.

§. 10. *Ephemera febris* ex natura non est periculosa, inde & curatu facili, sæpè absque Medici auxilio per se cessat, aut cum sudore aut madore terminatur: sed quia hæc febris facilè transit in *Synochum putridam* dictam, vel *Hecticam* aliquando, ob commissum in diæta vel medica-

mentis errorem, propterea non negligenda est. *Synochi* verò *simplicis prognosis* hæc est, quod sæpissimè in *putridam* degeneret, vt & *Hecticam*, quia sanguinis mixtio magis turbata est, alias terminatur plerumque intra quartum aut quintum diem, idque per sudorem vel hæmorrhagiam.

Febris verò *putrida* periculosior est, magnus enim est morbus, cum graviter thesaurus vitæ, sanguis scilicet sit affectus & maximè turbatus, & in febrem malignam facilè mutabitur: Tutior verò est illa quæ decrescit, pessima quæ augetur. Soluitur quoque vel per sudorem vel vrinam, cum pori in hisce partibus magis aperti sint, aliquando & per hæmorrhagiam, interdum per aluum terminatur.

CVRA DIÆTETICA.

§. 11. De *Diæta*, quæ fusè admodum in *ephemera* à Medicis tractatur, pauca dicam; Quia hæc febris non diu durat. Aer hic non solum ratione frigoris considerandus est, & ceu diximus, ratione suarum particularum, quæ suis poris mixturam sanguinis maximè turbare possunt, à nimio enim *aeris frigore* transpiratio insensibilis impeditur, quæ dein facilè mixturam sanguinis interturbat; inde etiam generatur tenax & crassus humor, qui & suum symbolum addit. Caueat etiam æger à nimio *æstu aeris*, nec se exponat soli, balneis &c. quia febris inde etiam hæc produci potest.

Quoad victum, is tenuis sit, & abstinentia sæpè hic optimum existit remedium, iuxta *Celsum*, inquientem; *Multi magni morbi curantur abstinentia & quiete.*

Motus & quies, somnus & vigiliæ, animi affectus sint moderata.

In *Synocho* verò *simplici* & *putrida* sit aer temperatus, serenus & purus, nocet enim nimis calidus & frigidus. Cibus sit Euchymus & Eupeptus h. e. facilis concoctionis & extra paroxysmum tamen moderatè capiendus, impura enim corpora non nutrienda sunt; in ipso paroxysmo ad mentem *Vuillisij* penitus subtrahendus.

Potus sit etiam temperatus prodest sc. C. C tum pastilli. vel radic. scorzoner. cereuisia tenuis & defœcata, in quam instillentur Tincturæ alterantes V.gr. rosar. violarum, vitriol. martis, vitriol. salis. Vinum planè exulet vel corrigatur acidulis, & bibatur magis ad voluptatem, quàm ad satietatem. Nocet maximè multus vini potus ex quo ægri facili marte, in *epilepsiam* incidunt, prout sæpius in *Praxi* mea obseruaui; sanguinem enim & spiritus animales multum mouet potus spirituosus quiuis, hinc & nimius vsus *cardiacorum* spirituosorum nocet, quatenus nimis exagitant humores. Nocet etiam potus frigidus, cum corpus maximè calefactum sit, inde enim sæpè hic morbus oriri solet, quia omnes pori subitò mutantur, & facilè tunc insensibilis transpiratio impeditur, ideò hic morbus ferè semper continuò calidus est.

Magna & vehementiora exercitia nocent, itidem vigiliæ nimis protractæ, præsertim animi passiones, Ira, mœrores, curæ, &c.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 12. Ad *Ephemeræ* curationem *Antiqui* vti solebant balneo aquæ tepidæ, cuius etiam in statu sano vsus erat creberrimus, dein adhibebant victum refrigerantem & humectantem ex cremore hordei, iusculis refrigerantibus, Iulepis ex aqua fontana q. s. cum syrupo limon. &c. paratis.

Pro causarum verò diuersitate curam aliquantulum variant; si ergo *Ephemera* ab æstu seu solis ardore exorta fuerit, victum adhibuere refrigerantem & ægrum in locum transportarunt frigidiorem, Oxyrrhodinum simul fronti & tempotibus admouentes. Si à *frigore* fuerit producta febris, imprimis cum æger exercitio æstuans in aerem frigidum se contulerit, tunc sudorem prouocarunt varijs & ipsis solennibus sudoriferis. Si à *labore*, quietem imperarunt & victum vberiorem concesserunt, sed concoctu facilem.

Si ab *ira*, hilaritatem, si è *vigilijs*, somnum, si ab *Inedia*, victum euchymum, si à *crapula* cibi abstinentiam suaserunt, si ab *obstructione & cacochymia*, purgantica, si à *Plethora* ortum traxerit, Venæ sectionem instituerunt.

Synochi simplicis curationem in sanguinis euacuatione, refrigeratione & mea-

tuum

tuum apertione consistere aiunt, hinc *Galenus* 9. *lib. method.* c. 4. duobus remedijs palmarijs eam absoluit; *missione scil. sanguinis* ad animi deliquium & *aquæ frigidæ largo potu*; ex sapientioribus verò *Galenici* tamen Phlebotomiam vix celebrare audent, sed satius esse inquiunt, si repetitis vicibus ea sanguinis quantitas educatur, quæ ad morbi curationem necessaria fuerit. Quod potum illum aquæ frigidæ largiorem attinet, nec illum *Discipuli Galeni* admittunt, sed eius loco Iulepo varios refrigerantes ex decocto hordei, endiuiæ, acetosæ, cichorij, &c. itidem emulsiones, & aquas destillatas substituunt. Externè Hepati epithemata refrigerantia item linimenta eiusmodi facultatis tum hepati tum lumbis admouent, ex vngento rosaceo, refrigerante Galeni santalino, &c.

In *Synocho putrida*, quæ vehementiora habet symptomata, phlebotomiam & purgationem instituendam esse ad mentem illius *Satyrici Gallici Mollier* dicti & Gladiatoris Romani: Repete, repetas; tota enim ipsorum cura consistit in hisce tribus *venæ sectione*, *purgatione & refrigeratione*, hinc varios Iulepos & plurima externa refrigerantia adhibent, & tædet hæc apponere, quia omnes libri practici ijs scatent.

§. 13. *Paracelsistæ* ex nitro sulphureis impuritatibus has febres oriri statuunt, hinc commendant omnia medicamenta quæ resoluunt, imprimis purgationem ex ☿ nio, nam hac purgatione iuxta ipsos pellitur omnis febris: ad materiam peccantem corrigendam commendant etiam *spiritum salis* rectificatum, imprimis in febribus putridis vulgò dictis *Elix. proprietatis* & plura alia quæ ex sequentibus peti possunt.

§. 14. *Helmontius* qui *Ephemeræ* sedem in stomachi cauo ponit, eiusque causam plerumque ex vitiato cibo ortum habere asserit, ipsam curiat per vomitum, in febre verò *putrida* appropriata & specifica sua laudat remedia, imprimis mercurium suum diaphoreticum, quo febres vnica potione sanare prædicat, quod remedium tamen occultat. Arcanum corallinum etiam magnis extollit laudibus, sed cum & hoc destituamur, nobis commendat remedia particularin volatilia aromatica, quæ in his febribus sæpius exhibita nunquam medentem fidelem ludibrijs exponunt.

Vomitiua & purgantia per accidens sæpe iuuare asserit, dum nimirum ad stimulationem vnius, alterum pronum ac vicinum vna exturbet.

§. 15. *Vullirij* intentiones curatiuæ in *febre Ephemera* sunt, vt sanguinis feruor compescatur & transpiratio libera procuretur, quibus conuenire ait venæ sect. victum tenuissimum seu potius abstinentiam, potus refrigerantes, fœcum alui per enemeta subductionem, præ cæteris maximè iuuare somnum & quietem ait, quibus deficientibus opiatis & anodynis tempestiuè occurrendum esse iudicat.

Author hic nobiscum fatetur, in febre putrida sanguinis mixtionem esse turbatam à sulphure nimis exaltato; & in hac febre quatuor tempora obseruanda esse inculcat, initium sc. augmentum, statum, & declinationem, quæ in quibusdam citius in alijs tardius solent absolui. Et si hæc febris ab initio sit vehementior & totam sanguinis massam subito cum incendio peruadat, si cum symptomatum ferocia sine remissione constanter & æqualiter vrgeat, plerumque intra IV. dies sanguis ita deflagrabit, vt materies adusta crisin factura ad turgescentiæ plenitudinē assurget, quod si initia sint tardiora & accensio sæpius interrupta circa diem septimum ad *axolw*, peruenier, si adhuc remissius incipiat morbi status ad vndecimum aut decimum quartum protrahi solet. Motus criticos quoque in hac febre non Planetarum directione, sed ob naturæ necessitatem die quarto, septimo, vndecimo & decimo quarto euenire statuit.

Circa Therapeiam febrium putridarum auctor IV. habet intētiones generales, quibus totius rei cardo innititur; primò vt sanguis ab incendio vindicetur & prorsus supprimatur flamma siue ignis in sulphurea eius parte accensus, quod circa prima huius morbi initia non rarò fieri contingit; secundò, vt, cum sanguis incendio protinu sextingui nequeat, saltem mitius & cum minori noxia deflagrationem suā peragat; tertiò vt deflagratione peracta materiæ concremata & adustæ recrementis

liquor cruoris expediatur, & postea ad crasin & vigorem naturalem reducatur, quartò vt symptomatibus vrgentibus occurratur.

Venę sectionem ergo ab initio celebrandam esse, iudicat, venæ sectione enim sanguis ventilatur, & particulæ calidæ nimis agglomoratæ & incendio iam proximæ ab inuicem separantur, veluti cum fœnum exardescere aptum, si aperto aeri exponatur eius accensio præcauetur.

Tenuem quoque victum instituendum vult in quo nil sulphureum aut spirituosum adhibeatur. Viscera quoque iuxta nostrum Authorem in primis primæ viæ ab omni saburra excrementia liberentur, in quem finem enemata, quandoque etiam vomitiua & purgantia tempestiuè tamen adhibenda commendat. In febris augmento, cruor nimis efferuescat, & cum pulsu fortì & vehementi vasa plurimum distendente, & si vigiliæ. Phrenitis aut dolor capitis inanimiter vrgeant, sanguinis missionem repetenda esse inculcat, & tunc temporis sudorifera omittenda esse reputat, sed potiùs opiata & anodiana exhibenda vtpote sanguinem & spiritus figentia & crasin eius conseruantia. Item iulapia, decocta, viscera, æstuantia, refrigerantia, cruorem attemperantia spiritusque refocillātia, liquores acetosos, vegetebilium aut mineraliū nec non nitrū purificatum quatenus sanguinis æstū cohibēt & sitim extinguunt, maximoperè laudat.

Aquas verò ardentes spirituosas, pulueres cordiales & bezoardicos (si morbus malignitate caret) procul habendos esse existimat. Si verò natura Crisin moliatur per sudorem & in vrina signa concoctionis appareat, tunc diaphoresin vel lenem purgationem admittit, si in peiora omnia coniurant, solis cardiacis vires refocillentur tum internis quam externis, de quibus alibi.

§. 15. *Syluius* curam *dariæ febris* pro causarum varietate variam esse optimè iudicat. Vbi ergo hic affectus ab *aeris æstu* sit productus, aer temperatus quærendus vel temperandus saltem aqua frigida vel aceto in pauimentum effusis vel plantis refrigerantibus per cubiculum dispersis ipsi, ægro sit; cienti simul iulapium sequens præscribit.

℞. *Ad card. bened.* ℥vj. *acetosa* ℥ij. *syr. papau. thead.* ℥j. ♎ *nitri* g. vj. M.

Quando verò febris à corporis æstu superueniente frigore orta sit, prædicto iulapio vtiliter admiscet, sal. corn. cerui volat. vel sal. armoniac. ℈j. & sic partitis vicibus exhibet.

Quando Ephemera est *à potu generoso*, curationem instituendam esse putat Author, per potum acidiusculum iulapium modò præscriptum est tincturam rosarum sequentem, quam in omni æstu febrili commendat.

℞. *Aq. hordei* ℥xxx. *rosac.* ij. *Flor. rosar. siec. rubr.* ℥j. *olei sulphuris per campan.* ℌ. *q.s.* ad gratam aciditatem, infund. in vasc vitreo clauso & in loco calente ad Tincturæ rubentis extractionem, colaturæ adde syr. iuiubin. ℥ij. M.

Si à *nimio labore vel corporis* motu producta sit febris diaria, spirituoso potu refocillandi sunt spiritus animales, in hunc finem sequentem laudat mixturam per interuallum vsurpandam:

℞. *Aqu. flor. tiliæ. betonic. fœnic.* ā ℥ij. ♎ *vini rectificat. vel aquæ vitæ Matthiol.* ℥ß. *spir. salis dulcis* ℈j. *Iulap. ros.* ℥j. *misc.*

Vbi *ab ira vehementiore Ephemera febris* est excitata sequentem præscribit mixturam, quæ simul bilem commotam & acriorem factam corrigit.

℞. *Aq. plantaginis, lactuc. acetosæ* ā ℥j. *cinam.* ℥ß. *spir. salis dulc. f.* ℈ß. *Syr. diacod.* ℥j. M.

Quādo est à *mœrore* diaria febris, commendat mixturam, quæ succum austerum in omni mœrore graui productum emendare solet simulque vitiatam tunc & febrilem in corde sanguinis effervescentiam redintegrare potest.

℞. *Aq. pulegij fœnicul.* ā ℥ij. *spir. carmin.* ℥ß. *laudan. opiat* gr. ij. *salis armoniac. volat.* ℈j. *syrup. fœnicul* ℥j. M.

Quando febris hæc est à *vigiliis nimis*, tunc somnus blandè promouendus cum emulsione vel exhibito laudani opiati gra-

grano vnico aut altero. Vbi *adest Plethora*, venæ sectio vbicunque libuerit, instituenda est, non ad animi deliquium, sed repetitis vicibus; & vbi *copiosa bilis* in corpore existit, illam minuendam esse, vult cholagogo blando, vel alterantibus, iulapijs varijs, iam hinc inde descriptis: vbi etiam *oris amaritudo* vrget conducunt eadem quæ sc. bilem blandè per alvum educunt.

Quoad *Synochi* curationem postquam plures Synocharum sint differentiæ, tum secundum causas, tum secundum symptomata graviora, ipsa comitantia, necesse est vt quædam recensemus vnà cum curandi methodo ad mentem clarissimi huius Authoris. *Synocham* ergo *biliosam* curat corrigendo bilis acrimoniam salinam per acrida temperatoria nempe, spiritum salis dulcem 2. emendando bilis oleositatem inflammabilem per acida austeriuscula, semperuiuum plantaginē & c.3. minuendo bilem per cholagoga, sed blandiora & subacida, vtpote tartari cremorem, sal tartari, tartarum vitriolatum, quorum remediorum formulas apud Authorem vidæ, tædet enim huc apponere. Sic & omnium symptomatum curam inuenies apud prælaudatum Authorem sufficienter descriptam.

Quod concernit febrem lymphaticam aliasque species quas ad Synochas refert Author, alio Capite & quidem inferius eas tractandas suscipiemus, quare nunc nos conuertamus ad *nostra*.

§. 17. *Nostro iudicio* curatio *febris ephemera*, quæ talis, est inutilis, nam non admittit curationem, quia per se & quidem per sudorem cessare solet, & rarò ad huius curationem vocatur Medicus, nisi apud diuites, verum cum facili marte in aliam febrim præsertim *synochum putridam* vulgò dictam denegare soleat, ipsi mederi debemmus. Interea tamen ne hæc febris redeat, purgatio potest institui, vt vitium in massa sanguinea tollatur, inprimis si bilis abundet, in quem finem cholagogum blandum conducet sequens vel simile:

℞. Extract. cholagog. ℈ß. d. si pituita peccet acuatur trochisc. alhand. gr. ij. f. pil. sed omnia purgantia, vt & vomitoria mihi sunt suspecta, quia non ad febres spectant, si non adsit cacochymia, nam mixtio sanguinis perturbata non restituitur purgantibus, sed diaphoreticis. Curationē ergo potius clysteris iniectione inchoandam esse existimamus, & *in Synocha simplici* parum sanguinis extrahendum est, postmodum benignia ante febrilia corpus citra magnam sanguinis agitationem, ad sudores disponentia per interualla erunt propinanda.

Mulierculæ tantum sumunt vinum calidum cum macere, nuce moschata & saccharo, nos addimus theriacæ ℥ß. vel ℥j. & sumimus vinum generosum, quia minus generosum non ita sudorem pellit, pro pauperibus sumatur ocul. ℔. ℥ß. vel corallor. ℈. Lapis bezoar. quia rarò acquiritur non ita in vsum trahendus, corn. cerui vsum longe anteferrem; conueniunt & hic decoctum hordei cum succo citri vel limonum vel decocet. C. C. cum scorzonera. In potu febricitantium semper aliquot guttæ spirit. nitri vel tinctura confortatiu. cardomomis. vel Tinctura bellidis vel spir. vitroli Martis aliusque refrigerantis acidulatæ infundi debent, his scopis etiam satisfaciunt æquæ febrifugæ emulsiones ex seminibus frigidis, Iulapi ex decoct. hordei cum rasura corn. cerui & tamarindis parati, item conducent absorbentia, vt sunt pulueres testacei, antimonium diaphoreticum, epithema varia externa pro hepate, corde & pulsibus. Quoad venæ sectionem hic etiam cautè agendum est, poterit institui, vbi in plethora & nulla suspicio malignitatis.

In *Synocha* verò *putrida* vbi humor fermentatiua præditus qualitate peccat, & febrem continuam periodicam excitat in principio primo nempe & secundo die, si quid mouendum vides, move, purga, seca. Inter purgantia non infimi subsellij sunt infusa laxativa, ipsa quoque *emetica* prudenter exhibita, quæ sæpe grauiora auertunt symptomata. Cum sudores sint mouendi prius aluus est laxanda, nè à diaphoretico medicamento partes quædam fœcum subtiliores separentur & per habitum corporis per vniuersum corpus deferantur, vnde sæpè alia mala produci possūt; hic clysteres in iuuenili corpore valde conducunt, præsertim in morbi principio, in senibus verò minus tuti

sunt;

liquor cruoris expediatur, & postea ad crasin & vigorem naturalem reducatur, quartò vt symptomatibus vrgentibus occurratur.

Venę sectionem ergo ab initio celebrandam esse, iudicat, venæ sectione enim sanguis ventilatur, & particulæ calidæ nimis agglomoratæ & incendio iam proximæ ab inuicem separantur, veluti cum fœnum exardescere aptum, si aperto aeri exponatur eius accensio præcauetur.

Tenuem quoque victum instituendum vult in quo nil sulphureum aut spirituosum adhibeatur. Viscera quoque iuxta nostrum Authorem in primis primæ viæ ab omni saburra excrementia liberentur, in quem finem enemata, quandoque etiam vomitiua & purgantia tempestiuè tamen adhibenda commendat. In febris augmento, cruor nimis effervescat, & cum pulsu forti & vehementi vasa plurimum distendente, & si vigiliæ. Phrenitis aut dolor capitis inanimiter vrgeant, sanguinis missionem repetenda esse inculcat, & tunc temporis sudorifera omittenda esse reputat, sed potiùs opiata & anodiana exhibenda vtpote sanguinem & spiritus figentia & crasin eius conseruantia. Item Iulapia, decocta, viscera, æstuantia, refrigerantia, cruorem attemperantia spiritusque refocillãtia, liquores acetosos, vegetebilium aut mineraliũ nec non nitrũ purificatum quatenus sanguinis æstũ cohibẽt & sitim extinguunt, maximoperè laudat.

Aquas verò ardentes spirituosas, pulueres cordiales & bezoardicos (si morbus malignitate caret) procul habendos esse existimat. Si verò natura Crisin moliatur per sudorem & in vrina signa concoctionis appareat, tunc diaphoresin vel lenem purgationem admittit, si in peiora omnia coniurant, solis cardiacis vires refocillentur tum internis quam externis, de quibus alibi.

§. 15. *Syluius* curam *dariæ febris* pro causarum varietate variam esse optimè iudicat. Vbi ergo hic affectus ab *aeris æstu* sit productus, aer temperatus quærendus vel temperandus saltem aqua frigida vel aceto in pauimentum effusis vel plantis refrigerantibus per cubiculum dispersis ipsi, ægro sitienti simul iulapium sequens præscribit.

℞. *Ad card. bened.* ℥ vj. *acetosa* ℥ij.
syr. papau. thead. ℥j.
nitri g. vj. M.

Quando verò febris à corporis æstu superueniente frigore orta sit, prædicto iulapio vtiliter admiscet, sal. corn. cerui volat. vel sal. armoniac. ℈j. & sic partitis vicibus exhibet.

Quando Ephemera est *à potu generoso*, curationem instituendam esse putat Author, per potum acidiusculum iulapium modò præscriptum est tincturam rosarum sequentem, quam in omni æstu febrili commendat.

℞. *Aq. hordei* ℥xxx. *rosac.* ij.
Flor. rosar. siec. rubr. ℥j, *olei sulphuris per campan.* ℌ. *q.s.*

ad gratam aciditatem, infund. in vase vitreo clauso & in loco calente ad Tincturæ rubentis extractionem, colaturæ adde syr. iuiubin. ℥ij. M.

Si à *nimio labore vel corporis* motu producta sit febris diaria, spirituoso potu refocillandi sunt spiritus animales, in hunc finem sequentem laudat mixturam per interuallum vsurpandam:

℞. *Aqu. flor. tiliæ. betonic. fœnic.* ā ℥ ij.
vini rectificat. vel aquæ vitæ Matthiol. ℥jß.
spir. salis dulcis ℈j. *Iulap. ros.* ℥j. *misc.*

Vbi *ab ira vehementiore Ephemera febris* est excitata sequentem præscribit mixturam, quæ simul bilem commotam & acriorem factam corrigit.

℞. *Aq. plantaginis, lactuc. acetosæ* ā ℥ j. *cinam.* ℥ß.
spir. salis dulc. f. ℈ß. *Syr. diacod.* ℥j. M.

Quãdo est à *mœrore* diaria febris, commendat mixturam, quæ succum austerum in omni mœrore graui productum emendare solet simulque vitiatam tunc & febrilem in corde sanguinis effervescentiam redintegrare potest.

℞. *Aq. pulegij fœnicul.* ā ℥ij.
spir. carmin. ℥ß. *laudan. opiat gr.* ij.
salis armoniac. volat. ℈j.
syrup. fœnicul ℥j. M.

Quando febris hæc est à *vigiliis nimijs*, tunc somnus blandè promouendus cum emulsione vel exhibito laudani opiati

gra-

grano vnico aut altero. Vbi *adest Plethora*, venæ sectio vbicunque libuerit, instituenda est, non ad animi deliquium, sed repetitis vicibus; & vbi *copiosa bilis* in corpore existit, illam minuendam esse, vult cholagogo blando, vel alterantibus, iulapijs varijs, iam hinc inde descriptis: vbi etiam *oris amaritudo* vrget conducunt eadem quæ sc. bilem blandè per alvum educunt.

Quoad *Synochi* curationem postquam plures Synocharum sint differentiæ, tum secundum causas, tum secundum symptomata grauiora, ipsa comitantia, necesse est vt quedam recenseamus vnà cum curandi methodo ad mentem clarissimi huius Authoris. *Synocham* ergo *biliosam* curat corrigendo bilis acrimoniam salinam per acrida temperatoria nempe, spiritum salis dulcem 2. emendando bilis oleositatem inflammabilem per acida austeriuscula, semperuiuum plantaginē & c. 3. minuendo bilem per cholagoga, sed blandiora & subacida, vtpote tartari cremorem, sal tartari, tartarum vitriolatum, quorum remediorum formulas apud Authorem vidæ, tædet enim huc apponere. Sic & omnium symptomatum curam inuenies apud prælaudatum Authorem sufficienter descriptam.

Quod concernit febrem lymphaticam aliasque species quas ad Synochas refert Author, alio Capite & quidem inferius eas tractandas suscipiemus, quare nunc nos conuertamus ad *nostra*.

§. 17. *Nostro iudicio* curatio *febris ephemera*, quæ talis, est inutilis, nam non admittit curationem, quia per se & quidem per sudorem cessare solet, & rarò ad huius curationem vocatur Medicus, nisi apud diuites, verum cum facili marte in aliam febrim præsertim *synochum putridam* vulgò dictam denegare soleat, ipsi mederi debemmus. Interea tamen ne hæc febris redeat, purgatio potest institui, vt vitium in massa sanguinea tollatur, inprimis si bilis abundet, in quem finem cholagogum blandum conducet sequens vel simile:

℞. Extract. cholagog. ℈ß. d. si pituita peccet acuatur trochisc. alhand. gr. ij. f. pil. sed omnia purgantia, vt & vomitoria mihi sunt suspecta, quia non ad febres spectant, si non adsit cacochymia, nam mixtio sanguinis perturbata non restituitur purgantibus, sed diaphoreticis. Curationē ergo potius clysteris iniectione inchoandam esse existimamus, & *in Synocha simplici* parum sanguinis extrahendum est, postmodum benignia ante febrilia corpus citra magnam sanguinis agitationem, ad sudores disponentia per interualla erunt propinanda.

Mulierculæ tantum sumunt vinum calidum cum macere, nuce moschata & saccharo, nos addimus theriacæ ʒß. vel ʒj. & sumimus vinum generosum, quia minus generosum non ita sudorem pellit, pro pauperibus sumatur ocul. ☉. ʒß. vel corallor. ♃. Lapis bezoar. quia rarò acquiritur non ita in vsum trahendus, corn. cerui vsum longe anteferrem; conueniunt & hic decoctum hordei cum succo citri vel limonum vel decocet. C. C. cum scorzonera. In potu febricitantium semper aliquot guttæ spirit. nitri vel tinctura confortatiu. cardomomis. vel Tinctura bellidis vel spir. vitroli Martis aliusque refrigerantis acidulatæ infundi debent, his scopis etiam satisfaciunt æquæ febrifugæ emulsiones ex seminibus frigidis, Iulapi ex decoct. hordei cum rasura corn. cerui & tamarindis parati, item conducent absorbentia, vt sunt puluercs testacei, antimonium diaphoreticum, epithema varia externa pro hepate, corde & pulsibus. Quoad venæ sectionem hic etiam cautè agendum est, poterit institui, vbi in plethora & nulla suspicio malignitatis.

In *Synocha* verò *putrida* vbi humor fermentatiua præditus qualitate peccat, & febrem continuam periodicam excitat in principio primo nempe & secundo die, si quid mouendum vides, move, purga, seca. Inter purgantia non infimi subsellij sunt infusa laxatiua, ipsa quoque *emetica* prudenter exhibita, quæ sæpe grauiora auertunt symptomata. Cum sudores sint mouendi prius aluus est laxanda, nè à diaphoretico medicamento partes quædam fœcum subtiliores separentur & per habitum corporis per vniuersum corpus deferantur, vnde sæpè alia mala produci possūt; hic clysteres in iuuenili corpore valde conducunt, præsertim in morbi principio, in senibus verò minus tuti

sunt;

sunt; nec adhibenda enemata sunt instante crisi & morbo declinante. An verò sit purgandum nec ne, hoc Medicus quodamodo ex appetitu potest hariolari, qui si prostratus sit, signum solet esse, ventriculum ab humoribus vitiosis esse grauatum, qui prius leniter purgari debet. Ex *alterantium* censu habentur spiritus acidi minerales, ex diaphoreticis tutiora sunt mixtura de tribus, ℥s. corn. cerui, spiritus fuliginis, aliaque apud Practicos obuia. Nunquam exhibenda sunt in febre talia frigida, quæ nempe obstruunt, sed in eorum locum substituere possumus lapidem prunellæ, spiritum nitri & camphoram, quia hæc non obstruunt; sic & potus multus in febribus per se non nocet, imò prodest si nempe non obstruat, quod perficitur, si potus tantillum igni apponatur, ita tamen, ne ad tempore vsque perueniat, sed vt non sit actu frigidus, & tum addatur aliquid spiritus nitri, & sic minimè nocebit. Ventriculus à frigido potu extenditur sæpè, quatenus eius poros obstruit, & ita flatus in eo retinentur, qui ipsum distendùt. Pro arcano hac in febre habeas camphoram, præcipuè si vigiliæ, dolores aliaque incommoda comitentur nostrum affectum; quæ omnia prædicta curat camphora, si sumatur ad grana tria vel quatuor, quia subtilitate sua incrassat sine obstructione: non statim ad cardiaca confugiendum est, alias febricitantem in summum deijcies periculum. De *narcoticis* idem esto iudicium, tutius illa post diem vndecimum in declinatione nempe exhibebis, febres enim continuæ non sunt viaggrediendæ, nam non vnico remedio (quod tamen gloriatur *Helmontius*) exhibito, talis febris abscindi potest, sed pedetentim; quare etiam sudorifera per vices more *Syluij* exhibere solemus, vel in forma mixturæ, vel in forma pulueris.

℞. *Ad. fœniculi, melissæ rosarum* ℥j.
Tinctur. æ croci ℥j.
Bezoardic. miner. ℈ß. *vel* ℈j.
℥s * *gutt.* xij.
Syr. card. bened. ℥vj. *M. In viribus prostratis confect. hyacinth.* ℈j *addi potest.*

Interim interpolatis vicibus sumatur lapis prunellæ ad gr. xv. cum bezoardico minerali ad gr. vj. Et si ager bibat in singulis hausibus addantur spiritus nitri gutt. x. vel xij. & tali modo sitis cessabit. Nitrosa omnia hic conueniunt quatenus præcipitant & refrigerant, supperadditis sudoriferis & camphora, sic enim absque dubio febris cessabit, sequens pulvis sæpius expertus rarò fallit.

℞. *Bezoard. miner.*
per Chin. chin. à ℈ß. *Camphoræ gr.* iij.
M.

Componat autem ager se placidè ad quietem, & leuem tantum expectet sudorem.

Non rarò sanguis totus perturbatur in hac febri, & ita transit ad malignitatem, quæ tunc ordinariam medendi methodum flectit, præprimis quoad purgantia & venæ sectionem, quæ tunc potius omittenda quam celebranda sunt. Hic etiam pulsus ab initio febris accuratè tangendus; si enim frequentior sit, non audeo exhibere catharticum, sin pulsus debilis & depressus, ipsa diaphoretica in primis potentiora, & fortiora nobis suspecta sunt, quo in casu temperationibus naturæ alacriter succurrendum erit, & quidem sequenti modo.

℞. *Aq. consort. Aug.* ℥ij.
Corn. cerui. citrat. ℥j.
Cinamom. ℈ß.
Sachar. perlat. q. s. ad gratiam M.

Ad confortandum commendamus Elect. de carne citri cum conserua acetosellæ, vibium, &c. additis speciebus diamargaritho, Ebur sine igne coqui etiam potest, serum caprinum, cum corticibus citri & instillari clysmus antimonij cum tinctura violarum tinctus.

Symptomatum febres has commitantium maturè est habenda ratio, qualia sunt alui fluxus, vigiliæ, Phrenitis, sitis aliaque tum spiritibus tum sanguini infesta.

Si post febrem curatam vires nihilominus valde fractæ sint, & extrema remanent debilitas, in quo casu ad mentem *Medici eximij Domini Sydenham, amici nostri exoptatissimi*, adolescentulum viuum vegetumque applicare potes.

CA-

CAPVT III.

De reliquis synochi putridæ, vulgo ita dictæ, speciebus, de causo seu febri ardente, de febri continua quotidiana, de continua tertiana & de continua quartana.

§ 1. PRæcedente capite tractauimus febres putridas vulgò dictas à similitudine qua putrescentia seruorem concipiunt, vt fœnum madidum, quibus subnectamus earum species & quidem primò Causum. *Καῦσος*, seu Febris ardens, *est continua febris ex maiore sanguinis perturbatione cum calore acerrimo & siti inextinguibili continuò affligens*. Hæc febris tantum gradu à *synocho putrida* differt. Sin verò certis horarum & dierum interuallis exacerbationes caloris obseruantur, alia sortietur febris nomina, eritque pro varietate humoris & accessionis vel quotidiana, quæ rarior, vel tertiana continua, quæ frequentior, vel quartana continua, quæ rarissimè occurrit. Distingunt primò *Causum* in malignum & benignum; differentia alias in causis petenda, quod alia *mitior*, alia *vehementior* item alia *simplex*, alia *composita*, alia enim ex particulis disproportionatis sanguinem perturbantibus oritur, alia multas particulas permixtas habet, inde & alia inducuntur symptomata. Distinguuntur in *remittentes* & *intermittentes*.

Remittens est, quando febris minor fit, intermittens vel quando planè tollitur & dein iterum redit, in *intermittentium* paroxysmis, horrores plerumque obseruantur, quibus etiam distinguuntur à *continuis*.

Datur & *Causus spurius* siue *Elodes*, in qua febri ægri sudore perpetuo & excedente perfunduntur. Dicitur & febris *Assodes* seu *fastidiosa*, vbi egri febricitant cum nausea & vomitu.

PARS AFFECTA.

Pars affecta iuxta *Veteres* est nobilissimum illud viscus Cor, ad recentiorum verò mentem *massa sanguinea*, & tubuli variarum partium.

§. 2. Signa diagnostica *febris ardentis* seu *causi* ex duobus hic caracteribus sumuntur, ex *calore* sc. *ingenti & siti clamosa*; reliqua verò symptomata simul hanc febrem vti alias comitari solent. *Febris quotidiana continua* per se manifesta est, dum sc. singulis diebus exacerbatio quædã obseruatur, alias ad genera alia continuarum febriũ signa confugiendum est; nam signa differunt secundum maiorem & minorem sanguinis perturbationem; quo enim particulæ dominantes sunt calidiores, acriores, biliosiores seu sulphureo salinæ, seu salino sulphureæ ad mentem *Vuillisij* seu ad *Anglorum* chylisiores *crudiores*, sanguinem perturbant, eo symptomata sunt maiora, & minora.

Febris tertianæ continuæ signa præter generalia continuarum periodicarum superius tradita, sunt exacerbationes, de tertio in tertium diem, id est, post alternorum dierum remissiones, recurrentes. In *quotidianis* verò *continuis*, contundens dolor ægrorum lumbos & dorsum artusque satis frequenterque quassat.

Febris *quartanæ continuæ* diagnosis est exacerbatio de quarto die in quartum diem recurrens, calor est obtusus, sed postea acrior factus, pulsus ab initio paruus & tarduus, dein magnus & celerior absque horrore, rigore aut frigore inualescit.

CAVSA.

§. 3. *Veteres Galenici* febrem ardentem seu *causum* diuidunt in *legitimam* & *notham*, in qua posteriore symptomata mitiora sunt. *Legitimam* dicunt oriri ab *humore bilioso*, intra maiora vasa cordi vicina putrescente; *Notham* verò fieri ex bile cum pituita permixta, vel pituita salsa in ijsdem vasis putrescentibus.

Quotidianam verò *continuam*, barbarè *Laticam* dictam, à pituitoso sanguine intra venas putrescente produci aiunt, & ideò singulis diebus suas habere exacerbationes vnanimiter statuunt & probant, per id quod hæc febris sæpè infantes & pueros corripiat, tum etiam senes alioſque, qui habitu corporis sunt obeso, ocio & crapulæ addicti, minus tamen frequentes esse has febres dicunt, quia pituita, vt illi aiunt, difficilius putrescit.

Tertianam continuam, quæ tertio quoque die magis affligit, à sanguine cacochy-

chymo bilioso in vena caua putrescente originē ducere aiūt. A liquā remore faciūt hepatis calida & sicca; intemperies, alimenta calida & sicca; ætas iuuenilis, media, aut victus tenuis & parcior, exercitiū nimis vehemens & frequens calida & sicca aeris constitutio, vigiliæ nimia &c.

Quartanam verò *continuam* rarissimè occurrere aiunt, & quarto die intendi, quam produci asserunt ex sanguine melancholico in venæ cauæ ramis putrescente, eamque omnia efficere posse, quæ hunc humorem melancholicum generare, eique putredinem inducere valent.

Assodem quam ad ardentem referunt, exoriri asserunt ex læsione ventriculi ab acri & bilioso humore eius orificium vel tunicas irritante.

Elodem verò in qua sudores perpetuò sunduntur, fieri ab ingenti humorum putredine, aut malignitate substantiam corporis dissoluente.

§. 4. *Paracelsus* qui lx. species febrium facit & ex vnico Ætnæ igne deducit, interim nullam sedem nominat. Has febres dicit esse affectus sulphuris & nitri, quod accenditur igne Ætneæ, alibi febrem terræ tremorem definit, & alibi dicit esse, *Mercurium & nitrum*, putans causam & remedium inesse definitioni.

§. 5. *Helmontius Archeum* accusat, qui à causa occasionali lacessitur, spiritum enim nec alios humores putrescere posse multis probat rationibus, causa occasionalis est instar spinæ, propter quam *Archeus* commouetur per suum *Blas* imò aliquando sine causa occasionali *Archeus* sponte luxuriat, & leuiculo errore intus species furoris sibi assumit; *spinæ* tamen nihil aliud sunt quam salia corrosiua acuta, ex indigestionibus producta, quorum ministerio facile accenditur *Archeus*.

§. 6. *Vuillisius synochum putridam* diuidit in *Symptomaticam & essentialem*. *Symptomatica* dicitur, quæ ab alio quodam affecta seu morbo in corpore prius producto originem habet, ita vt febris sit tantum symptoma isti alteri morbo superueniens, cuiusmodi habetur, quæ à pleuritide, angina & vulnere aut abscessu aliquo in parte principe aut eius vicina dependet, & secundum ipsum Authorem nulla febris putrida est merè symptomatica, nam Angina vel Pleuritis sunt febris producta, minimè verò eiusdem causæ. In huiusmodi affectibus aduertit sanguis aptitudinem quandam ad coagulandum, quia fit minus fluxilis, adeoque in vasis minoribus coagulari habilis: non secus ac in lacte cernitur cum acescere incipit, tunc enim sine coagulatione non coquitur. Pariter ac in massa sanguinea suspicatur diathesin quandam ad acescendum, cuius ratione coagulationi fit obnoxius, omnis enim extrauasatio & inde facta inflammatio in Pleuritide, Angina & Peripneumonia, non semper dependet à sanguinis exuperantia & vasorum plenitudine, sed & sæpè sanguis in motu sistitur & stagnat, vnde & dolor acutus inferri sol. Imò quandoque in ipso corde sanguis stagnat: quare sæpe pleuritici de insigni grauitate & velut pondere circa cordis regionem infixo (deleto) queruntur, cumque prælaudatus Author ex eiusmodi affectibus obeuntium cadauera aperuit, in cordis finibus & vasorum circum circa cauitatibus sanguinem in frustula & glomeros oblongos concreuisse obseruauit; in *synocho simplici* tantum subtilem & spirituosiorem sanguis portionem inflammari ait.

In *putridis* verò à frigoris susceptione, euacuatione cohibita, &c. sanguinem propter effluuia retenta (quæ instar fermenti se habent) mole augeri & in vasis solito plus turgescere, cumque ob ventilationis defectum circulatio suo spatio angustatur facilè qua data porta arterijs exilire & circulationis filo interrupto extrauasari, & in tumorem aggeri concludit; & quoniam ab eiusmodi tumore calor & dolor intenduntur, sanguis hinc in motu suo magis perturbatur, adeoque febris primò accensa plus aggrauatur.

Synochum putridam essentialem diuidit in *Putridam* dein in *Causum*, præterea in *quotidianam tertianam & quartanam*. *Causi* seu *febris ardentis* quæ maior æstu, ferè intolerabili aliisque symptomatibus, insigniorem sanguinis phlogosin, arguentibus periodum suam absoluit; Ratio formalis in hoc ad mentem Authoris consistit, quod temperies sanguinis in affectis sit calidior, hoc est sulphure concremabili magis abundat, ideò cum

effer-

efferuescit, maiori copia accenditur & deflagratione, caloris acerrimi effluuia per totius corporis habitum spargit, inde & eius motus est acutus & citò ad statum peruenit, symptomatibus etiam vehementioribus stipatur. Crisin habet difficilem, & euentum periculosæ aleæ plenum. Quod spectat periodos seu Paroxysmos quibus febris putrida statu tempore non nunquam exacerbari solet & velut intermittens diebus modo singulis, modo tertio aut quarto recurrat, *Author* dubitans de his suam proponit opinionem, & præsupponit, duo præcipua, quæ sanguinis efferuescentiam vt plurimum excitant; primum est in cruore partis sulphureæ exaltatio & accensio, secundum materiæ adustæ & deflagratione sanguinis residuæ ad turgescentiam congestio; à priore deducit febris continuitatem ab altera eius statum & perturbationes criticas deducit. His etiam tertium accidere refert, succi nimirum crudi ab alimentis recens congestis plenitudinem & turgescentiam, quæ statis temporum interuallis in febre continua maiorem efferuescentiam excitat.

In *Synocho putrida* valdè *acuta* sanguinem ferè totum citò inflammari & summè æstuare ait, quicquid tunc succi nutritij affunditur, & incendio absumitur, quare parum aut nihil eius in paroxysmi materiem in massa sanguinea continetur; pro maiore ergo vel minore adustione sãguinis & succi crudi illatione febris vehementior vel mitior oritur. In singulis paroxysmis præter succi nutritij de generis penum, aliquid è materia sanguinis adusta & cõcremata euaporare statuit. Quoad Paroxysmum, qui modò singulis, modò alternis recurrit diebus dependet ad mentem *Authoris*, quod sanguinis diserasia diuersimodè se habeat, hinc succi nutritij degeneris supplementum citius aut tardius ad turgescentiæ plenitudinem assurgit, & proinde afferuescentia sua, modo crebriores, modo rariores, hac in febre paroxysmos inducit.

§. 7. *Syluius* qui *Synochos* febres ratione causæ diuersæ distinguit in *biliosas* & *lymphaticas*, & sub lymphæ nomine non tantum comprehendit quæ à cõglobatis glandulis, & ab alijs quoque partibus ad cor pergit, verum succum insuper pancreaticum, ipsamque saliuam ex conglomeratis glandulis prodeuntes, liquoremque adeò ex intestinali Triumuiratu oriundum, omnesque vna cum lympha descendenti sanguini admistos, easque subdiuidit in *febres lymphaticas*, *glandulares*, *Pancreaticas* & *saliuales*. *Abile* ergo produci putat, maximè ardentes imprimis *Causum*, à *lympha* verò *glandulosa* febres capitis artuumque doloribus atrocioribus & lancinantibus copulatas vti à *succo pancreatico* quasuis cum ventris doloribus coniunctas, denique à *saliua*, eas quæ cum ventriculi & vicinarum partium anxietatibus & distentionibus molestæ sunt. Vbi ergò acrior obseruatur calor vti in Causo cum pulsu frequentiore & maiore vrina crassiore & benè tincta, siti intolerabili, lingua arida & fissa, quandoque nigra, ibi bilem acrimonia salina lixiuiosa sola, aut insuper inflammabilitate oleosa peccare contendit. Si verò febrilis efferuescentia coniunctum habeat calorem rodentem, tunc adscribit lymphæ conglobatarum glandularum omnium, aut plerarumque acriori & acidiori.

Differentias harum febrium à symptomatibus grauioribus etiam petendas esse ait, & ad numerum quaternarium reducit.

Sunt *Causus* de quo diximus, Leipyrias, febris *Brenner*, qui cum flamma, ardore & rubore oriuntur.

Febres deliras colliquantes, malignasque, sub nostra distinctione inferius suo ordine tractaturi sumus.

Primaria harum *febrium Synocharum*, quæ cum calore insigni & continuo ægris sunt molesta, causa existit bilis & acrimonia & inflammabilitate nimia peccans, vnde non solum in dextro cordis ventriculo ab ea vitiosa producitur efferuescentia, sed etiam in tenui intestino, ac præsertim accedente per interualla succo pancreatico propter sui stagnationem acriore facto atque paroxysmum obscurum excitante. Febrium verò earundem perpetuo frigore & horrore molestarum causam primariam ipsi esse *lympham* censet, & in primis *succum pancreaticum acrimonia astida peccantem*, & hunc præsertim ad noui paroxysmi productionem halitus aci-

acidiusculos ex intestino tenui quaquaversum propellentem, atque frigoris sensum vagum producentem.

§. 8. *Ex nostra opinione*, cum obstructio in parte aliqua publica talis oriatur, vt inde inflammatio producatur, febris sequitur, quæ erit continua, si semper manet, erit verò intermittens si inducias habet. *Generosi febris ardentis*, seu *Causi* causa quærenda in humore vitioso poros habente poris sãguinis planè contrarios, vt plurimum ex διαπνοῆ impedita, aeris vitio & generosi potus abusu producto, à quibus causis fores aperiuntur sali volatili oleoso, vt cum acido ob turbatam mixtionem manifestius se explicante, tãta cum lucta & motu congrediatur, & eiusmodi calorem cum siti vix tolerabili & exstinguibili, intensum producat, & sic spirituum animalium ἀταξίαν oboriri necesse est, qua suborta omnia regna *Regum nostrorum*, si non planè euertuntur & concremantur, ad minimum ad tempus ab hoste occupantur. *Febris* ergò *cõtinua intermittens* producitur vel quotidiana vel tertiana vel quartana, cum scilicet parte solida aliquis humor heterogeneus & salia sylvestria vel scoriæ nitrosulphureæ & minus symbolizantes ad massam sanguincam deferantur, quæ sua mora in tubulis partium tales acceperit poros, vt multum abludant à poris sanguinis. Hæ particulæ, vt diximus, sylvestres, quæ vel continentur in sero vel lympha, vel chylo, siue in succo pancreatico siue in saliua, siue in massa sanguinea, modo ita sunt comparatæ, vt turbationem in sanguine efficere valeant, vt massa sanguinea nonnisi admodum longo tempore possit restitui, & interim iterum humor peccans & particulis istis contrarijs imbutus ad sanguinem deferatur, necessariò *febris* oboriri debet *continua*. Vbi verò continuò humor aliquis peccans è latibulo ad sanguinem moueatur, & si peccans hic humor seu particulæ minus symbolizantes, quæ vt plurimum in chylo existunt, statis quibusdam temporibus in sanguinem deferuntur, vt interea sanguinis mixtura restituatur, *Intermittens febris* oritur. Sic *nos* hic non excludimus acidi resoluti & deprauati cum particulis alcaticis congressum.

Et quoad distinctionem hic notandum est, quod *tertiana continua* ferè semper cum horrore incipiat; *Quotidiana* non item, *quartana* post paroxysmum dolores vniuersales relinquere solet, & ita hæ febres in principio à se inuicem distingui solent.

Continuam quotidianam febrem accelerare possunt chylosæ ac crudæ particulæ, vt & massæ sanguineæ inexistentia, salia sylvestria & fermentales reliquiæ, potissimum iuxta vasa lactea & glandulas mesenterij hærentes, quæ sanguini communicatæ, facilè turbationem sanguinis efficere valent. *Pituita* verò non hic culpa est, cum plurimas febres continuas quotidianas obseruauerim, quæ à particulis biliosis & sulphureis prouenere, quod etiam ex symptomatibus ipsos comitantibus, facili marte deduci potest, quales & non paucæ quotidianæ intermittentes frequenter obueniunt, quæ tertianis succedere solent, quartanæ quoque intermittentis in tertianam subita mutatio, & vicissim tertianæ in quartanam, ijsdẽ vtrobique promanãtibus symptomatis arguere videtur, vtramque ab eodem humore posse generari. In febre *continua tertiana* sanguinis turbatio est maior ob plurium tubulorum obstructionem, & fermenti in ijs contenti actiuitatem, in quartana verò sanguinis turbatio minor est & mitior, à viscidioribus particulis producta.

Possunt etiam dari quintanæ, sextanæ, septanæ, octanæ, nonanæ &c. prout sanguinis turbatio minor vel maior est. Dolores capitis, vtplurimum hisce in febribus occurrentes, oriuntur à particulis crassioribus intra cerebrum & ipsius mẽbranas delatis, quæ acrimonia sua neruos vellicando dolorem inferunt. Reliqua symptomata febribus solemnia inferius explicaturi sumus.

PROGNOSIS.

§. 9. *Signa Prognostica* ostendunt nobis febres ardentes omnes satis esse periculosas, quia continua est & acuta febris, *inde conteste* 173. Febres ardẽtes die XIV. aut liberando aut perimendo decernunt; pulsus debilis dubij euentus est prænuncium, quò maior enim in naturali statu recessus eò periculosior est.

Autumnales continuæ magis periculo-

sæ

sæ sunt quam vernales, in illi enim post declinationem semper purgandum ob recidiuæ metum, in his verò abstinendum, quia æther hic, quòd in reliquis medicina, facit. Senibus hic affectus plerumq; lethalis existit ad mentem *Galeni comm. ad aphor.* 14. s. i. Vrina turbida nullam habens ἔκκρισιν magnam sãguinis turbationem & confusionem denotat, quo etiã vrina est rubicundior & tenuior eò peior.

Cum febris quotidiana contiua, lenta ac larga sit, haud absque periculo, est, quia sæpe *Hecticam* minatur.

Et febris *quartana cõtinua* est rarissima, satis tamen periculosa, viresque valdè deijcit, & tandem ob diurnitatem *Hydropem* inducit.

CVRA DIÆTETICA.

§. 10. In acutissimis, quæ 14. diebus iudicatur tenuissimo victu vtendum; ratio, quia habet statim extremos labores & cum omnes febricitantes habeant intus latitantes causas morbificas quæ sanguini & spiritibus animalibus vim inferunt. Cibus etiam, etsi sua natura conseruare solet, causas tamen subtiles non tollit, iuxta illud, tritum, corpora impura, quo nutries, eò magis ledes *Hipp. 2. aphor.* 10. Malè ergo sanitati consulunt illi, dum ægris, cibis ingerendis inseruire, gestiunt, cum illos potiùs in perniciem præcipitent, & siue Medicus quidpiam aut imperarit, aut prohibuerit ex arbitrio tamen faciunt quicquid lubet, iuxta *commune dictum: Viuunt vt volunt, curantur vt iubent, & moriuntur vt debent.*

Vétriculus enim ob spirituum animalium penuriam & ἀταξίαν in febricitantibus est debilis & languidus, idcirco etiam cibum non benè amplectitur, etiam ob fermenti corruptionem benè digerit, & sic potiùs febrili causæ fomentum præbet, hinc *Hippocr. 7. aphor. 65.* Si quis cibum febricitant dederit vt sano robur, sic laboranti morbus. In febris accessione ergo & hic ab omni cibo abstinendum esse censemus *Hipp l. 3. de victus ratione* inquit: Si *Febris* ex plenitudine detinet, nihil præter aquam offerendum per 111. dies, siquidem intra tertiam cessarit. Si non ptisanæ succo vtendum, & vel quarto vel septimo die abibit, si sudauerit. Abstineant ergò à carnibus febricitantes, sed iusculis tenuia refrigerantibus condita assumãt, potus esto cereuisita tenuis, quam hisce in locis Languell. vocamus, vel hordei aquam vel lactis serum, Tamarind. acetos. coctor. vel decoct. c. cerui eũ radicibus acetos. semper potui ordinario instillentur aliquot guttæ spir. salis dulcif. vel salis nitri; iusapia conueniunt addito spiritu nitri dulcificato: pro re nata cõcedi potest vinum acidulis vel aqua multa dilutum.

Aer frigidior, si non natura haberi potest arte paretur, pro inspiratione eligendus est, ne tamen is officiat diaphoresi ac corporis poros occludat, corpus leuibus stragulis muniendum. Omninò aer æstuosus aut calidus culpatur sic & malè audit aer nocturnus. Somno moderatè indulgeatur inprimis in hisce febribus cõtinuis. Aluus sit libera, animus etiam tranquillus, vitanda enim sunt omnia animi pathemata, præsertim mœstitia & ira, atque ad omnes res non naturales reflectendum est; Impendenda enim opera est, ne ea quæ secundum naturam expelli debent, retineantur, nisi adsit immodica euacuatio, quæ vires absumit, quæ impedienda, omnesq; vehementes perturbationes eliminandæ.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 11. *Veteres Galenici* in cura febrium statim & quidem in initio febris ad venæ sectionem tanquam ad sacram Anchoram confugiunt, quia non solum vti aiunt, plenitudinem siue ad vasa, siue ad vires, éducit, sed & corpus totum refrigerat & perspirabile reddit, putredinemque arcet. *Veteres* ad animi deliquium mittere solebant, sed prudentiores ex eiusmodi secta partitis vicibus sanguinem è vena emittendum esse censent; præmittunt sæpè enemata. Monent quoq; *Galenici*, tam sæpius sanguinem esse extrahendũ donec impurior & corruptior appareat; loco venæ sect. frequentius cucurbitulas cum scarificatione adhibent, quia sunt vicariæ venæ sectioni, quando vires ægrotantium deficiunt, vt in febribus syncopalibus; aut ætas illius vsum non permittunt.

Ipsorum pharmaceutica remedia sunt *Vacuantia* vel *Alterantia*; sub vacuantibus comprehendunt vel vomitoria, vel sudorifera & diuretica. Sub alterantibus autem

autem refrigerantia incidentia, aperentia & confortantia. Quoad purgantia, illa non nisi materia turgeat, ab initio exhibenda esse, contendunt, nisi in primis vijs materia multa lateat, quæ tunc febrem auget, & naturam prauat, quod facili marte dignosci potest ex nausea, oris amaritudine, siti, cardialgia, alui fluxu alijsque symptomatis, quorum ratione nonnunquam purgationem venæ sectioni præmittere solent, sed debent esse leuiora & mitiora, vt Cassia, Mannæ, Tamarind. lactis serum tamarindinatum, diaprunum, syr. ros. sal. simpl. & comp. ex quibus varijs modis concinant formulas, quas videsis apud Practicos veteres.

Et cum natura per superiora materiam morbificam expellere tentet, quod à nausea & vomitu vrgente, Medicus hariolari potest, tunc etiam vomitoria suadent, cum accidisse aiunt, vt sæpè materia per vomitum reiecta, febris ab initio iuguletur, quæ alioquin longè futura esset. Sed mitiora tantum propinanda esse, præcipiunt. Ex. gr. aqua hordei tepid. cum ol. amygd. dulc. vel commun. decoct. sem. aneth. raphan. quæ ad lib. j. exiberi possunt, nam in minore quantitate assumpta in stomacho manent.

In toto morbi decursu clysteres injiciendos esse & quidem singulis diebus si aluus liberè non fluat, qui componi possunt ex varijs emollientibus, & refrigerantibus.

Post venæ sectionem & primarum viarum euacuationem ad ea medicamenta confugiunt, quæ humores crudos præparant ad coctionem & euacuationem, quæ & simul calorem mitigant, putredinem arcent & obstructiones aperiunt, qualia sunt Iulapia, Iuscula herbis refrigerantibus condita, Emulsiones, &c.

In bile valdè acri & tenui acida commendant, Iulapijs instillata in progressu febris, apparente concurrente concoctione, decoctis addunt rad. asparag. liquirit. fol. agrimon. pimpinell.

In febribus verò diuturnis à contumacioribus obstructionibus obortis, commendant decoct. chamædrios vel cichorij, vel chamomill.

Veteres etiam aqua frigidam largiter in febri putridis continuis, priponant; à qua tamen sapientiores abstinere iubent. Concedunt tamen in magno æstu febrili aquæ frigidæ bonum haustum ad lib. j. cum guttis aliquot spir. vitr. Ad vires resarciendas ipsi commendant varia corroborantia & quidem frigida, quibus addunt pulu. margarit. corn. c. diamargar. frigid. Diatrion santal. Diarrhod. Abbatis. conf. alkermes d. hyacintho, non libet tamen formulas ob operis angustiam hic aponere, sed lectorem ad practicorum volumina remitto. In turgescentia materiæ & declinatione morbi ad paulò fortiora purgantia se conferunt & rhabarbarum, agaricum vel Mechoacannam exhibent, & si febris protrahatur, interiectis præparantibus, iterum purgationem suadent, vsque tota illius minera ablata fuerit.

Post purgationem si natura ad vias vrinarias materiam peccantem mittere solet, adiuuant diureticis, in quem finem emulsiones præscribunt radicesque fœniculi cum petroselini iusculis incoquendas consuluunt: Si verò vident naturam ad habitum corporis materiæ morbificæ reliquias propellere, sudorifera temperata propinat, vt aquam card. bened. fumar. &c. ad febrilem calorem contemperandum partium principium robur corroborandum, poros cutis relaxandos esse aiunt, & fuliginem caloremque febrilem foras attrahendum, in quem finem extrinsecus varia remedia applicanda esse sibi persuadent, *Epithemata*, varia linimenta aliaque balsama cordi, hepati alijsque partibus applicant, quæ tamen nonnisi in statu aut declinatione adhibenda volunt, dum calor ad exteriora se diffundit, & non ab initio morbi nec in augmento dum calor ad exteriora se diffundit, cum ab initio morbi nec in augmento multo minus instante crisi. Testibus, manibus, ac pedibus varia refrigerantia in æstu adhibent.

§. 12. *Paracelsistæ* commendant in principio harum febrium vomitorium ex antimonio, dein exibent laudanum opiatum *Parac.* ad gr. ij. l. 11. in ∇. absinthij, laudant & spiritum rectific. ad gr. v. vel vi. in aq. cichorei & plura alia, quæ inferius patebunt.

§. 13. *Helmontius* qui multis rationibus cum *Antesignano suo Paracelso* assurgit

git contra *Galenicos* quoad venæ sectionem quam nec hisce in febribus celebrandam esse contendunt, gloriatur enim *Helmontius* se febres curasse absque venæ sectione concessoque vino, imò nimis durè loquitur, quod is qui febrim intra quatriduum non curauerit, Medici nomine indignus sit, & hoc est remedium sudoriferum nempe Mercurius diaphoreticus, qui incidit, resoluit ac abradit causam occasionalem vbicunque ea extiterit & hoc citra sudorem nonnunquam illud peragit, remedia autem reliqua solent esse ceu superius diximus ex cephalicis maiorana & rorismarino, quæ non sunt athalia, sed volatilia crasin simplicium continentia, hæc sunt diuretica temperata quę porrigi debent ventriculo vacuo ante paroxysmum intermittentium & quouis tempore continuarum. *Helmontius* enim in cura febrium non solum causam occasionalem attendit, sed & dignitatem & perturbationem *Archèi*, qua sedata cessat mox febris & quæ materialiter peccat, haud difficulter domantur, cessante confusione Archei ad appulsum arcani, reliquum naturæ humeris committit, ex quo natura seruatrix, morborum mediatrix. Auctor quoq; noster pro humectatione cereuisiam vino tinctam cum mica panis exhibet, cordialia verò ex cocco, perlis auro concinnata contemnit, eò quòd nec aurum nec gemmæ intus reficiant, quoniam non symbolyzant cum nostris spiritibus. Curandi autem febres ipsius Helmontij vnica intentio est per sudorem. *Archèus* enim se ipsum propria thymosi accendit calidumque sudorem producit, & sic Medico indigitat, per quam viam febrilis calor expelli debet, nempe per diaphoretica.

§. 14. *Vvillisius* in febrium *putridarum* therapeia IV. habet intentiones curatiuas generales, quibus totius negotij cardo vertitur. 1. vt sanguis ab incendio vendicetur & prorsus supprimatur flammatione sulphuris accensa. 2. vt sanguis accensus mitius & cum minori periculo deflagrationem suam perficiat. 3. vt deflagratione finita liquor iterum ad pristinam consistentiam restituatur. 4. vt symptomatibus vrgentibus tempestiuè obuiam eatur.

Circa primam huius morbi inuasionem in eo totius rei cardo vertitur, vt febris supprimatur & sulphuris efferuecti inflammatio inhibeatur, in quem finem venæ sectionem suadet, hoc enim modo sanguis euentilatur, & particulæ nimis agglomeratæ dissipantur, veluti cum fœnum exardescere aptum, aperto aeri expositum ab eius accensione arcetur & liberatur. *Author* etiam monet, vt saburra ex primis vijs eliminetur, huicque vsui enemata commendat, quandoque etiam cathartica & vomitoria leniora, quibus sepè tempestiuè & cum iudicio adhibitis, febris ab initio iugulatur, si verò hisce non iuuãtibus malum vlterius serpat annitendum tantùm eò, vt deflagratio residuæ sulphureæ materiæ absque magno tumultu fiat. Cum verò 2. iuxta mentem Authoris acuta febris in augmento fuerit & cruor nimis efferuescat cum pulsu forti & vehementi vasa plurimùm distendente, itidem vigilijs, delirio aut cephalagia vrgeat, venæ sectio repetatur & transpiratio libera seruetur, enemata & hoc in casu tutò adhibentur: pharmaca verò cathartica, seu diaphoretica sanguinem scilic. nimis commouentia potiùs vitentur & ad opiata & anodyna confugiatur, quæ sanguinem & spiritus figunt, eius in finem Author laudat Iulapia ac decocta, quæ viscera æstuantia refrigerant.

Cruorem attemperantia spirituſque, resocillantia crebro exhibenda autumat ipse. Aquæ verò ardentes, spirituosæ, puluercs cardiaci & bezoardici (quamdiu febris malignitate caret) angue & cane peius vitentur. Si febris in statu est, accuratè naturæ motus hoc est crisis attendatur, interim nihil à Medico tentandum, venæ sectio & purgatio prohibenda, postquam autem à sanguinis deflagratione aliquando febrile remittitur incendium & signa coctionis in vrina appareant & tamen segnior aliquatenus est naturæ motus, tunc ipsum per diaphoretica aut lenem purgationem procurandum esse iudicat: Sin verò omnia adhuc sunt cruda, vrina adhuc & turbida absque sedimento, vires sunt fractæ absque periculo vitæ euacuatio vel per sudorem vel per aluum haud tentatur. Sed hoc in

casu temperatis cardiacis vires refocillandæ & immodica sanguinis efferuescentia inhibeatur & debita eius fermentatio sustentetur, quod reuera à Corallis, margaritis, & eiusmodi pulueribus optimè perficitur.

Quoad symptomata quorum & quidem vrgentiorum remedijs idoneis & appropriatis Author maximè rationem habet, sic lectorem benevolum ad Authoris Tractatum de febribus & ad aliorum Practicorum volumina præsertim verò ad *Fonsonis Syntagma Practicum* remitto.

§. 15. *Sylvius* in his febribus putridis venæ sectionem ab initio conducere asserit, tunc in primis quando ardor est fumus; sed quando acidi quouis modo molesti occurrant signa, sudoritera commendat & quidem aromatica blandiora & salia volatilia & quando bilis turget vrgetur copiosa, purgationem per aluum vel vomitum suadet summoperè conuenienti tempore vsurpanda ea quæ obstructionem in vno pluribusque pancreatis ductibus existentem blande soluat ipsumque succum hactenus acriorem corrigunt, quorum formulæ hinc inde extant.

§. 16. *Nos* verò hisce in febribus putridis ab initio, primo nimirum & secundo die si quid mouendum vides, moue, purga, seca: Sed cum ab initio cum malignis in signis vt plurimum conueniant cautè tamen agendum, ne famæ tuæ notam inuras, alias inter purgantia talia excellunt infusa laxatiua etiam Emetica ab initio autò exhibere potes, quæ exhibita sæpè grauiora auertunt symptomata; tutius verò in delicatulis res clysteribus ex febrifugis & emollientibus paratis, peragi potest præcipuè in morbi principio; In senibus verò & instante Crisi itidem declinante morbo minus tuti sunt.

Cum ergo Medicus in morbi principio adueniat & vires constent, primò vena secanda est ceu dixi mus, postea leniter purgandum, tum statim sudoriferum aliquod potens exhibendum & sic vix vnquam Medicus scopo suo aberrabit.

Si febri acrimonia coniuncta est, tamen cutò venam secare licet, modo vires constent & à venæ sectione detur sudorifera rum, si verò vires à venæ sectione prostratæ fuerint, cardiacum medicamentum dandum est, & tum per 11. aut 111. horas sudores sunt prolicienti. Qui statim ad *Cardiaca* confugiunt, ægrum in summum vitæ periculum præcipitant. Ad primarum viarum saburram eliminandam, quod ex nausea & vomitu hariolari possumus, sequens conducet Infusum.

℞. *Fol. sen. ff.* ℥ij.
Sem. fœnic. silveris mont. ana ℥ß.
Cereuis. tenuis non vetust. ℔iv.
stent per noctem mane col. & d. vel
Infusum ex rhabarb. ℥iiß.
cum aquæ cusor. & taraxil. q. suff.

Vel:

℞. *Claret. Tamararind. Mynf.* ℥iij.
pro dosi.

Vel:

℞. *Rad. apij.* ℥j.
Tamarind. ℥iß.
coq. ex aq. fontanæ pur. q. suff. add.
sub finem sol. sen. ℥ß.
Sem. siler. ℥j.
Coq. iucol. ℥xx.
dissolue syr. d. cich. c. rhab. ℥ij. *M.*
de qua potione ℥ij. *ad* ℥iv.

pro vna vice febricitanti propinand. aliàs extr. diacarthami vel diacitri etiam pro ægri natura tuto dare possumus. Ab initio etiam tutius exhiberi potest vomitorium ex antimonio, syr. emetic. ad ℥vi. vitriol. alb. ad ℥ß. vel tartar. emetic. ad gr. 2. vel 3. croci metallor. absinthiaci gr. ij. horum & plurium formulas vide sis apud Authores practicos. Ex alterantium censu sunt spiritus omnes acidi minerales. Sudorifera sunt tutiora medicamenta, inter quæ excellit Tinctura bezoartica D. Mich. Lipsienſ. mixtur. de tribus, spiritus corn. cerui, fuliginis omniaque volatilia. Sed Medicus cautus sit, ne pro causo curet febrem malignam; ab initio igitur confortantia mitiora exhibere possumus vti in febribus solemus; febris enim maligna in principio sæpe speciem causi præfert. Animaduertendum ergo est, si febres malignæ sunt, communiter illæ grassantur, quod tunc semper suspicio de malignitate habenda sit, præ primis quando febricitans de cordis anxietate, virium iactura aliisque grauioribus accidentibus

con-

conqueritur, ex vrinis verò de malignitatis notis nullum signum certum hauriendum, nec etiam ex pulsu; signa ergo coniunctum considerandaq; sunt.

Sudoriferorum formulas aliquot in gratiam Iuniorum hic apponam.

℞. *Mag. corn. cerv. spin. viperarum* ad ℈j.
Bezoard. solar. ℈ß.
M. diuid. in ıı. *partes æq. pro duabus dosibus.*

℞. *Corn. cerv. S. △. antim. diaph.* à ℈j.
Sal. viper. viol. gr. vj.
diuid. ıı. *part. æquales pro duabus dos.*

In causo maximè prosunt pulueres diaphor. tici non nimis calidi ex Antimonio diaphor. bezoard. miner. solari, lunari, Iouiali, margarit. præp. lap. ♋. sal. prunell. tartar. Vitriol. addito tantillo camphor.

Specificè in causo ex alterantium numero & conueniunt, Serum lactis △ seri lactis destill. Nitrum tabul. tinctura corroborans cardomomisat. tinctura bellidis, violar. rosarum; de quibus potui ordinario semper aliquot guttul. sunt instillandæ, vt obstructiones & inflationes tollantur & arceantur. Ad confortationem pororum, & tubulorum conueniunt medicamenta alterantia simul vim cordialem habentia, V. gr. Aq. confortat. vsitat. conf. de hyacintho sal. perlat. corallisat. &c.

Hoc in casu & externè alterantia modo Hepati, modo dorso applicanda, vt sunt vng. refrig. Gal. rosac. Mesul.

In *febre quotidiana continua* loco digestiui palmam alijs præripit Fœcula rad. ari pulu. stomach. D. Bitchm. Ex purgantibus pil. Panchymagog & Phlegmagog.

Ad obstructiones tollendas, salia syluestria corrigenda & eliminanda conueniunt sal febr. Minsicht. flor. * tinctur. mea febrifuga quæ ex seq. compos. est:

℞. *Extr. theriacal. absinth. centaur. min. gentiana ana* ℈j.
Cort. chyn. de chyn. ℈ß.
quibus affund. spir. * *vol. q. s. docet a gutt.* xx. *ad* xl.

Vel. ℞. *Elix. febril.* ℈ß.
dos ad gutt. xl.

Vel: ℞. *Tartari vitriolati* ℈ij.
Sal. absint. cent. sol. min. ana ℈j.
diu. in ıv. *partes æquales.*

Essent. & absinth. Elix. febril. quatenus resistunt Cachexiæ singulis diebus vsurpanda est; prodest hinc inde Virum absinthium chamædritum &c. vel Ess. absinth. potui ordinario instillata. Similiter modo possunt etiam ♎ vitr. veneris, salis dulcif. spir. aper. Penot. cereuisiæ guttatim ad gratam aciditat. admisceri.

Si syncope adsit, detur tinct. corall. cum aq. ex. cord. cerui Myns. confortatiu. &c.

In *Tertiana continua* alterantibus semper aliquid acetosi addendum V. gr. spiritus supra enumerati, vt penetrent ac sitim sistant. Hic verò notandum, spiritum nitri cum spiritu salis non maritandum esse, quia fermentationem excitant; conuenit etiam arcanum duplicatum Mynsicht. Hoc in febre singulare experimentum habeo quod parare soleo ex Iou. Camphora in hoc casu etiam magnum præstat vsum.

℞. *Specif. stomach. Poterij* ℈j.
Corn. c. sine △ par. ebor. præpar. ana ℈ß.
Camphor. gr. ij.
diuid. in duas partes æquales. ℈. *ad duas vices.*

Diuretica & hic pro sunt.

Tinctura flor. hyperici, cyani, calcatrippæ ad ℈j.
Spir. salis comp. detur ad l. *gutt.*
Sumatur bezoard. min. ℈ß.
▽ *Card. bened.* ℥ij.
Sisl. tard. ben. ℥ij. M.

Si vires prostratæ sunt.

℞. *Aq. confort.* ℥ißß.
Croci, camphoræ, a gr. iij.
♎ *Sal. dulcific. gutt.* vj.
Syr. acetos citri ℥ij. M.
pro dosi vnica.

In *quartana continua* à venæ sectione potius abstinendum iudicamus. Et censu *purgantium* præ alijs conueniunt extract. melanagog Pilul. Tartareæ Quere. d. ammoniaco, eiusd. effund. de fumar. Oxymell. ellebor. porg. v. ex *Sudoriferis* eligenda sunt, Fumaria, card. bened. lign. guaiac. sassafr. ex eijsdem essent. Aqua seu spiritus item sp. * eiusdemque flores. nec minus conueniunt Mattiolo & ex his

Pulu. cachect. Q. Tinctura mea febrifuga. Sunt formulæ.

℞. *Pulu. cachect.* ℥.iij.
confect. alkerm. ℥j. M.
℞. *Arcan. tartaris. terræ foliat.* ℥j.
dos gutt. xxx. vel xl.

Symptomatum quoque febres has comitantium habenda est ratio, qualia sunt Alui fluxus, vigiliæ, sitis aliaque spiritibus animalibus infesta, quæ tamen inferius tractabuntur.

Euenit sæpe vt febre extincta, vires nihilominus attritæ sint & extrema maneat debilitas ceu supertus diximus, quo in casu optimè *Sydenham*, adolescentuli viuum vegetumque caloremque commendat, quem Febricitantis abdomini applicare suadet, propriaque experientia confirmat, multum ægrotantes hoc remedio corroborari, naturamque debilem iuuari, vt semel à materiæ secernendæ reliquijs exonerat: ratione hoc persuasus, quod calor hic humano generi congener sit. Reliqua paregorica ex prædictis & adhuc dicendis facile colligere erit.

Vires conseruentur internis, in primis sequentes mixturæ.

℞. *Aq. perlarum* ℥ſitat. &c.
Alijsque pulueribus cordial. temperatis.

CAPVT IV.

De febre hectica lenta, colliquatiua & lymphatica seu catharrali.

§. 1. FEbres has, quia ferè ab vno fonte deriuantur, vno hoc capite simul pertractare animus est, non libet enim admittere subtiles *scolasticorum* distinctiones, quas Medicus in praxi vix vnquam attendere valet

Febris hectica dicitur *Paracelso* vt Synonyma Targam, *aridura*: quæ describitur vulgò quod sit continens affectus, ortus à fermentatione sanguinis deprauata, cum pulsu celeri paruo acrique calore præsertim post pastum, nec non manifesta corporis consumptione præternaturali. Febris hectica, quæ est habitualis, dicitur febris, estque plerumque continua, sed quæ suas tamen exacerbationes patitur ordinariò post pastum inualescentes, cum calore non vsque adeò magno, sed valdè acri, aliquando cum; sæpius verò sine præuio horrore, quibus totum corpus valde emaciatur & contabescit.

Tres febris huius à Medicis ponuntur *gradus*. In *primo* alteratio cum consumptione & extenuatio adeò mitis est, vt vix ac ne vix à Medico vel etiam ægro animaduertatur, sicque sæpè interea perit tempus hanc febrem curandi aptissimum.

In *secundo gradu* magis euidens est corporis extenuatio, cum calore intensiore, præsertim post assumptum vna vel altera hora elapsa cibum, quo calor tunc quoque se manifestat in malis & volis manuũ.

In *terio gradu* corpus ita extenuatur, vt facies Hipprocratica appareat, & ossa pellibus tantum tegantur cum vrina oleaginosa, sudoribus colliquatiuis nocturnis, calore continuo & vti vocatur habituali, qui gradus vulgò appellatur vel *Hectica Marasmodes* seu *Tabes*, estque vel nullius vel difficillimæ curationis.

Ad febris continuæ species & vulgò refertur *Febris Colliquatiua* vulgò ita dicta, in qua corpus valdè extenuatur & emaciatur, sic vt breui nil nisi cutis & ossa videantur. Sic etiam *Febris Sudataria* ex illorum censu, est quia corpus continuò & nimium sudat, adeo vt præ sudore & debilitatur corpus & exsiccatur spicæ aridæ modo. Diuiditur etiam febris Hectica vulgò in *Hecticam primariam*, quæ à principio inuadit, & *secundariam*, quæ alijs febribus succedit, deinde in *Solitariam & Simplicem*, vel cum *febre putrida & complicata*. Sic & ratione loci, subiecti, causæ differunt cum alia ex huius vel illius visceris aut partis consumptione, corruptione, inflammatione & morbo ortum traxerit.

PARS AFFECTA.

§. 2. *Prisca sapientia* vult febrium harum subiectuum esse partes solidas; Alij pro primo & adæquato subiecto cor habẽt vel potius solidas cordis partes, quæ partes plus æquo irritatæ & exsiccatæ sint, quo minus, vt aiunt, cor benè sanguificet, & per consequens corpus nostrum non benè nutriatur; Eatenus solidæ partes dicuntur huius febris subiectum esse, quatenus consumptio & emaciatio in illis solidis & maximè carnosis partibus euidenter apparet

cum

cum tamen non minus indisposítio sanguineæ massæ inhæreat, in qua latex serosus deperditur, quod à pluribus infra dicendis causis fieri potest, vnde sanguis acquirit intemperiem acrem & fermentatiuam; inde & febris hectica ortum suum trahit, igitur & in massa sanguinea & lympha latere causam huius affectus nulli dubitamus. *Helmontius* Hecticæ sedem collocat, vti plurium aliorum morborum, in stomacho.

DIAGNOSIS.

§. 3. *Signa* præcipuè in præcedentibus expressa sunt. Frequentiora sunt, pulsus frequens & celer indiesque minor, somnolentia adest peruigil, caput & vniuersum corpus dolet, & febre lenta exacerbatur, valde ardet, ægri sunt torpidi, sticuloſi aliquando cum tussicula sicca, mœrentes, tristes, sæpius morosi, vrina ferè naturalis, sed temporis progressu videtur oleum supernatare, quod non est ipsa solidarum partium pinguedo, vti plures existimant, sed sunt particulæ pingues oleosæ, massæ sanguineæ inexistentes, facilè cum sero & lympha fermentatione & potissimum lege circulationis ad vasa vrinæ diarea transientes; circa appetitum & somnum ægri se mediocriter habent, tussi humida & sputo copioso carent, indiesque emarcescunt, & post pastum febricitant cum genarum rubedine. Hectica laborantes etiam infestat, sudor præsertim nocturnus molestissimus, viresque insigniter prosternens, quia colliquatiuus est, insequitur corporis totius absumptio, & facies Hippocratica.

Pathognomica autem signa sunt sequentia tria, 1. quod sit continens ac per consequens continenter cordi aliquid molestiarum creet, 2. quod corpus & præcipuè partes solidæ consumantur, 3. quod post pastum vna vel altera elapsa hora calor febrilis increscat & exacerbationem habeat. Dolor capitis & ardor producitur ab obstructione, & quia à nimio calore febris etiam sanguis acrior fit, vel quia post malè curatas febres sæpè inflammatio oritur in parte fortassè ignobiliori, quæ inflammatio, cum suppuratur & sanguineæ permiscetur massæ, eam facit acriorem. Prostratæ & attritæ vires sæpe adsunt post nondum perfectè curatas febres aut per medicamenta frigida malè curatas; post cibum sumptum febris ingraueſcit, quia chylus tunc sanguini permiscetur, qui aliam adducit materiam primi elementi, quàm per poros sanguinis purulenti fertur.

CAVSÆ.

§. 4. Cum iam in præcedentibus breuiter de signis egerimus, sequitur vt etiam *causas* harum febrium examinemus, quas tunc (vt ordinem obseruemus) priusque vlterius progrediamur ex mente *Galenicorum* proponimus; hi verò causas in proximas & immediatas, vel remotas & mediatas distinguunt.

Ad externas causas referunt quecunque & alias febres excitare apta nata sunt; talia sũt calor solis aut ignis, motus nimius & vehemens, vigiliæ nimiæ, mœrores aliaque animi pathemata vehementiora, excretiones quoque excessiuæ, vt in alui fluxu, dissenteria, cholera, hæmoptysi &c. ac denique inedia in corpore iam sicco, vel cibi potusque acriores, calidi ac putridi, aliaque plura, quæ humidum radicale, vti aiunt, absumunt, & depopulant.

Internæ & proximæ causæ sunt viscerum inflammationes, febres ardentes, pestilentes, diuturnæ, vlcera viscerum tum nobiliorum tum ignobiliorum ex lue venerea, & ex scorbuto, quæ omnia febrem lentam ac hecticam producere valent. Sic *Galenus* ex inflammatione septi transuersi se Hecticam vidisse narrat, nec minus Practici hodierni iecoris corruptioni adscribunt causam Hecticæ, siniem enim in hepate quandam gigni asserunt, qua illius substantia corrumpitur, ex cuius corruptione vel vapores vel saniem ipsam lege circulationis sanguinis cordi communit, illudque calefacere affirmant.

Lentæ febris vitium plerumque solis obstructionibus in hoc vel illo visceribus natis, adscribunt, cuius culpa nec chylus nec ritè transire, nec humores separari & excerni possunt.

§. 5. *Hermetici* dicunt febrem hanc febrem esse Lunætrian ex accensis spiritibus sulphureis in corde ortam, quæ dicitur sanari, ab eorum Magistro, intra lunæ cursum.

§. 6. *Helmontius* in Hectica quasi diaria continua, a uocari spiritus à munijs digestionibus, fierique aliqualem corruptionem semidigesti contendit. Tabem quoque suum habere ortum ex obstructione & corruptione roboris innati, & ex muco mordace haud dubitat, quam & ex vita sedentaria obseruauit.

§. 7. *Vuillisius* fundat febrem lentam hanc non in obstructionibus hepatis, lienis aut mesenterij, quorum culpa alimentum non benè coquitur aut dispensatur, sed potius in mala sanguinis diatesi, quæ in temperiem nimis salsam & acrem vergit, ideoque nutritioni & æquali circulationi minus apta redditur; Sanguinem enim statuit in corde non secus ac oleum in lampade, si particulis nimijs salinis abundet, non placidè & æqualiter, sed cum crepitu & magna partium euaporatione accendi, quo quidem citius disperditur & flammam non nisi languidam & imbecilem exhibet. Prælaudatus noster Author quendam tali morbo defectum exenterauit, in quo viscera coctioni dicata, optimè constituta inuenit, exceptis pulmonibus qui erant exsucci & aridi, nec non materia fabulosa instar cretæ per totum obsiti; sic & non raro hoc in morbo mesenterium glandulis tali materia argillacea repletum obsidetur; vtrum verò sanguis salsus factus ex eiusmodi viscerum obstructionibus nihilque nisi aquosiorem Chyli partem transire permittentibus? an verò viscera ex transitu sanguinis salsuginosi lædantur & corrumpantur? dubitat; ipsi tamen probabile videtur quod alterutra affectio ab altera dependeat, & vtriusque mali causæ reciprocæ fuerint. Si ergo affectus hic ab vlcere aut abscessu in quibuscunque sit partibus concitato, febris necessariò comes esse debet, inde & febrem assiduam deducit & succi alibilis deprauationem.

§. 8. *Syluius* obseruauit sæpè *febres hecticas* productas immediatè à nimio corporis exercitio, laboreque continuato, illam & posse produci ab ira vehementissima, præsertim à tristitia & animi mœrore (qualem casum D. *Schadus* in Prætoris Zolij Borckensis vxore aliquot ante annos Hectica, & quidem secundo gradu ex solo mœrore propter obitum mariti vidit) immoderato nullus dubitat, interdum etiam ex vigilijs multum protractis, subinde ab inedia diuturniore & alimentis parui prauique succi firmis cõcludit Author rationibus & culpat saliuam. Eam quoque alios affectus, vt febres diarias, continuas intermittentesque contumaciores, frequentissimè viscerum plerorúque maxime vero pulmonum inflammationes hasque subsequentia apostemata & vlcera consequi testatur; Glandularum verò conglomeratarum liquorem & potissimum succum pancreaticum visciditate aucta non item acrimonia acida vel austeritate molesta peccare iudicat, & simul lympham obtusiorem reddi, concludit.

Causam contabescentiæ in Hectica febre existimat viscositatem nimiam omnium humorum ipsiusque adeò sanguinis propter quam partium nutritio sensim ac sensim imminuitur.

Exacerbationis verò post pastum *causam* ex saliua nimis glutinosa, propter quam fluidior Chylus citius ad intestina descendens ac bili occurrens in halitus similes ex parte saltem diuicta, & ad cor deducta, ibidemque amplius rarefacta, deducit. Ex rarefactione hac pulsus solito celerior producitur mox & quaqua versum propulsus in facie ruborem leuem, ac in cute calorem blandum, qui alibi tamen alia symptomata pro reliquorum & partium constitutione diuersa, excitat.

Quando autem Hectica à nimio corporis motu non tantum hoc in casu spiritus animales, sed & serum sanguinis exhauriri arbitratur, atque idcirco omnes humores acriores fieri, contendit.

Quoties verò à mœrore diutius protracto orta est hectica, tunc adscribit causam succo pancreatico austeriori humores reliquos glutinosiores reddenti.

Hecticæ à vigilijs nimis contractæ, causam ponit in spiritus animales nimis attritos, eorundemque vnionem arctiorem, vt & acrimoniam & tenacitatem humorum, &c.

Quoties ab inedia diuturniore hectica aliquis laborat, toties alimentorum vtrumque acre demulcentium defectu, acrimoniam vtriusque intendi, atque porro vnione intimiue facta humores viscosiores generari autumat.

Quo-

Quoties diariæ succedit, toties errores circa diætam commissos esse censet.

Quoties Synochas sequitur, toties vbi à bile vitiosa istæ traxerint originem, partim acrimonia ipsius partim medicamentis eandem alterantibus, sed diutius & copiosius vsurpatis, adeoque humores reliquos simul corrumpentibus & inspissantibus attribuit.

Quoties febres intermittentes in hecticam terminantur, toties humores tunc maximè peccantes plures pauciores que gignunt.

Quoties viscerum nobiliorum in primis pulmonum inflammationem in apostema deductum insequitur Hectica, toties à sanie tota massa sanguinea inquinatur, indeque nutritio deprauatur, partesque omnes ad obeundas actiones naturales ineptæ reduntur.

§. 9. *Nos* fatemur cum *Syluio*, quòd huius febris hecticæ causæ variæ sint & multiplices, quod verò *Sylvius*, culpat saliuam, alimenta & res non naturales, quæ omnia immediatè producere queant, de eo meritò dubito; nec glandulis conglomeratis, aut succo pancreatico alijsque humoribus, viciditate peccantibus alia culpa adscribi potest, quam quod massam sanguineam inquinent, cachochymiam inducant, atque hoc modo ansam præbent inflammationibus & suppurationibus huius vel illius visceris nobilis aut ignobilis, ideoque non hecticam immediatè producere valent, imò potius credendum, quod humores siue sit succus pancreaticus limpha aut alius, quando per viscera suppurata aut sanioſa transeunt, acrimoniam adsciscant; & sic reliquam sanguinis massam aut mixturam turbent, vnde febris hæc lenta oritur. Certum enim est hoc in affectu sanguinem acriorem imprimis à salibus illis causticis reddi, quam decet, aliquando verò à materia quadam acri & deprauata, quæ sanguini per partes continentes circulanti alijsque humoribus admiscetur, vnde & nomen Hecticæ siue habitualis accepit, quod causa eius fermè in partibus solidis hæreat: hoc modo febris hæc oriri potest affectibus cerebri. Sic *Hanouiæ* puerũ xv. annorum, & puellã ix. annorum aperui, & nihil cui causam Hecticæ & mortis adscribere potui, inueni, præter apostema in substantia cerebri redicatum. Sic & vidimus plures hecticos à Pleuritide (quod & obseruauit *Sydenham*, *sic enim inquit p. m.* 250. Est etiam, vbi post ingentem inflammationem & omissam phlebotomiam, quæ nascente morbo fuerat imperanda mox ad apostema res redit, pure in thoracis cauitate subinde depleto, quo in casu febris vel omnino cessat, vel mitius saltem vrget, attamen in vado non est æger, sed Empyemate atque hectica febre succedentibus, miser tabe extinguitur) ita & ex Empyemate, Hydrope pectoris & abdominis ab inueterata ventriculi labe, intestinorum, hepatis, lienis, mesenterij, & similium aliorum aut contentorum viscerum aut aliarum partium continentium, nam & vlcera sequitur inueterata, fistulas & similes illarum partium morbos, sic ex fistula ani. Cuius quidam hecticam acquisiuit deploratam, illaque etiam extinctus & viuis excessit hac tamen ratione quo modo dum humores circulantes istas partes affectas continuo permeent, peregrinam labem nanscisciuntur, sanguinis mixturam turbant, ipsæque massæ sanguineæ intemperiem acrem inducunt, adeoque vt omnem Hecticam quodammodo symptomaticam esse, dicimus. Si enim pus è pulmonibus exulceratis, vel parte quadam vulnerata per vasa lymphatica ad cor delatum Hecticam excitat, quid in alia ignobiliore interiore parte humor latens purulentus hecticam producere poterit.

Causæ verò *procatarcticæ* hic suum symbolum conferentes, sunt aer vitiosus, alimẽta nimis spirituosa & acria humores crassos viscidos & acres generantia, ex quibus sacharum maximè venit culpandum, sacharum enim tantum à vera dulcedine abest, vt ipsum dissoluat æuium, imò *Lusitani* ex sacharinis arũdinibus destillare norunt spiritum summa cum simplicitate refrigerantem, linguam cõstringentem & metalla corrodentem nitrosi saporis simul & acerbum. Verum tædet notis diutius inhærere, quare è verticulo in viam. Vigiliæ quoque nimiæ, in primis lucubrationes intempestiuæ, quies vel motus excedentes, animi affectus grauio-

res, vt mœrores solicitudo, anxietas, tristitia, zelotypia, ira, inuidia suum symbolum addere possunt, nam inuidus alterius marcescit. Excreationes nimiæ quid generare possunt, omnibus notum est.

Contabescentia in hectica, nostro iudicio facilè potest produci vel quod vasa lactea in mesenterio sunt obstructa, tunc enim sanguis acescit, quia non augetur, & quia eius partes aqueæ auolant; quando enim latex aquosus in sanguine disperditur, quod à pluribus causis fieri potest, acquirit sanguinis intemperiem acrem & fermentatiuam à chylo acri & corrupto, sanguini affluente, hinc sæpe tam acris redditur, vt non amplius idoneus sit ad nutritionem corporis, verò aliquid ab halitu corporis depascat, vt caro vix ossibus hæreat, quoniam singulis arteriarum pulsibus acres & rigidæ particulæ loco flexibilium & gummosarum, è poris eorundem egrediuntur in nutriendarum partium tubulos, quæ particulæ nequaquam aptæ sunt natæ ad nutriendum, sed potiùs ad abradendum & corrodendum. Vel etiam aliquando accidit, vt vasa capillaria arteriosa sit obstructa, vt sanguis per ea non possit deferri, quapropter humores ibi circulantes stagnatione acescunt, & habitum corporis extenuant, in his verò causis non semper adest febris; verum si in parte aliqua ignobiliori suppuratio eueniat, ita vt pus massæ sanguineæ communicetur sanguinis dispositionem & texturam immutando febrim producit & sanguinem acriorem reddendo taben infert.

Calor quoque post cibi sumptionem præter propter duabus elapsis horis ingrauescit, quia tunc Chylus vitiosus sanguini admiscetur, qui aliam adducit materiam primi elementi quam per poros sanguinis purulenti fertur, qui quoque in dextro cordis ventriculo non benè mixtus, alios sanguini concilliat poros.

Pulsus hic celer & frequens est non à visciditate, vt plures existimant, inde enim contraria oriuntur, sed potius ab ἀτραξία spirituum animalium in cordis & arteriarum fibrillas, & ab obstructione viscerum, dum enim in illis est obstructio, materia ætherea per poros iam angustiores fluens, multum sanguinis premit sursum, & hinc debilis & celer pulsus, quia non valdè fermentabilis est. *Hecticam* quoque ab intempestiuo thermarum vsu nouimus exortam.

Dolor Capitis & ardor excitatur ab obstructione, & quia à nimio calore febris etiam sanguis acrior redditur, vel quia post malè curatas febres sæpè inflammatio oritur in parte forsan ignobiliori, quę inflammatio cum suppuratur & sanguini admiscetur eum facit acriorem, & sic per consequens Hecticam inducit.

Potest etiam sanguis acrior fieri à nimia potus prohibitione, vnde ardores & dolores sæpè producuntur. Pueris aliquando Hectica oritur ob crudiorum ciborum ingestionem & adiphagiam, vnde vasa lactea obruuntur, acidum augetur, & chylus ad sanguineam massam deferri impeditur, vel deprauatus eo appellit, de quo suo loco agetur.

§. 10. Febris hæc euentum habet valdè dubiũ, sæpè etiam lethalis est, inprimis si existat in gradu tertio, si adest facies *Hippocratica*, vrina oleaginosa, sudores nocturni, calor continus &c. Primus & secundus gradus facilior est curatu quàm tertius; quæ enim cum tabe coniuncta est, & altas egit radices, curatu difficillima existit. Item si viscus aliquod nobile aliudq; ignobile sit corruptum, inflammatum, vel exulceratum, quoniam in his sanguinis adeò inficitur & perturbatur, vt vix ac ne vix artis ope ad illam integritatem reduci possit; in pueris & iunioribus nec non quæ simplex est, curatu facilior existit.

Febres hecticæ vt plurium ab anno XIV. ad XXXV. affligere solent, & etiam in hisce annis constituti ægri difficillimè curantur, qui autem ante hanc ætatem vel paulò post hectica corripiuntur, facilius euadunt, at sæpè curantur, vel longo tempore palliatiua cura vitâ protrahere possunt, inprimis mulieres. Alui fluxus superueniens malum prænuncium est. Si pus è pulmonibus exulceratis vel ex quâdam parte vulnerata vel exulcerata hectica oritur, ea difficillima vel impossibilis est curatu, si cum reliquis pessimis signis capillorum defluuium accedat, incurabilem indicat Hecticam. Prognosis salu-

tem

tem promittit, si æger, adstantes & Medicus dein benè agant.

CVRA DIÆTETICA.

§. 11. His nunc prælibatis ad *ipsam curationem* nos conuertamus, & quidem primò *Diæteticam*, quæ consistit in ritè adhibendis sex rebus non naturalibus ita dictis, remediorum enim materia ex dieta & pharmacia desumuntur. *Dieta* enim vti in omnibus morbis chronicis multum præstat, in hac præsertim plus valet quam ipsa medicamenta, Aer itaque sit temperatus, si natura non talis; arte corrigendus & tali vtendum qui ad frigidum & humidum inclinat, sed potiùs ad mentem *Feliciſſimi Practici, amici noſtri humaniſſimi D. Th. Sydenham*, Ægros ad aliam regionem mittendos, & ad suscipienda varia itinera conmouendos esse existimamus. *Gal.* 1. *meth.c.*8. Æstatis tempore aere existente calidiori ægrum degere præcipit in loco subterraneo, qui frigidissimus sit & maxime perflatus. Quo solo remedio *Riuerius* Hecticum extrema macie confectum, intra mensem restitutum vidit; inspersis ergo floribus ex herbis refrigerantibus, aqua fontana, aer in conclaui alterari potest. Aer enim vnius loci magis noxius quàm alterius. Sic hic affectus in *districtu Hanouienſi* quasi Endemius exulceratione pulmonum; particulæ enim rigidæ inflexibiles & acutæ, quæ exhalant instat acidularum per aerem, istum dispersæ, facile sanguinem intrantes, alterantesue sanguinem acriorem reddendo vesiculas pulmonum erodunt, atque scindendo secandoque vlcus producunt putridum.

Alimenta sunt sanguinẽ edulcorantia, boni succi citoque nutrientes, vt iusculæ Gall. cancrorum, capon. vitul. vitell. ou. cum hordeo mundato. Prosũt fere omnes carnes vitulinæ, procell. phasian. perdicis, lepusculi &c. Variæ panatellæ, omnia hordeacea, auenacea, oryzata, cum seminibus frigidis. Iusculis incoqui possunt variè herbæ hortenses, portulaca, endiuia, acetosa, borragin. similesq; radices aperientes. Hoc in affectu etiam pisces saxatiles admittuntur. Ex fructibus conceduntur poma, pyra, pruna damascena, cerasa, passulæ, ficus, cum melle cõctæ & præparatæ, qui verò gaudent validiori stomacho ijs concedi possunt alimenta solida viscosa, extremitates animalium, carnes limacum, cancrorum, testudinum, ranarum, cochlearum, & quidem in substantia cum brodio: in delicatioribus verò loco horũ vti solemus pulpa caponis & perdicis amygdal. pincis, maritata, pasta sc. regali, Gelatinæ. Sequens hic proficua erit, quæ mihi in vsu est.

℞. *Gelatin. ex C.C. crud. recent.* ℥iij.
affunde aq. fontan. ℔ij ß.
Vini rub. ℥ß. *in vase vitreo bene clauso, digere in loco horis* XII. *postea adde*
Rad. scorzoner. r. ℥ß.
rad. cichorij ℥j.
herb. endiu. m. j.
passul. mai. ex cort. ℥iij.

coque lento igne vltra dimid. Colat. adde confect. alkerm. ℥j. repone in loco frigido, in vase frigido consistet instar gelatinæ. Omnia quoque conferunt lacticinia.

Potus sit decoctum hordei vel aqua betulæ, quod haberi potest tempore verno, vel cerevisia optimè defœcata, cui variæ herbæ, radices & cortices deobstruentes indi possunt, vel quod melius est *decoctum chynæ cum passulis*, item concedunt emulsiones. Omnia potulenta spirituosa maximè nocent, & sæpè ansam huic dant morbo; conceditur tamen vinum diureticum *Hirſleinienſe*, vel *Moſellanum* aqua dilutum. Motus corporis & somnus mediocriter se habeãt, aluus prigrior promouetur iniecto enemate ex emollientibus, excretiones reliquæ solitæ, ac præsertim naturales atque indiuiduo seruientes, nec ægrum debilitantes, si segnius procedant, promoueantur, reliquæ verò omnes fugiantur, quales sunt sanguinis excretiones &c. animus sit tranquillus & lætus, mœror & tristitia cane & angue peius vitentur, ex quibus sæpius hecticam productam vidi. Omnia ergo æger nociua sibi arceat, se ipsumque rite gubernet. Venus & hic fugienda, quæ corpus valdè resoluit & exsiccat.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 12. His nunc præmissis, *cura pharmaceutica* instituenda, quàm 1. ad mentem *Galenicorum* proponamus,

Qui ad intemperiem siccam & calidam corrigendam, refrigerantia & humectan-

tia

tia commendant, quicquid enim humidi aut solidarum partium absumptum & exsiccatum est, humectantibus restitui posse existimant, inde humectantia tutiora refrigerantibus esse autumant, quia refrigerantia nimis adhibita calorem natiuum iam debilem penitus exstinguere valent. Ad numerum humectantium & refrigerantium referunt, flores nymphæ, rosarum, bugloss, borraginis, endiuiam, lactucam, acetosam, cichorium, semina IV. frigid. maior. & minor. ex quibus & variis alijs varias concinnant formulas. Ab initio si nempe prima regio excrementis referta est, admittunt leuientia medicamenta, vt sunt Manna, Cassia, syr. ros. sol. imò si vires adhuc vegetæ sunt, infusum Rhabarbar. cum tamarindis sc. exhibent. Alterantia verò & humectantia in formam Iuleporum, iusculorum & emulsion. redigunt, quas formulas vide sis apud Practicos.

Balnea quæ vti aiunt refrigerandi & humectandi vi prædita sunt, alijs remedijs præferunt, quæ vt plus humectent, addunt maluam, violariam, brancam, vrsinam &c. Balneum ex hydraleo *Zacuto Lusitano* maximis laudibus *exhibitur*, *cas.* 35. *l.* 3. *Praxis admirandæ*. Alij verò balneum ex lacte dulci amant. Post balneum corpus inungi suadent Ol. sc. violarum, nymphæ rosac. &c. Cordi etiam & thoraci, vt & epati & renibus medicamenta varia tum refrigerantia, tum humectantia applicant.

§. 13. *Paracelsus Hecticam* intra Lunæ cursum sanare vult per sua arcana: quæ tamen illa sint, alto premit silentio, quem sequitur tanquam fidelis discipulus *Helmontius*.

§. 14. *Syluius* pro diuersa causarum *Hecticam* producentium ratione diuersam curam esse instituendam, optimè iudicat, in genere tamen propter humorum omnium tenacitatem, & glutinositatem noxiam medicamenta aromatica benigniora, & salia volatilia oleosa vsurpanda, quàm maximè commendat, quia hæc blandè glutinositatem illam emendant, & omne viscidum incidunt, & in statum naturalem reducunt.

Lac quoque asininum, muliebre vel caprinum, vel bubulum calens assumptum magni æstimat.

Quod attinet curam ratione humorum diuersorum, instituendam illam facilè ex præcedentibus peti possunt. Optimè quoque monet, si inflammationes, abscessus & vlcera fistulosa produxerint *Hecticam*, eam vix curari, nisi simul exhibitis medicamentis eiusmodi morbis appropriatis; inter consolidantia balsamum Sulphuris anisatum extollit, vt & omnia ex ☿nio parata medicamenta fixiora, neque proinde vomitiones, atque sedes promouentia, commendat quoque decoctum ex herbis vulnerarijs ita dictis.

§. 15. *Nostro indicio* hic affectus sequentes habet indicationes, 1. vti sanguis vel ex se, vel aliunde acrior dulcificetur & corrigatur, sic enim *& Reges nostri cum Spiritibus* placantur. 2. morbi illi curentur à quibus febris Hectica inducitur, aut propter quos aliquid acre sanguini continuo permiscetur. 3. vt symptomata Hecticam comitantia mitigentur.

Omne enim ferunt punctum quo sanguinis intemperiem acrem corrigit temperantque, in quem finem commendamus salia volatilia blandiora, terrea, sed quæ multum in se continent salis volatilis blandioris & gummosi, vt sunt ocul. ♋. margaritæ, vnicornu, C. C. oss. d. Cord. cerui, bolus armena, terra sigillata, lap. percarum, assellorum &c. Quibus ex mineralibus add. antimonium diaphoreticum, bezoard. mineral. ☉re, ☽re, ♀ale, specificum stomachicum, vt & decantatum illud Poterij antihecticum, ex quo tamen hactenus magnum commodum & effectum videre non potui, & si quid habet, latet illud in virtute concentrandi acidum, quem effectum mihi præstant oculi ♋. quin quoque blandiora vt therebinthina, resina laricea, ammoniacum, galbanum optimo cum successu in vsum trahi possunt, quia in se habent quid glutinosi & gummosi.

Medicamenta refrigerantia à *veteribus* ita dicta non conueniunt hoc in morbo, quatenus refrigerant, sed quatenus dulcificant & deobruunt edulcorantq; & temperant. 1. Aquea omnia in quibus tamen aliquid salis volatilis conferunt, qualia sunt omnia illa refrigerantia vulgò ita dicta, quæ simul incidunt, attenuant, sc.

Radic.

Radic. cichorij vel totum cichorij, taraxici, acetos. fol. bugloss. eiusdemque flores, item violarum, fumar. acetos. &c. 2. Aquea spirituosa & dulcia, omnis acrimoniæ expertia, vt vina Gallica, vinum Hispanicum, Canariense, Hydromel & id genus alia conueniunt, quatenus acrimoniam sanguinis corrigunt & *Reges nostros* pacificant, quod & faciunt *Saturnina*. Hic & leuiora & leniora antiscorbutica, & diaphoretica conducunt, quorum aliquot formulas annectamus. Sequenti destillato antihectico nonnullos sanitati pristinæ restitutos nouimus, nec Te deterreat farrago simplicium hanc intrantium.

℞. *Capon. euiscerat. in diplom. coq. c. ossibus contus. c. brod.* ℔viij.
infund. ras. lign. saßafr. ʒß.
rasur. carn. hominis, corn. alcis ana ʒiij.
Rad. chynæ. ʒj.
Tinct. scab. hepar. nobilis, veronic. roriſm. flor. pæoniæ, thiliæ, scabiosæ, tussilaginis, bellid. minor. ad mß.
Rasur. subtil. viſc. pyſor. ʒiß.
Mic. panis alb. filig. conſeru. roſ. rubr. antiq. à ʒiij.
Pulm. vulp. vitril. calide exempt. ℞ j.
Iecor Gallin. Lim. ac exteſſerat à ℞. x.
Succ. beccabung. ℔j.
vel temp. hiem. loc. ſucc. eius aqu. ex ſucc. deſtil. ℔ij.
Recipi poſſunt. f. l. art. deſtillatum quod edulcorari poteſt manus xii. perlat.

Ex quo destillato possunt etiam parari emulsiones & singulis diebus seq. in formula propinari:

℞. *Sem. melon. vec.* ʒij.
♈. *antihect. noſt.* ʒvj.
Sachar. perlat. q. ſ. pro vna vice circa veſperam exhibenda.
Vel ℞. *Nuc. pinearum* ʒij.
Sem. cannabis ʒj.
♈ *antihect. n.* ʒiij.
fiat emulſio, cui add de lact. ſulph. ʒß.
pulu. cordial. pretioſ. gr. xj.
Sacchari perl. ʒj. M. *pro vna vice.*

In forma liquida melius exhibentur remedia quam in solida. Dicta supra dicta ritè obseruetur.

Inter alterantia magnificio passulas, quæ non solum temperãt, sed & nutriunt, hæ vel cum rad. cichorij, chynæ aut scorz. coquantur, vel infund. prius per noctem & mane post aliquot ebullitiones transcolantur & exhibentur, estque experimentum Nobilissimi eheu! pie defuncti *Ettmylleri*.

Calorem illum excedentem & in volis manuum plantisque pedum obseruabilem minuunt & temperant medicamenta aquea, vt lulapium ex aqua hordei, melliss. borrag. lactucæ, cichorij addit. cinamom. bugloss. rubi idæi, granator. dulc. & similibus: conducunt quoque hunc in finem medicamenta blandè acida, ex. gr. quando Tinctura ex aqua roriſmaial. q. s. cum floribus violarum, bellid. min. borrag. & bugloss. paratur d. qua de die bis, vel ter aliquot cochlearia dentur.

Vel ℞. *Ror. vitrioli aliquoties à capite proprio mortuo cohobati* ʒvj. M. Vel

Liquoris terræ foliat. tartar. ʒij. de quo sæpius de die xx. guttulæ dentur, quod in hoc affectu excellens est remedium.

Vel ℞. *Antihect. Pot. vel lap.* ♁. ♃j.
Mag. ſaturni ♃ß. M.
d. pro doſi vnica.
Vel ℞. *Spec. diaſaturn.*
Nitri vitriolat. ana ʒß. M.

Medicamenta fere nitrosa omnia vt sal prunellæ item ex saturno parata plerumque hic sunt proficua, quemadmodum & Camphora parua dosi alijs admixta, sitim enim exstinguunt, ad hanc quoque demulcendam, varia gargarizantia præscribenda sunt.

Sudorem in hectica noxium inhibent iam dicta, præsertim verò nobilis illa Tinctura ex Vitriolo, Marte & Saturno parata, antiphtisica dicta, item omnia terrea leniterque incrassantia, vt bolus armen. Terr. sigillata & denique Gelatina ex Cydonijs parata, rob. berberum, vt & aluminosa caute exhibita.

Ad sanguinis acredinem temperandam conducunt sulphurea balsamica, vt balsamus anglicus ex therebinth. flor. sulphuris c. elix. propriet. balsam. de peru. In delicatis sequentes rotulæ conuenientes erunt.

℞. *Flor.*

℞. *Flor. sulphur. myrrhat.* ℥ß.
Ocul. ℔. *præpar. corallor. præpar. pulu. Halü Abb. ana* ℈j.
Margar. præpar. gr. xv.
Lap. prunell. sal. armoniac. à ℥ß.
Spec. diam. dulc. ℈j.
Saccbari q. suff. f. rotul.
Vel
℞. *Ranar. virid. exsicc. n.* iij. *margar. præpar.* ℥j.
Corall. rub. ℈ß. *M.j.*
fiat pulu. de quo omni mane ℥j.
exhibeatur in emulsion. ex aq. antihect. continuando per tempus.
Vel
℞. *Pulu. anodyn. confortat Antihect. Pot. ana* ℈ß. *M.*
d. in triplo pro vice vnica.
℞. *Spec. diasaturni Mynsi. diamarg. frig. ana* ℥ß. *M.*
pro aliquot vicibus.

Si Electuarium expetis, sequens erit proficuum:

℞. *Conf. ros. ruhr. antiq.* ℥ij.
Flor. errat. ℥j.
Scabios. ℥ß.
Spec. diamarg. frig. corn. alc. præpar. subtilis ana ℈ij.
Antihect. Poterii ℈j.
f.c. syr. iuiubin. & è testudinibus q.s. Electuarium.

Hisce nihil proficientibus ad lac confugiendum est, quo plures nostra opē pristinæ restituti sunt sanitati, vel sugatur ex mammis muliebre, vel assumatur calens asininum quod optimum, vel caprinum aut bubulum de quo iam in diæta actum est, interim ab omni cibo abstinendum, conuenit & butyrum humanum & serum lactis cum pauco succo citri.

Horis postmeridianis conuenit balneum aquæ dulcis vel lactis, vel oliuarum per horam dimidiam vsurpatum, nec minus Thermæ aluminosæ.

Si paroxysmus post pastum sequatur, potest assumi antefebrile ex mineralibus.

Omnia quæ acidum absorbent hic magni vsus sunt. Sal ex capite mortuo vitrioli, & vt crocus Martis aperitiuus arcana pluribus sunt hoc in affectu.

Cancri fluuiatiles valdè etiam laudari merentur, sunt enim in acrimonia salina destruenda planè egregij.

Cathartica & venæ sectio cane peius fugienda, Clyster tamen ex deobstruentibus prodest, sed non debet esse acris, radix bryoniæ viridis, & recens optimè clysteribus additur.

Si ob visciditatem humorum in primis vijs latentium, purgandum videatur possunt hic sudorifera purgantibus miscerì parua tamen dosi, ne sudores sensibiliter moueant, quia sic purgantia vincunt, & dum purgatio fermentationem in sanguine producit, sensibiliter potenter deobstruunt.

Si vires deficiunt, conducet Lac per larum.

Quando in visceribus exulceratio adsit, tum conueniunt varia balsamica, vt sunt balsam. sulphur. anisat. omnia quoque vulneria, inprimis essentia nostra Trammatica.

Faciliorem aluminosæ dulcedinis acquirendæ modum qui cupit, sic procedere potest: Alumen pulu. in calore arenæ △ phlegma destillatum suo corpori reddat denuoque hanc destillationem septies repetat, donec totum phlegma in eius corpore maneat: paratum alumen tritum soluatur in liquorem loco humido per deliquium. Hunc liquorem dein balneo per duodecim vel quindecim dies degere, postea separatis fœcibus liquorem purum filtratum lento igne coagula. Dulcis huius coaguli vsus non tantum in febribus, sed & in pectoralibus morbis præcipuè autem in Hectica, cuius dosis ad gr. x. ad xv. in vehiculo conuenienti. Huius defectu conducet manna aluminis per plures operationes omni acredine spoliata, per experientiam multis exemplis confirmata, sudorem enim nocturnum ægris molestissimum nullo alio æque cohiberi atque reprimere possumus, quam per vsum liquoris istius aluminosi & Tincturam antiphtificam conuenienter acidulatam, & de nocte propinatam.

Inter externa inunctiones ex pinguedine humana, vnguento refrigerante, rosaceo, refumptiuo, ol. ranar. butyro humano commendamus. Epithemata quoque ex aquis rosarum, violarum, borrag. aceroſæ, melisſ. &c. Epatis ac cordis re-

gioni

gioni applicari possunt'. Hæc de externis sufficiant, præsertim cum topicorum energia fit imbecillis valde quin & palliatiua.

In Catharrali febri, quæ vt plurimùm hyeme grassatur & præsupponunt seu in corpore redundantiam & transpirationem prohibitam, conueniunt bezoartica cum pectoralibus aliquando anodynis commixta, omnia conducunt ex succino Item cõfert Elixir pectorale cum Tinctur. bezoartica. Nocet v. V.S. quia extra vasa segregationem natura iam fecit. Si bene tractantur rarò ijs ægri moriuntur, solet etiam esse contagiosa. Annumeratur hisce febribus, febris *purpura* dicta quæ diuiditur in benignam & malignam. Hæc sæpè naturam febrium malignarum æmulatur cum dolore capitis, ε'φιδρώσει &c.

Pruritus est in toto corpore, vbicunque mali huius notæ apparent, adest calor acris & vrens; est affectus medius inter Erysipelas & scabilem, contra distinguitur à petecchijs & morbilis, qua in purpura cutis est ac si articis fuerit percussa; hinc dicitur mulieribus, die Messel Gutht; causa est turbatio sanguinis eiusdem efferuescentia ab acribus salsis serosis humoribus & particulis inducta, quæ à natura statim ad cutem mittuntur, frequentissimè fit à motu nimio; occurrit etiam in infantibus & dicitur der Pflug. Fœminæ facilius hoc morbo infestantur quàm viri, quia sunt serosiores, & sæpes remotè oritur in lochijs retentis præterea vsus veneris nimius & calor hepatis sunt causæ remotæ.

Ad præseruationem & curationem in simplici optimum præsidium est venæ sectio & purgatio, (si absit malignitas) venæ sectio enim conducit illis, qui erysipelate sæpè laborant. Ex purgantibus conueniunt hydragoga & cholagoga. Ex præparantibus conducunt omnia *hepatica* vulgò ita dicta refrigerantia, quę sola sæpè sufficiunt, & omnia quæ prosunt in Scabie & Erysipelate hic etiam prosunt, vt sunt fumaria, sambucus, & omnia antiscorbutica temperata. Item ea, quæ ex lignis parantur essent, lignorũ eorumque decocta, Rob. sambuci, item omnia parata ex nitro, nitrum perlatum, in Maligna autem danda sunt bezoartica fixiora & temperata, quæ enim volatilia sunt vt plurimum plogosin illam promouent magis nisi venenũ penitus sit expugnandum. Hic tamen semper ad causam antecedentem respiciendum est V.gr. & si à lochijs retentis fiat, mandanda sunt locchiorum fluxum procurantia, inter quæ excellunt myrrhata crocata, Elexir. præpar. & alexipharmacum Essent. ex splene bouis. Hic & conducit venę sectio.

CAPVT V.

De Febribus malignis peste, febri petechiali, morbo Hungarico & alijs epidemicis.

EX innumeris calamitatum myriadibus, quibus vita humana expositа est, non minima est *febris maligna*, quæ sæpe communi furore totas peruagatur gentes, vrbes, pagos, & familias, cuiusque crudelitatem non saltem plures de plebcia fæce, sed viri etiam in sublimi dignitate constituti, & de patriæ insigniter meriti, imò ipsi Medici sunt experti, & adhuc experiuntur. Est sanè morbus truculentia, malignitate, periculosoq; euentu, notissimus, ideque eò magis, dum ipsam vitæ regiam, ac splendidum animæ palatium aggreditur, & infestat, imò *Regentes nostros* planè & subitò interimit.

Sub *malignæ febris* tanquam generalis vocis nomine comprehendimus febres omnes pestilentiales, petechiales (quæ appellatur punctcularis, peticularis, stigmatica, pulicaris, lenticularis, purpurata, & quidem à similitudine quam hæc febris habet cum lenticulis, punctulis & morsibus pulicum alijs, & semipestis, item lues Pannonica dicitur. Morbus Hungaricus distinguitur à communi petechiali febri crudeli isto symptomate, intento sc. continuo & ferè intolerabili capitis tum sæpè orificij ventriculi dolore. Hic affectus maximè exsurgit in Hungaria ob vina potentia quæ ibidem crescunt, & ob aquas palustres. *Carto* ex obseruatione xx. ann. annotauit, luem Hungaricam nullo ferè anno ijsdem symptomatibus recurrere.

Attamen cùm huiusmodi febres inter se differant secundùm magis & minùs, seu

seu maiorem & minorē malignitatis gradum, & eadem methodo curatiua expugnari debeant, operæ pretium duxi, omnes illas febres in vno hoc Capite tractare, & generali febris malignæ nomine donare.

Maligna enim dicitur febris, quæ mali moris est, decipiens aliquando ægrum, medicum & adstantes. In malignis febribus ratione pernitiei, & contagij, mitiora sunt omnia, quàm in peste, & pestilentibus. Maligna febris quidem praua est, sed in gradu remissiori, indè sæpe via, ac gradus est ad pestem. Non enim statim vbique sua se cauda prodit vt sorex, petechijs puta, variolis, morbillis, bubonibus aut carbunculis.

Nec enim *Leonis* tantùm robur, sed & *Serpentis* astutia pertimescenda. Solent enim febres hæ à peculiari quadam Symptomatum conditione peculiari sortiri nomina. Si maculæ appareant, dicitur *febris petechialis*; Quod si calor non adeò intensus, dolor interim capitis sit vehementissimus cum delirio, somnolentia, & linguæ ariditate, *Castrensis*, seu *Hungarica*, vocatur. Sin denique plures febri grauioribus stipata symptomatis in vna domo, oppidoque corripiantur, qua plures intereant, quàm liberentur, & maculæ liuidæ ante vel post mortem se in conspectum exhibeant, febris dicitur *pestilentialis*, à qua bubonibus & anthracibus saltem distinguitur pestis; acutissimus & pernicioſissimus affectus, bubonum, carbunculorum, aliorumque sæuissimorum Symptomatum satellitio stipatus, de quo peculiari Capite acturi sumus. Malignam hanc febrem, symptomata quoque comitari solent atrociora, quàm alias febres, plures simul affligit, & necioni dat, atque eludit vulgaria medicamenta, ità vt eius natura longè distet ab aliarum febrium idea, & genio. Dicuntur quoque venenatæ hæ febres, quia immediatè à venenatis particulis, siue intus genitis, siue aliunde aduenientibus, originem trahunt. Hinc etiam nonnullis dicitur febris *antimedica*, item Medicorum flagellum dici potest, quia Medici certissimam salutem polliceri nō audent, sed ipsi celeberrimi Medici hac febre exstinguuntur, loquente ipsa experientia, vide *de his tractatum Nobilissimi Domini Febr, Præsidis nostri Collegij, de Scorzonera*. Pestis verò solummodo ita vocatur hominis respectu, animalia enim vel bruta si subitò moriuntur, pestis non est nominanda, quale contagium corripuit ante plures annos omnes feles fere in Vvestphalia, & nuper vaccas in his regionibus, quod tamen contagium hominibus non nocuit.

PARS AFFECTA.

§. 2. *Subiectum* harum febrium vt perscrutemur, ordinis ratio postulat, & necessitas nunc, vt morbi sedes & natura pateat. Subiectum ergò primarium à toto Medicorum choro *Cor*, tanquam principale febris subiectum statuitur, quia Cor fons caloris natiui dicitur, ex quo calor præternaturalis toti corpori communicatur, quod etiam per pulsum demonstrare volunt, quia is à cordis actione, & pulsifica facultate, igneque animalibus seu spiritibus vitalibus sanguini arterioso immersis dependere aiunt.

Nos verò sepositis præconceptis opinionibus sedem huius mali *in massa sanguinea* quærimus. Vt enim in vino & lacte varios turbatæ mixtionis gradus obseruamus, quare etiam non partes sanguinem componentes plùs ac minùs à se inuicem secedentes insignem malignitatis constituunt latitudinem. Nec hic exemptos volumus spiritus animales. Secundarium verò & extensiuum, omnes partes totius corporis, quatenus ijs malum per arterias communicari solet.

Sic & *Helmontius* orificium ventriculi superius, quod multum è veneno contagioso inquinatur, accusat, & alimentorum præparationi, fermentationi, chylificationi destinata vasa ac viscera culpat, cùm tamen subiectum potiùs causæ dicenda sint, quàm morbi.

DIAGNOSIS.

§. 3. Tanta signorum diagnosticorum est necessitas, quanta aureæ *Tralliani* l. 9. c. 1. sententiæ veritas est: Internotio rectæ curationis fundamentum est; imprimis hac in febre maligna, vbi malum nullas admittit inducias, sed clam hominem carpit. Est enim morbus insidiosus. Maximum autem morbi maligni indicium est subitus virium lapsus, horripilatio fre-

frequens, & nocturna plerumque mali exacerbatio: antecedunt, & comitantur vt plurimum dorsi & lumborum dolores, ac pruritus, malignorum exanthematum à corrupto sero ibidem restagnante exortorum prodromi. In peste semper præcedit terror vel timor, vel pusillanimitas, vnde fiunt pulsus parui, frequentes, & inæquales, accedit cordis palpitatio, lipothymia, syncopæ, & summa omninò angustia. Postea sequitur non rarò atrocissima cephalalgia, deliria, aurium sonitus, vrina est sanorum similis, & sæpe ad rubedinem vergens. Adsunt sitis atque vigiliæ, vertigo, hinc delirium, pleuritis, conuulsiones, epilepsiæ, & id genus sexcenta alia mala. In quibusdam obseruantur maculæ rubræ seu petechiæ, in alijs exiguæ, in alijs alia exanthemata. Sic & pro causæ diuersitate diuersa oriuntur symptomata & maculæ. In peste verò apparent bubones & anthraces. In pluribus adest somnus profundus, in paucis dentium stridor. Adsunt præterea Cardialgia, vomitus, appetitus deprauatus, sitis, in peste & pleuritis vrget, cum lienteria verminosa, maleque olenti diarrhæa, & dysenteria. In nonnullis aurium obseruaui surditatem. Alij habent oculos obscuros, & lachrymas inuoluntarias fundentes, item palpebrarum hiatus, & maiores in somno: nares stillant sanguine. Plures eorum patiuntur inflammationem & nigritiem linguæ, vt & dentium. Alios infestat pessimum prænuntium, singultus, & vt vno comprehendam verbo, omnes totius corporis peruertuntur actiones, *Regesque* ex improuiso de solio suo deijciuntur. Stomachi sæpe adsunt ardores, & anxietates circa præcordia. In exenterato à me *Francothalij* peste defuncto inueni in intestinis omnia sphacelata, & nigricantia. Sudores oriuntur frigidi, & quidem fœtidi, imprimis circa frontem. Foris tandem quoque venenum se prodit, tumoribus præsertim retrò aures, sub axillis, in inguinibus, ac genibus, alijsque locis maculis nigris, flauis, rubris, passulique nigricantibus, carbunculis, bubonibus. Hic conticere non possum, id quod *Francothalij* in *Palatinatu inferiore* contigit, anno 1666. cum pestis eodem tempore in multos debacchabatur, vbi ancilla quædam carbunculum habuit in summitate digiti annularis, quæ nescio, an ex delirio, vel dolore vrente, & grauissimo digitum cultro culinario abscidit, attamen altero die fatis concessit, digito & manu sphacelatis. Bubones enim & carbunculi instar ferri candentis ægros crudeliter, imò plus quàm credibile est, vexant. Non aliud necessarium est, vt signa hæc omnia in singulis appareant, sed nunc hæc, nunc illa, nunc plura, nunc pauciora, animaduertuntur, pro ratione scilicet, & dispositione subiectorum & veneni. In morbo Hungarico adest intensissimus capitis dolor cum orificij ventriculi dolore.

CAVSA.

§. 4. Ad felicem morborum curationem instituendam *causarum* euolutionem per quàm esse necessarium nemo cordatorum Medicorum negabit, quare primò *Galenicorum* opinionem de causis febrium pestilentialium videamus. Causas harum febrium statuunt *putredinem, & malignam humorum corruptionem* in *vena cava*, quam malignitatem in febribus pestilentialibus minorem; quàm in pestilentia iudicant. Quæ enim causæ pestis sunt, eædem fere & malignarum, & pestilentialium febrium erunt, sed minores, hinc *Fracastorius* in profunda & sordida putredine pestem consistere voluit.

Aerem præcipuè hic peccare, & cœlum, & victus rationem, & contagium culpant. Febres nimirum malignas oriri contendunt, primò à morboso corporis apparatu, qui oritur à cibo prauo, & putredini, & corruptioni facilè obnoxio. *Causam pestis* deducunt ex causis communibus, aeris nimirum constitutione, minùs commoda, vt & stellarum influxu. *Kircherus* & *Langius* in putredine verminosa pestem consistere aiunt, *Simon Pauli* in sale quodam volatili peculiarem sanguinis commistionem per fermentationem excitare constituit.

§. 5. *Helmontius*, qui primam sedem omnium febrium in primis esse officinis existimat, scribit *c.* 17. §. 10. *pag. m.* 125. Febrium malignarum castrensium alienam prorsus atque insolitam esse admodum sedem, ac propagationem, dum scilicet per inspirata endemata locorum, paludum,

dum, mineralium, fumorum, hoſpitalium infirmorum, putridorumque odorum fœtores hauriuntur, qui per pulmonem in thoracem penetrantes trans diaphragma cõuexam ſtomachi ſuperficiem feriant, ac ſuæ virulentiæ ideam depingant. Author hic ſponte inuiſebat peſte correptos. Statuit quoque peſtilens pathema eſſe ex acido in venis, & non dubitat, quia peſtis ſit febris atrociſſima & celerrima, fluctuatque iuxta ipſum, in Archeo, vt venenum. Inquit enim: Maligna febris ſola aliquid putridi peculiariter ſibi vendicat circa orificium ventriculi. Sunt autem tanto peiores, quæ non in eius concauo, ſed in conuexo ſederint, eò quod non niſi extraordinarium arcanũ ad iſta attingat loca. Ideò namq; Caſtrenſes, & Epidemiæ omnes cæteris ſunt pernicaciores, plerumque citra ſitim.

Huiuſmodi enim febres, vt *ille* ait, de foris tantùm contaminant, vltimum ſtomachi nutrimentum afficiunt, quia reuera quamdiu viuitur, perſpirabile atque exſpirabile eſt totum corpus. Etenim demonſtrauit pulmonem, & diaphragma, vndiquaque poris peruia in viuis, quà dum Epidemia tranſeunt, ac ſtomachi conuexum percutiunt, non rarò ſtomachi vltimum alimentum inficiunt. Peſtis a. in hoc à cæteris diſtare contendit, quod cùm non ſedeat in ſordibus febrilibus, vt neque in cruore, afficiat tantùm ipſum ſpiritum vitalem ſui odore, ob id quoque intret, & exeat neceſſariò cum aere per poros diaphragmatis, adeoque tendit ſic primario ad ſtomachum, nec potens pergere vlteriùs motu locali, ſuam ibidem fiſtit impreſſionem in nutrimento ſtomachi, vnde mox vomitus, cephalalgia, ſopores, deliria, ſyncopes, & quæ vitiati oris ſtomachi conſequuntur dominium.

Helmontius noſter in natura duas ſaltẽ eſſe nec plures cauſas: Materiam nimirum, & cauſam efficientem. Hanc in peſte Archeum, Vulcanum, ſiue ſemen nũcupat. Materia peſtis ipſi eſt ſylueſter ſpiritus veneno tinctus; quam materiam iterum tripliciter conſiderat: vel quoniã illa vel forinſecus aduentat, totaliter ac perfectè peſtifera, à peſtilenti ægroto, vel cadauere, locaque vel vtenſili inquinata exhalans; vel cruda adhuc à fracido Gas terræ intrò trahitur, quæ dein recipit fermentum appropriatum, ac gradatim tandem venenum peſtilens in nobis acquirit. Peſtis ergo vel tota intus generatur ſine exotico auxilio, vel ab extra incidit. Peſtis ergo eſt iuxta Autorem noſtrum Ens naturæ virus per ſe ſubſiſtens in nobis, conſtanſque materia, forma ac proprietatibus ſuis. Alibi quoque dicit, peſtem eſſe venenum terrori, & ſedem eius, ſiue nidum primitiuum eſſe in hypochondrijs probat. Peſtis materiam non eſſe ſolidum corpus, vel liquorem viſibilem, neq; idcircò conſpicuam aliquam putredinem, ſed ſolum *Gas ſeparatum* ac *degeneratum* ab *Archei ſubſtantia*. Quicquid autem viſibile vitiatum in peſte occurrit, non eſſe ait ipſam materiam peſtis, ſiue non materiam ex qua, ſed eſſe vel materiam occaſionalem, vel productum, ſiue fœtum, in quo peſtis ſedet tanquam in nido. Quapropter anthraces, bubones aut eſcharas non eſſe materiam primitiuam peſtis contendit, ſed potiùs effectus ac producta. Cauſam remotam dicit eſſe aerem fracidum aut Gas quę aeris fracedo iuxta ignis experientiam, quam Adepti promittunt, nondum habet 8200. partem corporis ſui ſeminalis: additq; Author, peſtem, quæ ex contactu inuaſit, etſi lentior ſit, quam quę aliàs ab vniuerſali cauſa inſultat, plerumque tamen eſſe lethalem, quia inſitus membro Archeus hac peſte interimitur, & inde quoque pars gangrænam peſtilentem trahit. Reliqua lectu digna, & curioſa apud *Autborem ipſum in Tumulo peſtis* videre poteris.

§. 6. *Vvilliſius* in omnibus febribus malignis peſtilentibus, peſte, variolis & morbillis ſanguinem miaſmate venenato tangi, ideoque varias coagulationes, & corruptiones ſubire debere ſtatuit, in qua febre maligna non duntaxat ſpiritus & ſulphur, veluti in febre putrida impetum faciunt, & ſanguinem immodicè efferueſcere cogunt, ſed etiam cruoris mixtio ſtatim diſſoluitur, eiuſque liquor in partes ſeceſſit, adeoque horrenda ſymptomata cum manifeſto vitæ periculo inducuntur. Plurium venenorum cauſas examinat Author, & ſubiecta, quibus proximè & immediatiùs veneni labes infligitur, duplicia aſſignat, nimirum ſpiritus ani-

animales, & sanguinem in vasis & corde fluxilem; vnicuique ostendit, quomodo læduntur à venenis, venena quædam esse ait, quæ sanguinem fundunt, eiusque serositatem nimis præcipitant, vt sunt, purgantia fortiora: alia periculosiora, quæ sanguinem congelant, eiusq; mistionem destruendo corrumpunt, scil. massæ sanguineæ primò congelationem, dein putredinem inducunt.

Quod attinet spiritus animales, qui valdè subtiles sunt, quòd si obiectum aliquod magis incongruum (quale venenatum statuit) offertur, cuius particulæ tali sunt ferocia præditæ, vt cum neruoso liquore impetuosè efferuescant, subtiliorem seu spirituosam eius portionem huc illuc exagitent, aut prorsus abigant, atq; reliquum liquorem neruosum, aut vi styptica figant, aut ebullitione in motus inordinatos cogant, hinc cerebri, & partium neruosarum malæ affectiones scil. modo conuulsio, tremor, rigor, modò stupor, aut resolutiones, reliquaque grauioris notæ symptomata iuxta ipsum oriuntur.

Pestem Author noster describit ad hūc modum, *quod sit morbus epidemius contagiosus, humano generi summè infestus ex miasmate venenato, ab aere primum susceptо, dein per contagium propagato, ortum ducens, qui occultè & latenter hominem aggressus spirituum exstinctiones, cruoris coagulationes, ipsius & partium solidarum siderationes, & πυρετους infert, cumque apparentia ex anthematum, bubonum aut anthracum, nec non aliorum symptomatum horrendo apparatu ægro vitæ periculum adducit.*

Pestis & differentias facit, cum aliquando vni regioni est infesta, aliquando per plures grassatur, quandoque cum symptomatum aliorumque affectuum clade complicatur, quandoque mitior, & non adeò lethalis existit. Causa pestiferæ huius luis Authori nostro est sanguinis & succi neruosi non secus ac lactis acescētis, aut succo acido perfusi coagulatio, quare portiones eius veneno grauius tactæ, citò grumescunt, & instar sanguinis extrauasati cum nigredine corruptionem patiuntur, vnde statim in vasis & corde sanguinis reliqui motum impediunt, ipsumque ratione fermenti sui plus coagulant, quicquid verò congelatione in grumos concrexit, ni statim foras ejicitur, cruoris circuitum inhibendo breui mortem accersit, atque extus ad ambitum corporis protrusum inter angustos vasorum anfractus in motu sistitur, & vel spiritu prorsus destitutum, velut sideratione percussum πυρωσιν sua vibices & stigmata nigra, aut purpurea producit, aut propter sal, sulphur à fermento pestilentiali exaltata, & nouas res affectantia in tumores varijs generis concrescit.

Celeberrimus noster Author Carbūculum seu Anthracem sequenti modo describit: Carbunculus est tumor igneus cum passulis circum se acerrimis, & ardentissimis, doloreque acuto ægros infestante, qui varijs locis indiscriminatim emergens minimè suppuratur, verùm latius in ambitum serpens carnem exurit, eiusque corruptæ tandem lobos excutit, & vlcus cauum velut escharotico inustum relinquit.

Sic & anthracis, bubonis, exanthematum & eothymatum, macularumq; purpurearum causas, modosque fiendi ibidem in Capite de Pestilent. doctè tradit.

Febres verò pestilentes & malignas tum à peste, tum à se inuicem differre ait, iuxta contagij & perniciei gradus & vehementiam. Pestis est morbus summè contagiosus; febris pestilens, cum minori miasmatis sui diffusione, & funerum frequentia, communiter grassatur. Cum infectio tantum suspecta est & crisis supra vulgarium febrium euentus tantùm infida, pro febri maligna habetur, quæ plures in eadem regione degentes ferè eodem ritu solet afficere, & decursu suo vulgaris putridæ leges obseruat, & ferè pari modo iudicatur. Sin verò ægrotantium plurimi intereunt, ac qui ægris conuersantur, eiusdem morbi labem contrahunt, & per sæpenumero vicos aut ciuitates idem morbus grassetur, supra malignæ appellationem *Febris Pestilens* dicitur.

Pestilentes ac malignas febre *continuarum classi* adscribit Author, culpatq; *sulphuream* cruoris partem excalefactam & accensam, quo incendio febrim productam esse statuit, & in huiusdem febribus præcipuè notat sanguinis *efferuescentiam* & *malignitatem* huic coniunctam.

Efferuescentiam verò sequenti modo peragi existimat: Sanguinis scil. pars sulphurea supra modum incalescens, feruore suo velut incendium concipit; inter deflagrandum materiæ adustæ copiam ingentem in cruore accumulat, à cuius subactione, & seclusione, solito febrium more status & crisis dependet: super his verò sanguis venenato quodam miasmate infectus inter deflagrandum ratione fermenti maligni per partes coagulari, ac putrescere incipit; propter sanguinis huius portiones congelatas, aut neruosi affectus deducit syncopes, virium deiectiones, necnon macularum, aut stigmatum apparentias, &c.

Sic & statuit effluuia venenata, quæ ab ægrotis decedunt vi contagij similem in alijs concitare valentia, ob quod contagium & pernitiem, & varios earundē gradus febris pestilens aut maligna dicitur.

Dum sanguis præter naturam efferuescens etiam fermento maligno, & venenato inficitur, non tantùm iuxta Authorem nostrum propriæ ipsius massæ coagulationes cum dispositiones ad putredinem inducuntur, verùm & liquor neruosus facili marte huius labem contrahit, vnde cerebro, & spirituum animalium regimini improportionatus factus, in ijs magnas anomalias concitat, quare huiusmodi febribus non solum maculæ, & exanthemata, verùm sæpissimè delirium, phrenitis, sopores, artuum tremores, spasmi, & motus conuulsiui superueniunt. Hinc Author noster quibusdam annis febres malignas increbescere obseruauit, quæ sine stigmatum apparentia virulentiam suam præcipuè circa genus neruosum ostentarunt.

Non dubitat Author hiusmodi febres sanguinem particulis veneni tactum spōte efferuescere, quæ particulæ vel possunt in massa sanguinea præexistere, vel ab aere communicari, & cum aere vitium sit, plerumque sunt eiusmodi febres populares, si verò à morboso corporis apparatu proueniat, tunc vnus aut alter in tota regione solummodo corripitur.

Quòd verò febres malignæ ac pestilentes aliquando obseruantur cum symptomate quodam speciali, interdum occurrunt cum angina, aliquando cum pleuritide, sæpe cum peripneumonia, nonnunquam cum dysenteria, &c. Quod Author accidere putat, non quà veneni miasmatis semina hanc vel illam corporis regionem virtute quadam peculiari respiciūt, verùm hæc sanguinis massam simili ritu ita in omnibus afficiunt, vt necesse sit istius labis eluendæ gratia, eodem modo crisin in omnibus tentari. Cum enim absque malignitate sanguis ob coagulationem, aut forsan alias causas extrauasari aptus fuerit loca vsitata, in quibus eiusdem extrauasati portiones defigi solent, sunt guttur, pulmo, pleura, & interstitia, quare nihil mirum est, quando in causa maligna sanguinis coagulatio, atque extrauasatio inducitur, si morbus in assueto naturæ foco niduletur.

§. 7. *Syluius* à venenatis particulis, sanguini communicatis, febres malignas ac pestilentes produci vult, quæ particulæ vel cum aere inspirantur, vel per corporis poros penetrantes, siue aeri, siue vestibus, alijsq; immistæ sint, vel ore assumūtur cū alimentis noxiæ hæ particulæ in aere volitātes, febres pariunt ardētes, malignasue, ipsamque adeò pestem, dysenteriam.

In omnibus plerisq; malignis febribus obseruaui sanguinem solito fluidiorem, inquit, quod & contingere ait in ardentibus, peste, & quandoque in dysenteria, quoties scilicet bilis quoque peccat per se, vnde ab eius acrimonia aucta febres producuntur, & quidem ardentes, concurrente simul acido itidem acri valdè noxiam in tenui intestino efferuescētiam cum bile acriore excitante, atque tum dysenteriæ grauissimæ causam præbente. Cùm enim duo tantùm esse in rerum natura acria ait, *salinum* sc. *lixiuum & acidū*, quoties illa concurrunt, & se mutuò infringunt, mutanturque, adeò in substantiam mediam, & minus acrem, quippe fractarius, potest ipsa vnius ignis sed vehementiores opera reddi denuò acrior, & tantò nobis nocentior, quod difficilius temperari queat, vtpote magis quam prius subtilis, & volatilis facta, ideoque subitò mutationes magnas etiam lethales in nobis producens. Indè iudicat, quòd febres malignæ ac epidemicæ ortum sæpius ex aere corrupto habeant. Omnia venena ortum suum ac efficaciam, inquit, debe-

re

re alterutri, vel vtrique aeri, cuius acrimonia vel patet, vel latet.

Malignarum febrium causam ex symptomatis collatis iudicat, si non semper, vt plurimum tamen *Sal* esse *volatile* acre, quod glandularum liquorem subacidum concentratione noxia eneruet, atque inertem inualidumque praestet, vnde sanguinis consistentia naturalis minuatur, ac proinde eiusdem rarefactio eludatur, quin non rarò animalium spirituum secretio impediatur. Prout ergo illud Sal volatile acre in pulmones, hinc & sanguinem quoq; inspiratione allicitur, aut cum alimentis vel saliua in ventriculum deglutitur, aut per poros sese, ceu diximus, insinuat. Hinc enim symptomatū variorū modis varijs in malignis febribus obseruatam varietatem pendere ait, vt & à cæteris humoribus in corpore cuiusuis repertis. Pulsum paruum & languidum deducit à sanguine minùs consistente; mortem verò inexspectatam, quando ignis vitalis in sanguine accensus & sustentatus opprimitur, exstinguiturque.

Febrium ergo malignarū omnium causam existimat forinsecus aduenire, nunquam verò per se in corpore ex corruptis sponte humoribus produci. Omnem ergò malignitatem in sali volatili acri consistere ait. Pestis causam etiam in sanguinis nimia fluiditate à sali acri volatili inducta ponit, à quo sale acri volatili omnia pestis phænomena elegāter in Tractatu secundo de Peste deducit, ad quem lectorem, si plura cupit, missum facimus.

§. 8. *Nos* cum *Vvillisio*, antequam ad ipsam rem accedamus, paucis explicationem naturæ venenorū præmittemus, quoniam illis probè cognitis facilimè etiam naturam febrium malignarum, & pestis aliarumq; Epidemiarum scire poterimus, si quidem earum vis in sola continui solutione vertitur, siue foris in corpus nostrū agant, siue intus tyrannidem suam exerceant. Medicamenta ergo illa alexiteri à non occulta, sed manifesta agere qualitate, cuilibet docto abundè patet, imò nec vnicum datur alexipharmacum, cuius effectus, siue operationis non manifesta possit reddi ratio. Omnia alexipharmaca referimus ad attenuantia, incidentia; volatilisantia, absorbentia, acrimoniam obtundentia, quæ pro diuersitate veneni exhibentur, quatenus illud consistit in glutine quodam volatili & sale acri coagulatorio & contagioso, vel in particulis acutis scindentibus, & cumprimis necrosin partibus inducentibus, & *Reges nostros* planè è solio suo deturbantibus. Hinc oriuntur mentis perturbationes, deliria, phrenitis, partium & totius corporis refrigerationes, intumescentiæ, liuores, rosiones, excoriationes, similiaq; alia symptomata à venenis exorta. Particulæ ergò salium à calore tenuiores factæ, & leuiores caloris vi sursus feruntur per aerem, & per longiores sæpe tractus transcūtes duris parietibus allisæ quoad extremitates suas magis magisq; exacuuntur, ita vt ipsas instar gladiolorum pungentium, & ab vtroque latere scindentium satis cōmodè concipere liceat. Horum ergo salium particulæ plures simul iunctæ corrosiuas constituunt, quæ dein pro diuersitate materiæ cum qua coniūguntur, & in microcosmo varia componunt mineralia, vt stibium, arsenicum, cobaltum, & quæ in humanū corpus assumpta calore rarefacta hinc inde obuolitant, suaque, qua pollent arte & acrimonia, fluidas præcipuè partes diuidendo, sanguinem fundendo, & plus iusto attenuando, *Reges nostros* turbando, nauseam, vomitum, tormina, rosiones, lypothymias, tremores, conuulsiones, deliria, aliosq; horrendos symptomatum paroxysmos excitat, imò *totius Regni* destructionem moliuntur, ac infami venenorum nomine veniunt.

Quibus præmissis vix quicquam difficultatis superesse existimamus, vt ostendamus, quomodo virulenti hi spiritus ex intimo terræ gremio suprapositio sibi aeri communicari, tantamque corporibus nostris noxam inferre queant. Quod, vt eò facilius præstem, notandum est, materiam subtilem pro diuersitate æstatis modo maiori, modo minori copia terram pertransire, & in ipsius viscera non aliter ac in extima superficie calorem vel augere, vel diminuere posse. Itaque si accidat, vt sol nimio calore in hæc inferiora agat, facili marte contingere potest, vt spiritus illi acres & volatiles, siue venenata effluuia, quæ aliàs ob caloris defectum ad exteriorem terræ superficiem vsque eleuari

non poterant maiori materiæ subtilis agitationem rarefacta, ob motus accelerationem leuior facta altiùs enitantur, & extimæ telluris superficie suparata in aera per dissitas longè lateque regiones diuagentur. Et quò laxioribus rimis, patulisque meatibus, qui vel ab occultis aquarum lapsibus excauati, vel à terræ motibus aperti sunt, terra fatisceat, eò facilius & copiosius ex profundis eius latibulis in altum emerget pestilens, & contagiosum hoc virus, quæ miasmata etiam è stagnis, locis vliginosis, speluncis tenebricosis, & cadaueribus exspirari posse experientia loquitur, vnde febres malignæ, & pestes sua habent initia. Sic in castris ob squalorem, & effluuiorum variè inter se concrescentium & colluctantium copiam, sæpè oritur hoc squalidum virus. Et si ob annonæ caritatem, & eius pedissequam immanem tristitiam, terrorem, &c. corpora nostra fiunt aptiora ad fomitem hũc suscipiendum. Et vt hæc nostro conceptui applicemus, notandum, quòd æquè pestis ac febris maligna, quæ tantùm, ceu iam diximus, secundùm magis & minus differunt, ab aere sua habet initia, ab eo fonte tam necis, quàm vitæ & salutis petuntur principia.

Hic aer est, quo per vices inspirato & exspirato halitũ ducimus, & saliuæ quoq; immixtæ ad ventriculum ablegamus, & corporis nostri poros cutaneos, & insensiles meatus subit, & sanguini, seroque circulantibus commiscetur, & ad quas vis cum ipso partes defertur. Ex his patet, quo pacto aer salibus hisce summè acribus & volatilibus prægnans, venenatam labem corporis nostri humoribus, præsertim sanguini adspergat, & *regna Regum nostrorum tam citò euertat*, ipsosque tam citò necet, totumque corpus pessundet. Particulæ enim illæ acres facilimè cum saliua, chylo & bile sibi congeneri coniungi, & ita acriores fieri possunt, parili modo, ac Mercurius sublimatus, & aqua stygia inuicem commissa sensim ac sensim magis exasperantur. Prę-missis ergò his, sat, sufficienterque patet, in quo consistat natura febrium malignarum, quæ oriuntur à *secessione particularum sanguinis à se inuicem, sed minori gradu* quàm in peste, in qua est maior imò maxima *particularum secessio; & destructio*. Dum enim sanguinis mixtura vim patitur, variè cõmouetur *Microcosmetor*, qui classicum canit, conuocatque milites spiritus animales, qui verò hinc indè cursitantes varios excitant motus, tubasque, tum in cerebro, tum in tota machina.

Multi sunt, qui pestem à febre pestilentiali distinguunt, sed sunt tantùm diuersa nomina circa diuersos gradus. Nam febris oritur à turbata mixtione sanguinis, hic autem ea maximè est turbata, ac proinde febris, summa tamen potest esse febris quæ æmulatur pestem propter subitò prolapsas vires. *Malignitas* ergò nihil aliud est, quàm secessio particularũ sanguinis à se inuicem, quæ hic non facile potest restitui. Nam varij dantur gradus secessionis, vt patet in lacte, quod aliter secernitur ad parandum butyrum, aliter ad parandum caseum, aliter vbi coagulum paratur, sic etiam patet in mixtione sanguinis cum spiritu nitri, vitrioli, aceto destillato, & Mercurio sublimato. Pestilens illud virus, seu venenum partibus suis maxime volatilibus, & acribus, saliuis corrosiuis & etiam sulphureis, ceu varijs telorum vibrationibus, crebrisque istibus sæuiendo, fibras & minutissimos sanguinis ramusculos amputat, quibus resectis reliquæ crassiores, & ad motum ineptæ, instar cinerum restantes, in corpus valde heterogeneum coagulantur, & in massam circulari nescio facessunt, simul sulphur maxime peccare patet ex fœtore telis igneis tempore pestis volantibus, vnde & Eremitam quendam fomitem pestis odore potuisse percipere scribit *Borellus cap. 1. fol. 74*. Rerum itaque potitus excandescens hostis nobiliora quæuis viscera inuadit, cor, cerebrum, stomachum, aliaque *expugnatis Regibus, & spiritibus animalibus* præsidio quodam peregrino munit arces, quod ibi non duntaxat ineffabiles & ad mortem vsque vrgentes producit angores, syncopes, tremores, sed & excursus faciendo ad Regiam sedem, & *Microcosmetorem* infestando tot horrenda exhibet symptomatum portenta, & *Microcosmetorem, arcis præsidem* intolerabili siti, capitis dolore exquisitissimo, vigilijs, delirio, phrenitide, convulsio-

vulsionibus &c. vexat, denique si versus corporis superficiem sub lympha latentem excurrat, glandulasq; maiores occupet, anthraces, bubones, maculas modò liuidas, modò purpureas, modò alias fabricando totius *Regiæ* ruinã ad vltimum vitæ exterminium vsque machinatur. Hic obiter notandum, Anthrax, siue carbo, à nigredine carbonis nomen habet, reperitur etiam in reliquis partibus tam carnosis, quàm fibrosis & glandulosis, aliquando etiam in partibus internis erumpit, interdum inter membranas ventriculi tam extus quàm intus perspicuus, qualem non simplici vice viderunt *Helmontius* & *Bartholinus*, & tunc immanes adsunt vomitus, à sanguine corrupto certis in locis coagulatione adepto oriuntur.

Bubones quoque in peste conspiciuntur in partibus glandulosis, quia particulæ sanguinis acres carnes traijciunt, sed pori glandularum sunt minores, ita vt inhæreant illis, & bubones efficiant, à lympa verò vtplurimum vitiata acri subsistente oboriuntur.

Vi ebullitionis sanguinis in partium, præcipuè membranosarum, poros certæ figuræ corpuscula impulla, si poros in totum non oppleant, sed materiæ subtilidem occasionem per relicta interualla copiosiùs & vehementiùs fluendi, efficiunt membri tumorem, calorem, ruborem, quale videmus in inflammatione, à qua in cerebro, & menyngibus phrenitis, in faucibus angina, in pectore pleuritis, in intestinis dysenteria, oriuntur.

Astrologi adhuc hodie confugiunt ad determinatas siderum positiones, & ad incompatibilitates oppositionum ac malignorum congressuum, qua verò virtute hic polleat astrorum influxus hactenus non potui concipere, qua ratione illa in hæc inferiora agere possint, nisi solo motu per lucem scilicet & calorem. Calor enim ex astris emanans excepto solis calore debilis, & ferè semper æqualis est, & nunquam tam notabiles, & tam efficaces in his inferioribus mutationes subire potest, ita vt tantam in intimis terræ recessibus, aut tam vehementem aeris mutationem ipsis imputari posse, nulla ratione concludi possit. Astra enim nobis sũt in signa temporum duntaxat, dies & annos, vt inquit *Helmontius*, quæ adhuc reliquiæ sunt *Paganismi*, qui ausus est stellarum officia, & destinationes extendere supra textum sacrum; hinc Clarissimi Astrologi, & Mathematici, qui in cæteris Astrologiæ partibus alios longè superant, vt *Copernicus*, *Heplerus*, *Brahe*, *Galilæus Renatus des Cartes*, *occultas astrorum vires*, tanquam rem vanam, & solidis rationum momentis destitutam, experientiæque repugnantem reiecerunt.

Cur verò alij citiùs, alij tardiùs, imò nunquam, febribus his, vel peste inficiantur, cùm tamen causa communis sit, sequentes sunt rationes: quia diuersa sanguinis facies, motus, & mixtio est, & sic in vno homine sanguis est tenuior, & in alio magis consistens, qui sanguinem fluidiorem, seu tenuiorem habet ob nimiam bilis acrimoniam, & volatilitatem, is præ alijs citiùs malo hoc venenato inficitur, è contrà ille, cuius sanguis ob legitimam succi pancreatici, aut alius, aciditatem, est legitimæ consistentiæ, vt melancholicus, vix ac ne vix quidem lue hac corripitur. Sanguinis enim particulæ strictius sibi iunctæ, cum aliàs suffulciunt, & sic iunctis viribus *Regem nostrum* muniunt ab hoste, veneni scilicet insultibus, vnde fit, aut acres veneni particulæ aciem suam obtundant, & vel innoxiè in corpore nostro maneant, vel aliò, vbi minor est resistentia, transmeent. Regula est & cautio maximè obseruanda, quòd *peste regnante* reliqui quiuis morbi naturã, & indolem suã exuant & in pestem migrent. Ex omnibus his præmissis facilè patet, causam esse tum pestis, tum febrium malignarum miasma putredinale plus minùs acre & volatile sanguinẽ maximè turbans & soluens, quod ex particulis rigidis, acutis gladiolorum instar pungentibus, & continuum soluentibus, componitur. Nihil enim *nostris Regibus*, inprimis *Microcosmetori*, tam funestum est, quam istæ exhalationes acres volatiles, quæ illum prout fumus Apum Regẽ facilè exstinguunt, & enecant. Quod essendi modum contingit, quantitate vt peccet nõ opus est, cùm contagij huius semina, consentiẽte *Etmullero c. 2. de Virtut. Opij diaphor.* §. 13. peculiarẽ in minima quoq; mole vim habeat, & sub minimo, & nullo sensuũ perceptibili mi-

aſmate, corporis oeconomiam turbare poſſit, dummodo in calore natiuo actuentur ac expandantur, non alia ratione, vt fermentatio panis vel fæces cereuiſiæ, quibus eadem ceruiſiæ fermentatur ſua exigua mole efferueſcentiam conciliat, vnde eſchara, ſeu ſphacelus in viſceribus nobilibus tam ſæpe in peſte, alijſque morbis malignis conſpicua, prout ego *Francothalij* in Palatinatu inferiore ſtomachum fœminæ, & filiæ eiuſdem in eadem domo perforatum, & ſpacelatum, & nigerrimum reperi, in alijs diaphragma, in alijs inteſtina eodem ſphacelo contaminata vidi, ac ſi aſſumſiſſent toxicum, arſenicum aliaque: A receſſione particularum ſanguinem conſtituentium, & hinc indè reſtagnantium, omnia ferè explicari poſſunt phænomena. Sal enim & ſulpur illud volatile arſenicale *Microcoſmetori* noſtro eſt inſenſiſſimum & maſſæ ſanguineæ reſolutionē nimiam ſpirituū deſtructionem, & ſuccedentem coagulationem imitans. Sulphur hic quoque peccare, patet partim ex efferueſcentia & æſtu, item ex telis ſulphureis, ſeu globis ardentibus, tempore peſtis hinc inde per aerem conſpicuis. Cui enim rei alij, quàm ſulphuri arſenicali adſcribendum cenſemus, quorum globorum exitialis odor multis vitę periculum acceſſit, quod nos in funeſta peſte graſſante Anno 1666. obſeruauimus, alijque obſeruarunt.

Kircherus ponit vermes in peſte, ſed non repugnat noſtræ ſententiæ Conſtat & vermes ex particulis acribus & volatilibus, quæ & eadem ſymptomata inducere apta nata ſunt, hinc pluribus peſtis eſt morbus ſeminalis. In peſte ad mentem *VVedelij*, infecta eſt aqua microcoſmica, humidum radicale lymphea & ſerum.

Subitanea illa virium deiectio his in affectibus ſignificat ſanguinem à miaſmate eſſe ineptum, vt efferueſcat, vt fit cùm mercurius præcipitatus admiſceatur ſanguini inſtar tenui fit contagium, quod anno 1666. occupauit aerem circa *Francothalium* vbique, & valde pertinax fuit & nō potuit ſuperari à fermentatione ſanguinis, quare tā multi obierunt homines.

Capitis dolorem hiſce in morbis vt plurimum produci exiſtimamus ab acredine particularum membranas vellicantium, & Microcoſmetorem noſtrum turbantium & inquietantium.

Pulſus rarus & debilitas magna, quæ & poſſunt eſſe in alijs febribus, deducimus à ſanguine fluidiore, in quibuſdam hominibus ſanguis vix eſt ſanguis, & vbi vena ſecatur, ſæpe ſanguis effluit, qui nihil eſt, aliud, quam cruſta cutio vix permeabilis, & intra illam cruſtam non reperitur ſanguis fibroſus, vnde non mirum eſt, tales homines in XXIV. horas tam ſubitò proſterni; hic eſt pulſus debilis, ac proinde malum ſignum, quia ſignificat ſanguinem vix eſſe fermentabilem. Quòd peſtis habeat ſal & ſulpur volatile aere *Medicus VViennenſis D. D. Alpruni*, qui horrendum opus aggreſſus eſt in proximi vtilitatem, teſtatur. Secto enim bubone peſtilentiali virulētam collegit materiam, quam retortæ cum ſuo recipiente luto ſapientiæ intruſit, adhibitis ignis gradibus, primò aqua, ſecundò pinguior & oleoſa materia, tandē ad collum retortæ adſcendit ſal, detracto igne, diſiunctisq; vitris maximus fœtor, qualis vix è mille vulneribus æſtiuis radijs ſolaribus expoſitis halare poteſt, prodijt, & quamuis mumio fuerit fœnforio, tamen quaſi fulmine tactus *Chemicus* ingenti corporis tremore concuſſus fuit. Fracta ergò retorta ineffabilis fœtoris ſalē volatilem adſtanti guſtandum porrexit, & ipſemet in lingua detinuit, quod ſal acrimonia aquę Regiæ minimè cedebat. Sic ego noui *Francothalij* ancillam, quæ peſte correpta lachrymas exſtillabat, quę lintea inſtar aquæ fortis corrodebant, quę & altero die poſt fatis ceſſit. Imò ſal adeſſe volatile acre auſticum omnia ſymptomata, peſtem, febreſq; malignas concomitantia indicant. Quam primùm enim malignum hocce ſal volatile ferocius è vinculis liberatur, & ſoluitur, ſtatim noſtrum aggreditur *Microcoſmetorem*, eiuſque milites, qui cor, ſedem *Regiam Cardimelechis* deſerunt; ſic & tandem *Gaſſeranax* gangrænæ ſubueniendæ eſt negligentior de tutandis ſuis viſceribus, & intrò fugit, & ſic victoriam canit hoſtis, pergitque vlterius ſerpere mortalis illa gangræna, vnde in peſte viſcera quęcunque corroſiuo hoc ſale obſidentur, aduruntur, & turpiter defœdantur.

Cau-

Causæ remotiores plures esse possunt, & consistunt plerumque in ritè administrandis rebus non naturalibus ita dictis, de quibus infra, vbi de cura diætetica acturi, sumus, dicemus. Hic vero ante omnia metus & terror culpandus est, qui sunt obsterrix pestilentiæ, fomes contagionis, incendium morbi & sæpe præcones mortis, è contra dicimus, pacatus & corpus defensum fortissima mœnia sunt ad arcendam pestem.

PROGNOSIS.

§. 9. Quod *Prognosin* salutis & mortis concernit, signa illa sunt lubrica, quod iam dudum agnouit *Hipp.* 2. *aphor.* 17. dicens: *Acutorum morborum non omninò sunt certæ prædictiones.* Cautè ergo agendum Medico, & non nisi probè examinatis perspectisque signis de morbi statu iudicium ferendum.

Quò ergo plures eodem tempore interimuntur, eò periculosior conditio morbi iudicari debet. Præstat ergo præsagium suspendere donec vel naturæ, vel morbi victoriæ indicia certa se obtulerint. Hactenus enim obseruatum est, quod quò vehementior in peste, febribusque malignis apparuerint symptomata, quę alijs in morbis vitæ pericula minantur, eò meliorem salutis exitum respondisse, contrà mitiorum symptomatum præsentia plures diem obijsse supremum.

Febris maligna est ex classe acutorum, hinc ratione temporis prædicimus, ad XI & XIV diem extendi posse. Periculum augent symptomata atrociora, vt syncope, sudor frigidus (quem tamen plures insontes passi sunt) fluxus alui, magna virium iactura, &c. sin mitiora reuera, melior affulget spes, sed non semper fidendum, blanditur n. & fallit instat canum, qui minùs latrant, acrius mordent.

In facultate vitali pulsus in magnitudine constans, & equalis spem semper præstat meliorem; sin paruus sit, inordinatus & inæqualis, periculosæ plenum opus aleæ exhibet, præcipuè si statim ab initio talis deprehenditur. Ex *animali*, delirium statim ab initio accedens, quod à somno non sedatur, obliuio, negligens decubitus, denudatio indecens, motus conuulsiui, tremores, & si ægri floccos carpunt, vigilię cõtumaces, singultus quę omnia praua sunt signa. Inprimis singultum, tanquam signum ad mortem in febribus malignis prædicendam se nunquã decepisse, *Epiph. Ferdinand.* verum testatur, quem tamen sæpius obseruaui in his febribus, & non semper funestum. Quotidie quoque erunt oculi inspiciendi qui si ferociam præ se ferunt, cum alijs signis malis, rarò euadunt ægri, vt & rarò illi restituuntur, quibus sine ophthalmiæ indicijs bulbi oculorum dolent. Surditas in principio apparens malum, in statu verò salutare est.

Motus tremulus manuum & linguæ ab Hippocrate damnantur, quia sæpe funesti obseruantur. Narium stillicidium, cardialgia, maxima apepsia, oculorũ inflammatio: & si palpebrę non ritè cõmissę sunt, & exinde ex albo aliquid appareat, hæc vel alia mortem esse præ foribus indicant.

Nullum tamẽ tristius signum est quàm si ægri floccos carpunt, vel plicas supra lectum explicant, vel quodlibet obiectum inordinatè arripiunt, quod qui faciunt, nunquam euadunt, quod non ità pridem, eheu! in *dulcissimo meo trium annorum filio, Paulo*, experiri debui, qui altero die cum floccos carpere inciperet, simulque obortis conuulsionibus vitam cum morte magno meo luctu commutauit.

Hoc enim significat delirium valdè intensum, & non dura tantum meningum, sed & oculi tunicarum inflammationem, & spirituum opticorum pertubationem incurabilem, propter quam oculis varia & falsa obijciunt, quæ æger remouere conatur. Id tamen aliquando citra noxam & vitæ periculum acidisse monumenta Medicorum docent, tutiùs peste moriuntur mulieres ob copiam serosam sanguinis, & etiã viri qui sunt naturę serosioris.

Si in febribus malignis petechiæ die nõ aut decimo apparentes cum signis coctionis, & virtutis robore, adeò malæ non sunt semper, sed vitæ præcones; Contra si statim ab initio liuidæ aut nigræ erumpant, si pacuæ vel copiosissimæ, & cum respiratione difficili, & anxietate, ad interiora sit recursus, sic signum est lethale. In peste quoque quò citiùs bubones & anthraces in locis consuetis erumpant, eò meliùs est. Et anthraces in loco cordi vicino, bubones circa collum vel retrò

aures, funestum dicunt euentum.

Ad mortem terminantur hæ febres vt plurimum motibus conuulsiuis, hæmorrhagia symptomatica diffluēte quasi cruore, nec amplius in alueis suis contineri apto, sudoribus frigidis, deliquijs animi, &c. & quandoque transeunt febres malignæ in alios morbos, vti *Hanoniæ* obseruaui, febres malignas absumtis spiritibus animalibus, & frustrato sanguinis robore terminasse in hydropem, aliasque cachexia, modo in vno sanguinis crasis vegetior, quam in altero fuerit. In omnibus febribus æquè malignis ac continuis, si tussis accedat, item medida & vaporosa sit cutis, vt plurimum ægri euadunt, tussire enim bonum signum est, denotat enim serum adesse in sanguine, & naturam per se facere segregationem.

§. 10. Cognita iam febrium malignarum & pestis natura cum suis causis & signis, id restare videtur, vt ex methodi medendi legibus *curationem* tradamus, quæ vel est *Diætetica*, vel *Pharmaceutica*.

CVRA DIÆTETICA.

Diæteticam nunc ponamus, quæ in legitimo sex rerum non naturalium vsu consistit. Aer sit ex calido temperatus, & vitetur omnis aer squalibus ex cauernis aut speluncis, aut è castris & cadaueribus alijsque locis fœtidis expirans, quem omnes maximopere fugiant. Qui enim improuidè aeri eiusmodi conspurcato se exponunt, pernitiei, & vitæ periculo. Aer ergo corrigatur luculentis ignibus hinc inde accensis, ligno iuniperino, aloetico, alijsque odoratis; in ædibus suffumigia varia instituantur ex rasura cornu bouin. hircino, sulphure, puluere pyrio, aceto bezoartico. In conclaui Æophila liquore alexipharmaco repleta, & igni ad ventum artificialem generandum admota commendatur, quo etiam campanarum sonitus & bombardarum crebriores explosiones referri possunt. Si quis iam verò affectus sit febre maligna fugiat aerem frigidum, omnes autem ægri febre maligna laborantes aeri se exponentes, omnes moriuntur ceu pluribus exemplis demonstrari potest.

Cibi sint tenuissimi, eupeptoi, conceduntur cum scorzonera, alijsque alterata iuscula carnis gallinarum, pullorum, caponum, &c. Iam affectis conceditur tenuissimus victus.

Olera verò, fructus horarij, omnia venena, purgantia, item alimenta nimis solita, saccharata, mellita, aromatica, omnia corrupta, vel muco obsita angue peius fugiantur. Cibi omnes alterari possunt blandioribus acidis, succo scil. citri, cydoniorum, rubi idæi, &c.

Potus sit decoctum scorzoneræ cum C. C. & parum citri. Potum continuum in quo sit C. C. plus auxilij, quàm omnia alia medicamenta afferre, testatur *Crato lib. 1. cap. 11.* Substitui quoque potest gelatina C.C. potui ordinario infundantur guttæ nonnullæ tincturæ nostræ cordialis, quæ omnem implet paginam. Vinum concedatur tantum pro refocillatione virium. Omnia enim spirituosa, quatenus acrimoniam augent, & *Microcosmetorem* planè furibundum reddunt, hic maximopere fugienda sunt, sulphure enim suo à maligno calore accenso sanguinem inflammat, & *Neucrantz in tract. de Purpura*, vt & *Hoferus in Hercul. Medic.* notant, omnes fuisse mortuos, quicunque vino abstinere noluerint, à cuius nimio potu in fœmina febre maligna laborante ex momento epilesiam ortam obseruaui. Vsus acidularum nec in his febribus tutus est. Æger ergo sit contentus supra dictis decoctis, & iulepis, vel emulsionibus amygdalarum.

Somnus & vigiliæ debitam seruent alternationem, quorum alterutra si exceſſerint, debitis modis corrigantur. Nocet in primis somnus sub primum morbi acceſſum initus, non prius sumto bezoartico aut lexipharmaco.

Motus & quies quoque moderatè se habeant, ne humores vitiosi in corpore in nimiam agitentur fermentationem. Quies verò ægro magis cordi sit, vt sc. continuata diaphoresi corpus exterius miasmata venerosa mittere possit, & vt sic tonus pristinus restituatur viscеribus.

Animi quoque pathemata, in primis metus, pusillanimitas, timor, ira, tristitia, rationis fræno dirigantur, quorum magna in *Microcosmetorem* & sanguinem vis est, quæ sedulò ergo fugiat Patiens, ne Medicus oleum & operam per-

perdat; ne ipse æger opinione maiorem sibi malignitatem, ceu certum mortis nuntium ante oculos sistat, sed potius bona spe in *Deum* confisus meliora exspectet, pestis enim ceu ignis fatuus est fugientes & territos sequitur prosequentes & cordatos fugit.

Excreta quoque & retenta in statu naturali conseruanda est.

CVRA PARMACEVTICA.

§. 11. Reliquum iam est, vt harum febrium pestilentialium & malignarum *curationem* quoque *pharmaceuticam* aggrediamur. Ad mentem verò *Veterum Galenicorum* illa nititur tribus indicationibus: *Curatoria*, *Præseruatoria*, & *Vitali*.

Pestilentiam ergo in occulta quadam, & homini planè aduersa qualitate sitam esse aiunt, quam occultam qualitatem & indicare alexipharma cum huic contrarium, Causamque illam in corpore seu per inspirationem, seu per contactum acceptam, aut quòuis modo contractam, sui amotionem & eradicationem indicare asserunt. Si ergò pestis à contagio ortum habeat, & simul adsit sanguinis copia, statim confugiunt ad venæ sectionem, & quidem mox in principio, nam horis XII. vel pluribus elapsis tutiùs esse concedunt V. S. omittere, quàm admittere, cùm vires vehementia veneni fracte eam ampliùs non ferant. Purgantia quoque non admittunt *Galenici*, nisi in primis vijs saburra lateat, ob quam eliminandam & aliquando pro re nata admittunt vomitoria. Tutissimam verò viam esse iudicant per Alexipharmaca, quæ horarum XXIV. spatio repetenda esse aiùt, & sic per triduum aut vltrà continuanda, donec veneni vis fracta sit, asserunt. A somno quoque abstinere iubent, donec bis sudeauerit, & inter sudandum egrum etiã reficiendum esse conserua & syrupis rosarum, acetosæ, acetositatis citri, granatorum, alijsque aquis cordialibus, & odoramentis naribus admotis & per cubiculum sparsis. Post sudationem si corpus imprimis sit cacochymicum, vt febris tollatur, & naturę reliquũ facilè vincere possit purgantia cõmendant mitiora, vt syrupum rhabarbari, tamarindorum, rosarum, pilul. pestilential. &c. Omnia remedia, quæ putredinem arcent, febrique malignæ resistunt, summopere commendant, sic vbi febris adsit, & refrigerantia tantùm exhibenda esse aiunt, qualia sunt syrupus acetositatis citri, acetosæ, rubi idæi, granatorum, vt & margaritæ, corallia, lapides pretiosi, &c.

Alexipharmaca, seu expellentia pestis seminaria, vimque veneni frangentia, sunt sequentia: Theriaca, Mithridatium, Diascordium Fracastorij, Tryphera Saracenica, Electuarium de ouo, petasitidem sudore etiam feliciter discutere venenum aiunt. Electuarium de Gemmis, lætificans Galeni, & sexcenta alia, ex quibus mille formulas concinnare solent, quas tædet ob nimiam farraginem hic apponere. Cùm verò natura, vti aiunt, plerumque partem materiæ venenosæ ad superficiem corporis eliminare, & anthraces, & bubones producere soleat, si bubo non satis à natura expellatur, vel nimis augeatur, & febris cum symptomatibus non remittat, danda est opera, vt veneno quam primùm exitus patefiat.

In quem finem vesicatoria imponunt, vel cutem scarificant, vt venenum liberè exspirare, humoresque pestilentes effluere possint. Magno etiam cum ægri commodo pullos gallinaceos, vel columbinos circa anum deplumatos apponunt, vel bufonem exsiccatum, & vino emollitum. Dein vlcus tanquam alia curanda esse aiunt, & nec priùs consolidandum, donec omne venenum effluxerit. Carbunculum verò statim scarificandum esse dicunt, & quidem satis profundè, vt malignus, corruptus, fœtidusque humor emanet, postea emplastrum aliquod imponunt, quale est de fuligine, & alia passim descripta. Alij in hunc finem Emplastrum de magnete arsenicali commendant. Nonnulli Saphyro in cute circa carbunculum circulum ducunt, ne venenum latiùs serpat, sed potiùs extinguatur. Et si carbunculus nimiùm accrescat, & atroces inferat dolores, venam sub carbunculo esse aperiendam iudicant, vt sc. sanguis ille corruptus melius educatur: ad calorem quoque exstinguendum Emplastrũ de cyno-

glossa adhibent. Toto verò curationis tempore singulis diebus aliquid è temperatis alexipharmacis exibendum esse dicunt, ne veneni portiuncula in corpore maneat, sed omnis expellatur.

In febribus pestilentibus & malignis eodem modo incedunt. In hoc enim ipsis magna occurrit difficultas, cui prius, cui posterius prospiciendum, & quomodo malignitas tollenda sit, ne febris augeatur, & contra febri prospiciendum, ne malignitas negligatur, ad magis ergò vrgens respiciendum esse respondent, hinc & ante quartum diem & venæ sectiones, vesicatoria, purgationes, & vomitoria, clysteresque admittunt. In diaphoreticis verò maximum quærunt solatium, & simul alterantia, & præparantia intercalanda esse volunt, qualia sunt, acetosa, scordium, carduus benedictus, Scorzonera, sem. citri, rad. tormentillæ pentaphylli, succus citri, ribium, rubi idæi, granatorum, nec topica varia negligenda esse monent, quorum omnium medicamentorum apparatum inueniens apud quemlibet Practicum Galenicum.

§. 12. *Paracelsus* dicit, pestilentiam esse morbum ex astris enatum, infectione sua, sicut sol radijs suis nos affligentem, cuilibet ergò cognitum esse debet Medico, quænam cuiuslibet morbi causa & origo sit. Si is à prauis cibis, aut malo potu, aut ab herbis, & terræ fructibus genitus est, per arcana vtique herbarum & radicum iterum exigendus est. Si morbus factus est à mineralibus & metallis, per illorum arcanum rursus curandus est: Is enim priora ex herbis facta arcana minimè admittit. Sic itidem, vbi influentia cœli morbum aliquem inflixit, ibi aer arcana metallorum & mineralium quicquam auxilij prestant, sed ex Astronomia per influentiam adhibitam medela accurranda est, sicuti *in libro de Persicaria* docet, qui hinc indè varia commendat arcana.

§. 13. *Helmontius* pestem, quam dicit esse febrem atrociſſi nam, acutiſſimam, & celerrimam, absque venæ sectione & purgatione, solis tantum sudoriferis, & vini meracioris potu curari posse ait, theriacam cum vino, imò aqua vitæ propinandam & diluendam esse ait absque metu caloris. Contra labem ergo veneni exhibenda vult Author sudorifera cum Alexipharmacis. Restat ergo iuxta ipsum sanandæ pestis spes, quod Tartarus ille, pestis diuersorium, diffletur, debito sudoris exterminio.

Inter præseruatiua eo respiciendum vult, ne spiritus *Archei* in nobis terrorem concipiat, neue ex terrore sibi pariat vel aliunde allatum virus terrificum, & ne fermentatio symbolizansque mumia forinsecus allata naturæ Mumiæ internum Rectorem, *Archeum* infestet. Remedium contra terrorem imaginationis hominis, vel *Archei*, non tam in se iuxta nostrum Authorem est positiuum, quam negatiuum. Adeoque potum meracum ad hilaritatem vsque præseruare de futuro ait, quia nedum nominis, sed & *Archei* imaginationem sic regit, quod pereat vis formandi imagines. Nemo enim pauper est, aut defectuosus quamdiu ex potu hilaris est. Hilaritas, prout inquit, per potum introducta nec hostem extrinsecum admittit, nec agnoscit, vt nec luctam suscipit, sed excludit, est verò potus exhilarans magis pesti futuræ, quam præsenti aptus.

Curatiuum autem præsentis veneni supponit id, quod præseruatiuum de futuro anticipant. Curatiuum ergò dicitur id, quod productum (ipsum scil. virus pestilens) in ipsa materia, cui insidet, trucidando annihilat, aliud verò curatiuum dicitur, quod sibi coniunctum incumbit expellendo subiecto veneni, tertium denique quod coadaptationem causarum ad producta tollit, minuitque.

Quod præseruatiuum quoad fieri concernit, proderit rectificatio aeris *Hippocr.* iam solennis, non secus ac in peste popolari, aut nempe pestilens istud virus in aere enecetur, qui aer originaliter sic disponatur, vt humorem alibilem non sinat mumiali vi corrumpi, aut facedinem arripere. Vbi verò iam atrox, & malignum istud venenum intro receptum est, & iam sigillatim in *Archeo*, idque propter singularem celeritatem sui veneni, tum defensiua solitaria nihil facere ait Author, nisi simul sint sanatiua. Primò cura eo dirigatur, vt corpus caleat actu semper, seruetur que in diaphoresi, vt-

que

que animus, ceu diximus, ad hilaritatem terrori oppositio sit dispositus. Tristitiam enim vniuersam seponendam esse ait nedum quia timori vicina, sed quia circa os stomachi extemplo pariat fracedinem, suspiriorum matrem. Loca ergo & obiecta tristis recordationis, & eiusmodi sodalitia vitanda non minus vult, quam nimia, cum fabulomentaque dolorifica. Inter præseruatiua positiuæ locum sibi vendicant ex Authore nostro *Amuleta*. Sudoriferum denique & exstirpatiuum pestis & sedis suæ per abluitionem; Foras enim per sudorifera, tanquam per oblectamenta, euocatur *Archeus mœstus ac terrefactus*, qui aliàs confestim se intro recipit, velut ad arcem fugit, gignitque tristitiam, suspiriaque & anxietates venenosas. Sunt etiam ad mentem Authoris nostri sudorifera cuncta eiusdem conditionis, ac penè ponderis, at saltem in gradu bonitatis differunt, laudat ea propter potionem *Hippocr.* cui addit Zingiber & baccas nigras Hederæ, quia diaphoretica stomacho grata sunt. Sunt etiam Alexiteria cum vino generoso & mox à pastu danda, non quidem, vt sedet æger, sed vt corpus seruetur in diaphoresi. Pastum etiam leuem, & paucum esse vult, digestionem enim in omni febre, magisque in peste deficere ait, proinde largioris cibi vices potum meracum subire posse ait.

In prægnantibus, puerperis, aut menstruosis, quæ periculosius peste ægrotant, si quidem *Archeus* vteri, nequaquam rationi aut confidentiæ paret, qui totus confusione ac mœsta perturbationum turba anxiatur, suadet vterum consolandum oleo succini, succinoque in optimo vini spiritu soluto, ac suffitu ex verrucis crurum caballi per tritorium adacto.

Bubonibus & carbunculis bufonem more suo præparatum imponit, saphyrumque. Quidam enim referunt, saphyrum vel hyacinthum citrinum, si per horæ quadrantem super membro dolente moretur, sicut ex oppositio gemmæ locum infectum feriat, ibidemque radios colligat, locum atractum intra horam liuescere, esseque infallibile luis huius diræ pestis signum, sin verò locus nequaquam liuidiorem colorem adsumserit, infirmum à peste absolui. *Helmontius* etiam laudat *succinum* pulsibus affrictum, item hyacinthum & saphyrum, eodem modo applicatum.

§. 14. *Villisius* inquit, in peste aliisque febribus contagiosis duplex incumbere pensum, nimirum, vt maligni huius morbi *prophylaxi* æquè ac *curationi* prospiciatur.

Quoad *prophylaxin* suadet ægris optimam diætam, & cum *Helmontio* hilaritatem & confidentiam animi commendat, quatenus fortificant *Archeum*.

Inter Chirurgica præseruationis grata in ijs, admittit venæ sectionem, qui sunt plethorici, & assueti fuere mittere sanguinem, quo enim sanguis minus effervescit, & sine tumultu in vasis circulatur, eo tardius lue pestifera contaminatur.

Amuleta quoque collo suspensa, vel carpis gestata aduersus pestilentiam mirabilem vim habere credit, additque rationes, atque per effluuia diuersimodè figurata, & propter similitudinem se inuicem excipientia; hinc commendat, tanquam præstantissima, quæ ex arsenico, hydrargyro, puluere bufonum, alijsque venenatis.

Pharmaceutica verò ipsi cura præseruatoria est, vt primò assiduus materiæ excrementitiæ, seu humorum prouentus *leni purgatione* auferatur; secundò, vt *alexipharmacis* singulis diebus assumtis spiritus & corpus contra veneni specula muniantur.

In curatione verò huius affectus atrocissimi venæ sectionem rarò vel nunquam admittendam esse censet Author, quia sanguine nimis exhausto, & vasis concidentibus diaphoresis non adeò facilè procuratur. Loco verò huius commendat scarificationes, & vesicatoria. Insuper contra bubones, anthraces, atque vlcera maligna ab ijs producta, cataplasmata, fotus emplastra, illitus, & pleraque alia exterius applicanda, & ex Authoribus petenda suadet, quibus tamen venenata quædam, prout veneni Electrica, oleum & balsamum arsenici miscenda amat.

Phar-

Pharmaca ipsius circa *pestis* curationem sunt vel *Euacuantia*, vt latex serosus in sanguine vna cum plurimis venenati miasmatis particulis foras eliminetur, vel *Alexiteria*, quæ enim plenius, & à toto simul corpore euacuant, quæ & sanguinem exagitando à coagulando vindicant, & cum à centro vsque ad circumferentiam mouent, fermenta venenata, nec non humorum & sanguinis corruptelas, procul à corde arcent, & hostem extra castra propellunt. Omnia hæc medicamenta, siue catharsi, siue diaphoresi operentur, ciusmodi sint oportet, quæ particulas habent miasmati venenato potius, quam sanguini, aut spiritibus nostris congeneres, ob vtriusque enim similitudinem existimat Author virulentam morbi materiam certius protrudi, & ita eliminari. Hinc omnia cathartica tum purgantia, tum vomitoria, tum sudorifera commendat, quæ ex antimonio, mercurio, auro, sulphure, vitriolo, arsenico, & similibus parari solent, quæ, vti ait, cum à nostro calore minimè subigantur, aut superentur, contra virus pestitentiale optima esse remedia.

Alexiteria remedia, vt sunt Rutæ, Scordium; ex compositis, Theriaca, Mitridatum, & Diascordium, cruorem & succos in vasis & visceribus confluos corpusculis suis, velut nouo fermento inspirant, eosdem leniter mouendo, & in æquabili mixtione seruando, à coagulatione & putredine vindicant, veneni particulas agglomerari cœptas eadem blanda agitatione ab inuicem dissipant, & à maturitate impediunt, denique sanguinem & spiritus præoccupando eos à characteris pestilentis impressionibus tuentur. Vult ergo Author, vt aut initio æger, vel purgans, vel vomitorium assumat, cuius operatione finita suadet diaphoreticum, quod postea sæpius reptatur, insuper verò Alexipharmacis quouis ferè momento vtendum esse ait, & eo annitendum, vt cum Anthracum & bubonum eruptione omne venenum eliminentur. Totius ergo negotij cardinem intentionibus hisce duabus inniti asserit, vt virus pestilentiale omni modo ab intus foras expellatur, ac dein expulsi recursus æqua diligentia præcaueatur.

Quoad febres malignas Author nihil monet, quàm vt hæc vno bene notanda sint *Malignitas* sc. & *Intemperies febrilis*. Respectum febris conuenire ait purgationem, venæ sectionem, & refrigerantia; ab his verò malignitatem plerumque augeri, & venenum latius serpere; contra malignitatem conducere Alexipharmaca, & diaphoretica, quæ verò febrem maximè intendunt, vnde ergò plus periculi emineat illinc intentiones curatiuæ dirigantur, ita tamen dum alteri consulitur, alterum haud negligatur.

§. 15. *Syluius*, qui pestis causam in sale lixiuo, eodemque acri & volatili ponit, instituit curam *præseruatoriam* & *curatoriam*. Precautionis loco dum Amstelodami manè visitaret ægros lue hac infectos, aliud non assumsit medicamentum, quàm vulgaris aceti vini cochleare vnum cum mica panis exceptum. Cum verò desijsset ab illo aceto diutius assumere, sensit postmodum ac ferè semper aliquem capitis dolorem, quoties infectam ingrediebatur domum. Laudat ea propter omnia acida, contemnens spirituosa, vt spiritum vini, theriacalem, &c. Magni pendit è contra spiritum salis, sulphureis, vitrioli. Laudantur & ab ipso fructus acidi, mala citria, aurea, granata, ribesia, &c. Qui acida ferre non possunt, ij ad mentem Authoris nostri cum spiritu vini temperare possunt acida. Sic & conditum sequens commendat.

℞. *Conserv. rosar.* ℥ij.
fl. calendul.
anthos,
borragin.
bugloss. ana ℥ß.
violar.
spir. vitriol. q. s. ad gratam aciditatem.

Cuius manè ieiuno stomacho assumat homo ætatis florentis ad nucis iuglandis magnitudinem, aliquanto minus adolescens, adhuc minus puer. Syrupos & tabellas ex acidis succis parata, vt & tartarum crudum, cremorem, & vitriolatum, ex iusculo, vel vino assumta commendat.

Ad pestis vero præcautionem non magni pendit Amuleta, quia nondum demon-

monſtrari poteſt, quomodo illa agant, hinc ridet ad venenum peſtilens auertendum mercurij crudi in calamo anſerino collo appenſi vſum.

Quoad curationem, cùm venenum peſtilens frequentiſſimè per corporis poros penetret ad interiora, per eoſdem iterum expelli vult, adeoque per *ſudorifera*. Quando verò venenum cum aere forſan inſpiretur, atque ſaliuam tunc ſimul corrumpat, quæ continuò deglutita in ventriculo nauſeam pariat, tunc vomitorium antimoniale non incommodè exhibendum eſſe exiſtimat, quatenus verò idem venenum qualitate ſua noxia quæuis in corpore occurrentia vitiet, & corrumpat, & quidem qualitate ſua ſalſa, *volatili & acri*, Author præſcribit medimenta potenter figentia, atque acrimoniam demulcentia, vt ſunt ſulphur fixum, metallicum puta, vel minerale. Sic & ijsdem medicamentis figibilem, acriorem à veneno peſtilenti ita redditã. Omnia quoque acida commendat, quatenus illa ſuccum acidum à veneno peſtilenti fractum, & corruptum, reparant, & ſanguinis conſiſtentiam deperditam reſtituunt. Inter ſudorifera commendat præ alijs Theriacam Andromachi, Mithridatium, Diaſcordium, Oruietanum, aquas theriacales cum vini ſpiritu, aut aceto ſtillatitio paratas. His etiam addit ex antimonio parata, vt Antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale tam ſimplex, quam ſolare, lunare, &c. Sulphur auratum diaphoreticum, flores antimonij fixos. Inter magis ſimplicia laudibus extollit terras pingues, aut ſigillatas, bolum armenam, terram Lemniam, Sileſiacam, Turciam. Ex cenſu vegetabilium ſunt radices petaſitidis, contrayeruæ, angelicæ, tormentillæ, zedoariæ, fol. cardui benedicti, ſcordij, centaur. minoris, ſcabioſæ, ligna guaiaci, iuniperi, quercus, buxi, ſaſſafras, ſemina ſambuci, eburi, & ex his, vt & ex baccis iuniperi paratum Roob. Ex animalibus petita ſunt lapis Bezoar, porcinus, & ſimiles, vt & omnia cornua, oſſa, & vngues, atque imprimis ſalia volatilia & olea ex ijsdem elicita & ad ſudores mouendos efficaciſſima.

Ad veneni peſtilentis volatilitatem, & acrimoniam lixiuiam temperandam nihil melius eſſe aſſerit Author, præter vnum forſan tartarum, vel potiùs ipſius oleum deſtillatione paratum; ſic & ſal petræ ad volatilium ſalium fixationem plurimum poſſe ait. Huius enim ſalis beneficio figuntur arſenicum, auripigmentum, antimonium, & ſimilia ſale volatili conſtantia: præ alijs tamen commendat ſulphur minerale priùs arte fixatum, ex quocunque demum ſubiecto paratum, quod ab ipſo dicitur medicamentum excellentiſſimum in peſte, alijſque plurimis morbis grauiſſimis, cui & tutò fidendum eſſe ait. Spiritus omnes acidos laudat, tum magis puros, tum per ſpiritum vini magis blandiores redditos. Ex animalibus depromit ſalia volatilia oleoſa, vel olea deſtillata ex cornibus, oſſibus, vngulis. Ad acidorum claſſem refert Author lac aceſcens, ebutyratum, ſeu ſerum acidiuſculum, ſuccos ex acetoſa, acetoſella, ſemperuiuo maiore, berber. ribeſ. mal. citr. granator. aurant. ipſiſque vuis immaturis expreſſos. Ex mineralibus commendat ſpiritus omnes acidos ex ſale, nitro, alumine, ſulphure, vitriolo per deſtillationem elicitos. Triplicia medicamenta in peſte ſufficere ait *Syluius*, primò *Vomitoria*, quoties ipſi locus concedi poteſt, vel debet. 2. *Sudorifera*, ſed ſale volatili inprimis conſtantia, veneni nempe acrimoniam ſimul temperantia. 3. *Acida* quibus præterendum cenſet vitri ſpiritum, cùm is ſimul figendi vi præditus ſit, ſed aqueis diluenda eſſe pleraque inculcat, ne noceant.

In peſtis ergò curatione tutò poſſe, ait Author, exhiberi vomitorium ex antimonio paratum, quod ſimul habeat vim ſudorem mouendi, antimonium ſc. diaphoreticum haud nimis fixatum, præſertim verò in eius initio, vrgente nauſea, & conſtantibus adhuc viribus: poſt ſudorem ægros acidis, & mixturis cardiacis eſſe recreandos ſuadet; quamdiu verò aliquod peſtis vrgentis in ægro remanet, tamdiu in medicamentis ſalem volatilem figentibus, aeremque temperantibus, & acidum reſtituentibus pergendum eſſe monet, ne venenum neglectum, ac ſibi relictum, nouas vires acquirat, & inopinatò ægrum nimis ſecurum oppri-

opprimat. Bubones pestilentiales ad mentem Authoris discuti debent, & si discuti nequeant; ad maturationem deduci, hinc aperiri, mundari, & denique consolidari, & semper medicamentis addenda, vel theriaca, vel Mithridatium monet: in quem finem etiam oleum è C.C. destillatum, aliaque sale volatili oleoso constantia admiscet.

Vnguentum Martiatum cum theriaca mixtum ob discussionem obseruauit præstantissimum, vt & emplastrum cum gummatibus compositum, &, nisi dolores vehementes vrgeant, non vult præcipitari bubonum scarificationem, multò minùs ipsis adhiberi vesicatoria, curcurbitulas. Si verò grandes, ardentesque sint bubones, tum cucurbitulas, tum scarificationes adhiberi vult, nunquam verò vesicatoria.

Quàm primùm suppurati sũt bubones, apertionem accelerandam vel scalpello, vel ruptorio, in apertum bubonem felici cum successu balsamum sulphuris terebinthinatum, & anisatum, vna cum vnguento basiliconis & theriaca adhibuit; huius enim ope breui mundationem absolui putat. Ad cicatricem inducendam imponi vult emplastrum diapompholygos, & ne carbunculus serpat, & partibus vicinis inferat mortificationem, vtendum esse dicit butyro antimonij, quod circum circa illinatur parti affectæ, vel magnete arsenicali; partes separatas mundandas esse monet balsamo sulphuris anisato vna cum vnguento tetrapharmaco, & basiliconis vocato, mixto.

Sylvius noster ad febres malignas curandas eadem adhibenda vult remedia, sal enim volatile acre, malignitatis nempe notatę causam corrigi ac emendari ait, ijsdem remedijs, oleosis nempe, sed imprimis acido, vel austero terreo permixtis, quò refert omnes terras sigillatas, ipsumque adeò sulphur minerale aut metallicum omne, sed ritè præparatum vitrioli, antimonij, &c. Huc & spectare ait Theriacam; diascordium, &c. sic ad salis huius acrioris correctionẽ & facere salia volatilia, blanda, & oleosa. Huc conueniunt omnia sudorifera, quatenus eadem *salem volatilem* acrẽ foras è corpore pellunt. Sequentem commendat formulam:

℞. *Theriac. veter.* ℥ij.
antimon. diaphoretic. ℥j.
syrup. card. bened. ℥ij.
△. *prophylact.* ℥j.
cinnamom. ℥ß.
scabiosæ ℥ij. *M.*

Huius misturæ partem quartam vel quintam sumat æger, atque corpus ad sudorem disponat, quin post horę dimidium eiusdem vnum vel duo cochlearia iterum capiat, sicque pergat, donec commodus sequatur sudor. Interea si valde sitiat æger, & lingua sit arida, iusculum superbibendum præcipit, succo citri, aurantiarum, vel omphacino ad gratiam temperatum, quo non tantùm promouebitur sudoris eruptio, sed insuper corrigetur salis peccantis acrimonia noxia.

Rarò *vomitoria* hic admittit, nec nisi quando in ventriculo, intestinis, hæret panoxij salis, tunc suadet blandiora antimonialia.

Antimonium v. diaphoreticum. Bezoarticumque sæpè & iteratis vicibus exhibenda esse notat, vnà cum interpositis. & subausteris, quocumque modo exhibitis, quò sc. sanguinis pristina restituatur consistentia. Conducunt proinde, mala granata, cydonia, aurantia, omphacium, &c.

§. 16. Nunc & *Curationem nostris indicationibus innixam proponamus*. Sunt v. in febrium malignarum, & pestilentium curatione duo potissimùm indicantia obseruanda, *Intemperies* & *Malignitas*, illa per Alterantia, hæc per Alexipharmaca expugnanda esse nobis persuademus, vno tamen oculo ad symptomata sæpiùs occurrentia directo.

Remedia depromuntur è triplici fonte, Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico. In primo se offert *Venæ sectio*, quam in febre maligna planè omittendam censemus, quia inde sanguis tantùm acrior & fluidior redditur, quam tamen æquè in febribus malignis ac peste largiter celebrandam vult *Th. Sydenham*. Ex hoc fonte etiam Vesicatoria petuntur, quę cum magno fructu pedibus, & carpis manuum applicata nouimus. Ex quamuis illorum vsus à nonnullis in dubium vocetur, plus tamen confidimus experientiæ nostræ & aliorum virorum illustrium, *Horstij*, *Riuerij*,

uerũ, *Hæferi*, &c. E fonte pharmaceutico, & proſcribimus purgantia & vomitoria, quicquid etiam alij in contrarium regerant, ſtat à noſtra parte experientia, nec ipſam rationem habemus contradicentem. Vomitoria nocebunt niſi quando Medicus ſtatim ab initio vocatus ventriculum cibo adhuc repletum exonerare velit, ſic & clyſteres mihi pro re nata ſuſpecti ſunt. Euitandum n. ſtudioſè ne cibus aſſumatur, antequam affligat, obſeruatum quippe eſt, quàm plurimos euaſiſſe peſte correptos, qui ante cibum ſumptum aut ſomnum alexipharmacum ſumſere & contra pleroſque mortuos, qui priùs dormiuerint, vel comederint, etiamſi generoſiſſima remedia adhibita fuere.

Omnem autem implent paginam *Alexipharmaca ſudorifera*, fugienda tamen ratione febris ſunt *ſudorifera calidiora* quæ, ſi quid iuuent, hoc per acidens fit, nempe diaphoreſeos beneficio, quam ſuſcitant, particulæ acriores venenatæ, *Microcoſmetorẽ noſtrum* valdè moleſtantes, & ſanguinem vitiantes diffiantur, & eliminantur. Rectè itaque primo ſtatim intuitu aggredimur malignitatem, quæ *Bezoarticis* expugnanda fixioribus, nec exſpectamus hic *Hippocraticam* coctionem. Alexipharmaca temperatiora nobis ſunt pulueres ex ♀nio diaphoretico, minera Solari Lunari, terris metallicis, & pinguibus, vt & ſulphure metallorum fixo parati, quibus ſemper aliquid de camphora addere ſolemus. Optimi ſunt pulueres cõpoſiti Pannonicus ſc. & ruber Saxonicus, puluis bezoarticus *Sennerti*. Item alia, card. ben. abſinth. rutæ, nitr. antimoniat, ſaphyrus, cui tamen ſoli non fidendum.

Hic etiam proſunt Alexipharmaca, quæ vulgò putredini reſiſtentia dicuntur, vt ſunt Theriaca Andromachi, Mithridatium Damocratis, Diaſcordium Fracaſtorij, Theriaca cœleſtis, Theriaca citri. Conueniunt & omnia medicamenta ex ſulphure, ſale, aloe & myrrha deſumta; item viperina omnia. Viperarum v. ſal volatile debet vngi, & fixatum præſcribi, figitur autem ſpiritu vitrioli.

Poteſt ergo tale, vel ſimile propinari remedium:

℞. *Theriac. Andromachi* ℈j.
pulu. è chelis cancror gr. vj.
croci gr. iij.
△ *card. bened.* ʒij.
prophylact. Syluy ʒß.
Syrup. liberant. ʒij.
M. D.

Puluis ille Angelicus è chelis cancrorum paratus, apud plures pro magno arcano venditatur, qui ſequens eſt,

℞. *Margarit. præp.*
ocul. ♋.
corall. rubr.
ſuccin. albiſſ.
C. C.
lapid. bezoar. or. à ʒß.
pulueris ex apicibus nigris
chelarum ♋ *ad pondus omnium.*

F. puluis ſ. a. qui gelatina ex viperarum noſtratium ſpolijs extracta excipi poterit, vel inde poma parua efformari, caute ſiccanda, & in vſum aſſeruanda. Omnia quoq; conueniunt ſuccinata cinabarinea, quibus eſt vis ſudorifera blanda. Sequens potus egregius eſt:

℞. *Cinabar. nat.*
C. C. ſine ▽.
fl. ſulphur.
ſpin. ſerpent. à ℈j.
M.

Cinabaris ☿nij paucis additis granis magiſter. anodyni excellens eſt remedium, poteſt etiam parari c. lapide bezoar. puluer. pannonic.

Quod ſi vomitio interpellaret, vt in his febribus peſtilentialibus Hungaricis contingere ſolet, cum *D. Sydenham* medicamentum propinare differo, donec ſolo tegumentorum pondere ſudor promanare inceperit. Cùm enim materiæ morbificæ radij verſùs ſuperficiem corporis ſeſe exporrigant, illicò alui fluxus, & vomitus ab ijſdem introrſum reflexis, ac in ventriculum, & inteſtina decumbentibus, vltrò compeſcuntur, adeò, vt quantacunque ventriculi euerſio præceſſerit, propinata dein medicamenta rite retineantur, ac ad ſudores ex voto proliciendos conferant. Sequens puluis ſæpiùs exhibeatur partitis vicibus:

℞. *Myrrhæ*,
rad. Zedoar.
cort. citri à ʒß.
cinnabar. Antimon. ℈j.

cam-

camphor. ℈ß.
ol. succin.
menth. à gr. j.
M. F. puluis. Dosis à ℈j. *ad* ʒß.
Vel ℞. *Vnicorn. fossil.* ʒj.
Mag. Saturn. ℈j.
myrrh. ℈j.
camphor. gr. v.
Diuid. in duas partes æquales, & detur cum aqua prophylactica Syluij

quæ repetantur VI. vel VIII. horis, licet non semper sequatur sudor, donec ex signis apparentibus satis constet hostem expulsum, & penes naturam victoriam esse. Interea æger malis citrijs orbiculatim concisis, modicoq; saccharo conspersis reficiatur, & iusculo acidis temperentur. Illa enim veneno potenter resistunt, & sanguini consistentiam conciliant, *Regesque nostros* ab omni insultu muniunt.

Symptomatum quoque vrgentiũ semper habenda est ratio, inprimis diarrhææ. Vt itaq; vna fidelia duos dealbare possimus parietes, bezoarticis, & intestina corroborantibus, etiam sic simul curabimus affectum. Detur itaque puluis sequens, vel similis:

℞. *Terræ sigillat.*
puluer. anglic. à ℈j.
M. pro vna vice.
Vel: ℞. *Diascord. Fracastor.* ʒj.
△ *scord.* ʒijß.
spec. de hyacinth. ℈j.
sirup. de fumar. ʒß.
M. D.

Hæc & alia, quoties opus fuerit, exhiberi possunt, & sudores tecto corpore exspectari.

Sic & virium habenda est ratio, cui intentioni satisfaciet sequens:

℞. △ *totius citri,*
scord.
cerasor. nigr. ana ʒij.
cord. frig. H. Saxon. ʒß.
margarit. præpar. ʒiß.
CC. vsti præpar. ʒij. *pro pauper.*
saccbar. crystall. q. s. ad gratiam.
M.

Linguæ ariditatem emendat mucilago sem. cydonior. Gelatina C.C. item aqua rubra ad fauces, qua os sæpe eluendum. Vigiliæ demulceri possunt emulsionibus amygdalatis, & vnguentis, emplastrisque temporibus applicatis.

Languentibus viribus conducet aq. percan. vsitat. & sequens conducet epithema cordi, & carpis manuum applicandum:

℞. △ *prouepithemat. cord.*
rosar. à ʒj.
carbuncul. ʒß.
spir. cortic. citri. ʒiij.
aceti bezoartici destil. ʒij.
M. D.

Hisce præmissis nunc curationem *pestilentiæ*, atrocissimi, & horrendissimi affectus, aggrediamur, in qua ea omnia, quę iam diximus de febribus malignis, hic proficua esse contendimus, & quæ in illis nocent, & hic nocere statuimus. Venæ sectio ergò purgantia, vomitoria, clysteres, & nimis spirituosa, & calidiora cardiaca, & alexipharmaca hic etiam suspecta habemus, sed eligimus tantùm blandiora alexiteria, & bezoartica.

Nonnulla tamen prius de *prophylaxi* huius affectus dicemus, antequam curationem tradamus. *Præseruatio* ergo in his consistit, vt aerem infectum vitemus, & animum pacatum habeamus, quod si non liceat, illum corrigamus, & corpora nostra ita disponamus, vt non tam facilè hostem admittant. Aer optimè corrigitur, si luculenti ignes hinc indè accendantur, ligno nempe iunipero, abietino, dolijs picatis, &c. inter suffimenta etiam commendatur sulphur, & inprimis aceta bezoartica. Sic pestis per vniuersam *Græciam* sæuiens ignibus ab *Hippocrate*, per varia loca exstructis ablegata fuit. Aer ergò ab omni sordium fœtore sit immunis, in ædibus varia suffumigia instituantur cum sulphure, puluere pyrio, de quibus iam dictum. Animus fortis & pacatus optimum audit præseruatiuum, hinc Turcæ feruntur fato illo suo plus quàm stoico, cùm nullam ad pestem adhibent curam, nemoque sibi cauet ab altero.

Quoad Amuleta, placent nobis, quæ ex bufonibus parantur, è quibus suspensis per oculos & nares vermiculos egredi, in pestis præseruatione valde vtiles, tradit *Helmontius*, ad cuius imitationem Cl. *Irmlerus*, trochiscos præseruatiuos parauit, quos plurimi salutares & efficaces deprehenderunt. Alij commendant *Arseni-*

senicum; alij mercurium, quæ tamen nec in peste *Noviomagensi* Expert. *Diemerbræk*, nec in Londinensi Dni. *Hodges* exspectationi satisfecerunt Tutius ea ex cinnabari nativa & colchici radice parabis. Quoad amuleta, *Talisman* dicta, Astrologis relinquamus.

Hæc tamen de Amuletis adijciamus, quod in peste *Dresdensium* nuperrima, & adhuc sæviente, amuletorum vis & efficacia contra huius pestis invasionem, fermè nulla fuerit obserta, hinc plures, non immeritò de illorum decantatissima operatione dubitare incipiunt.

Nunc paucis & interna perpendamus, inter quæ principem locum obtinet vinum generosum modice interdiu ad hilaritatem sumptum, quo remedio se præservavit Cl. *Diemerbræck* in peste Noviomagensi, cuius vsum mecum etiam expertus est *Exell. Dn. VValdsmidius*, *Archiater & P. P. Marpurgensis*, qui cùm ante plures annos peste infectos inviseret ieiuno ventriculo aliquot cochlearia vini sumpsit, & solo hoc remedio per Dei gratiam à contagio immunis perstitit. Sic & *Sylvius* cum aceto calendulato cum pane assumpto se muniuit. Sunt etiam alia, quæ laudem merentur, vt Angelica, Zedoaria, Radix Carolina, à *Carolo Magno* primo eius nominis Romanorum Imperatore sic dicta, cuius exercitus à peste *Angeli* monitu olim præservatus, & liberatus huius radicis vsu fertur vnde & adhuc hodie pestis contagia arcere dicitur, quare & eius masticatio prodest; radix itidem Imperatoriæ, galangæ, cortic. citri, cinnamom. myrrh. &c. Caveant verò vtentes, ne species illas masticatas, saliuaq; in ore commixtas deglutant, cùm certò certius sit, miasma venenosum sese his insinuare: diligenter ergò semper saliua ejcienda est tempore pestis, & nunquam studio deglutienda. *Microcosmetorem reliquosq;* Reges contra belluæ huius atrocissimæ pestiferos insultus præmuniunt *Bezoartica*, quorum non paruum solertia Medicorum adinuenit numerum, inter quæ excellunt omnia theriacalia, imprimis Theriaca Cœlestis, theriaca camphorata; hic conveniunt omnia odorifera, sic videmus arceri muscas aliaq; infecta solius spiritus vel olei therebinthinæ odore aspersо. Alij laudibus extollunt sol. diaphoreticum, oleum camphoræ, tincturam bezoarticam D. Michaelis, Tincturam sulphuris nitratam, essentiam viperarum, alij alia iactant. Sic pharmaceuticæ studiosus quidam absque timore loca contagiosa lucrum captandi ergò quæsivit, & peste infectos intrepidè visitavit, qui spiritu vrinæ à contagio se præservavit. Tinctura vitæ Mynsichti optimum est præservans. Sed quis quæso omnia recensebit?

Nobilius sane, & multò præstantius Chirurgia nobis exhibet Amuletum in vsu fonticulorum. Hi profectò & mea, & plurium aliorum Medicorum experientia nobilitati sunt, nec inferiore digna sunt laude vesicatoria, suspectus ipsorũ vsus habetur in fluxu hæmorrhoidali, menstrui, prægnãtibus, & valde debilibus.

Ipsam nunc aggredimur *Curationem*, & venæ sectionem, ceu diximus, proscribimus, quam & Erfutti in furibunda hac peste quidam cum periculo vitæ celebrarunt. Testes alios qui desiderat, consulat *Paræum*, *Maßam*, *Andernac. Fonsl. Forestum*, inter Neotericos *Cl. Paulum de Sorbait*, *VValdschimidium alios que*. Certum enim est, per venæ sectionem fermentationem sanguinis ob particulas acriores corrosivas tyrannidem tum exercentes quasi promoveri, sanguis enim tali modo tenuior factus, & paucior, liberiorem fermentationi concedit locum, & in certissimam vniversique vergit microcosmi destructionem, quare valde miror, quod *Celeberrimus ille Anglorum Practicus D. Sydenham* eam, tum rationibus, tum experientia approbaverit.

Ex eodem fundamento etiam rejicimus scarificationes.

His quasi præmõnitis, sciendum, quàm primùm *Microcosmetor noster* ab hoste hoc maligno molestetur, & impediatur, necessarium valdè esse *huic Regi* nutanti statim succurrere, & suppetias ferre. Acutissimus enim hic morbus, quam celerimè instar sagittæ volantis interficit, subitaneum nisi afferatur auxilium. Apparentibus ergo signis de præsentia contagij, ad sola *Antidota*, tanquam ad *anchoram acram* confugiendum, vtpote lubi totius curationis versatur cardo, & antequã

venenum totam massam sanguinis perturbauerit, & in coagulum seri lactis simile redegerit. Occupato enim regno Microcosmetoris, aliorumque, nihil ferme auxilia prosunt humana. Possemus hic innumerum bezoarticum proferre, numerum, nisi breuitas nobis cordi esset. Vnicornu fossile, quod vim habet adstringendi cum virtute bezoartica, & simul absorbendi sal causticum, quod non solùm alui profluuia, dysenteriam, & hæmorrhagiam, conuulsiones, tanquam symptomata in peste oborta sistit, & teste *Francisco Ioele in Tract. de peste* mirè commendatur Dosis est ana ℈ß. ad ℈j. quas vires & obtinere creditur lapis stellaris, terra lemnia, omnesque sigillatæ. Sic & Bezoarticum Saturninum magnarum habetur virium, cuius descriptionem tradit Cl. *Hoffmannus* in *Claue Schræderiana* ex antimonialibus, & sulphureis, item camphoratis, cinnabarinis succinatis volatilibus blasamicis, hinc prostant varia composita. Optima vero sunt sequentia, quæ & Beatus *Dn. Etmull.* per literas, tanquam in nupera peste Lipsiensi experientia comprobata, & nobilitata communicauit, oleum sc. succini camphoratum à gutt. x. ad xx. in aqua scordij, vel carophylact. *Sylui* assumtum, oleum antipestilentiale *Henisii*, quod paratur ex oleo succini, camphor. & dest. citri. vid. eius *Lemica Italica posthuma*. Ab eodem *Dn. Etmull.* laudatur electuarium camphoratum *Kegleri*, ob nobilissimas vires huius descriptionem hic apponere placet, sed aliquo modo correctam:

℞. *Amygdal. dulc. excortic.* ℥j.
contund. in mortario lapideo, add.
camphor. ℈ß.
sacchari cand. alb. ℥ij.
pulu. Zingib. ℈ß.
rad. scorzoner. ℥iß.
viperin. virgin. ℥j.
contrayerv. ℥ij.
herb. scordij ℥ij.
corall. rubr. præp. ℥ij.
perlar. orient. ℥j.
vnicorn veri. ℈ß.
oß. de cord. C. ℈ß.
theriac. Andromach. ad pondus omnium. F. Electuarium.

Puluis prophylacticus noster est sequens:

℞. *Pulu. Montagn.*
Mantuan ana ℥ij.
spec. liberant.
hyacinth. ana ℥j.
radic. viperin. Virginian.
camphoræ ana ℥iß.
fl. sulphuris ℈ß.
antimoni diaphoretic. ℥j.
M. F. *puluis. Dosis à* ℈ß. *ad* ℥j.

Omnium hic, tum animalium, tum mineralium, tum antimonialium præparata magnificamus, inprimis ex salibus volatilibus alijs præferimus liquor. C. C. succinatum, & balsamum Anglicanum ad xx. & plures guttas exhibitum.

Omnia acida sulphureo volatili principio pollentia conducunt, quæ non tantùm effluuia acria spirituum refrænant, ac motum concitatum ipsorum suffl aminant, & figunt, sed & à spirituum peruerso influxu nonnunquam dependentur sanguinis nimiæ resolutioni, coagulando sc. succurrunt, hinc & salubris est spiritus vitrioli volatilis; ex smaragdo alijsque mineralibus variæ parantur tincturæ valde proficuæ, sic & fœtidus ille spiritus sulphuris profluentes in peste alijsque malignis febribus fœtidos sudores è corpore copiosè expellit, & sic *Microcosmetorem* nostrum ab omni periculo hostis liberat.

Omnia medicamenta ex sanguine & ventriculo ciconiæ deprompta in peste, laudantur ob alexiteriam virtutem, quia ciconiæ vescuntur anguibus & viperis. Enula maximè conducunt, vt & Valeriana, ea propter ingreditur tincturam bezoardicam, cuius vsus maximus est in febribus malignis, peste alijsque. Sequens Elixyr alexipharmacum non contemnendi vsus erit:

℞. *Spirit. baccar. iunip. per fermentationem parati* ℔ß.
radic. viperin. virginian. valerianæ.
ana ℥ij.
croci.
myrrhæ ana ℈ß.
Extrah. essent. in qua dissolu.
ol. succin.
camphor.
M. F. *Elixyr.*

Dosis

Dosis à gutt. v. ad x.

Vel: ℞. *Roob. iuniperi* ℔j.
flor. sulphuris ℥iv.
Zingiber alb. ℥ij.
pulu. cortic. citri,
rad. viperin. Virgin. à ℥ß.
myrrhæ rubr. ℥j.
camphoræ ℥vj.
opij in aceto solut. ℥ij.
aceti theriacal. ℥ß.

M.F. *Electuarium præseruatiuum & curatiuum.*

Hæc sunt nobiliora medicamenta, quibus instructus Medicus hostem non tantùm arcem, sed & propugnacula iam occupantem expellere potest.

Externè cordis & pulsuum regiones oblinantur sequenti, vel simili balsamo antilormico.

℞. *Ol. succin. camphorat.* ℥j.
rutæ.
angelic.
cort. citr. à ℈j. *M.*
cum oleo N. M. F. *iustæ consistentiæ Balsamum.*

Sequens Emplastrum æque in morbis malignis, ac in peste, cum successu expertum dicitur, cordi & carpis manuum applicatum.

℞. *Terebinth venet.* ℥j.
liquetur in abeno cupreo, add. aranear. viu. Magnar. No. *xx.*

Agita cum spatula lignea donec aranex albæ, vel gryseæ appareant, & ferè non amplius conspiciantur. adde postea
pulueris carnis hufonis siccat. ℥ß.
sulphuri crudi ℥j.
sabini ℥ij.
ol. scorpion. Matthiol. q. s.
Agitentur omnia ad iustam consistentiam cum spatula lignea, donec in iustam emplastri massa abeat.

Hoc Emplastrum præstantiùs erit, si bufones iuxta *Butleri* Hiberni inuentum ab *Helmontio* patefactum in tumulo pestis reperitum, in antidotum redigantur.

De Symptomatibus iamiam specialiter, agere superuacaneum ducimus, morbo enim rectè curato, & hæc sua sponte sensim euanescunt.

In genere tamen monemus, ne intempestiuis anodynis, somniferis, sitim, alui fluxum, hæmorrhagias, dysenterias, sedantibus, & similibus motus naturæ impediamus, & damnum inferamus irreparabile.

Bubones, carbunculos, & petechias, vt pote symptomata communissima pestem concomitantia, paucis videamus, in bubonem autem euocatione, & maturatione nullum præstantius remedium reperitur quam Emplastrum *Nathanael Hodges*, vel Emplastrum Magneticum *Angeli Salæ*. Sic & columbæ, gallinæ, præsertim hirudines viui, & bufones exsiccati, imponi possunt bubonibus, sic & radix gentianæ, vel viperinæ Virginianæ cum theriaca instar cataplasmatis bubonibus & anthracibus imponi potest, omne enim virus extrahit. Ab alijs cucurbitulæ, seu scarificationes commendantur, verùm absq; notabili ægrorum leuamine, præterquam quòd dolores cumulentur, symptomata exacerbentur, curaq; illorum impediatur. Optima igitur, imò saluberrima hoc in passu cataplasmatũ censetur applicatio, quæ constant ex theriaca, mica panis triticei, semin. lini, flor. sambuci, ficubus, chamomilla, vitell. ou. croc. & simil. cum melle mixtus, vel cum lacte coctis, bubonibus applicatis. Possunt quoq; admisceri pro maiori veneni exstirpatione antidota, V. gr. theriaca cum cæpis sub cineribus assatis, vel ex epuluere bufonum, melle, ruta, farina fabarum parata. Vel possunt parari ex rad. alth. lilior. albor. Symphyt. herb. v. emollientibus, scabiosæ, paridis, rutæ, &c.

His autem nihil proficientibus tutò ad vesicatoria transire potest Medicus, quæ suprà omnem ferè laudem sunt ponenda.

Carbunculi, vt periculosiores, sunt bubonibus, sic maiori diligentia tractandi veniunt. Hi quàm primum fieri possibile est, maturandi sunt eorumque corrigenda acrimonia causfica, ne latiùs serpat, in quem finem præter cauteria actualia, quæ abhorreo & potentialia, sed vesicatoria, laudo emplastrum arsenicale magneticum, & ne anthraces in gangrænam abeant, instar omnium haberi potest cataplasma *Diemerbroëkij*, vnà cum lixiuio theriacali, escharа mediantibus

digestiuis separanda, vlcus quoque postea abstergentibus, digestiuis mondificatiuis, & defensiuis tractandum, ne venenum aut retrocedat, aut latiùs repat, vnde non rarò carnis magna frusta excidunt, in quem finem magnifacio in vlceribus balsamum sulphuris anisatum, vel succinatum, vel terebinthinatum, balsamum de Peru, alij saphyrum circa tumorem ducunt, nullo ampliùs apparente vel pure, vel veneno consolidationi dabitur locus, vbi in specie commendamus emplastrum Saturninum Mynsichti cum Mercurio dulci combinatum, item stictícum Crolli, oppodeldoch, diapalma, & similia.

CAPVT VI.

De Variolis & morbillis.

§. I. FEbrium pestilentium & malignarum, censui proximo in loco cum *Willisio* referimus *Variolas* & *Morbillos*, qui reuera sunt mixti affectus simul iuxta & aduersus naturam nostram insistentes. Quoad ortum suum seminarium habent nobiscum connatum; quoad effectus verò, symptomata ferè in peste occurrentia venenata producunt, & quòd variolæ omnes indifferenter ferè homines inuadunt, haud immeritò causam communem, siue seminarium in vtero materno contractum, & cuilibet homini conatum suspicamur, quod tam diu in parte aliqua solida sepultum iacet, donec nacta emergendi occasione ex latibulo erumpat, & massæ sanguineæ commixtum symptomata terribilia, & sæpè mortem producat, sic sæpiùs quam nascimur, morimur, & in ipso vtero. Vidi in magna Matrona variolis editum infantem, quibus & mater fuerat afflicta & maculata: imo inter multas hominum myriadas vix vnus & alter per totam vitam ab his immunis manet.

Consuetam vt retineamus methodum nominum natalitia summo digito, & quasi per indicem tangimus tantùm. Variolæ, vel à *variando*, quòd cutim varient, vel, quòd veriùs videtur à *Varis*, vt quasi parui vari sint, licet nonnunquam variolæ, quiptitate superent. Itali morbillos paruam pestem appellare solent. Lexicographis vocabulum variolus etiã piscem, qui aliàs *Truttæ* nomine insignitur, denotat. Nos hoc loco vsitatissimam significationem retinendam putamus, & per variolas illa exanthemata, quæ per modum crisεos cum maligna vtplurimum febre plurimis stipata symptomatibus in cute erumpunt, & suppurantur. Germanis dicuntur Die Blattern vuschlechten die Pochen, Gallis la petite verole.

Per Morbillos vero indigitamus rubras illas maculas, cum protuberantia minori & pruritu in cute prorumpentes, vt plurimum cum febre, quæ tamen citiùs, & citra suppurationem discutiuntur; Germanis Die Masern Kinder fiechen Koseln Gallis *Rougeole* vocantur, apud Martianum *Rosaliæ*. Variolarum apud antiquos Autores nulla fit mentio, vnde *Cl. Th. Sydenham* putat, morbos certas habere periodos pro occultis illis atque incompertis adhuc alterationibus, quæ ipsius terræ accidunt viscceribus, pro varia scilicet eiusdem ætate ac duratione, & sicuti alij morbi olim exstiterunt vt lepra, alijque nunc exoluerunt.

DESCRIPTIO.

Variolæ ergo sunt nouum morbi genus, quæ describuntur, quòd sint passulæ sanioſæ, vel parui abscessus in cute potissimùm ex communi quadam causa, heterogenearum massæ sanguineæ particularum, quæ hactenus latitant in partibus solidis turbationem cum magna sanguinis effervescentia, vti fæces à musto ad corporis ambitum, protuduntur, intendente, critico quasi motu naturæ, cum febre continua exorta, cum tussi, respiratione difficili, vigilijs, terrore in somno, & subsequente suppuratione.

Morbilli verò sunt exanthemata rubra, sicciora, eaque latiora in ijsdem partibus, ex eadem, volatiliori tamen, & acriori paulò materia, cum Symptomatibus, & febre, non raro vehementioribus exorta citra suppurationem, insensili transpiratione disparentia.

DIFFERENTIA.

Febres, hæc exanthemata concomitantes, non semper eundem seruant genium, sed à turgescentia materiæ, modo ma-

magis, modo minùs misturam sanguinis turbante, vti dependent ita regulantur, vnde ne quidem omnes variolæ sunt *malignæ*, sed etiam respectiuè, *benigniores* dantur.

Aliæ à passularum diuersitate & materia ex vulgi impositione, *Die Vuassern Blattern*, quas natas existimo ex lympha primo pellucida in maculis ad suppurationem tendentibus conspicienda, Aliæ à forma dicuntur *Die Spitz Blattern* faciē acuminatam præ se ferentes.

Equidem non ignoramus quæstionem, an sc. variolis semper adiuncta sit febris, nec ne? multùm discrepantes Aut horum reperiri sententias, nonnullosque etiam sine omni febre variolas erumprre posse conquisitis cùm à ratione tum ab experientia argumentis statuere velle nouimus. Verùm vt ingenuè, quod sentio, fatear, non video sanè vlla solida ratione eorum comprobari posse sententiam. Idcirco contrarium potiùs, *nunquam sc. variolas sine febre fieri* statuo. Etenim cùm per crisēos modum variolæ excitentur, & quidem ope magnæ sanguinis efferuescentiæ, quod sine eius turbatione & per consequens sine febre fieri nequit, in procliui est indè cuilibet colligere, variolas sine febre prouenire non posse. Fateor equidem me plures pueros cum variolis afflictatos vidisse, qui neq; de calore febrili, neque de alio aliquo grauiore symptomate fuerunt conquesti, quin imò & lusisse, ac comedisse & bibisse benè, bonoque sic satis fuisse animo, ac si nihil sinistri ijs contigisset. Sed hic notandum est, hoc non nisi ijs obseruatum fuisse, qui vel admodum paucas numero, ob materiæ fortasse paucitatem, & efferuescentiam sanguinis non adeò impetuosam, recensere solent variolas, vel qui non veris laborarunt, si & plures febre Ephemera, & tertiana intermittente correpto in ipso paroxysmo lusisse vidi.

PARS AFFECTA.

§. 2. Ad *subiectum* seruandum facer nos deducit ordo. Est verò *subiectum adæquatum primarium* in nostris affectibus, si exanthemata spectemus, cutis cum cuticula, microcosmi litora, quæ glandulis infinitis, tubulisque scatent ibi enim vaporum terminus, & meritò sanguinis materies obseruatur, omnes hoc suscipit sanguinis quisquilias, tum hæc ipsa exanthemata: cutis ergò, quæ rarior, & calore magis fouetur, magis hasce suscipit passulas sanioſas, vnde in dorso sese magis produnt, quàm in facie, manibus, ac pedibus, hinc Medici statim dorsum inspicere debent, & quidem ab initio, vt certiores de præsentia ipsarum reddantur. *Riuerius de febr. pestilent. cap. 1. pag.* 549. morbillos magis copiosè in pectore & dorso erumpere statuit, quia hæ partes sunt hepatis excernicula, cui segregationis opus maximam partem, sed malè tribuit. Nec oculi, nec aures, imò, quod magis est, nec interiores corporis partes, viscera, puta, pulmones, diaphragma, ventriculus, &c. ab hisce immunes sunt, quæ viscera sæpe in defunctis nigra & corrupta, imò circa interiorem membranam quasi adnatas variolas obseruaui nigerrimas.

Quod attinet *subiectum causæ*, seu *inhæsionis*, est massa sanguinis, & lympha, imò omnes partes solidæ, in quibus sepultum iacet seminarium, ex quo nacta emergendi occasione propullulant exanthemata illa sanioſa, pluribus hactenus funesta. Nec excludimus glandulas.

DIAGNOSIS.

§. 3. Vt verò pateſcat, quid patiatur æger & an parturiat variolas, an morbillos opus est *signis diagnosticis*, à quorum internotione causarū dependet scrutinium, atque curationis fundamentum.

Sunt ergò imminentium, vel timendarum variolarum, & morbillorum *signa generalia*, si calida & humida, seu austrina præcesserit hyems, quæ in aere nostro varias mutationes efficit. Has autem verno plerumque tempore graſſari hactenus obseruauimus.

Præsentium verò variolarum in singulis individuis signa attendenda sunt essentialiter inhærentia. Hodiè enim maximè in eo peccatur, quod Medicus eas non statim ab initio cognouerit variolas erumpentes. Sic in *potentissimo Ferdinando V. Romanorum Rege electo & coronato* variolis anno 1654. mense Iulio extincto, Medici ab initio non pro variolis, sed pro febre tertiana habuere, quia statim aderant deliria, tremores &c. hinc

& male cura cessit. Quare ægroti interrogandi sunt, si tantùm quædam suspectio variolarum adsit, num hoc malo nondum laborauerint, aut num cum infectis conuersati fuerint, vel saltem hoc morbo afflictatos aspexerint, indeque terrorem cõceperint? Sic nouimus exemplum de magna matrona, matre trium liberorum, quæ cùm nunquam variolas passa aspexerit infantem variolis maximè defędatum in facie, inde statim domum rediens eodem corripiebatur malo, & sex diebus post vitam cum morte commutabat.

Præsentes verò esse variolas vel iam imminentes, per sequentia signa patebit. Accedit primo calor blandus & acrior cũ pulsu frequentiori, qui calor continuo citra remissionem æquabiliter, vel non sine æquabili exacerbatione, cum horripilatione præuia, lassitudine dolorosa, & languore notabili, & dolore dorsi, lumborumque, secundo vel tertio die adesse solet febris suis symptomatis stipata, siti scilibet, capitis dolore, nausea, vomitu, &c. Variolæ & morbilli solent vt plurimum circa medium diei secundi erumpere, subsequi plures tertio, quarto autem die toto agmine se ostendere solent, & hoc in casu non tantùm facies inspicienda, sed denudari debet corpus, inprimis dorsum, ex quibus licet tarda læta tamen sæpiùs eruptio contingit, cum febris ex augmento ad statum festinat. Sed meliùs est cum *Syluio* suspendere iudicium ad tertium scilicet diem.

In Infantibus, alijsque, antequam erumpant, præcedunt nausea, vomitus, sæpè verò tremores, conuulsiones & epilepsiæ. Iam verò eruptis sitis plerumque immodicè torquet cum oris siccitate, nec æstuantia viscera etiam largior compescit potus, in alijs mitior, & sæpè deficit. Aluus ordinariè quasi de industria ad tres, quatuor, aut quinque vel etiam plures dies obstructa est. In *Regno Cardimelechis* obseruatur palpitatio cordis, respiratio difficilis, citata, & quasi suffocatiua, anxietates circa præcordia, syncope, pulsus citatior, qui sæpe in arterijs temporum obseruatur. In *Regno Microcosmetoris* occurrunt Cephalalgia, vigiliæ, aliquando in principio somnus inquietus, cum terrore & delirio, conuulsiui motus cum dentium stridore, lethargus, &c.

In cutis superficie præcedit pruritus maior cum punctionis sensu in toto corpore, oculi rubent, illachrymantur, caligant, nares pruriunt cum sternutatione, & in hæmorrhagiam soluuntur, aures tinniunt, raucedo & tussis sicca, vt & pandiculationes cum oscitatione crebra adsunt. In excretis occurrunt primò cutis asperitas cum madore & vdore, postea, quæ tertio & quarto die ferè primò in dorso magis, postea ventre & facie, maculæ rubræ quasi continuæ in cute erumpunt, successiuè augentur, saniemque in variolis emittunt, vsque ad vndecimum ferè diem, donec propulsa omni, & sensim cocta materia, siccentur, & in crustulas, squammulasque fatiscant.

Morbilli verò prout citius emergunt, ita & decrescunt iterum, vt quarto, sexto, vel nono die res confecta sit. Menses se, produnt extraordinariè, sputum & copiosam materiam multũ serosam totius morbi decursu eijciunt, & saliuatio illa ægros multùm vexat, aliquando etiam ipsum pus excernitur, quare sæpè hic morbus terminatur in phthisin: nares sæpè stillant sanguine, vrina rubicunda, & tenuis, interdum subturbida est, sanorum etiam nonnunquam similis, ex qua sola immutata plures ex vromantis variolas imminere prædicere posse iactant. Sed non in omnibus omnia hæc conspiciuntur symptomata, sed pro fermenti peccantis minori, vel maiori quantitate maiora, vel minora visuntur symptomata. In morbillis omnia prædicta symptomata mitiora apparent, quàm in variolis & ab initio non facilè, nisi à communi contagio hariolari velis, vel variolas, vel morbillos esse, prædicere potes. In variolis febris magis acuta, & symptomata, ceu dictum, grauiora præcedere solent, quàm in morbillis. Semper in toto morbi stadio adest ptyalismus, qui multùm fatigat ægrotos, & ipsis exitit sæpè funestus.

§ 4 Si vnquam versamur in caligine, næ in causarum agnitione fieri solet, & non immeritò felicem illum prædicamus, qui rerum potuit cognoscere causas. Hinc verissimum est, quod apud *Hippo-*

cra-

cratem lib. de flatibus exstat; qui morbi cognouerit causam, is vtique ex his, quæ in corpore insunt, adepta per contraria morborum cognitione, facilè poterit, quæ prosunt, offerre. Nam si in alijs, ceu minore luce cæcutimus, absq; omni dubio hic plane in solæ cæci sumus. Proinde primò omnium licebit affectus nostri prosequi causam ex mente & principijs *Galenicorum*. *Discipuli Galeni* hunc morbum minimè nouum esse dicunt, cum sc. ab antiquissima causa sanguinis materiæ impuritatibus in infantium corporibus delitescentibus oriantur, quam & *Arabes* iam nouerint, attamen ab *Hippocrate*, & Medicorum dogmaticorũ Hyperaspiste *Galeno*, alijsque ãtiquioribus nullam mentionẽ factam fuisse testantur. Sanguineam materiam esse veram causam variolarum & morbillorum statuunt *Galenum* sectantes, probantes ex eo, quod ex hominum millibus vix vnum reperiri liceat, qui semel saltem in hac vita hos affectus non patiatur. Non verò substantialiter in corpore remanere impuritates illas menstruas existimant, addita hac ratione, quod deberent mora longissima ex putredine corrumpi, & putrescere, sed ab ijs tantum prauam quandam qualitatem partibus fœtus imprimi aiunt, quæ tandem humorum partem aliquam inficiens naturæ molestior redditur, & quæ tandem insurgens infectas illas humorum portiones ad cutem propellit, vnde eruptio variolarum & morbillorum in virili ætate & senectute contingit. Duplex quoque *Galenici* statuunt in massa sanguinis excrementum, vnum crassum, alterum verò tenue: ex crasso variolas generari, ex tenui verò morbillos ridicule asserunt. Expulsionem verò variolarum, & morbillorum cum *Neotericis* per sanguinis ebullitionem fieri statuunt, & iuxta doctrinam *Auicennæ* duplicem ponũt ebullitionem, *perfectiuam* aliam, aliam vero *corruptiuam*. *Perfectiuam* seu deputationem dicunt esse eam, in qua partes duntaxat, impuriores, & excrementitiæ sanguinis putrescunt, & à natura expurgantur, vt tota massa pura postmodum relinquatur, & tunc variolas iudicant salutares, quæ sine vllo medico auxilio sanantur. *Corruptiuam* verò dicunt illam, in qua non solum partes excrementitiæ sanguinis, sed & ipse sincerus sanguis cõputrescit, inde periculosas, & lethales variolas oriri asserunt, qualem ebullitionem contingere asserunt, dum epidemici grassantur illi morbi, & à maligna aeris constitutione producuntur, à qua humorum efferuescentia, & maligna putredo producitur, vnde variolas multas, & periculosas generari aiunt, quæ interdum pestis prodromi, & nuntij iuxta *Rhasis* sententiam esse consueuerunt: referuntque *Galenici* variolas & morbillos inter morbos acutos, vt plurimum intra quatuordecim dies terminantes. *Arabes* disciplinarum illi impigri Authores, præeunte *Ebesina* huius affectus vniuersalem causam victum statuunt, illum in primis, quo in vtero adhuc hærentes infantes, nutriuntur.

§. 5. *Paracelsistæ* causam harum variolarum proximam quærunt in sulphure, sale & Mercurio.

§. 6. *Helmontius* variolarum causam non admittit supra dictam de nutritione menstrui sanguinis, quia tunc cum nutriatur fœtus menstruum non est, sed potius illas surgere ex veneno, quo cruor inficitur, dicit, quæ veneni essentia non est demonstrabilis à priori, sed per effectus proprietatem veneni mentitur. *Ipse* ergò *variolarum* primarum *Archei* exorbitationem esse existimat, dum enim aer ambiens endemium noxium quid spirat, tum *Archeus*, qui celerrimè ab ambienti affici potest, impatiens auræ malignæ fabricat in se peculiare virus, quod tales suas habet proprietates. Hoc venenum etiam circa stomachum accendi putat.

§. 7. *Vuillisius de febribus cap. 15.* causam proximam cum *Arabibus* in menstrui sanguinis inquinamento tempore formationis in vtero materno ponit: In quo fermentum quoddam generari asserit, quod sanguineæ massæ communicatum vigorem conciliat, ac dein statis periodis turgescentiam, & sanguinis superfluam excretionem procurat: tempore enim conceptus, cum omnino desistunt menstrua, plurimum huius fermenti fœtui impendi ait, eiusque particulas heterogeneas, velut peregrinum quoddam humorum ac sanguinis massæ confundi,

cui inuoluntas dein delitescere statuit, donec à causa euidenti commotæ fuerint particulæ, tunc cum sanguine fermentescunt, ipsisque ebullitionem, ac deinde coagulationem inducùt, è quibus plurima huius morbi symptomata producuntur. Fermentatiua hæc semina modò pauca, & mitiora, alijsque corpusculis ita obuoluta, esse asserit, vt non facilè emergant, in alijs vero esse plura contendit, & fortiora, ita vt leui quauis occasione in hunc morbum maturentur, hinc quosdam citius, & in infantia variolis, corripi, alios tardius, & non nisi in matura ætate his affici statuit, hinc & nonnullos facilè contagium suscipere, alios vero sine periculo cum ægris conuersari, asserit.

Causam verò euidentem, quæ scilicet fermentatiua illa semina commouet, triplicem assignat, contagium nempe, dispositionem, ac immodicam sanguinis perturbationem. Quod contagio hic morbus producatur, per quotidianam comprobat experientiam, quia à corpore infecto continuò decedunt effluuia, quæ ab alijs corporibus suscepta, statim instar veneni cum sanguine fermentescunt, sicque iuxta Authorem semina eiusdem affectus latentia, ipsiue homogeneo suscitant, & in huius morbi ideam disponunt. Secundo iuxta *Vuillisium nostrum* & peculiaris dispositio aeris variolas producere potest, hinc sæpissimè popularis euadit, ac per totas regiones vrbesque desæuit, hinc etiam vere & autumno frequentior occurrit, quippe, vti ait, in aere tum temporis in primis diuersimoda atque exinde tumultuantia innatant corpuscula, quæ cum aura vitali inspiramus, indeque variè humorum, ac sanguinis efferuescentiæ, & morborum ideæ suscitantur. Sic & tertiò licet deerit contagium, nullaque aeris maligna constitutio præcesserit, tamen ob sanguinem, & humores nimis commotos, & perturbatos hunc morbum vidit productum, cum nemo in tota regione ægrotauerit; sine prævio enim miasmate occulta semina nimio sanguinis feruore facilè in actum deduci posse, quis non agnoscet?

Modum verò fiendi comparat Author noster cum efferuescentia musti; quomodo illud fæces ejiciat, sic & efferuescentia sanguinis inutilia excrementa excernit; sanguinis cum veneno congelati portiones circa diem quartum, modò citius, modò tardius erumpi ait, quippe non statim, sed post temporis interuallum, quo venenum se explicat, & efferuescentia cruorem fermentat, coagulatio excitatur. Primò lenes, iuxta ipsum, portiunculæ sanguinis inquinatæ, æque numero paucæ instar pulicum morsus in cute defiguntur, postea plures se produnt, & cruoris coagulati appulsio accrescit, & in tumorem eleuantur, dein hæ moleculæ primo rubræ, sensim auctæ tandem albescunt. Si sanguis cum veneno extrauasatus propter calorem & stagnationem in pus mutatur, circa septimum diem albi tumores in scabiem siccam incrustantur, tenuiore scilicet materiæ parte euaporata, reliqua indurescit, quæ dein cuticula exesa & abrupta à cute decidit. Quæ, & alia eleganter de hoc morbo tradita apud Authorem reperire possumus.

§. 9. *Sylvius*, qui negat ortum habere ista exanthemata ex corrupto sanguine menstruo, durante vteri gestatione circa vterum collecto, & aliqua sui parte in fœtum translato, tandemque nunc citius, nunc tardius à reliqua massa secreto, atque ad corporis superficiem propulso, sed potius in glandulis renalibus latere antecedentem causam variolarum statuit, à causa quauis procatarctica sæpè excitatam; causam verò eius proximam attribuit modò acrimoniæ salinæ lixiuiæ, quemadmodum, in gangræna, & maculis gangrenosis, quales in peste obseruantur, atque nigræ sunt, & liuidæ; modò acrimoniæ acidæ, in qua etiam partem corrumpi posse nullus dubitat, absque tamen mortificatione, & nigredine, sed potius cum albedine; modo acrimoniæ mixtæ. *Causam* verò *procatarticam* dicit vel esse aere malè affectum, vnde tam sæpè occurrunt *variolæ Epidemicæ*. Deducit quoque eam ab alimentis peculiaribus, sic & terrorem multis fuisse, causam variolarum procatarcticam asserit, quemadmodum ab eodem pestis, alijque affectus graues produci obseruantur.

§. 9.

§. 9. *Cartesianorum* nonnulli, inter quos est *Georgius Hornius in Arca Mosis p.* 121. à veneno inominato, solis hominibus peculiari, natales variolarum deducunt. *Mercurialis* variolas hæreditate paterna ex sanguine, & ichoribus ebullientibus ob calorem, qui in corporibus excitari potest, fieri varijs rationibus comprobat. Sic & idem *Mercurialis* ab aeris quidem vitio quodam vniuersali deducit primum variolarum ortum, est transplantationem hodie existimat esse hæreditariam. *Kircherus* ad viuam mortis imaginem, seu putredinem animatam variolarum originem refert. Huic subscribere videtur *Langius*, qui exanthemata nihil aliud esse dicit, quam verminosum effluuiorum conceptacula ac hospitia. Menstruarum verò reliquiarum seu impuritatum à materno sanguine residuarum vanitatem deridet. *Fernelius* earum originem deducit ab occulto astrorum influxu. *Dygbæus* in sanguine, qui post partum in vasis vmbilicalibus remanet, causam huius morbi quærere videtur. Sunt & *alij* qui ex repetita post semel factam conceptionem venerea libidine deducunt.

§. 10. Vt ergò ex his mæandris pateat exitus, depromamus & *nostram sententiam*, quâ semel probata, reliquæ sententiæ facilè corruent. *Causam* ergò *variolarum proximam*, non cum alijs in sanguinis inquinamento quærimus, quia ex Veterum hypothesi falsum est, quod fœtus ex sanguine menstruo mulierum, & semine virili in vtero nutriatur; & simul *Neotericorum* Anatomicorum experientia constat, quod non in instantibus mensibus, nec actu iam fluentibus, sed finitis fiat conceptus, quo vasis vteri adhuc nonnihil laxatis quasi semen virile, seu ad mentem *Harueanorum* aura genitalis seminis virilis per hæc ad massam sanguineam penetrare, hinc oua muliebria nostro ex iudicio aperire, aliorum verò fœcundare, apertaque, vel ad aliorum mentem fœcundata, per ductus Fallopianos ad vteri cauitatem mitti vel deponi queant.

Probabilior est sententia *beati Ettmulleri*, qui statuit in nobis esse aliquod implantatum principium, ratione cuius nemo ferè variolas effugere queat, cuius causam deducit ex lacte nutritiuo, in quàm extra vterum hausto ab infantulis, quatenus hoc more omnium lacticiniorum facilimæ corruptionis abeat in liquamen acido salinum, & sub visciditate sæpè diu, imò ad plures annos, in tubulis, alijsque locis latitet, quod postmodum acidum aliquamdiu occultatum tandem occasione data, vel ab aere, vel à contagio, vel à victu, aliaque re non naturali in specie producta M.S. per fermentum simile extrinsecus inspiratum pernitiosas febriles efferuescentias excitat. Miror quod hactenus multi viri docti de fermento quodam, vel à sanguinis menstrui, vel à lactis vitio in vtero materno concepto fuerint adeò solliciti, cum tamen videatur, saluo alio iudicio, morbum hunc fieri, vt & alia febris.

Si enim frequentiam febris spectemus, an non ferè omnes & singuli homines ab eadem, prout à variolis, affici solent? Quod verò variolæ magis infantes, quam prouecta ætate viros vexent, ex eo deduci posse mihi persuadeo, quod scilicet infantes non solum in vtero, sed etiam extra eundem constituti lacte nutriantur, vnde sanguinis crasis redditur debilis, & ad coagulationem pronus, hinc data vel ab aere, vel à contagio, vel à victu, occasione sanguis alterationem subit, hinc acidum hoc fermentatiuum cum sale volatili massæ sanguineæ pugnam ingreditur, donec præcipitetur, & subiugetur ope *Microcosmetoris*, hostis ille, acidum puta istud vitiosum sero inuolutum, quod dein præcipitatum ope glandularum intercutanearum successiuè in pustulas coaceruatur, & sic tandem in pus abit, & ab eodem cuticula erosa in crustam duram scabiei similem transit. Acidum verò adesse testantur foueæ ad vitæ vsque terminum in facie sæpè remanentes, item vlcera maligna latè serpentia, vesiculasque pulmonum nonnunquam erodentia, & ita phthisin producentia, pro conditione *acidi* plus minus virulenti. Concipiamus nobis sanguinem præ reliquis animalibus ex partibus sulphureis balsamicis ac serosis optimè esse constitutum, eundem verò partim

ob

ob varietatem victus, & inprimis lactis, & carnium esu facilè excrementitias fermentiscibiles particulas accumulari, nudum in se corpus, & poris infinitis scatens, continuò transpirare, qua transpiratione impedita, præsertim aere austrino, tum alia febrium genera, tum exanthematicas hasce promtè cõsurgere patet, sic citra lactis nutritiui, vel meconij vitium in vtero materno contractum rei huius patere potest ratio. Acidum corrosiuum hic peccare ossa in variolis erosatur, quemadmodum *Limburgi ad Lanum* miserè agentem puerum, cuius ossa ita erosa, ac nunquam in lue venerea fieri potuit, tristis spectaui; sic ab eodem acido rodente conuulsiuos motus, & epilepsiam, tanquam symptomata vt plurimum variolas concomitantia deducere, possumus, illud enim neruos ad crispaturas cogit, & hinc inquietando *Microcosmetorem* inordinatos ac impetuosos motus concitat, & hinc sæpè tota concutitur machina. Notetur autem non quoduis acidum in corpore peccans non volumus intellectum; his enim latum quoque concedendum imperium, nam aliud in podagra, aliud in epilepsia, aliud in morbis chronicis, aliud in morbillis, aliud variolis concipiendum est. Differunt autem saltem in modo, ita vt aliud magis fixum, aliud magis volatile, aliud alio modo pro sapore specifico hoc vel illud constituente, nobis, vt & alijs hodie adhuc inexplicabili. Suspicor tamen variolas esse ex acido salino volatili, quod ex contagio apparet, non idem ab acido fixiori sperandum.

Cum ergò infantes à loci pariter, ac victus ratione insignem mutationem subeant, non potest non fieri, quin sanguini insignis quoque quædam alteratio inferatur, quæ cum sola non semper ob *Microcosmetoris* ignauiam, & fermentum adhuc iners & debile ad excitandam efferuescentiam, & turbandam mixtionem sanguinis sic insufficiens; à prædominantibus ergò *Microcosmetoris* amicis particulis sc. blandis seroſis balsamicis sulphureis obuoluta ad tempus conquieuerit, donec ab aere, vel alijs occasionalibus causis excitatur. Quare verò ad tempus innoxiè ciusmodi affectuum semina vel fermenta in corporibus delitescere possint, quæstio est apud Authores, sed de lana caprina, quomodo semina febrium, inprimis *petechialium*, aliarumque, latent, an non habemus sanguinem ita à natiuitate constitutum, vt data occasione plures mutationes, coagulationes, fusiones, &c. subire debeat, & ipsa venena sub visciditate in corpore diutius latere posse non negamus, experientia enim testatur, venenum canis rabidi ad plures annos delituisse, sicuti id monumenta Medicorum docent: quod etiam patet ex Gallorum veneni præparatione, quod *la poudre de succession* vocant, quæ venena per annum, & vltra in corpore latere possunt, antequam spicula sua exserant, suspicor esse arsenicum certo modo paratum, quod dein ex aere suas vires iterum recipit, quod nuper in cane cum effectu probaui; sic & antimonium diaphoreticum cum tempore suos acquirit aculeos, quod & fecit *Mercurius* in morbo Gallico laborantibus exhibitus, vel externè inunctus, quem per VI. annos in corpore delitescere obseruaui, & nunc aculeos suos reassumsit, & ægro epilepsiam, & tandem mortem intulit: quin imò pluribus idem venenum propinatum non omnes eodem enecat momento. Interdum hæc fermentatiua semina copiosiora, & fortiora in aere sunt, vnde non priùs in sanguine latent, quia nec pestis nec aliarum febrium malignarum semina in sanguine præexistunt, ita vt leui data occasione, vel etiam quandoque proprio Marte in hunc morbum maturentur. Hinc quidam citiùs, alij tardiùs variolis afficiuntur, alij etiam difficiliùs, alij verò faciliùs contagium hoc suscipiunt, prout scilicet sanguinis dispositio variat. In motu verò constitutis hisce particulis *Microcosmetor*, qui sui conseruationem omnibus viribus intendit, totalem resolutionem auersatus, salia illa volatilia peregrina sanguinis sulphureis ichoreseentibus implicata potissimùm hic turbas excitantia, pro viribus ad superficiem corporis propellit, sicque sanguinem despumat. In ista verò segregatione & turgescentia, dum seri particulæ acidæ cum sanguineis volatilibus pugnant, necessariò mixtura sanguinis lædi debet, hinc *febris* vt plurimum, vel sem-

per

per comitatur noſtrum affectum, quò magis enim ſanguis turbatur, eò malignior febris ſororio eidem ſe iungit vinculo. Quomodo ſanguis turgeſcit, patet ex *Williſio*, & conſtat ex mechanica illa, & naturali vegetabilis ſucci optima depuratione, vini ſc.

Symptomata nonnulla explicabimus, & vt ea comprehendamus, exiſtimamus ea vt plurimum vnum agnoſcere fontem, fermentum nimirum acido ſalinum, ſeu acre corroſiuum, acidum tamen adeſſe, patet ex iam dictis, & adhuc dicendis, pro diuerſitate partium nunc in hoc, nunc in aliud ſe transformat pathema, vbi enim idem ſibi rapit imperium; quatenus enim hoc ad genus neruoſum, cerebrique defertur membranas, tunc neruorum fibrillæ ab eo conuelluntur, & *Microcoſmetor* perturbatur, hinc oriuntur inſignes cephalalgiæ, vigiliæ, deliria, epilepſia, dorſi lancinationes, aliaque ſymptomata, quatenus ad maſſam ſanguineam deponitur, ob luctam hanc inteſtinam, & turbatam mixtionem ſymptomata febrilia, pulſus inordinatus, palpitatio cordis, anxietates producuntur. Quatenus cum lympha fermentali ad glandulas ſtomachales, ob irritationem ſuperiori orificio, & præſertim *Gaſteranaci*, moleſtam, nauſea, vomitus, ſic & anxietates præcordiorum; quatenus ad fauces ob acrimoniam ſalſo acidam harum ſiccitas, & hanc inſequens ſitis deduci poſſunt; quatenus ad aſperam arteriam deuenit hoſtis, ob irritationem moleſtam, tuſſim, raucedines, aliaque organorum reſpirationis vitia producit, donec ſubactum hoc & præcipitatum per triplicem euacuationis viam, volatilis nimirum magis ad glandulas ſubcutaneas; ſucceſſiuè in vlcuſcula rodendas, fixior verò partim ad renes ſub vrinæ turbulentiæ, partim ad inteſtina, ſub fæcum crocearum, & malè olentium forma proſcribuntur.

Cauſæ mediatæ huius affectus ſunt cauſæ naturales, & non naturales, de quibus inferiùs, vbi de diæta acturi ſumus, dicemus.

Cæterùm antequam progreſſus fiat ad alia, hoc adhuc dicendum venit, cur hoc malum in conſanguineos graſſetur? Reſpondemus, quòd hoc citra vitium hæreditarium contingere poſſit, cùm enim conſanguinei, vt plurimum æquali gaudeant temperamento, æquali humorum motu, quid mirum! ſi cauſa occaſionali, aere, epidemiorum affectuum præcipuo authore, ſic diſponente, vno eodemque tempore ſimili affectu hi afficiantur; ſic cum & fratres vnius victus regimine educantur, hinc & ipſis ferè eadem craſis, & conſtitutio ſanguinis eſt, quod eodem in vtero nutriantur victu.

§. 11. Iuxta *Hippocratem* noſtrum, diuinum ſenem 2. *aphor.* 19. in febre acuta non omninò certæ ſunt ſalutis & mortis prædictiones. Cùm ergò febris acuta hæc comitetur exanthemata, cautè in prædictione procedendum eſſe autumamus. Quando variolæ & morbilli adultos corripiunt, maius ſubeſt periculum, quam ſi inuadant infantes & pueros, elogio *Coi* 2. *aphor.* 39. Sic & periculoſius eſt malum, quando inuadit hyberno & autumnali tempore, quàm ſi verno & æſtiuo. In maiori verſantur periculo illi, quorum in familia exitiales fuere; obœſi macilentis grauiùs laborant. Grauidis quoque periculoſiores exiſtunt, nihilominus in his robur naturæ ſpectandum eſt. Nonnullas nouimus, quæ citra periculum vitæ & abortus, has ſuſtinuere: ratio hæc eſſe poteſt, quòd efferueſcentia febrilis non ita diu duret, vt in alijs continuis, & acutis febribus, ſed eruptione facta remittat, vnde non æquè oſcula vaſorum laxantur, & hæmorrhagia vteri contra naturæ intentionem fiat. Variolæ, quæ plures eodem corripiunt & enecant tempore, ſunt periculoſiores, quàm quę hinc inde vnum & alterum corripiunt, quò maior enim malignitas, eò periculoſius eſt.

Si multæ liuidæ & nigræ maculæ, inprimiſque in variolarum medio apparent, vel ipſis interſpergantur, malignitatem inſignem, & hinc maximum indicant periculum, nec ſemper ab externa facie ſymptomatum mitiorum metuendus eſt huius mali genius, cùm ſæpè, vti ſerpens in germine latet, abſcondita ſit malignitas. Sic nec Medicus terreri debet, ſi ab initio adſint peiora ſymptomata, puta deliria, conuulſiones, epilepſia, &c. cùm tempus antecedens criſcos ſem-

per

per grauius esse soleat, si tamen hæc naturæ sphæram transgrediantur, & fiant infida signa, malumque morem præ se ferant, tunc existunt ferè lethales, & ad minimũ periculosiores, si verò post eruptionem symptomata grauiora remittant, bona tunc affulget spes. Si febris verò recurrat, & epileptici superueniant post liminio insultus, & alia, mortale est. Calor febrilis, si post quartum diem, vel cum iam erumpunt exanthemata, ad minimum non aliqualiter remittit, non vacat periculo. Si calor etiam citiùs remittit quàm par est, haud potens est heterogenea miasmata ex sanguine expellenda, tunc vt plurimum moriuntur; semper ergò cautiùs incedendum est, ne refrigerãtes emulsiones ab initio ad ęstum sedandum in maxima siti, quam conqueruntur, exhibeamus, aliàs Libitinæ eos consecrabimus, absente enim fortiori calore vires labascunt, quò vires autem debiliores, & symptomata grauiora, eò etiam est affectus periculosior, nec ægri in nimio calore detineas, aliàs & ipsos suffocabis.

Respiratio difficilior, & quasi suffocatiua cum voce rauca, elogio *Hippocratis* 4. *aphorism.* 50. est mali ominis. Sitis deficiens, & appetitus prostratus post eruptionem variolarum aut morbillorum non vacat periculo. Deliria ab initio in apricum se sistentia sine risu, & somno non imminuta, denudatio indecens, constans obliuio amicorum, tremores, conuulsiones, syncope, stridor dentium, vigiliæ pertinaces, vti pessima signa, ita sæpe ante & in eruptione, ceu superiùs retulimus, innoxia obseruata sunt, si verò post eruptionem pertinaciter perseuerent, omnia lethalia audacter pronuntiare possimus.

Quoad pustulas, quò illæ enim citiùs erumpunt, tertio vel quarto vt plurimùm die, eò melius est, quæ vsq; ad vndecimum successiuè increscunt, suppurantur que in variolis; contrà si expulsio non succedit, vel si exanthemata retrocedant intempestiuè, si illicò marcent, partiumque tumor statim remittit, citra symptomatum & caloris mitigationem, omnia malignitatem & mortem arguunt.

Mensium fluxus eruptioni variolarum superueniens vulgò lethalis existimatur, quem tamen in *Principißa* quadam *Nassouica* absque periculo obseruaui. Diarrhœæ eruptioni superuenientes malæ iudicantur, cum & plures liberaui tali fluxu laborantes, nigræ tamen, cruentæ, virides & fœtidæ deiectiones ab omnibus pro lethalibus habentur, quia pluribus intentus minor est ad singula *Microcosmetor*, qui ad peripheriam noxia pellere, connititur; in genere verò aluum adstrictam habere præstat, quàm fluidam; si bezoarticis theriacalibus cedat diarrhœa, res in vado est.

Tussis sterilis peior, quàm quæ cum eiectione est, sputum crassum, malum, cruentum non semper malum est. Hæmorrhagia narium copiosior ante & in eruptione melior est, & variolarum quantitatem imminuit; Sudores excretiui boni, resolutiui, & frigidi lethales iuxta 4. *aphor.* 37. *Hippocratis*. Frigus extremorum etiã pessimum in variolis est itidem elogio *Coi* 7. *aphor.* 1. Variolarum color liueus, violaceus, nigricans, peior est rubro, vel citrino maioremque denotat malignitatem, sic & si petechiæ fuscæ & nigræ variolis mixtæ sint, pessimum est signum; distinctæ, rotundæ & coniunctim, & simul erumpentes, fastigiatæ, molles variolæ sunt meliores; Chrystalli omnium sunt benignissimi. Variolæ more acutorum absoluunt ordinariè suum tempus per dies 14. quod verò morbili citiùs percurrunt ob humorum volatilitatem, & quidem septimo terminantur die, sed sæpiùs grauioribus sunt stipati symptomatibus. Peiores sunt variolę, quæ interiora afficiunt, vnde sæpiùs phthises, dysenteriæ, anginæ, gangrænæ, sphacelus; quandoq; materia peccans ad vnum vel alterum neruum à natura transmittitur, vnde aliquando cœcitas, surditas, loquelæ defectus, prout nuper in pago *Hanouiæ vicino*, *Hochstatt dicto* obseruauimus, vbi puella septem annorum à variolis muta facta est, quæ decrepita ætate ex improuiso loquelam cum maximo parentum gaudio recuperauit.

§. 12. Superest nunc altera Praxeos pars, *Cura*, quæ est vel *Dietetica* vel *Pharmaceutica*.

Diætetica consistit in legitimo *sex rerum*

rum nonnaturalium regimine.

Aer ergò sit ex calido temperatus, nimis enim calidus suffocat. Malè igitur faciunt mulieres, quæ nimis calefaciendo conclauia, & hypocausta, plures necidant, quàm liberant: sed & nimis frigidus arcendus est, quia motum naturæ sæpè impedit, poros cutis occludendo, ne exanthemata per hos expelli possint, nec ergò in declinatione, statim aeri frigido exponantur pueri, indè enim sæpè recidiuas patiuntur. Alij suadent obtegi debere panno rubro, alij ouem vel hircum ad mentem *Riuerij in prax. libro 7. de Variolis & Morbillis* in cubiculo detinendum suadent.

Quoad cibum & potum prosunt iusculа a uenacea, hordeacea cum passulis, præsertim cum succo citri acidulata, quod arcanum est hoc in morbo, gelatina C.C. dulcis, & acida. Pro potu quandoque solum decoctum hordei cum C. C. vsto, & scorzonera sufficit, vel sequentia cereuisiæ indi possunt:

℞. *Flor. bugloss.*
borragin.
violar.
calendul.
aquileg.
trinitat. ana mj.
C. C. raspati ℥ß.
gumm. lacc. ℥ij.
alb. græc. ℥ß.

Hoc in delicatioribus omitti potest.

Singulis alternis diebus manipulus ex his speciebus indi potest potui ordinario, vel fiat nodulus ex semin. aquilegiæ, terra sigillata, C.C. philosophicè præparato, vel quòd melius est cereuisiæ tenui, & benè defæcatæ instilla tincturam aquilegiæ cũ spiritu vitrioli, vel nitri acidulatam, vel tincturam bezoarticam, vel terræ catechu. Potus enim pro siti sedanda non facilè denegandus est. Carnes & pisces, salsa, acria, dulcia, aromatica, omnes fructus horarij, item vinũ, mustum, aliaq; minùs defæcata potulenta angue peius vitẽtur, vinum rubrum tamen ad cochlearia aliquot concedi potest. Motus & quies sint moderata.

Sõnus non ineatur ante sũptũ bezoarticum, & sit cũ vigilijs moderatus, nec antè sextũ eruptionis diem ægri lecto affigendi sunt. Quies tamen præ motu eligenda est.

Aluus ante perfectam eruptionem, etiamsi diutiùs paulò adstricta sit, intempestiuè non aperiatur, qua de re videas elegantem obseruationem apud *Langium dissertat. de Morbill. §. 99. & seqq.*

Animi affectus omnes sunt fugiendi, inprimis terror, ex quo plures in hunc morbum incidisse nouimus; sic & curæ, tristitia, mœrores vitanda, & gaudium præ his eligendum esse existimamus, animus enim pacatus hic optimum ceu in peste præseruatiuum est.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 13. Nunc restat *Cura Pharmaceutica*, quam ceu in prioribus fecimus, ad mentem *Galenicorum* trademus, qui à venæ sectione *curam* inchoandam esse dicunt, & quidem ipsam ante quartum adhuc diem instituendam esse existimant, antequam eruptio variolarum facta est, inprimis si erumpentibus variolis, febris intensior adsit, anxietas, & difficultas respirandi, lotium crassum & rubrum, quam in grandioribus pueris iterandam esse volunt, inprimis si adsit febris intensa, aliaque *Parisienses Medici* in teneriori ætate, & lac sugentibus pueris à venæ sectione non abstinent. Alij loco venæ sectionis in meticulosis cucurbitulas applicari monent. Ante eruptionem variolarum, si simul obseruetur cacochymia, & purgandum esse volunt *Veteres*, variolis verò iam eruptis, vel erumpentibus sibi eam esse suspectam scribunt. Hinc non nisi blandiora exhibenda volunt, vt sunt, rhabarbarum, cassia, manna, tamarind. sirupus rosarum solut. &c. Post venæ sectionem, aliasque euacuationes variolarum expulsionem adiuuandam esse aiunt, in quem finem non tantùm remedia specifica humores ad superficiem cutis expellentia, sed etiam diaphoretica, & alexipharmaca, præsertim si variolæ epidemicæ sint, suadent, & commendant vulgatissimum iam à *Rhasi*, & *Auicenna*, totaque Arabum *familia* notum medicamentum sequens:

℞. *Ficum ping.* ℥vij.
lent. excorticat. ℥ij.
lacc. ℥ijß.
gumm. tragacanth.
semin. fœnicul. ana ℥ij.
Coq. in ℔iß. *aq. fontan. ad remanentiam tertiæ*

siæ hartis, de qua detur aliquid cum potu.

Vel sequentem Iulepum præscribunt:

℞. *Radi. scorzoner.*
acetos. ana ℥j.
C.C. ℥ß.
fol. scabios.
scord.
hyperic. ana m.i.
ficum pinguium par.iij.
gumm. lacc. ℥iij.
semin. nap.
card. bened. ana ℥ij.
lentium excoriat. ℥ß.
gumm. tragacanth ℥ß.
Coq. ad ℔ß *de colatura cape* ℥iij.
cum syrup. de limon. ℥j. *M. detur bis aut ter in die dosis.*

Si malignitas maxime vrgeat, alexipharmacis insistendum esse existimant. In quem finem commendat confectionem de hyacintho, lapidem bezoarticum, corallia, margaritas, C.C. ol. scorpion. alique; nec corroborantia tam interna, quàm externa totius morbi decursu omittenda volunt.

Quod symptomatum curationem specialem attinet, de his vide *Riuerium de Variolis & Morbilis.*

§. 14. *Paracelsus*, & *Helmontius* per arcana sua affectum hunc curare satagunt, Principalis enim indicatio ex Helmontio habetur sedatio Archei, quæ obtinetur per arcana deputatiua, inter quæ nō infimi subselli ipsi est Mercurius diaphoreticus, quo etiam omnem febre curasse exhibita vnica dosi gloriatur *Helmontius.*

§. 15. *Vuillius* prout decursus morbi tria habet tempora, sic & curatiuas intentiones singulis horum accommodatas ponit. Primis ergo quatuor vel quinque diebus antequam variolæ apparent, & sanguis incipit ebullire & efferuescere, ab initio euacuationem per vomitum, aut per sedem instituendam vult; Pharmacis tamen mitioribus, & blandis vtendum præcipit, ne fermentationis seu efferuescentiæ opus nimium proritetur. Si plethora adsit, venæ sectionem quoque admittit Author. Secundò cum variolæ iam apparent, tum lenem & blandam diaphoresin suadet, & vt sanguis leniter ebulliat, & simul guttur defendatur decoctum siccum, florum calendulæ, & rasur. C.C. in cerevisia, vel liq. posset, commendat, & in die cardiaca moderata aliquoties exhibet, propinatque. Calida autem & fortiora sedulò vitanda esse ait; tunc temporis & venæ sectionem, & purgationem omittenda esse præcipit; pro tuendis gulæ & gutturis partibus exterius scutum croco intersutum, & lacte muliebri intinctum apponit, in quem finem & adhibet gargarismos, & oris collutiones; oculos verò defendere iubet cum aqua rosarum, lacte muliebri, croco & similibus instar cataplasmatis applicatis.

Cum morbus in declinatiope sit, atque variolæ emarcescere, & incrustari incipiunt, rem vt plurimum extra periculum sitam esse ait, exhibendum tamen vult victum tenuem, & carnium expertem; & si iam æger obambulare potest, per purgationem bis vel ter institutam sordes in visceribus & sanguine relictas expurgari vult, postmodum victum concedit lautiorem.

§. 16. *Syluius* curationem ratione præseruationis ac præcautionis instituendam vult, quando variolæ sunt epidemiæ, atque in eadem domo plures corripiuntur, & alij supersunt, qui eas nondum passi sunt: hoc in casu vult, vt adhuc sani infantes & ab hac lue ab alijs affectis in aerem salubriorem, in quo nullæ obseruantur variolæ, transferantur; si verò blandæ & boni moris fuerint variolæ, dissuadet mutationem aeris, sic & præseruationis ergò purgantia pro humorum diuersitate diuersa, & grata exhibenda esse existimat.

Quam primum verò capitis dolor cum reliquis symptomatibus, vel indicijs variolarum tunc temporis obseruatur, dandam esse operam ait, si sanguis redendat, vt venæ sectio instituatur, & copia sanguinis conueniens educatur. Sic & statim post venæ sectionem vna vel altera hora humorem peccantem, quo vergit, educendum putat, quoties nausea per vomitum, quoties desidendi conatus, & ventris conturbatio per aluum, quoties verò mador vel sudor obseruatur, per sudorifera expellendam esse materiam peccantem

asse-

asserit, & præalijs commendat *antimonialia*, quia hæc sanguinem mundificant, eaque per plures dies repetenda esse inculcat, in primis quando febris desit, eruperuntque variolæ, & symptomata ferè sint sublata, tunc generosum esse dicit *Antimonium diaphoreticum*, vel *bezoarticum minerale*, quibus accedere ait terram sigillatam variam, bolum armenum, terram Lemniam, lapidem bezoar, vnicornu qualecunque, ebur, C.C. & in primis salia volatilia blandiora.

Quoad externa commendat omnia illa, quæ ardorem in variolis ad suppurationem vergentibus temperare possunt, ex quibus laudat iuscula verrecina, axungiam porcinam, lardum tam recens, quam fumo alteratum, quibus variolas in quibuscunque locis inungi vult, & si apostema alicubi timendum sit, ab balsamum anisatum, vel succinatum, vel iuniperi confugiendum esse contendit.

In oculorum palpebris læsis, vel tunica cornea erosa, commendat lac muliebre cum croco & aqua rosacea, cui epithemati præfert succum ex cerefolio contuso expressum, additaque rosarum vel fœniculi aqua, & tepidè oculis cum linteis duplicatis applicatum. In alijs oculorum affectibus & pano acidiuscula in cataplasmate conducere ait.

Si inflammationes aurium à variolis productæ fuerint, tunc in hoc casu laudibus extollit spiritum vini cum spiritu salis armoniaci, panis è farinæ flore parati, & adhuc calentis micæ immissum, & calidè applicatum: item decoctum absinthij, centaur. minoris, abrotani, aliusque plantæ aromaticę in aurem calidè immissum; commendat item balsamum sulphuris quamuis in aurem ad guttas aliquot cum penna instillatum.

In respiratione difficili, & tussi magnificit medicamenta antimonialia, & in primis diaphoretica, vt & salia volatilia, sed blandiora.

§. 16. Hisce *prælibatis* nunc & aggredimur nostram medendi methodum. Quoad præseruationem, primò aer, & contagium, fugienda sunt, dein corpus ab omni saburra seruetur liberum. Præseruandi gratia possunt concedi purgantia mitiora, vt saburra vitiosa hoc modo eliminetur. *Nobil. Dygby* pro vniuersali habet præseruatio, si statim recens in lucem edito infanti sanguis in feniculo abscisso existens, vino abluatur, quod tamen hactenus frustra tentauimus.

Acida blandiora, itidem absorbentia, imprimis myrrhata, in præseruatione in diuersis corporibus maximè proficua reperimus.

Quod ipsam *curationem* attinet sequentia sunt obseruanda. Alimenta obseruanda est in *variolis discretis*, alia in *confluentibus* cum in his tam febris quam alia symptomata etiam ad multos dies à postularum eruptione ægrum excrucient, in *discretis*, verò symptomata non sunt adeò atrociora. Cum morbi huius tria sint præcipuè notabilia tempora, initium scilicet primum febrilis inuasionis momentum, tempus eruptionis, postularumque suppurationis; & denique tertium tempus à morbi statu vsque dum variolæ exarescant, decidantque etiam curatiuæ intentiones singulis horum accommodari debent. Vt omnia commodè perficiantur, victus ratio per totum morbi stadium, ceu diximus, tenuis instituatur, nonnullis peculiariter obseruandis. Primò autem omnium necesse est æger calorem lecti intempestiuum ante omnia fugiat, sic & musæum calefactum mihi valdè est suspectum, quod & iam agnouit celeberrimus Practicus Anglicus, *D. Th. Sydenham*, dicens, plures à calidiori regimine, quàm à frigidiori hodie mori, ex calido enim isto regimine, nihil boni nasci inquit, sicut ex præcoci fructu nihil frugi. Eo ergo semper annitendum, vt æquabilis ille tenor ebullitionis in sanguine conseruetur, præcipuè ergò primis sex diebus cauere oportet, in primis si æger in ætatis flore constitutus fuerit, vel sanguinem habeat generosiori potu nimis exaltatum, vel ver, æstas sit, à nimis calidis, siue id fiat ex congestis stragulis, siue ex vicino calefacto hypocausto, in quo decumbit æger, siue ex calidorum medicamentorum, & cardiacorum vsu, sæpe enim, quo diutius natura separationem molitur, dummodo efferuescentia non omnino tollatur, eò certius separatio fit. Ea propter hic exulare volumus purgationes, clysteres vomito-

mitoria, & venæ sectionem. Per hasce enim euacuat iones non dunta xat efferuescentia nimis imminuitur, cuius interim ope partes dispumandæ accuratè secerni debuerant, verùm etiam illud ipsum subducitur, quod cœptæ secretioni quasi pabulum suppeditaret: nec hic nostra intentio est, vt æger frigori exponatur, vévt gradus caloris ad harum expulsionem promouendam accommodatissimus *naturalis* sit oportet. Si verò *venæ sectione* minùs opportunè instituta, vel admisso frigore pustulæ reciderint, tunc cardiacis blandioribus vtendum esse existimamus, sed cauendum tamen, ne in his propinandis nimij simus. Quæuis ergò calida primis diebus fugienda esse putamus, cùm vtplurimum varioloſi phrenitide moriãtur. Quare ab initio ægris ab aura liberiore, vino, ac carnium esu abstinere iubemus, & concedimus pro potu cereuisiam tenuem, & medicatam. Pro victu admittimus, ceu diximus, iusculà auenacea, hordeacea, poma, item lac, quo infantes rusticorum sæpiùs alijs omissis curantur. Tutius profectò primis sex diebus ab expellentibus & sudoriferis abstinere, & blandiora saltem acida, vt sunt tinctura aquilegiæ, florum cordialium, succus citri, exhibere *Cl. Dn. Dn. Vvaldschmidius* in hunc finem parare nouit *spiritum contra variolas polychrestum*, quo hactenus felicissimè vsus est, vt etiam nemo illorum, quibus maturè fuit exhibitus, perierit, & præter hunc nihil ampliùs adhibet, nisi quòd nonnullis die septimo, octauo, & nono, blandiora bezoartica cum myrrha in parua dosi commendauerit. Tot spiritus istius vidimus effectus, vt spondere audeamus, neminem in posterum variolis mori posse, modò hoc vtatur medicamento, & calorem lecti primis fugiat diebus. Certum est à calidiori illo regimine plures interire, prout nos obseruauimus ab intempestiuo cardiacorum vsu sanguinis mistum, maculas purpureas, phrenitidem, apoplexiam & ipsam mortem, &c. Sanguis enim cum tempore separationem tentat, & si immaturè ipsum ad hunc sollicitamus, erit fœtus immaturus. Variolæ enim non priùs erumpunt, nisi per ebullitionem depuratiuam à sanguine separatæ fuerint. Hinc etiam omnia præcipitantia ab initio vitanda sunt, donec facta, & peracta ebullitione separatio in sanguine iam est peracta.

Die quinto lecto ægrum adiudicare, ipsique blandius aliquod cardiacum exhibere potes, Ex. gr.

℞. *Electuar. diascord. Frac.* ℥j.
▽. *scorzoner.* ℥ß.
cordial. Herc. sax. frag. ℥ß.
sirup. acetos. citri ℥ij.
M. D. *ad vitrum pro vna dosi.*

Vel: ℞. *v. card. bened.*
scord. ana ℥ ß.
laudan. liquid. gr. xv.
M. D.

Vel detur aqua expulsiua sequens:

℞. *Rad. contrayerv.*
scorzoner.
fœnicul. ana ℥ß.
fol. scordij,
scabios.
flor. trinitat.
aquileg.
calendul.
bugloss.
violar. ana mß.
rasur. C. C. ℥vj.
gumm. lacc. ℥ij.
semin. aquileg. ℥ß.

Infund. & destill. cum decoct. lentium q. s. Aqua expulsiua, de qua singulis vj. horis duo vel tria cochlearia exhibenda.

Vel: ℞. *Extr. theriac. gr.* x.
terr. sigillat.
lapid. sciss. Anglic. ana ℈j.
M. F. pulvis, diuidendus in duas partes æquales, cum aqua cardiaca exhibendus.

Vel: ℞. *semin. aquileg.*
napi,
card. bened. ana ℥ij.
c. aqua fumariæ, scorzoneræ.
F. Emulsio.

Pauperibus exhibeas *sem. aquileg. ad* ℥ß.

Vel ad mentem Ettmulleri sequens:

℞. *Antim. diaph. vel ex Merc. vitæ parat.* ℈j.
myrrh. gr. v.
castorei gr. ij.
M. F. pulvis, diuidendus in duas partes æquales.

Cùm

Cùm autem hi pulueres amaritiem præ se ferant, & tenellis nauseosi existant, meliùs facimus sequentibus guttulis, & non minori cum fructu ess. myrrhæ, vel castorei alcalisata, seu ante extractionem probè cum oleo tartari per deliquium imbibitur.

Elix. proprietatis sine acido omnibus vehiculis aqueis sine præcipitatione, iungere & sic cum fructu exhibere possumus.

Myrrham enim tanquam in variolis & morbilis tot experimentis confirmatum medicamentum, laudibus extollimus, vnde & essentiam myrrhæ, seu tincturam salutis, conducere dicimus. Sic etiam castorei tam simplicem, quàm compositam ex castoreo & asa fœtida, cum spiritu vini tartarisato, tanquam præseruatiuum & curatiuum laudamus.

Infusio stercoris equini in potu ordinario mirè conducit. Stercoris ouilli vsum prælaudatus *Dominus Ettmullerus* præfert in variolis, in morbilis verò stercus ouillum.

Lingum, seu *Glossopetram Melintense*. ob vim bezoarticam, vel ipsum lapidem bezoar orientalem superantem, commendant Authores. Nos huic præferimus lapidem *scissilem Anglicanum*, quo plus præstitimus, quam cum lapide bezoar orientali, dosis est a ℈ß. ad ʒj. cui similis est puluis Anglicus, si animus est expellere. Sic & saccharum & magisterium Saturni internè exhibitum hoc in casu massæ sanguineæ, ac lymphæ acidum mirificè compescit, simulq; placat nostrum *Microcosmetorem*, eius vsus enim est egregius in omnibus internis inflammationibus. Hinc etiam proderit in variolis. Hic & conducet Diaphoreticum regulinum, antimonium diaphoreticum cum C. C. in emulsionibus adiecta myrrha optimum existit expellens.

Vbi autem eruperint pustulæ, diligenter perpendendum est, cum ex numero discretarum, vel confluentium sint variolæ, quod facili marte ex pustularum magnitudine, paucitate, tardioreque eruptione, & atrocium symptomatum absentia hariolari poteris, illas esse de genere discreto.

In hoc casu, vbi eruperint, exhibenda sunt cardiaca, & diæta paulo calidior concedi potest, conducent iuscula ex pane & cerevisia, saccharo parata. In confluentibus verò periculosæ plena res est aleæ; hic enim Medicus occasionem habet suas tentandi vires, & ostendendi, quid in arte Medica calleat. Nouimus equidem Variolas accensèri inter morbos, quos & mulierculæ cûrare solent, sed quot quæso etiam necant, imprimis qui laborant confluentibus, & condolendum est hoc nostro seculo, in quo mulieres ipsis Medicis præscribunt, & vel Mithridatium, vel Diascordium, vel Bezoar commendant, quæ si Medicus non admittere velit tunc in eum insurgunt, & exitum ipsi adscribunt funestum. Cùm ergo post nonum diem ex suppuratione tot bubonum noua febris, eaq; continua excitetur, qua sæpè vndecimo, vel etiam decimo tertio die ægri iugulantur, acida blandiora iterum frequentiùs exhibenda. Die verò VII. VIII. & IX. blandiora bezoartica cum myrrha propinanda sunt. Facta ergò & promota sic pustularum eruptione, & corporis feruore remittente, eò annittendum tertiò, vt earum maturatio absoluatur, quod facilè obtinere possumus per sæpiùs exhibita antimoniata, terrea, cum adiecta myrrha. Esto formula:

℞. *Ocul.* ☜ ʒj.
terr. sigill. ℈ß.
myrrh. gr. vj. M. D.

quo suppurationis & maturationis opus promouetur, quod faciunt etiam marina, corallia, mater perlarum, & polychresti cancrorum oculi, quibus tamen semper socianda myrrha, sic enim suppurationem promouebimus, vt sine notabili fouearum vestigio variolarum crustæ decidant. In variolis & morbillis malignis si indicia adsunt conuulsionum, Epilepsiæ, phrenitidis, &c. si vigiliæ, dolores grauiores, optimo tunc consilio puluis bezoarticis paratus ex antimonio diaphoretico, terra sigillata C. C. sine rad. controier. lap. bezoar. maritari potest cum cinnabari antimon. paucis granis additis magist. anodyni.

Properamus ad alium scopum, quo iubemur, vt symptomatum tempore

morbi obuenientium ratio habeatur. Inter hæc primum locum obtinet vomitus, plerumq; tragœdiæ prodromum agens, quem in principio non illico cohibendum esse existimamus, nisi laborem faciat, tum alexipharmacis additis aromaticis inhibendus, præsertim verò exteriùs applicato nostro cataplasmate balsamico ex succolada, ol. Nucistæ, balsamo cinnamomi cum vino Hispanico; vel theriaca cum pulu. pannon. rub. & Nuc. moschat. mixta & applicata. Sic etiam conueniunt sacculi sicci ex varij aromaticis parati.

Alius deinde occurrit hostis, ptyalismus puta, qui semper huc comitatur affectum, summopere ergò annitendum, vt dicta saliuatio in vigore prestet, & conseruetur, nec ante diem suum sistatur; qui tamen die decimo tertio, vel quarto sistit potest, & quidem opiatis, aliisque *paregoricis* semel vel pluries exhibitis: Ex. gr.

℞. △ *fl. paralyseos*,
lignor. ana ʒß.
sirup. de meconio ʒß.
M. D.

Vel: ℞. ▽ *fl. trinitatis*,
paralys. ana ʒiij.
laudan. liquid. gr. x. vel pro renata plures.

quæ & alia semper vesperi possunt propinari. Ante verò diem decimum tertium promoueatur potiùs, quàm sistatur, in hunc finem conducet, si ægro ceruisia tenuis affatim hurienda detur.

Adesse etiam solet intumescentia faciei, quæ ab ijsdem curari potest medicamentis, maiori verò cum emolumento hæc & alia in adultis, quàm in infantibus exhiberi possunt.

In *Confluentibus* verò magis *Diarrhœa* infantes vexat, vti adultos magis *Ptyalismus*, natura enim per viam hanc illam materiam morbificam euacuare studet, cui diarrhœæ in confluentibus non est nimis citò frænum injiciendum, vt indiscreta vel distincta specie variolarum fieri solet.

In Phrenitide, quæ in distincto genere contingit *Th. Sydenham* venæ sectionem admittit, inprimis, vbi facies non turgescit, & pustulæ copia magna apparent. Sic etiam illos ex lecto eripiendos esse autumat, vt aeri liberiori exponantur, & sic plures à phrenitide liberatos obseruauit.

Si verò in *variolis confluentibus* saliua eo vsque excocta sit, & viscida ob calorem præcedentem, vt tantum non suffocetur æger, prout die vndecimo fieri solet, gargarismata in vsum trahendum, quod per syringam sedulò in fauces injiciendum, Ex gr.

℞. △ *cerasor. nigr.*
primul. ver.
expulsiu. ana ʒiii.
oxysaccbar. vel oxymell. squillit. ʒi.
M.

Vel ℞. ▽ *hordei* ʒvi.
mell. rosar. ʒi.
M.

Sic & vertici capitis imponuntur sacculi ex succino, olibano, semin. nigell. flor. rosar. cum oleo succini irrorati: Vel cataplasma suspensiuum ex fermento cum succino paratum applicatur.

In metuenda suffocatione *Sydenham* emeticum ex infusione croci metallorum ad ʒ ß exhiberi vult.

Quod si grauior acrimonia, & nimia ebullitio sanguinis *Microcosmetorem* perturbans sub eruptione horum axanthematum, Epileptica intulerit symptomata, in tenerioribus proderit spiritus C.C. succinatus, & sal volat. cranij humani; paulò verò robustioribus cinnabaris antimonij conducet, & super eius basin constructum specificum cephalicum *D. Michaelis*, egregius quoque est pulvis cephalicus *Ludouici*, Ex. gr.

℞. *Pulu. bez.* ʒj.
succin. alb. præpar. ʒß.
cinab. nat. ℈j.
Laud. op. gr. iij. *M.*

Sequens quoque laudem meretur:

℞. *Cinab. nat.*
cran. hom.
vngul. alcis ana ʒß.
bez. lunaris.
smaragd. præpar. ana ℈j.
croci ℈ß.
ambræ gr. ij.
M. F. pulvis.

alij pro summo arcano habent hoc in casu cinabar. in antim. quæ probe elyssa antim.

antim. sulphure imbuta est, ne imbibito.

Mixtio verò *cruenta* si coniuncta est, cum à renibus affectis oriatur, curatur emulsionibus ex sem. iv. frigid. maior. cum trochiscis alkekengi, de camphora, nunquam in principio, sed in declinatione adhibendis.

Phrenesi etiam occurritur adhibitis ijs, quæ calidiori isti regimini contraria sunt, quæ vt plurimum à sanguinis euasatione in cerebrum exoriri solet: sic conueniunt cinabarina cõmista cum duplicato camphora, saccharo saturn. pro renata addito laudano opiato, inprimis extra lectum detinendi sunt ægri.

Comati verò ab obstructione corticis cerebri dependenti, cum materia illa viscida, quæ solet ptyalismum excitare, in cerebro coagulatur: deobstruentibus occurritur, hic & conducunt omnia cephalica, Martialia aperitiua, aliaque volatilia blandiora.

Ad *maculas purpureas* tollendas conducet etiam sanguinis contemperatio per sæpius dicta remedia.

In *vrinæ suppressione*, quæ iuniores ac vegetos nonnunquam inuadit, à contusione scilicet magna & spirituum *emunctis* eiusdem excretioni inseruientium, ob sanguinem & humores nimio terrore, agitatos; exorta, nihil æque feliciter *Th. Sydenham* succesit, quàm e lecto eximere ægrum. Sed hic & aquæ in ore detentio conducet, nec omittenda sunt blandiora diuretica vt tinct. alkekengi cum 2. salis parata, 2. nitri dulc. tinct. Mœb. aperit, cum spiritu succini mista, item 2. nitri dulcis cum 2. salis * circombinatus, & oleo petroselini impregnatus, aliaque.

Si verò æger de dolore cordis, atque inquietudine conqueratur ob frigus admissum, & simul adesse depressio & subsidentia pustularum, vel diarrhæa in infantibus, tunc potiones cardiacæ suprà dictæ ex diascordio, laudano liquido cum aquis stillatitijs cardiaci paratæ conducent.

Ægro iam conualescente, pustulisque deciduis, vbi per dies aliquot carnes iterum degustauerit, circa diem primum & vicesimum *Cl. D. Th. Sydenham* sanguinem è brachio extrahendum censet, si morbus fuerit vehementior, si verò pustulæ fuerint pauciores, eam potius omittendam, & huius loco catharsin instituendam existimat.

Tumori pedum ac *crurum* occurritur pediluio ex herbis emollientibus ac discutientibus fol. malu. verbasc. lauri, flor. sambuc. melilot. chamomillæ in lacte coctis.

Præcipuè in erumpentibus variolis attendendum palatum, & pulmones, qui ob copiam sanguinis illuc transeuntis, & substantiam suam membranaceam huic periculo maximè sunt obnoxij, facilè enim in his vel exulceratio sequitur, vel motus impeditur subsequente suffocatione.

Si ergò pustulæ iam eruperint, & deciderint, atque vrina rubedinem amiserit, à diaphoreticis abstinendum, & ad depurationem, & purificationem sanguinis respiciendum esse, existimamus, in quem finem iam sæpius dicta conducent. Si verò labefactati pulmonis indicia occurrant, & materia purulenta fundum petat, præter *diætam rigidam*, in vsum trahenda antiphthisia varia. Sequenti destillato cum commodo vsi sumus, in quo exhibuimus simul balsamum sulphuris anisatum ad guttas aliquot felici cum successu;

℞. *Herb. veronic.*
hepatic. nobil.
rutæ murar.
fanicul.
flor. scabios.
papau. errat.
hellid. pratens.
hyperic.
aquileg. à m̃j.
radic. tussilagin.
fœnicul.
scorzoner. à ℥j.
infund. in ▽ *scabios.*
papau. errat.
pimpinell.
beccabung. à ℔j.
lact. caprin. ℔ij.

add. hepar & pulmon. vitul. & vicissim xij. horas infund. & dein l. a. destilla. Conueniunt etiam hic omnia pectoralia sulphurata & myrrhata aperientia.

Insuper si ex difficili respiratione, alijsque indicijs suspicio adsit, interiores partes etiam affectas esse, succurrendum est ijsdem præter iam dicta *saponarijs* & *traumaticis* ex terra sigillata, antimonio diaphoretico, & oculis cancrorum. Sic etiam contingit, vt in statu ægroti, vel ex morbi vehementia, vel sudatione nimia, maximam patiantur virium prostrationem, in quo casu conducent corroborantia, tinctura coralliorum cum spiritu cord. cerv. parata, aliaque blandiora cardiaca.

In defendendis partibus præ cæteris considerationem merentur oculi & fauces, ne à variolis afficiantur. Ab illis enim cæcitas, ab his suffocatio metuenda est. Præseruationis oculorum ergò multa à Practicis commendantur. Sequens est vsualis:

℞. *✓ rosar.*
plantag.
solan. à ℥j.
croci orient. ℈j.
mucilag. semin. cydonior. & semin. fumar. ℥ß.
M. quo inungantur oculi.

Crystallus etiam montana optimè in oculi bulbo contra variolarum insultum prodest. Conuenit & hic lac muliebre, caprillum, cremor lactis, &c. Sic in inflammatione oculorum confert saccharum saturni cum aqua florum cyani, calcatrippæ &c.

Ad præseruandas nares valet oleum liliorum alborum, amygdalorum dulcium, cum pauco olei citri, vel acetum rosaceum camphora imprægnatum detur ad olfaciendum.

In læso auditu conuenit essentia cardui benedicti, castorei, &c.

Collo & faucibus præseruandis commendantur varia, vt sunt gragarisinata, mucilago seminis cydoniorum, lini, fœni græci, succus cancrorum fluuiatilium, decoctum balaustiorum, rob. dianucum, diamoron. Si sicca tussis simul affligat addatur sirupus de scabiosa, liquiritia, iuiubis, iungatur, sordidum licèt, euporiston, stercus nempe equinum in potu ordinario datum quod ratione salis nitrosi polychresta est medicina. Vel ad præscriptum Anglorum stercus ouillum, vel caprillum, cum haustulo vini expressum detur. Conuenit & sequens ad faucium, laryngis, & trachææ incendium, atque vlcuscula:

℞. *Decoct. aquilegiæ cum vino & aqua ℥vj.*
diamor. ℥iß. *M. D.*

Cum retrocedant cum summa anxietate variolæ vel morbili, tum præter iam dicta cardiaca magnificio volatilia salina intro sumta. Ex omnibus eligere soleo, quod rarò me fefellit, essentiam myrrhæ cum spiritu salis ammoniaci vinoso paratam, vel Elixyr proprietatis volatile, cuius vsum & egregium reperi in *scabie retropulsa*, mensibus ac lochijs deficientibus, vel non ritè fluentibus. In hoc casu & conducent vesicatoria, inprimis si catharrus suffocatiuus metuatur, qui possunt vel carpis manuum, vel pedibus applicari, inprimis cum theriaca camphorata; Interim intus exhibenda sunt blandè refrigerantia, & expulsiua.

In præseruatione generali conducunt myrrhata, Elixyr proprietatis, tinctura salutis, essentia myrrhæ, &c.

Ad exsiccandas variolas præter interna conducunt & externa, Ex. gr. puluis specificus Mynsichti, vnguentum camphoratum de lithargyrio, vel Cosmeticum Clauij.

Ad rubedinem & maculas tollendas.

℞. *Aq. sperm at ranar.*
sigilli Salomon.
lilior. albor.
fl. fabar. à ℥j.
fœcul. aron ℥j.
camphoræ ℈ß.
cosmetic. Clauij ℈j. *M. D.*

CAPVT VII.

De Febribus intermittentibus, & in specie de quotidiana.

FVrias *Microcosmi*, & hoc est, *febres malignas*, hactenus præbauimus nunc verò *Deæ* (febres intermittentes) prout credula Romanorũ finxit ignorantia, sacellaq; in honorẽ, ne noceret, erexit, videamus. Nihilominus tamẽ graue, quãmuis nõ ita periculosũ est, certis diebus, statoue tẽpore affligi ac torqueri, siue id quotidie fiat, siue alternis diebus, siue biduana,

acce-

accedat gratia, & quarto quouis die tortor accedat.

Primum verò ex ijs locum sibi vendicat *Quotidiana Intermittens*. Distinguuntur enim febres in *Remittentes*, & *Intermittentes*. *Remittens* dicitur, quando febris minor fit: *Intermittens* verò, quando planè tollitur, & deinde iterum redit, & intermittentibus in singulis præcedit horror, quibus etiam distinguuntur à continuis. Febris enim intermittens, vt dictum fuit, est, quæ, quod ad exacerbationes suas attinet, non tantùm remittit, sed & aliquandiu intermittit, adeò, vt toto illo intermissionis tempore æger ab omni febris insultu immunis sit.

DIFFERENTIÆ.

Differentiæ febrium intermittentium præcipuæ sunt 1. ratione temporis, alia est quotidiana, quam nunc tractamus, alia tertiana, alia quartana, quod inclusiuè non excluſiuè intelligi debet. Dantur & quintanæ, sextanæ, octanam in aulæ nostræ Hasso-Cassellanæ pictore non ita pridem obseruaui. 2. ratione moris alia dicitur benigna, alia maligna. 3. ratione humorum alia dicitur legitima, alia spuria. 4. ratione complicationis aliæ simplices sunt, aliæ compositæ. Simplices sunt, cùm vna saltem febris ægrum occupat; compositæ, si duæ vel plures inter se iunctæ, vel combinatæ eodem die inuadunt.

Febris ergò *intermittentis quotidianæ* descriptio talis esse potest, *quòd sit efferuescentia totius massæ sanguineæ præternaturalis singulis diebus eadem hora ægrum affligens, cum frigore, calore, siti, à fermento febrili aliunde aduenient; & sanguinis mixtionem, Regesque nostros turbante, orta.*

Dixi *eadem hora*, quia plures Medici quotidianam à duplici tertiana distinguunt, quæ quamuis singulis quoque diebus redeat, rarò tamen aut nunquam eodem redit aut tempore aut modo, quam tamen distinctionem non admittimus. Potest verò febris quotidiana ratione modi generationis dici vel *primaria*, vel *secundaria*. *Primaria* dicitur, quæ sine præuia tertiana, aut alio aliquo morbo ortum habet. *Secundaria* verò vocatur, quæ tertianæ, vel alij succedit morbo. Alia est *legitima*, quæ ex febrili materia eiusdem naturæ producitur; alia *spuria*, quam materia diuersi generis, & temperiei producit, quæ altera est frequentior.

PARS AFFECTA.

§. 2. Pro *subiecto* omnium febrium intermittentium veteres *Cor*, tanquam febrium principalem sedem, & caloris fontem, venditant; pro minùs verò principali dicitur tota massa sanguinea, vel si mauis totum corpus. Fermentum enim illud febrile qua in parte generetur, & quomodo massæ sanguineæ, & cordi communicetur, hactenus plura torsit ingenia. Nonnulli sunt ex Veteribus, qui in venis mesaraicis sanguinem putrescere contendunt, sententiam verò hanc esse falsam, euincit sanguinis circulatio. Alij in ipso hepate *bilis* culpant putredinem, quæ opinio lubrico etiam stat talo, quòd nempè *bilis* quà *bilis* nunquam putrescat, insuper febris essentia, seu ratio formalis non in putredine, sed in modo fermentationis consistat. *Fernelius* circa febrium explicationem occupatissimus, refutatis alijs opinionibus, omnium febrium propriam sedem ponit circa præcordia, ventriculum, diaphragma, iecoris caua, lienem, pancreas, omentum, ac mesenterium. Sic & *Helmontius* spinam febrium nidum suum habere dicit in primis officinis à pyloro per duodenum, & vasa ibidem multiplicia, intestina, & venas mesenterij, lienem vsque ad hepar. Verùm hæc sunt nimis generalia, & non ritè explicatur, quis sit specificus locus, hinc aliam, & quidem recentiorem, de febrium intermittentium foco opinionem, consideratione magis dignam, proponit *Clar. de le Boe Syluius*, omnium febrium intermittentium sedem solum pancreas esse, ob vnius vel alterius ductus lateralis obstructionem suadere, conatur, argumentis sanè haud spernendis, cùm in nulla corporis parte locus est, à quo febrium intermittentium fons, & furibunda symptomatum cohors, melius explicari possit, quàm à solo pancreate. Verùm enim verò non inficias imus, plurimorum morborum sedem esse quidem *pancreas*, num verò tantùm omnium febrium

intermittentum sit locus, fons, & sedes, de hoc meritò adhuc hactenus dubitauimus, cum & experientia constet, quòd ab omnibus partibus, etiam à corde remotissimis, aliquid sanguini certo tempore suppeditari, quod eius mixtionem turbare, & febrem intermittentem producere aptum natum sit. Hinc ab vlcere, & fistula pedis vidi febrem tertianam intermittentem producta, fluente enim fistula febris abfuit, consolidata verò febris excitabatur, vnde nos persuasi sumus in quacumque parte solida materiam febrilem latere, & certa per interualla sanguineæ massæ communicari, quod, ceu diximus, ex vlcere ad suppurationem tendente, ab obstructione in aliqua parte orta, febrem producat intermittentem, quatenus nempe ex tali parte inflammata, vel vlcerosa sanguini alluenti omnes partes, & versus confluo, portio exulceratæ, vel inflammatæ, vel accensæ materiæ communicatur, eiusque mixtionem turbando excitat effervescentiam, quàm febrem nominamus. Non verò negamus in pancreatis, ventriculi, mesenterij, aliarumque etiam remotissimarum partium & viscerum tubulis, itidem in ipsis humoribus, chylo, lympha &c. mineram delitescere febrium intermittentium, vtplurimùm verò obstructionem tubuli vnius, vel plurium in ventriculo, sede Regia Gasteronacis & ductuum chyliferorum esse in quotidiana intermittente statuimus, quod euincit ratio, quia stomachus semper obseruatur debilis, & semper hac in febre intumescere incipit. Sic etiam à iuuantibus & nocentibus hariolari possumus, quia stomachicis facilius, quàm alijs curari solet, & breui post cibum ingestum inuadit.

Modus quoque excitationis febrium intermittentium vtplurimum oritur ex occlusione particulari venarum lactearũ & ductuum chyliferorum, inde materia in primis vijs, crassescens, mediante naturæ propulsione, ad consuetam nutricationis opus excitata progrediens & in cor infusa, tumultus producit.

Hinc duæ proximiores veniunt accusandæ, 1. alterata chyli natura & substantia tum sua natura & per se, tum ob admixta 2. venæ ipsæ chyliferæ obstructæ, sta tamen vt non penitus denegent transitum. Peccat ergo chylus non tam qualitatibus primis, sed potiùs quando crassior, viscosior, tenacior, acris & *acidior* existit, & moras ducit in regia ad cor meando, via, cui & per consequens sanguini communicatus tam diu illum exagitat, donec attenuatum excrementum, quod secum vehit in auras per insensibilem transpirationem auolet, illud verò, quod non subactum debitis locis segregetur. Patet hoc assertum ex statu naturali, post pastum enim leuiculo sæpè horrore corripimur in statu naturali, & æstum aliquando concipimus, quid ergò si aliquid p. n. eò vehatur. Nil ergò mirum, quo remotior chylus à statu naturali, eò ferocior sæpè excruciat rigor, horror, frigus, à priori demonstrari potest. Cibi enim viscidi glutinosi, pisces &c. febribus ansam præbent, inde cruditate & obstructiones, idem ab affectibus patet, conqueruntur semper ægri accessu paroxysmi de spinæ dorsi tensione & dolore quippe per eam excurrit ductus chyliferus Pequetianus; nausea & vomitus demonstrant vitium hærere in primis vijs.

Pertinet huc, quod inedia non rarò sola corrigat, excedens vitium & febrim tollat, qualis enim chylus, talis sanguis, & qualis sanguis, talis sanitas.

§. 3. Hæc febris incipit ordinariò cum frigore & horrore, subinde horulam, subinde breuius aut diutius durante, & singulis diebus cum aliquali intermissione affligit, & breui post cibum ingestum inuadit, frigore sublato loquitur calor, pro corporis constitutione diuersus, quãdoque maior, & acris, quandoque minor & mitis, modò longior, modo breuior, cum appetitu prostrato, præcordiorum grauitate, dolore capitis, & dorsi seu lumborum, siti, inquietudine, vigilijs, delirijs, pulsu frequentiore; Oscitationes & pandiculationes adsunt, variaque alia in febribus solennia symptomata. Desinit vt plurimum, cùm aliquandiu durauit, ordinariò cum sudore maiore, minoreue. In puerpera *Hanouiensi* hanc febrem vidi lethalem. Vrina non semper est alba & tenuis, sed insigniter rubore tincta.

CAV-

CAVSA.

§. 4. Hisce prælibatis ad *causam febrium intermittentium*, inprimis *quotidianæ*, transeamus. *Veteres Galenici* hanc febrem à *pituita putrescente* in primis vijs generari asserunt, indeque ea omnia, quæ pituitam in corpore accumulare possunt, huius theoris causas esse posse aiunt, qualia sunt viscerum temperies frigida & humida, ætas senilis, aut puerilis, ἀδραγία, vita sedentaria, tempus autumnale aut hyemale, omnia alimenta tum frigida, tum humida, somnus longior, &c. Hinc omnium febrium intermittentium causam à quadriga humorum deducunt.

Periodorum, seu circuituum febrium intermittentium causa à *Galenicis* explicatur ab humoris natura, eiusque sede, seu loco. Huius morbi locum, seu mineram ad primam corporis officinam relegant: materiam verò statuunt bilem, pituitam, & melancholiam, & prout humores isti tardiùs, aut citiùs putrescunt, etiam circuitus febriles vnius, aut plurium dierum spatio absolui perhibent quam verò opinionem circulatio sanguinis refutat.

Alij ad astra, alij ad similitudinem seminum ad facilem vel difficilem resolutionem confugiunt. Sed cùm hæc ab alijs sufficienter sint refutata, non necessarium duximus post *Hommerum Iliadas scribere*.

§. 5. Secundum *Paracelsum* in causa est Mercurius dissolutus cum impuro sale.

§. 6. *Helmontius* acori corrupto, & extra ventriculi pomœria diuaganti, adeoque *Archèum* irritanti totum opus attribuit, febrim porrò ait *ipse*, non esse solum nisum expulsiuum, sed partem *Archèi* detorpati ex indignatione propter præsentem hospitem exosum, qui est iuxta ipsum causa occasionalis.

§. 7. *Villisio* causa huius febris est sanguis acidus, & crudus efferuescens, similis communi pistorum fermento, qui aptus natus est singulis horis tres præter propter partes humoris nutritij in materiam quandam efferuescibilem transmutare. Sic causam adscribit peculiari sanguinis dyscrasiæ. Hanc febrim dicit Autor tertianæ vt plurimum succedere, rationem addit, cum enim spiritus vitalis à crebra sanguinis deflagratione plurimùm auolarit, atq; cruor debilior factus sit, succum nutritium minùs coquit, aut maturat, & totum ferè in materiam fermentatiuam peruertit. Et inter tertianam & hanc esse maximam affinitatem ait, quia tertiana sæpe in quotidianam, & hæc item in tertianam commutatur; additq; præter sanguinis labem sæpissimè adiunctas habere hanc febrem viscerum infirmitates: quia sc. sanguis labefactatus, recrementa sua sensim congesta visceribus, dum eorum anfractus pertransiit, facile affigit. Hinc in febre quotidiana obseruauit esse ventriculi aggrauationem, hypochondriorum tensionem, modò hepatis, modò lienis, aut mesenterij obstructiones, aut tumores coniungi, sed quæ non causa sunt, sed producta morbosa.

Hic etiam inquiramus, quænam sit ad mentem Authoris nostri intermissionis, nec non periodorum statarum in febribus intermittentibus causa? Dicit igitur, à primo instanti, quo succus nutritius cum sanguine non assimilatur, eius particulæ licèt commixtæ adhuc cum eo sine magno tumultu aut perturbatione circulantur; atque ità deinceps, donec ijs ad turgescentiam cruoris massa adimpletur, tunc verò protinus ebullit illa & fernorem concipit, & comparationem instituit cum cruiſia nouella vtribus inclusa, quæ si strictim occluditur, vt nihil euaporet, primò sine feruore aut impetu in vasis illis seruatur, postea cùm effluuijs vsque cohibitis liquoris massa turgescens, insigniter fermentescit, & propter fermentationis impetum sæpe vas dissilire facit. Hoc etiam stato tempore contingere asserit, & totidem horarum interuallo, velut in febre intermittente liquor ad turgescentiæ ἀκμὴν assurgit.

Intermissionis & statarum periodorum rationes & causas deducit, sc. intermissio sequitur, quia iuxta ipsum materia morbifica vno paroxysmo omnis diffiatur, adeoque donec noua subrepat, ἀνωμαλία sequatur, necesse esse. Et quòd statis temporum interuallis accessiones repetat, iuxta ipsum ratio est, quia statis horis

succus alibilis sanguini in vasis confluo affertur, quia ad plenitudinem, & turgescentiam accrescens, hoc die paroxysmum inducat, & hoc finito, eiusdem temporis interuallo pro sequenti proxysmo sufficiens materia congeritur, hinc si ægri abstemij sint, intermissio diutiùs protrahitur.

Quod verò frigus caloris præcedaneum in febribus occurrens attinet, illud oriri dicit, cùm succi nutritij particulæ à cruditatis statu versùs maturitatem pergunt, ipsam verò non attingunt, insignem acorem contrahunt, quo partes neruosas pungunt, & vellicant, sicque frigoris sensum incutiunt.

In quotidiana febri iuxta Authorem nostrum totum succi nutritij supplementum in materiam febrilem peruertitur, ob maiorem scilicet sanguinis labem, hinc isto temporis spatio, quo debuit coctio in vasis, & habitu corporis plenariò absolui, hoc fieri solet post horas XXIV. materia hæc ad turgescentiæ motum assurgit, & *quotidianum paroxysmum* inducit, hinc ægri à quotidiana febre in languorem, & summam imbecillitatem citò ducunt, nimirum in singulis, quò plùs, aut minùs succi nutritij in morbi pabulum abeat, tantundem etiam de viribus, & corporis firmitate detrahitur.

§. 8. *Syluius* febrium intermittentium causam reputat esse obstructionem factam in vno, vel pluribus ductibus pancreatis lateralibus, propter pituitam nimia copia ab intestinis eò delatam ac detentam, quod fieri, solet, quando pituita lege circulationis vnà cum reliquo sanguine propellitur ad pancreas, atque cum succo pancreatico in eius glandulas subit pancreatis laterales ductus, in quibus seu illius viscoris culpa, seu externo frigore concrescit ac coagulatur, ea ratione, vt vnum vel plures ductus obstruat laterales. Accessus verò febrium intermittentium adscribunt *Syluiani* succo pancreatico in ductibus lateralibus vno vel pluribus ob obstructionem stagnanti, atque nunc seriùs, nunc citiùs per obstruentem pituitam acrimonia sua auctam viam sibi paranti, & non duntaxat in tenui intestino vitiosam efferuescentiam producenti, sed quaquauersum ad cor inprimis translato, & pulsum præternaturalem frequentiorem excitanti; coagulationem verò succi pancreatici contingere posse per multa experimenta tum in brutis, tum in hominibus instituta probare satagunt.

Intermissionis verò, & circuitus causam *ipsi* sequenti fieri modo asserunt: Succus pancreaticus propter stagnationem acrior redditur, & sic pituitam obstruentem perforando viam sibi per illam parat in ductum communem, donec effuso omni succo priùs retento sensim coalescat prædicta pituita ductus lateribus adhuc adhærens, & sibi mutuo ad vniendo obstructionem reparat, vnde iterum ad aliũ paroxysmum succus pancreaticus cumulatur, qui iterum mora sua acrior redditur, rursus pituitam perforat, & nouum paroxysmum excitat, qui paroxysmi repetunt eodem temporis interuallo, quoties pituita obstruens occurrit eiusdem quantitatis, & visciditatis cum succo pancreatico eiusdem aciditatis, & acrimoniæ.

Cur verò paroxysmi nunc quotidie, nunc tertio, nunc quarto die recurrant, diuersitatem hanc partim à succi pancreatici stagnantis, partim à pituitæ obstruentis diuersitate pendere contendunt.

Causa inæqualitatis paroxysmorum in febribus intermittentibus *ipsis* videtur, quatenus pituita obstruens deuenit magis vel minùs viscida, aut succus pancreaticus vniuersus plus vel minùs acris existit, ideque proter sex rerum non naturalium vsum diuersum. Hinc & explicant causam, cur febres quotidianæ mutantur in tertianas, tertianæ in quartanas, &c.

Febrium igitur intermittentium *frigus* originem aiunt habere à succo pancreatico acidiori, & *calorem* à bile præsertim acriori, hanc ob causam dicunt febrium intermittentiũ paroxysmos vtplurimum cum sensu frigoris inchoari, & cum calore terminari. Succus enim pancreaticus mora in vno, vel pluribus ductibus lateralibus acrior redditus, postquam in tenue intestinum effluxerit, ibi cum bile talem producit efferuescentiam, in qua

succus pancreaticus, aciditate sua prædominium capiens, halitus acriores quaquauersum emittit cum sensu frigoris molestos, qui dum ad folliculum fellis veniunt, illum acrimonia sua ad sui contractionem solicitant, vnde bilis solita maiori quantitate ad intestinum erumpens succum pancreaticum obruit, obtunditque, atque sic cum eo talem vitiosam efferuescentiam producit, in qua bilis sceptrum terens, halitus quaqua versum mittendo, calorem excitat.

Sic ipse *Syluius* huius febris quotidianæ causam deducit ab obstructione vnius vel plurium ductuum lateralium pancreatis, & in intestino duodeno vitiosam efferuescentiam excitante cum bile & succo pancreatico. Et vt ad specialiora transeamus: In quotidiana febre iuxta Authorem hunc pituita obstruens paucior est, & minùs glutinosa, succus verò pancreaticus acidior, & copiosior, hinc citiùs contingit nouus intermittentis febris paroxysmus, adeoq; *quotidianus*, hoc est, intra horas viginti quatuor recurrens.

§. 9. Præmissis sic aliorum de febrium intermittentium causis, opinionibus, nunc & *nostram* videamus. Febris ergo intermittens ad mentem nostram oritur, cùm in aliqua corporis nostri parte fit obstructio, ità vt serum, vel alius humor post eam lateat, quæ vbi matureſcit & fermentatione concipit, distendit partes vicina, & premit ità obstructionem, vt illa aperiatur, & sic humor, qui ibi tam diu stagnauit, per vasa lymphatica ad sanguinem defertur, ibique eiusdem mixturam turbando febrem inducit, obstructionem verò hanc esse vtplurimum in ductibus chyliferis, in quibus sæpe stagnat chylus, & ob moram acidior & viscidior redditur, hinc non semper materia febrilis infunditur sanguini dum ob causas obstructionis, cruditates, crassitiem &c. præsentes, & sicut in defluxionibus catarrhalibus fluxus, cietur, cùm tantum excrementi est collectum, quantum natura ampliùs tolerare non potest, ita in febribus recurrunt paroxysmi, quando materia quasi turgens iterum solicitat *Cardimelechem* & sui discussionem vrget. In quotidiana igitur febre materiam peccantem hærere in tubulis solidis ventriculi, chylum verò viscidum in intestinis ob obstructas vias lacteas, quia grauitas præcordiorum hac in febre semper adesse solet, quod indicat ventriculum & intestina pituita obsessa esse, aut pituitam inter membranas hærere, atq; Regem nostrum *Gasteronacem* semper ad indignationem incitare; vnius enim effectus plures causæ esse possunt.

Quoad paroxysmorum recursus, illi fieri solent sequenti modo: In omnibus corporis nostri partibus sunt valuulæ, præsertim in dorso, quia ibi plurimi existunt nerui, & in parte neruosa plures sunt, quàm in carnea, cùm iam à causa aliqua occasionali humor à sanguine secretus deferatur ad partem aliquam solidam, ità vt in ea obstructionem pariat, in parte anteriori, ibi hærebit, nam vlteriùs progredi non valet ob obstructionem, regredi itidem non potest ob valuulas, humor autem iste propter stagnationem tandem acrior redditur, & tunc incipit fermentari, & in maius spatium attolli (prout id obseruare licet in massa farinacea fermento imbuta) ità vt tandem claustra sua vi disrumpat, & massæ sanguineæ communicetur, eandem occupans fermentationem sibi similem excitat, & sic paroxysmum febrilem producit. Humor iste peccans non potest omnis expelli, quin reliquiæ quædam in ista parte permaneant, cum iam iterum statim alius humor in illam partem moueatur, ab istis reliquijs incipit fermentari, & tandem etiam claustra sua perforans de nouo paroxysmum inducit, pro diuersa constitutione istius humoris diuersæ oriuntur febres, vt si fuerit humor viscidus, fermentationem, suam intra 24. vel 46. horas complet, & ad sanguinem defertur, quare *febrem* generat *quotidianam*. Hæc etiam de chylo vitioso intelligenda sunt, qui si acidior ob obstructionem vasorum chyliferorum moram trahens sanguini communicatur, hinc excitatur paroxysmus, qui tam diu cessat, donec alius chylus vitiosus inferatur. Sanguinis incalescentiæ causam mechanicè

possu-

possumus demonstrare per fœnum madidum, quod æquali portione pluribus in receptaculis reconditum, positis vbiuis circumstantijs, æquali tempore, & ijsdem horis incalescere incipit, de quo vide sedulum naturæ scrutatorem *Renatum des Cartes Princip. Philosoph. part.* 4. §. 92. Eodem enim ferè modo, quoties particulæ nonnullæ tenuiores, & ad motum magis aptæ obstructionem producunt in tubulo, ex quacunque demum causa fieri non potest, quin ex aduentu aliarum particularum aliam vehentium materiam ætheream, hæ particulæ aliam subeant mutationem, donec ad corruptionem, vel potiùs maturitatem peruenerit, & sic ad motum aptiores alluentibus humoribus se iungant, atque ad cor peruenientes turbationem in sanguine æque in motu ac mixtione producant. Et cum semper fomes quidam remaneat certæ innatans materiæ subtili, si ex poris eundem in finem apertis noua materia eò peruenial, tunc situ secundùm minuta sua corpuscula, dum his affluentibus alia accedant, adiuuante itidem agitatione particularum in se inuicem, iterum variabitur, & æquali tempore matureſcet, ſicque nouum iterum inducet paroxysmum. Materiam ergo febrilem non in ipsa massa sanguinea generari statuo, neque etiam in illa præexistere, sed aliunde è tubulo partis, quæcunque demum illa sit, certo tempore communicari, & talem efferuescentiam ob inæqualitatem particularum cor ingredientium, motuque & mixtione peccantium producere, tam diu durantem, vsque dum per sudores, vel alias vias fermentum syluestre prorrudatur. Hæc verò sunt intelligenda de febribus istis intermittentibus, quæ vel ab aere, vel internis inflammationibus, vel vlceribus, &c. ortum suum habeant. Sed ordinariò ceu superius diximus, oriuntur hæ febres intermittentes ab obstructione ductuum chyliferorum, & stagnatione chyli, quo ergo is copiosior, crassior, acidior existit, eo febris accessus est vel breuior vel longior. In tertiana scilicet magis acris peccat chylus, in quartana magis acidus, in nostra verò quotidiana viscidus, in acredine verò & eruditate temissior. Neque negari potest, naturam ipsam cùm aliquoties talem recursum inita sit, tandem quasi assuescere, & consuetis temporibus ſique materia adhuc adest, excutere, sicut ij, qui venam sibi secare curant, qui cucurbitulis assueti, si id intermittant, indicia eius sentiunt.

Ordinis paroxysmorum fere eadem est conditio, modo enim anticipant, modo postponunt, tum ex parte naturæ ipsius robustæ, debilis, tum ex parte humoris vel chyli.

Quoad horrorem, siue frigus, quod ægri in principio paroxysmi percipere solent, id producitur vt plurimùm ab humoris vel chyli dispositione, prout is est, vel acris, vel acidus, vel viscidus magis, & sic non facile subiugabilis accedit sanguini, à particulis enim his acribus & viscidis, quæ membranis & fibris adhærendo, & acrimonia sua vellicando horrorem inducunt, quem, quia *Microcosmetor* nunquam nisi à frigore obseruauit, hinc ille iudicat, hunc quoque à frigore proficiſci, quod tamen non semper verum est, quia illi, quia cum illis concumbunt, conqueruntur de illorum molesto calore & ardore, quod & patet ex eo, quòd semper existente frigore siti infestentur intensa, quod in alio frigore non potest fieri. Postea verò sentiunt calorem, quando humor ille maximè mouetur, & acerrimus fit, tunc calor & ardor producitur.

Si verò materia peccans in sanguinem delata, à sanguinis particulis potest incidi & attenuari, vt per insensilem transpirationem possit auolare, & discuti, tunc paroxysmus finitur, & febris superatur, qui sudores, cùm largissimè declinante calore profluant, bonum indicium est, eliminata enim sic materia peccante, seu febrili, sanguis ad placidum suum redit motum, totaque œconomia animalis restauratur in integrum.

In strigore Cl. *Hoffmannus* aliquid conuulsiui adesse nobiscum statuit, fibrillæ verò neruosæ & membranaceæ vellicantur, ac pulsantur.

PROGNOSIS.

§. 10. Perlustrata nunc causa huius affectus ad *Prognosin* faciendus est accessus. Euentus huic febri quotidianæ non admodum periculosus est, sed diuturnus, len-

lentus, & pertinax, adeo vt subinde sex, septem, aut plures septimanas, antequam plenariè soluatur, duret, imo memini me vidisse, quæ vltra semestre spatium durauit. Sic etiam potest esse lethalis hæc febris, prout vidi in *puerpera Hanouiensi* prædicta. Desinit etiam aliquando in Tabem; sæpe in Hydropen; nonnunquam in Coma & Lethargum, cum facta febrilis materiæ dissolutione ex tubulis, noxiæ vel ad cerebrum *Microcosmotorem* turbando & spirituum animalium distributionem in neruos impediunt, sedem verò alibi materia peccante figente alius producitur morbus, vel hydrops, vel tabes, ceu dictum. Generale de febribus intermittentibus prognosticum *Coi* 4. *cap.* 43. quocunque modo intermiserint, periculum abesse significant: nec periculosæ & graues sunt, modo rectè tractentur.

CVRA DIÆTETICA.

§. 11. *Diæta* sit tenuis, & incidens.

Aer calidus & siccus, vel natura vel arte.

Cibus verò sit semper eupeptus, facilis concoctionis ob ventriculi præsertim debilitatem, & *Gastronacis* ignauiam. Sorbitiones, hordeacea conducunt, carnes sint auicularum, pullorum, assæ potiùs quàm elixæ.

Potus sit tenuis, vinum tamen aliquando cum acidulis mixtum concedi potest, aluus sit laxa, animi affectus sint moderati.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 12. Cognita nunc paucis *cura diætetica* ad ipsam *curam pharmaceuticam* proximum est, vt nos accingamus. Primò verò dispiciamus, quos scopos in curatione huius febris sibi habent propositos *Galenici*, qui eò curationem dirigunt, vt humores præparentur, & obstructiones à pituita factæ aperiantur, in quem finem omnia commendant, quæ attenuandi, & incidendi vim habent, & hac in febre quotidiana ventriculi rationem habendam esse inculcant, ideòque roborantibus tam internis, quàm externis reficiendum ægrum esse iubent, cataplasma ex menta & absinthio, aliisque aromaticis paratum laudibus extollunt; præparata materia sæpe purgationem instituendam esse dicunt. *Zacutus Lusitanus* bigam remediorum præscribit, quibus se febres pituitosas contumacissimas curasse gloriatur. Vnum est decoctum chamomillæ sequens:

℞. *Flor. chamomill.* p. iij.
comar. absynth. pont. p. ij.
coq. in aq. ℔ iij. *ad mediæ partis consumptionem, colaturæ add. sacchar. alb.* ℥ iv.
Capiat ager mane ℥ v. *vel* ℥ vj. *singulis diebus.*

Alterum est decoctum Chinæ, & Guaiaci ad xxv. dies exhibitum.

§. 13. *Paracelsiste*, & *Helmontiani* omnes febres intermittentes præsertim hanc febrem quotidianam per sua arcana curare volunt, & intra quatriduum sine phlebotomia, concessoque vino omnes febres exstirpare contendunt cum remedio sudorifero, hoc est, mercurio diaphoretico, qui incidit, attenuat, resoluit, & abradit causam occasionalem, vbique locorum illa exstiterit, & hoc citra sudorem.

Reliqua ipsorum remedia sunt salia ex cephalicis, maiorana, roremarino, aliaque quæ debent esse alkalia, debentque porrigi ieiuno stomacho ante paroxysmum. Omnia remedia *Galenica*, vt sunt venæ sectio, purgantia, vesicatoria, clysteres, &c. vilipendunt, tamquam inania. De his vide *Grembsij Arborem ruinosam*.

§. 14. *Veillisius quotidianam febrem* curandam vult, prout *Tertianam*, nisi vt in quotidiana febre magis respiciatur ad ventriculum, vt sc. saburra humorum in ventriculo hospitans expurgetur; viscerum quoque infractiones liberentur, infirmitates corroborentur, vtque vnà cum his sanguinis dyscrasia corrigi queat, & accessus febriles inhiberi possint, omni ope nititur, hinc vomitoria in robustioribus, & viribus nondum fractis præ cæteris commendant, nec excludit purgantia, vt assiduus materiæ excrementitiæ proventus exturbetur, sæpius iteranda; præter hæc summis laudibus extollit remedia digestiua, deobstruentia, quæ fermenta viscerum, & sanguinis restituunt, & dyscrasias corrigunt sæpius exhibenda. In quem finem sales

her-

herbarum, earundem extracta, spiritus minerales acidos, atque aliquando chalybeata laudat; vbi stomachus valde humidus est, iubet exhibere sequentem mixturam:

℞. ▽ *magistral. lumbr.* ℥ij.
elix. propriet. gut. vj.
M. D.

Et sequentem fotum ventriculo imponendum suadet:

℞. *Fol. absynth. pont.*
centaur. minor.
abrotan. ana mij.
radic. gentian. ℥j.
Concis. coq. in vin. alb. q. s. pro fotu.

Post hunc fotum imponere iubet placentam ex pane tosto, & liquori intinctum.

Præterea epithemata febrifuga varia carpis manuum alliganda vult.

§. 15. *Syluius* succum pancreaticum propter ductuum suorum lateralium à pituita in ipsis coagulata productam obstructionem procausa febrium intermittentium ponit, qui succus stagnatione, & mora, sensim ac sensim acidior, acriorque redditur, hinc post perforatam obstruentem pituitam ad intestinum delatus succus pancreaticus ibidem vitiosè cum occurrente bile atque pituita intestinali effervescens mox cum ijsdem ad cor serpens, ac in eo non tantùm acrimonia sua illud irritando frequentiorem producit pulsum, sed simul vitalem effervescentiam atque sanguificationem alterat, & turbat; Hinc in eorum curatione sequentes habet intentiones: *primò*, vt pituita obstruens plus minusue glutinosa, & coagulata incidatur, soluaturque, atque, si possibile, inde remoueatur, & ad tenue saltem intestinum deducatur, aut è toto corpore eliminetur: *secundò*, vt succi pancreatici aciditas, & acrimonia aucta temperetur: *tertiò*, vt eiusdem, & bilis effervescentia in tenui intestino vitiosa impediatur ac emendetur.

Ad pituitam obstruentem incidendam commendat Author Aromatica, & salia volatilia quæcunque, sed ità vsurpata, vt corpus vniuersum vel motu, vel balneo, vel tegumentis simul incalescat. Misturam sequentem in melancholicis, & pituitosis, inprimis in *quotidiana* febre vtilem deprædicat:

℞. ▽ *petroselin.* ℥ij.
fœnicul. ℥j.
theriacal. simpl.
vel vitæ Matthiol. ℥iß.
salis volatil. succin. ℈j.
sirup. card. bened. ℥j.
M. D.

In biliosa verò constitutione, hinc in tertiana proficua, sequentem commendat:

℞. ▽ *fumar.* ℥iij.
salis ammoniac.
vel *tartari vitriolati* ℥j.
antimonij diaphoret. ℥ß.
sirup. fœnicul. ℥j.
M. D.

In pituitosis & biliosis naturis sequentem laudat:

℞. ▽ *Card. bened.*
cichorei ana ℥iß.
theriacal. simpl.
stillatit. ana ℥vj.
ocul. & pulueris at. ℥ß.
sirup. de v. radic. ℥j.
M. D.

Quæ mixturæ cochleatim ad mentem Authoris sunt exhibendæ.

Ad humores redundantes, & obstructionem parientes etiam *vomitoria* suadet. In quem finem felici cum successu sapam vomitoriam ex antimonio paratam vsurpauit.

Humores quoque per aluum educendos esse asserit *Purgantibus*.

Ad præternaturalem succi pancreatici aciditatem & acrimoniam temperandam felicissimè vsus est Author salibus volatilibus, & aromaticis omnibus non neglectis *opiatis*.

In nimio frigore, febribus intermittentibus solenni symptomate, iubet misturæ antifebrili admiscere guttas aliquot olei caryophyllorum. Ad calorem contemperandum præscribit varios iulepos, & apozemata, de quibus suo loco.

§. 16. *Curatio nostra* suis etiam nititur indicationibus, quæ sunt, quòd fermentum febrile non tantùm è massa sanguinea, sed & ex suis tubulis, inprimis ventriculi, vna cum producto morboso remouendum sit, chyli visciditas, vel aciditas, vel acrimonia corrigatur & obstructio tollatur, dein effervescentia sanguinis;

nis & *Microcosmetoris indignatio* sedanda, symptomatibus vrgentioribus obuiam eundum, vires restaurandæ.

Fermentum hoc febrile non meliùs eliutriari potest in *intermittentibus*, præsertim in nostra quotidiana, quàm per *vomitoria & purgantia*, quæ sæpe ante paroxysmum, & quidem primis diebus data, optima sunt remedia. Si iam radicatum sit malum, & stomachus sit inflatus, potiùs à vomitorijs abstinendum esse iudicamus, & lene purgans potiùs dandum. Ventriculus enim à vomitorijs exhibitis magis debilitatur. Vomitoria verò, ceu diximus, prosunt in principio (nisi adsit phtisica dispositio) præsertim vbi adsunt nausea, vomitus, grauitates circa præcordia, sic enim liberatis primis viis à scorijs recrementosis viscidis commodiùs postea fermentum febrile è suis tubulis elici potest, nobis tamen persuademus absque vomitorijs, purgantibus, V. S. febres intermittentes curari posse. Inter vomitoria laudamus ea, quæ ex antimonio parantur, sed nisi in robustioribus exhibenda, quia semper hic ac tonum ventriculi respiciendum est. Præstat ergo ante inuasionem specifica antifebrilia exhibere, & purgantia sæpè admiscere, vt sic simul scoriæ ex primis viis eliminentur. Dein curantur hæ febres facile *corrigendo*, quod fit tribus modis, præcipuè *diluitione*, *præcipitatione* & *incisione*, licet prior acredini, altera acori, tertia viscedini potissimùm & magis debetur. Diluentia sunt decoctum hordei, serum lactis caprinum &c.

Præcipitantia autem locum habent in febribus his, sed fixiora absorbentia, vt sunt oculi ♋, antimonium diaphoreticum. Omnibus verò præferimus lapidem sciſſilem Anglicanum nostra experientia nobilitatum in omnibus febribus medicamentum, efferuescentia enim febrilis optimè compescitur per hoc solum *præcipitans*, quæ methodus omnium tutissima est, si sublata febri materia illa præcipitata conuenienti leni cathartico educatur, non enim multum turbationis ipsi sanguini infert, sed eum instar liquoris à capite mutuo separet, sicque ad pristinam reducat crasin & consistentiam. Lenia cathartica sunt, vel infusa ex fol. sennæ, semin. cartham̃i, agarico, additis semper febrifugis & amaris. *Incidentia* sunt calidiora & volatiliora, vt sunt card. bened. piper, sinapi, vinum, ol. caryophyll. camphora, theriaca, salia & spiritus volatiles. Amara enim omnia hic conducunt, quia ventriculum roborant, & omnem hostem arcent, & sola essentia absynthij composita hanc febrem vidi sublatam, siue dentur in forma decocti, vel vini medicati, vel tincturæ, vel elixyrijs, vt centaur. minor. absynth. abrotanum, carduus benedictus, radix gentianæ, enulæ, &c. Possunt ex his adiectis nonnullis purgantibus, inprimis folijs sennæ, vina medicata parari, quæ sæpè omnem implent paginam. Sic & omnia aloetica, vt elixyr propriet. volatile absque acido paratum, elixyr catholicum. Omnia itidem Myrrhata, & ex ijs parata, Tinctura salutis, &c. Sic etiam Clysteres pro re nata possunt in delicatis interponi, qui parantur ex centaur. min. absynthio, alijsque. Sudorifera verò, quæ hic adhibenda sunt, ex salibus, & mineralibus constare debent. Antifebrile per negligentiam ægri non ante, sed iam in ipso paroxysmo assumtum effecit interdum, vt paroxysmus ille duplo vehementior esset, quàm aliàs fuit, sed paroxysmus sequens non redijt, idque ideò factum fuisse videtur, quòd hac ratione totius mali fomes fuerit elotus, & totus ex latibulo suo in sanguinem delatus, vnde paroxysmus ille tantò grauior fuit. Tandem in fine, & declinatione paroxysmi sæpè, monstrante id ipsum natura, exhibere solemus sudorifera, vt fermentum febrile eò commodiùs per largiorem diaphoresin possit expelli, vbi laudantur bezoarticum minerale, omnia antimonialia fixa, sal *ci, C.C. scord. centaur. minor. cardui benedicti, absynthij, mixtura simplex, ▽ theriacalis, & plura alia. Ex præcipitantium classe hic etiam referimus corallia, margaritas, cebur, testas ouorum, alumen, vitriolum, nitrum, cort. chinæ de china, tanquam specificum, & in hac febris specie rad. tormentillæ, millefolij, specificum antifebrile Crollij, Riuerij, Mynsichti, Kergeri, inprimis conuenit arcanum duplicatum, quod simul deobstruit.

Sunto

Sunto in iuniorum gratiam nonnullæ formulæ:

℞. *Arcan. duplicat.* ℈j.
ocul. ♋ *præpar.* ℈ß.
M. F. *puluis.*

Vel. ℞. *Ebor. sine igne parat.* ℈j.
antimon. diaphoret. ℈ß.
myrrhæ g. vj.
M. F. puluis ter exhibendus ante paroxysmum.

Vel: ℞. *Cortic. chinæ de china ver.* ℥j.
salis tartari ℈ß.
M. D. *cum vino ante paroxysmum.*

Laudatur quoque radix caua à ℥ß. ad ℥j. data. *Tackenius* laudat oculos ♋ in 2. sal. tart. solutos, & ante paroxysmum exhibitos.

Vel: ℞. *Pulu. bezoartic.*
cinnabar. antim. à gr. xij.
salis volatil. C. C.
succin. alb. à gr. ij.
M. F. *puluis.*

Sic & liquida non sua carent laude, vt sunt, spir. salis, nitri dulcificati, sic & essent. card. bened. absynthij, centaur. min. &c. quæ tribus vel duabus horis ante paroxysmum debent propinari in vehiculo idoneo, totius enim rei cardo in exhibitione vertitur, vt eo ipso stomachum & cor, vel tubulum medicamentum perueniat, quando materia febrilis moueri incipit cum sanguine, & antequam chylus iam sanguini infusus est. Sunto formulæ:

℞. *Essent. absynth.*
elix. febril. Mynsichti à ℥j.
M. D. *Dosis* xl. *guttæ ante paroxysmum.*

Vel: ℞. ▽ *febrifug.*
card. bened. à ℥iß.
♎ *nitr. dulcific.*
laudani opiat. gr. iß.
ol. caryophyllor. gutt. ij. inprimis vbi virget frigus.
Syrup. cortic. aurantiar. ℥iv.
M. D. *cochleatim ante paroxysmum.*

Et si stomachus valdè cum abdomine intumuerit, sequentes exhibe pilulas:

℞. *Extract. gentian.*
aristoloch.
enulæ camp.
ligni aloes.
card. bened.
centaur. min. à ℈ß.
salis absynthij,
ammoniac. à ℈j.
croc. Martis aperitiui ℥ß.
ol. stillat. aurantiar.
fœniculi à gut. iij.
c. elix. proprietatis fiant pilulæ, xx. ad xx. pro dosi.

Vel: ℞. *Remanent. spir.* ♉ ℈ß.
vitr. Martis gr. xiij.
pulu. cortic. chinæ de china ℥j.
M. F. *puluis pro tribus dosibus.*

Vel: ℞. *Salis absinthij,*
centaur. minor.
card. bened. à ℈j.
tamarisci ℥ß.
M. in mortario lapideo, tantillum spir. salis q. imbibere potest, adderem tart. ℥ij. Detur pro dosi ℥ß. ad ℈ij.

Non multùm indulgendum est iulapijs refrigerantibus, hinc enim sibi contrahunt tumores stomachi, & abdominis: bibant ergò cereuisiam tenuem, addendo pauxillum vini, aut guttas aliquot spiritus nitri dulcificati.

Spiritus tartari ab aqua sua liberatus, mira hac in febris specie præstat, & solo hoc spiritu illa curari potest. Opiata etiam hic non negligenda, præprimis theriaca cœlestis. Chinam de china etiam cum purgantibus miscere soleo; vel etiam pro re nata cum sudoriferis, & in fine paroxysmi aliquando exhibenda. Sic etiam ex martiali noui parare antifebrile, quod in omnibus febribus intermittentibus nunquam te fallet. Martialia enim in aperiendis tubulis, & simul edulcorando materiam acidam omnem implent paginam. Salia fixa optimè cum ☽ parantur. Hoc in casu sæpè Mercurius dulcis cum alijs specificis commixtus, vnicus auxilij author existit. Camphorata, & decocta ex lignis quoque magni penduntur. Puluis diaphoreticus ex antimonio paratus iuuamen præstabit; in cuius defectu specificum stomachicum Poterij conducet. Cùm caput graue est, & ventriculus pituita obsessus, potest exhiberi saccharum Saturni, vel lap. prunellæ, quæ ardorem mitigando appetitum producunt, & venæ sectione hic abstinere iubemus, nisi insignis adsit plethora. Febris enim essentia non consistit in intemperie calo-

calida, ad quam requiratur sanguinis detractio, cùm calor ipse tantùm sit effectus, sed materia latet in tubulis, & in chyliferis ductibus.

Inter externa referimus emplastrum nostrum febrifugum sequens:

℞. *Galban.*
salis gemmæ.
pulu. tormentill.
fuligin. camin. splend.
sol. burs. pastor. à ℥j.
camphor. ℥ß.
C. s. q. terebinth.
ol. scorpion. Matthiol.
theriac. Andromach. à ℥ß.
F. Massa pro carpis manuum.

Proderit & febrifugum Strobelbergeri, Mynsichti.

Herbæ stypticæ, & adstringentes contundi, & cum acet. pulsibus apponi possunt, quibus etiam ab Empiricis noduli ex charta vel lino firmiter alligari solent. Camphora etiam de collo suspendi potest,

Ventriculo verò debili, & tumido externè varia applicari possunt. Sequens sacculus conducet:

℞. *Hordei germinant. mij.*
ß. chamomill. mj.
semin. cumin. contus. ℥ß.
coriandr. ℥j.
salis commun. mj.
M. F. sacculus interpassandus.

qui exteriùs aspergi potest oleo aliquo destillato carminatiuo, spinæ dorsi applicetur 2. vini vel balsam. de Peru, vel carpis manuum & temporibus, vt argentina, telæ aranearum, &c.

Vel illinantur varia olea carminatiua, aquæ spirituosæ, ex spirit. month. theriac. camph. &c.

Hoc in casu conducet etiam *Vvillisij* potiuncula ex aquæ magistralis lumbricorum ℥j. elixyr. propriet. gutt. ali. aliquot.

Quoad symptomatum *febrium curam*, hæc in fine huius libri inuenitur.

Vires refocillari debent conuenientibus cordialibus, & restaurantibus de, quibus etiam alibi dicetur.

CAPVT VIII.

De Febre Tertiana intermittente.

§. 1. INter febres, communissima est *Tertiana*, quæ & continuas sæpe mentitur, & variis cruciatuum generibus, pro vt innumeris est stipata, se modò grauiorem, modò mitiorem præbet. Huic itaque atrocissimæ Furiæ obuiam ire, eamque ex humano corpore longius profligare in præsenti stat sententia. Tertiana hæc febris ita vocatur, non quæ ad 3. dier. distantiam peragitur, sed inclusiuè à die, quo incipit vnus paroxysmus, dehinc tertio die recurrit alter, h. e. intra singulas 48. horas. Describi potest, quòd sit efferuescentia totius massæ sanguineæ præternaturalis alternis diebus ægrum afficiens, cum capitis dolore, siti, calore, frigore, & subsequente calore intenso, &c. à fermento febrili ex tubulis, potissimum hepatis, & ductibus chyliferis, & aliunde adueniente, & sanguinis mixtionem omnesque Reges turbante, exorta.

Hæc febris meritò statuitur duplex: *Legitima* scilicet, *notha* seu *spuria*. *Legitima* dicitur, quæ quinto, sextoue, aut ad summum septimo paroxysmo, vel sponte desinit, cum excretione aliqua critica, vt plurimùm verò per metastasin humoris alicuius serosi & acris, quem *biliosum* nominant, in faciem, labia, crura, aures, quandoque & lingua, palatu, & alibi.

Notha verò vocatur, quæ diutiùs protrahitur, & per aliquot durat septimas, antequam totaliter soluatur. Ita obseruaui hanc in fœmina N. *Hanouiensi*, quod durauerit septem integras hebdomadas, & hæc lentè seu pedetentim magis decrescit, quam vt subitò tollatur.

Ratione complicationis alia *simplex* dicitur, alia *composita*. Simplex est, in qua vnus saltem paroxysmus, composita verò in qua plures paroxysmi contigunt. Interdum est tertiana Epidemia, quæ nec sexui, nec ætati, nec temperamento vlli parcit, maximè tamen biliosos corripiens, quale nos sæpiùs obseruauimus, hæc febris sæpè est cum scorbuto coniuncta, hinc & dicitur febris tertiana scorbuti-

butica, quam Cl. & beatus D. D. *Ettmuller* sine omni calore infestantem obseruauit.

PARS AFFECTA.

Quanta animorum contentione de subiecto *febris tertianæ* digladientur Authores, nemini ignotum esse potest, qui vel obiter scripta eorum inspexit. Nostri iam non est, singulas ventilare quæstiones, cùm in præcedenti Capite, vbi in genere de febribus intermittentibus sat abunde dictum sit. Alij enim in venis mesaraeis sanguinem putrescere aiunt, alij in *hepate* bilis putredinem accusant, alij circa præcordia, nonnulli circa ventriculum, plures circa hepatis caua, multi circa lienem, pancreas, omentum & mesenterium, sedem huius febris statuunt. *Nos* verò quacunque in parte solida, etiam in digitis, febrium intermittentium fomitem aliquando existere posse contendimus, & sic per interualla sanguini communicari, præcipuè verò in ductibus chyliferis, & quamuis non negauero in pancreatis, mesenterij, aliarumque partium tubulis fermentum febrile delitescere, vt plurimum tamen *obstructionem tubuli* vnius vel plurium in hæpate & inprimis obstructione plurium ductum chyliferorum, Febris tertianæ focum esse statuimus, in quo & consentiunt *Veteres*, & euincit ratio.

Facilè enim *febri tertianæ intermittenti* accedit Ictterus, adest sæpissimè hypochondrij dextri dolor cum tussi sicca. Quę omnia ob tubulorum obstructionem contingunt, vnde bilis non segregata ictterum, vel ad intestina deuoluta, colicam, alui fluxum, aliaque mala producere apta nata est.

DIAGNOSIS.

5.3. Quoad *signa Diagnostica*, affectus ipse oculis expositus est, & prolixa indagine non opus habet. Incipit autem ordinariò cum frigore & horrore subinde horulam, aliquando diutiùs aut breuius durans, quo sublato sequitur calor pro corporis constitutione diuersus, quandoque maior, quandoque minor, modò longior, modo breuior cum varijs anxietatibus, nausea, interdum vomitu amaro ob *διαφορίαν* humorum bilioſorum, & acriũ neruosum ventriculi orificium irritantium prægressa vellicatione spasmodica folliculi fellis, ægri enim maximo conatu, & in quantitate regurgitantem bilem, alioſque succos vitiosos euomunt. Vellicatio autem hæc contingit ab *ἀταξία* spirituum animalium, qui in ordine suo turbati vna cum *Microcosmetore* conuulsiuos motus facili marte cient.

Comitatur hanc febrem amator in ore, à particulis amaris è sero per glandulas eò delatis, vel è stomacho ex bile vaporis instar ad fauces, & dein ad linguam assurgentibus, quæ particulæ amaræ cibum & potum ita inficiunt, vt febricitantes non cogitantes de tali humore linguæ communicato, saporem cibo acceptum referant. Lingua enim est spongiosæ & porosæ naturæ, vt & ignita, V.gr. laccam, ceram, picem, aliaque accensa, absque damno exstinguere possit. Semper hac in febre obseruabis tum capitis, tum lumborum dolorem, ratio hæc est, quia in tali calore arteriarum pori valdè dilatantur, vt crassiores etiam partes acidæ, acres, scindentes, & pungentes per illos expressæ, nunc in lumbarem regionem deponantur, nunc ad caput deferantur, & insignem ob maiorem vim motus continui solutionem, indeque dependentem hunc dolorem producant.

Delirium hic sæpè vrget, quod exoriri solet, quia spiritus animales fortuitò, citraque aliquam determinationem in cerebro extra limites diuagantur, & proprijs motibus feruntur, ad quosdam eiusdem poros aperiendos, eo modo, quo antea ad obiectorum præsentiam aperti sunt, hinc & *Microcosmetor* redditur quasi furibundus.

Propter hos spiritus inordinatos, & fortiter à *Microcosmetore* agitatos ægri continuis vexantur vigilijs. Sitis verò inexstinguibilis, tanquam huius febris symptoma ordinarium, oritur à salinis corpusculis, & amaris ad fauces delatis.

Vrina est russa, ac turbida ob insignem salis & sulphuris propter sanguinis, aliorumque humorum celeriorem motum, quæ corpuscula à renibus segregata vrinam rubram, & ob admixtas nunc paucas moleculas terrestres intensè saturatam reddunt.

Post horas circiter VI. VII. aut VIII. suc-

succedere solet sudor exspirante æstu, dum *Microcosmetor* se recolligit, subacta iam, & diffusa hostica materia, apertis iterum poris humores acres & calidos sãguini, non tam legitime mistos, quàm confusos, saltim haud difficilè segregat, discutit, & cum sero ad corporis superficiem propellit, vnde proscriptis quibusdam ex ditione microcosmica particulis rebellibus ac seditiosis, ipse quoque tumultus ex parte compescitur, & si quoque chylus subactus sit, inducix sunt vsque item nouus sanguis alluit. Redit verò paroxysmus per vices imparibus diebus, quoties ob relictum in tubulis hepatis fermentum febrile vel chylus nondum planè expulsus est, sed iterum turgescere, & sanguini communicari incipit.

CAVSÆ.

§. 4. Perlustrata nunc insigni hac symptomatum caterua, ad *Ætiologiam* faciendus est progressus; & quidem primò causam *febris tertianæ* ad mentem *Galenicorum* dispiciamus, qui hic accusant humores biliosos, in hepate, & cystide fellea potissimum acumulatos. Hinc in *tertiana illi* culpant calidam & siccam hepatis intemperiem, ætatem iuuenilem, aeris constitutionem calidam, curas, ieiuna, victum nimis calidum, atque motum nimium. Hinc dicunt eos, qui calidiori hepate præditi sunt, & ex crapula ac praua victus ratione plures cruditates ex bilis cum crudis humoribus permixtione cumulant, tertianis febribus facilè obnoxios esse.

§. 5. Iuxta *Paracelsum* in causa est sulphur fœtidum cum dissoluto Mercurio & impuro sale in hepatis regione conglomeratum.

§. 6. *Helmontius* acori corrupto, & extra stomachi pomœria diuaganti, adeoque Archeum irritanti febrium intermittentium causam adscribit.

§. 7. *Willisio febris tertianæ intermittentis causa est*, materia quædam nitro-sulphurea, quæ cum sanguinis massa ad turgescentiam saturatur, instar cereuisiæ nouellæ vtribus inclusæ effervescentiam concipit. Materia hæc nitro-sulphurea, acrimonia sua gaudens, si per totum corpus diffunditur, partes neruosas vellicat, atque calorem spiritusque vitales obtundit, vnde frigus cum horrore, vomitus, &c. excitantur, deinde præpollentibus rursus spiritibus, caloreque nativo, materia hæc in sanguine effervescens subigitur, atque in pulmonibus, & inde mediante respiratione calor intentensus per totum corpus diffunditur, quem dein sudores, aliaque symptomata necessariò subsequi solent, & debent.

§. 8. *Syluius* in *tertiana febre Intermittente* dicit pituitam obstruentem ductus pancreatis modo medio se habere, & cum pituita obstruente viscidiore aut copiosiore concurrere succum pancreaticum per se acidiorem, aut copiosiorem, atque etiam cum pituita minus glutinosa, paucaque succum pancreaticum itidem existere minus acidum, paucumque. Hinc alternis ferè diebus ait recurrere nouos febrium Paroxysmos.

Syluius ergo succum pancreaticum ob vias aliquantisper obstructas acriorem factum, &c. vitiosam hinc postea enatam effervescentiam culpat, quod acidum, præterea vna cum sale lixiuioso prædominante per venas lacteas, & ductum thoracicum ad venas subclauias, & tandem ad cor delatum, calorem, & pulsum frequentiorem induxerit.

§. 9. *Nos* verò existimamus hac in *febre tertiana* fermenta vbicunque latere posse, quæ facilius sanguini communicata fermentescunt; hæ enim particulæ in tubulis stagnantes sensim ac magis magisque variantur, tum non potest non, dum illa in hanc, alia rursus in aliam mutuo suo impulsu agit, excitari lucta, qua excitata materia illa in sãguis massam vehitur, & quia illę particulæ sunt tenuiores & sulphureæ, ac proinde magis inflammabiles in *tertiana* hac *intermittente*, æquabilibus etiam horis paroxysmi accedere solent, vt plurimum verò in primis vijs puta ventriculo, mesenterio, pancreate, &c. latet bilis, quæ nil aliud est, quàm valdè acre & sulphureum chyli, & chylificantium viscerum excrementum certo corruptionis gradu ad acredinem perductum plerumque externis erroribus acceptum ferendum. Hoc si non excernatur, sed collectum p. n. restagnet, primum fermentatur (i. e. agit in chylum)

postmodum cum chylo in ductus lacteos, dehinc ad sanguinem amandatur, & tertianam parit. In obstructione ergò tubulorum causam huius febris rimamur, & hinc particulas magis sulphureas, tenuiores in hac esse quam in alijs febribus existimamus. Potest quoque in sanguine magna esse cacochymia absque tamen turbata mixtione sanguinis. Ab initio paroxysmi pulsus rarus, & tardus est, quia materia illi chylosa, quę singulis XXIV. horis in sanguinem defertur ad fermentationem inepta est, & sic sanguinis fermentum imminuit, atque sic frigus, & horror subsequi solent.

Quando mixtura sanguinis est turbata, non mirum est, fermentationes malè procedere, & spiritus generari minori copia, & crassiores, hinc corpus fit tandem, & ad motum ineptum, lassitudines enim ferè semper oriuntur, vel à dissipatione spirituum animalium, vel ab obstructione musculorum.

Non semper durationi paroxysmi, tanquam notæ exquisitæ vel spuriæ febris est fidendum. In spuria omnia symptomata sunt mitiora, adeoque interdum diuturniora, quàm in exquisita.

Causa verò denique procatarctica omnia illa, quæ vitiosos humores augere, atque in actum deducere, & hinc sanguinem turbare possunt, vt aer inconueniens, in primis vernus ab aquilone mutatus, qui per inspirationem attractus fermenta in tubulis latenta non modo magis ad effervescendum inuitat, sed ambiens quoque frigiditate sua liberam impedit transpirationem: maximè vero alimenta *vitiosa*, in primis nimia quantitate & inordinatè assumpta, vigiliæ nimiæ, corporis, animique exercitia intempestiua, subitanei quidam animi affectus, & denique excretiones quædam suppressæ, vlcera, inflammationes, chylum corrumpere, & febrem hanc inducere possunt, pro quarum omnium causarum diuersitate, in primis dispositione sanguinis magis, minusve aut pituitosa, aut melancholica, aut serosa, febris illa modò *legitima*, modò *vera notha* producitur, & vel diutius, vel breuius durat.

PROGNOSIS.

§. 10. Parum hæc in febre ordinariò est periculi, imo vero *legitima tertiana*, sæpè auxilium esse dicitur, vt & *notha*, vtpote qua sanguis deputatur, non minus ac multa vina generosa, quæ aliquoties fermentando generosiora euadunt, hinc pluribus febris hæc dicitur *sanguipurgium*, cum per hanc sanguis quasi deputetur. Sæpè in alios quoque morbos degenerare potest, febrem scilicet continuam, quartanam, præsertim declinante autumno, similesque alios. Senibus nonnunquam mortem adferunt, imo & tertianæ lethalis exempla plurima apud Authores occurrunt. Tertianæ superueniens lethum eam soluit. Ordinario hæc febris intra septem vel decem periodos cessare solet, si vero vlterius serpit, tunc difficilior est curatu. Quo citius appareat coctio, eo breuius iudicauit. Nebula alba in vrina, ceu coctionis nota, breui soluendam febris arguit, quando vero nullum sedimentum habet, longiora pronuntiat. Quo vehementiora symptomata, eo citius finitur, si perfectè intermittat. Cum labijs vlcerosis sæpius pertinaciter insistit. Tertiana notha si diu duret, ægrum facilè ad hydropem, tumorem lienis, &c. deducit.

CVRA DIÆTETICA.

§. 11. Ad *Diæteticum* denique *fontem* accedentes, quæ amplectendam, fugiendaque sint febre tertiana laboranti dispiciemus. Proinde aer sit temperatus, serenus atque purus.

Cibus sit ἐσχυρὸς, & ὀνώνυτος extra paroxysmum moderate capiendus, in ipso vero penitus subtrahendus. Inter alimenta vitentur dulcia, in primis calida nimis aromatisata, fumo indurata, pituitosa & aquea æstuante scilicet corpore assumta, sic & quęcunque alimenta nimia quantitate, & inordinato assumta, omnia crassa & concoctu difficilia vitentur.

Potus etiam temperatus magis sit, quam calidus. Cerevisiæ instillari possunt tincturæ alterantes, spiritus nitri dulcificatus, salis, martis dulc. vel tincturæ corroborantes ex floribus cordialibus, vel rosar. vel violarum, &c. Vinum vel planè exulet, vel modicum succo

co ribium, vel rubi idæi, vel acidulis Doningsteinensibus bibatur.

Somnus prouocandus medicamentis opiatis secundaria intentione commixtis cum antifebrilibus, vel emulsionibus amygdalatis, & papauerinis, vigiliæ enim maximè nocent.

Quies etiam præfertur motui, corpore enim quieto felicius peragitur digestio succorum.

Aluus seruetur aperta, constipata lenientibus vel clysteribus, vel suppositionis commoueatur officij.

Animus sit tranquillus, ira, mœror, curræ, terror, &c. cane peius & angue fugiantur.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 12. Considerata iam *cura Diætetica* ad legitimam *medendi methodum*, in qua totius rei cardo versatur, deproperamus. Primo ergo videamus *Galenicorum* methodum medendi, quæ consistit, vt causa, quam reputant bilem excrementitiam, tollatur: hinc *vacuantia*, *præparantia*, & alterantia commendant, & quia focus materiæ in venis mesaraicis ab ipsis esse creditur, inde ergo humorem vitiosum, antequam bonum sanguinem inquinet, euacuandum, &, si opus sit, præparandum esse contendunt. Primas ergo vias euacuant vel clysteribus, vel exhibitis medicamentis lenientibus, ex sirupo rosarum solutiuo, manna, cassia, quibus & Rhabarbarum, agaricum, folia sennæ pro humoris peccantis ratione addere solent. Et si æger cardialgia, nauseaque molestetur, vomitoria suadent.

Venæ sectionem quod spectat, quamuis bilis in venis mesaraicis existens eam non requirat, tamen, si adsit plethora, venam secare iubent, & non statim ab initio, sed etiam in statu eam secare iubent, quam tempore ἐπιτροχίας instituendam volunt.

Post hæc, ea medicamenta propinant, quæ & humoris biliosi qualitatem excedentes corrigunt. Talia sunt *refrigerantia & humectantia*, quæ simul primas vias extergendi, & putredinem inhibendi vim habent, qualia sunt ad mentem illorum, taraxacum, endiuia, cichorium, acetosa, semina frigida maiora, succus citri, rubri idæi, &c. & ex ijs paratæ emulsiones, & sirupi, seu Electuaria. Quibus in nothis tertianis, quæ pituitam vel melancholiam respiciunt, addere iubent radices fœniculi, graminis, asparagi, polypodij, cardui benedicti, centaur. minor. scolopendr. absinthij, in primis *Riuerius* cremorem tartari commendat. Ipsorum specifica sunt Taraxacum, Chamæmelum, centaurium minus, plantago, succisa, &c.

Post purgantia & vomitoria etiam commendant varia *Diuretica*, Emuls. scilicet sem. 4. frigid. maior. cū aqua hordei, vel fragor. &c. paratæ, vel decoct. gramin. asparagi, fœniculi, capill. veneris, cicer. rubr. fl. chamæmel. absynth. serum lactis, &c. Sic si natura per sudorem materiam morbificam expellere satagit, illam adiuuandam esse dicunt sudoriferis, vel ante, vel in fine paroxysmi exhibitis, & quidem in puris tertianis, in quibus alias natura in fine paroxysmi sudores mouere solet, æger aquam hordei bibat, vel exhibeatur aqua cardui benedicti, acetosæ, &c. In nothis calidiora exhibenda esse proponunt, quæ horas aliquot ante paroxysmum data sæpè paroxysmum tollunt.

Si hisce prædictis remedijs haud cedat febris, & indicia adsint, viscus aliquod, hepar, vel lienem simul affici, tunc & alli prospiciendum esse aiunt, & quidem, quia hepar in nothis tertianis iuxta *ipsos* à crassa bile, vel crassis humoribus permixta sanguinem inquinat, obstruitur, ea quæ bilem corrigunt, vsurpanda esse præcipiunt. In quem finem præ alijs absynthium laudant, quod bilem detergendi, & eam per aluum, & vrinam educendi vim habere dicunt, cui in viribus succedit centaurium minus, vnde & trochiscos de absinthio, de rhabarbaro, gentiana, &c. magnificiunt.

Inter Topica externa præ alijs laudibus extollunt Emplastrum è telis aranearum cum vnguento populeo, folijs burſæ pastoris, vrtica, ranunculo, & vesicatorijs alijs paratum.

§. 13. *Paracelsistæ & Helmontiani* hic sua iactant arcana, de quibus in prioribus iam dictum.

§. 14. Intentiones curandi hanc febrem *Vuillisij* sequentes sunt, primò sanguinis

ad temperiem naturalem restitutio : secundo deprauationis facci nutritij præcautio : tertio fermentationis febrilis, ne paroxysmus suscitetur, inhibitio. Quoad primum, vt sanguis iterum ad naturalem suam temperiem restituatur, *vomitoria*, *venæ sectionem*, & *purgationes* commendat, in principio adhibita. *Vomitoria* enim iuuant, tum quatenus ventriculum expurgant, vt prima coctio melius peragatur, tum præcipuè quatenus bilem è meatu choledocho copiosè exprimendo cystim felleam inaniunt, vt exinde bilis è massa sanguinea plenius exhauriatur, adeoque sanguis à recrementis salis & sulphuris adusti depuretur, quæ tamen in naturis debilioribus omittenda esse censet. *Venæ sectionem* verò iuuare dicit, quatenus illa sanguinem refrigerat, & ventilat, vt propterea minus torrefiat. *Cathartica* vero leuamen afferunt, quatenus bilem è vasis felleis, & consequenter è cruoris massa vbertim emulgent, & proritando exprimunt. Præ alijs laudat potiones vel infusa ex rhabarbaro & foliis sennæ, quo vnico remedio adiecto victu tenui, & exterius applicato, tum pectori, tum carpis topico vidit tertianas curatas. Laudat etiam Author & cruoris scilicet reductionem, *Digestiua*, acetosa vt temperantia, quatenus sanguinem fundunt, & attenuant, eiusque feruorem compescunt. Sic & à soli, & aeris mutatione hanc febrem obseruauit sublatam, Author. Tamen etiam alimentaque tenuia sæpè hanc febrem fustuliſſe refert.

Si verò febris tertiana altas egerit radices, vel propter errata in victu, aut pharmacia commissa, producta fuerit, in finem apozemata ex herbis & radicibus leniter diureticis parata commendat Author, vt & opiata ex conseruis temperatis cum sale nitri, aut herbarum fixo, cumque puluеribus testaceis, & spiritu vitrioli admixtis.

Quando sanguinis crasis nonnihil emendatur, vt vrina sit clarior, & non adeo tincta, etiam somnus quietior, cum sitis, & æstus remissione, tunc pharmaca paroxysmum sistentia admittit, in quem scopum puluerem è cortice Peruuiano, aut è corticibus fraxini, tamarisci, vel gentianæ cum salibus admixtis è vino albo assumendum suadet. Nec hic omittenda vult Epithemata carpis aut plantis pedum applicanda. In fine febris catharticum blandum exhibendum esse ait, & tunc concedendus lautior victus.

§. 15. *Sylvius* in curatione febrium intermittentium non tam ad recursus vnius cuiusve interuallum, quàm symptomatum concomitantium, frigoris nempe, & caloris, diuersitatem attendendum vult. In *tertianis* ergo quæ accidunt æstate, in corpore iuuenili ac virili, aliter curam instituendam putat, quàm in tertianis, quæ hyeme contingunt, atque quæ senes & pueros affligunt. In priore enim specie bilis abundat, in posteriore vero pituita. Pro humoris huius vel illius præsentia variandam curam esse ait. Si ergo in *tertiana* adsit magnus æstus, item æger sit nauseabundus cum amaritudine oris, signum esse ait, bilem in ipso turgere, ac sursum viam affectare, & exitum, in quem finem die intermissionis, aut si post prandium demum redeat paroxysmus, ipso accessionis die sex aut quatuor saltem ante ipsius aduentum horis, vomitorium exhibendum vult ex vitro antimonij, aut croco metallorum per noctem in aqua conuenienti, puta cichorei, fœniculi, in mediocri dosi infusum, addendo aliquid aut electuarij, aut sirupi cholagogi, quò humor sursum magis vergens per vomitum, reliquus deorsum tendens per aluum expurgetur. Postmodum ad humores bene respiciendum esse inculcat, & sic facilè hanc febrem iugulari posse nullus dubitat.

§. 16. *Nos* hac in febre omnem operam collocamus, vt fermentum febrile in primis vt plurimum vijs latens, & massæ sanguineæ iam communicatum elutrietur, & corrigatur, & postmodum efferuescentia sanguinis nimia compescatur, vt symptomatibus vrgentioribus occurratur, & vires fractæ, viscera que labefactata, quantum possibile restaurentur. Methodus curandi tertianam, & omnes intermittentes specialis, binis incedit vijs, & medicamentis, 1. extra paroxys-

mum,

mum; 2. ante paroxysmum. Fermentum febrile optimè remoueri potest è primis vijs per *vomitoria*, & *purgantia*, quæ tamen statim ab initio morbi danda sunt, inprimis si adest nausea, & dispositio ad vomitum, non verò vbi iam magna in corpore existit agitatio, tunc potiùs ab his abstinendum esse existimamus; vnde si Aloetica, diagrydiata, antimonialia fortiora, aliaque exhibere volueris, sulphur igni addes, hinc potiùs acquiescere licet lenioribus, sc. cassia, manna, vel tantùm infus. senn. c. rhabarbaro, sirup. de spina ceruina, & quia hæc amara sunt, plus efficies, quàm alijs licèt fortioribus, quæ vt alia danda sunt die intermissionis. In delicatulis & infantibus conducunt clysteres in principio & fine paroxysmi applicandi, & hoc felici cum successu in praxi nostra experti sumus, quia non est dubium, quòd materia quædam separata fuerit à sanguine, & deposita ad intestina, quæ vitiosa materia per iniectos clysteres si educatur, multùm de vehementia futurus paroxysmus remittet.

Quoad *Purgantia* hic prout in præcedente diximus Capite, conueniunt infusa & vina medicata ex summit. absynthij, centaur. minor. flor. cichor. radic. gentianæ, plantag. taraxac. rhabarbaro, fol. sennæ, addita spica, quæ possunt infundi s. q. vini Rhenani, Ex. gr.

℞. *Rad. fœniculi,*
gentianæ,
ruscí,
cichorei à ℥iij.
herb. centaur. minor.
anserinæ.
galegæ,
absynthij à mß.
cortic. contrayerv. ℥j.
fol. sen. s. ft. ℥iß.
rhabarb. ℥iij.
semin. carui,
anisi,
fœniculi ana ℥ij.
tart. crudi ℥ß.
cinnamon. acut. ℥ij.
Dentur incis. ad nodulum pro mensura j.
vini. Vel:
℞. *Herb. cichorei,*
taraxaci,
absynt. ana mj.
rad. cichorei,
gentianæ,
plantag.
rhabarb. Monachor. ana ℥j.
rhabarb. veri elect. ℥ß.
spicæ ℈j.
Extrah. cum spiritu vini l. a. Essentia.

Possunt etiam præscribi pilulæ, potiunculæ, electuaria, puluercs & apozemata, pro huius vel illius humoris peccantis diuersitate. Non libet autem hic omnes apponere formulas, cùm quilibet Medicus iunior ex antedictis eas facilè concinnare potest.

Conuenit & Elixyr febrile Mynsichti, item elix. proprietatis, & omnia amara conducunt hinc Batani in vsu habent exhibere Electuar. hieræ picræ, quò solo profligant febres intermittentes.

Magna se offert inter Practicos difficultas circa venæ sectionem, & quæritur, an in tertiana sit necessaria? Negatur, præcipè cum constet aliquot mille absque venæ sectione esse curatos, præprimis in his regionibus, & cùm experientia quotidiana constet, illos, qui frequentius educi sibi sanguinem patiuntur, satis procliues fieri ad febres, & porrò nos doceat, quòd febres per venę sectionem prolongentur, nec tertiana & quartana remittant, sed augeantur potiùs, abstinere iubemus à venæ sectione. Si autem vires constent, & plethora adsit, potest aliquando concedi. Quid enim venæ sectio quoad primas vias auxilij adferre potest?

Obiter & hic notandum est semper præstare in tertianis, vt proxysmi postponatur, quàm anteponant; & causa quidem facilis est, nam vbi paroxysmi seriùs aduenium, signum est, vel fermentum febrile diminui, vel saltem tardiùs è suo foco moueri, quod vtrumque in morbis bonum est signum, præsertim in febribus.

Extra paroxysmum, seu diebus intermissionis, danda sunt causæ, acredini scilicet, & adiunctæ viscedini resistentia, & obstructiones expedientia, V. gr. anima Rharbarbari, antimoniata, clyssus antimonij, serũ caprinum, tinctura martis absynthiaca, arcanum tartari, tinctura

martis arcano tartari parata, elixyr. vitrioli Mynsichti, mixtura simplex, mixtura aperitiua, seu antiscorbutica, spiritus aperitiuus Penoti.

Efferuescentia verò febrilis compesci potest per præcipitantia, per quæ absque purgatione vel ἀνω vel κατω, & venæ sectione febres tertianas plures felicissimè curauimus, atque in fine febris tunc purgans exibuimus.

Inter præcipitantia referimus omnia terrea, vt sunt terræ sigillatæ quæuis; item corallia, C.C.vstum, creta, lapis scissilis Anglicus, oculi cancrorum cærulei ex viuis cancribus desumpti, conchæ, & ex his paratum antifebrile *Severti*, *Strolbelberggeri*, *Mynsichti*, *Crollij*, margaritæ, lapidi pretiosi, in primis lapis Lazuli, qui in omnibus febribus intermittentibus arcanũ est ad ʒj. in vehiculo idoneo propinatum. Sed quis omnia præcipitantia recensebit, cum numerus horum maximus sit? Quò & possunt referri radix chinæ de china, radix gentianæ, anserinæ, plantagin. cort. lingi guaiaci. Sunto formulæ:

℞. *Remanent. spir.* * *ci.* ℈ß.
vitr. martis gr. xiij.
pulu cort. chinæ de china ʒj.
specific. Crollij. ℈ij.
M. F. Puluis diuidendus in duas partes æquales.

Hic etiam, vti in omnibus febribus intermittentibus conducet *Cinnab. antim.* præmissis emeto diaphoreticis. Habet enim vim fermenta febrilia præcipitandi, furibundum spirituum motum coercendi, debet misceri supra dictis præcipitantibus aperitiuis, & opiatis, Ex. gr.

℞. *Cinnab. antimonij*,
antim. diaphoret.
lapid. cancror. ana ℈j.
tart. vitriolati ℈ß.
cancbar. ℈j.
theriac. cœlestis gr. vj.
M. F. Puluis in duas partes æquales diuidendus.

Vel:

℞. *Arcan. ex spir. salis ammoniac. & vitriol. ana.* ʒij.
essent. anodyn. ʒj.
olei piper.
camphoræ ana gr. j. *M. D.*
Dosis gutt. vx. *ad* xx. *& plures in vehiculo conuenienti.*

Optimum etiam est stratagema cum præcipitantibus in febribus iungere salia aperitiua diuretica, & in duplici, vel triplici dosi successiuè per horas ante paroxysmum exibere. Salia enim illa, cum præcipitantibus iuncta, & limitata, scoriarum, & fermentorum in tubulis hærentium saburram præcipitata educere possunt.

Sic & arcanum duplicatum cum cinnabari natiua, vel mercurio dulci egregium est medicamen in febribus exterminandis; & si qui sal ex combinatione spir. sal. acrimon. & spiritus salis mixtum cum cinnabari antimonij parare scit, habebit arcanum, quo febres intermittentes facilè propellet, præsertim hanc nostram tertianam. Antimoniata hic omnia conueniunt; item puluere terrestes, qui habent sal occultum. Aluminosa etiam conducunt, non debent verò cum salibus alijs misceri: maximè verò *Martialia*. Pro sanguis crasi, nec non viscerum tenore emendandis temporibus intermedijs locum habent quæcunuis medicamenta attemperantia, atque digestiua, quæ nimirum sanguinis turbationem maiorem impediunt, eiusque fæculentias segregando, & velut præcipitando versus emuctoria deturbant. In quem finem conducet serum lactis cum pauxillo cinnamomi, vel aniſi decoctum, vel sequens potio antifebrilis.

℞. ▽ *Card. bened.* ʒij.
salis absyth. ʒj.
arcani duplicat. gr. v.
spir. vitr. gr. x.
sirup. card. bened. ʒiij.
M. F. Potio.

Omnes etiam hic conueniunt puluere acetosi, salini, terracei, sc. ex tartaro, nitro, salibus herbar. fixis, absinthij sc. centaur. minor. card. bened. nitr. præparat. antimoniatum, chalybeatum, hinc egregium est antifebrile *Vuedelij*, quod paratur ex nitro vitriolato, antim. diaphoretico, conchis, matre perlarum, lapid. ♋, C.C.vsto, sal. absynth. centaur. minor. addito momento opij, & guttula vna olei caryophyllorum, piperis, vel camphoræ.

Sæpè

Sæpè præmisso Emetico, tartari scil. emerici gr. ij. cum sale absynthij, & deinvsurpato sequente puluere plures profligauimus tertianas.

℞. *Conchar.*
lapid. scil. Anglican. ana ℈j.
cinnab. natiu. gr. x.
puluer. anodyn. gr. v.
M. F. puluis pro vna vice ante paroxysmum.

Sic & hic gentianæ radix cum tantillo Nucis vomicæ præstantior est radice chinæ de china.

In tertiana alijsque febribus intermittentibus egregium est antefebrile vitrum Moscouiticum ad ℥j. ter vel quater exhibendum.

Sal polycrestus sequens etiam egregij vsus est, quod parari solet ex sal. absinth. centaur. minor. * ci tart. superaffuso aceto.

Esto formula:

℞. *Ant. diaphoret.* ℈j.
specific. febril. Crolij ℈j.
arcan. duplicat. gr. xij.
salis polycrest. ℥ß.
M. F. puluis diuid. in III. *partes æquales.*

Vel detur duabus horis ante paroxysmum sequens.

℞. *C. C. philos. calcinat.* ℈j.
salis absynth.
card. bened.
fumar. ana gr. VII.
M. F. puluis, quo assumpto æger ad sudorem disponatur.

Huiusmodi enim remedia semina febrilia expellunt, & fermenta naturalia viscerum ferè deperdita restituunt.

Opiata in his febribus non sunt contemnendi vsus, præsertim essentia anodyna Zuuelfferi, teheriaca cœlestis, &c. quæ possunt alijs antifebrilibus maritari. Sic & varia martialia, saturnina, aluminosa, &c. sæpe hunc iugulant hostem, Ex. gr.

℞. *Alumin. crud.*
Nucis mosch. ana ℥j.
olibani,
piperis ana gr. v.
ol. cariophyll. gr. j.
M. Detur ad ℥j.
In aq. centaur. minoris, vel simili.

Si continuus sudor comitetur febrem, intermittentem sequens prodest:

℞. *Sal. absynth.*
centaur. minor.
card. bened.
tamarisc.
M. in lapid. marmor. c. tantillo spiritus salis quantum imbibere potest add. cremor. tartari. ℥ij.
M.

Horis matutinis & verspertinis capiatur ℈j. ad ℥ß. Detur etiam hoc in casu nitrum Saturninum, vel Tinctura antiphthisica.

Sic etiam ex nitro hisce in tertianis optima parantur remedia. Sequens in *Ephemerid. German. Ann. II. obsern. 196.* laudatur:

℞. *Nitri* ℥ij.
borac. ℈ij.
* *ci* ℥ß.
fl. sulphuris ℈ß.

Nitro in crucibulo liquefacto reliqua per vices adijciantur, omnibus sic ritè coniunctis mixtura effundatur in patinam, aut tabulam ex aurichalco. In hac tertiana & alijs intermittentibus suademus motum intensiorem ante paroxysmum, siue is fiat equo, siue pedibus, pila ludendo, &c.

Si febris à vermibus sit exorta prout monumenta docent, anthirminthica reliquis antifebrilibus admiscenda sunt, in quem finem maximè conducunt myrrhata, aliaque amara in primis Mercurio dulci sociata.

Nota. Frequentissimè tertianam notham sequitur tumor œdematosus pedum, & ipsius aliquando hydropis initium, ratio, quia patientes bibunt potum non correctum, in quem casum motus est imperandus, & labor, dandaque ventriculum, & sanguinem roborantia, inter quæ precipuè prosunt nitrum antimoniatum, aliaque nitrosa, & martialia, tinctura martis, bezoarticum minerale, arcanum duplicatum.

Inter externa Topica commendamus Allium cum Sale & croco commixtum, & pulsibus applicatum.

Platerus corticem interiorē ramorū nucis in aceto maceratorū carpis applicat, & se feliciter hoc remedio vsum testatur.

Sequens commendatur ex Cnœfelij communicatione:

℞. *Terebinthin. cypr.* ℥ß.
styrac. liquid. ʒß.
quibus in patella cuprea liquefactis admisc. aranear. maior. viu. No. xx. contund. & misc. in tigillo terreo vitreato pistillo ligneo, donec araneæ non amplius conspiciantur, & mixtura quasi cinerei coloris appareat. Mixturæ parum calefactæ add.
pulu. bufon.
pyrij vulg.
ex capit. serpent. parat.
sal cri* ʒß. ʒij. *ana* ʒj.
communis,
centaur. minor. ana ʒß.
camphoræ ʒij.
fuligin. ex camino q. s.
Pro tingendo, & cum oleo febrifugo q. s. F. massa ad consistentiam Emplastri nigerrimi.

Ex hac massa formentur duo Emplastra rotunda, magnitudinem imperialis, quæ aurei vel argenti folijs obducta pulsibus imponantur, hora vna vel altera ante paroxysmum vbi ità relinquantur per x. dies tunc eadem hora iterum remouentur, & in flumina proijciantur.

Externè quoque conuenit succus vrticæ, argentinæ, plantaginis carpis impositus, Iberis planta (est experimentum Fluddi) pedum plantis imponi potest, item cortex interior nucum iugland. aceto maceratus. Emplastrũ febrifugum Strobelbergeri, ex aere igne, aqua & terra, i. e. ex telis aranearum, quia sunt in aere, ex fuligine, quia per ignem fit, ex terebinthina, quia est fluida, & quarto ex ranunculo caustico.

Iecur perdicum cum aqua millefolij conducet tanquam empiricum.

Ad virium & viscerum corroborationem in vsum vocandæ sunt mixturæ ex aquis cordialibus temperatis cum margaritis, oculis ℈, antidoto Poterit, & similibus præcipitantibus in debita proportione adiectis, saporis gratia admiscendo saccharum perlatum.

Symptomatum curam in vltimo huius libri Capite reperies. Sat enim iam pratabibere.

Duplex tertiana ijsdem curatur medicamentis, cum hoc tamen discrimine, sæpius in hac febre quam in tertiana simplici corpus expurgandum esse, nec sudorifera hic tam valida, quam ibi esse debere, siquidem paroxysmus, quotidie rediens vires prosternit. Sed cum quotidianam nihil ab hac tertiana duplici differre statuamus, ea propter non lubet hunc affectum bis tractare, sed videatur potius febis quotidiana.

In scorbutica tertiana, vbi in toto corpore maculæ, & exanthemata cum dolore erumpunt, debent antiscorbutica cum febrifugis misceri. Ex gr.

℞. ▽ *antiscorb.* ʒvj.
essent. trifol. fibrini ʒiß.
elixir. antifebril. ʒj.
sirup. scelotyrbic. ʒj. *M.*

Detur cochleatim die intermissionis, & ante paroxysmum.

CAPVT IX.

De Febre Quartana.

§. 1. IAm sistimus aliam febris speciem, à quaternario dierum numero nomen adeptum, Ethænum post terræ microcosmicæ tremorem, & percussionem, per interualla quatuor dierum repetentem, incendium, ingeniosa in humani generis noxam præarmata malitia miris modis terret *salutis Antistites*, vt ratio penè cum experimentis sæpè præ ipsa trepidet, ità enim versipellis est, pertinax, & refractaria. Hinc prouerbium: *Hydrops, quartana, Medicorum scandala plana.* Et scribit quoque *Richardus* Medicus, se testari Deum, & numina cœli, quod non potuerit cognitionem sufficientem habere, nec *morborum epidemiorum*, nec *conceptionis mulierum* nec, *quartanæ*. Febris hæc nomen habet à typo, qui in affectu cognoscendo non obscuram nobis facem præfert. Maiorem habet alijs febribus intercapedinem, longiores dat inducias quarto (inclusiuè) die exsurgens & ad statum vsque circuitum desinit. Duas ergò habet dies intermissionis. Melancholica dicitur *Veteribus* à causa efficiente; *Plinius* ipsam Quadrimam, à quadrimo circuitu appellat; *Plautus* verò Querperam.

DE-

DEFIN. & DIFFER.

Describitur, quod sit efferuescentia totius massæ sanguineæ præternaturalis quarto die ægrum affligens, cum horrore, siti, calore intenso, à fermento febrili, vt plurimum in tubulis lienis hospitante, sanguinis mixtionem, & Reges nostros turbante, exorta.

Dicitur hæc febris *simplex & composita*. *Simplex*, in qua non nisi vnus de die ingruit paroxysmus; *Cõposita*, in qua vel bini die quarto sese ostẽdunt paroxysmi, vti in *ciue Hanouiense* obseruauimus aliquoties. Obseruauit hic etiam Cassellis in quodam, die quarto & septimo ingruentem: *Composita* etiam est, quæ intermedios quoque dies occupat, estque vel duplex, vel triplex: Duplex dicitur, quæ vnum habet diem, duosque sequentes affligit: Triplex est, quæ singulis diebus exasperatur. Alia vocatur *Hepatica*, quæ in hepate; alia *Splenetica*, alia *Stomachica*, quatenus in liene, & ventriculo sedem habet suam, & fomitem, quam differentiam verò non admittimus.

PARS AFFECTA.

§. 2. Pro *affecta huius parte* reputatur cor, vti in omni febre, sic & in hac quartana, quia Veteribus cor vitæ & caloris fons habetur. Teste enim *Galeno de differ. febr. l.* 1. nullus caloris excessus potest appellari febris, nisi cor incaluerit. Focum verò seu subiectum causæ reputant *Veteres* mesenterium cum vasis suis, item lienem, tanquam atræ bilis fontem.

Nos verò sepositis omnibus præiudiciis existimamus in ventriculo *pancreate & liene*, qui primarium creditur hospitium excrementi crassi, cœnosi, fæculenti, & terrestris, febris quartanæ focum esse, quæ viscera ad affectus huius fomentum plurimum conferunt, nec hic excludere volumus vicina viscera & vasa, præsertim ventriculum cum annexis suis intestinis, & ductibus chyliferis, cum & hæc obstructa reperiantur, à qua obstructione tot viscerum & ductuum non potest non fieri, quin acidum augeatur, & tyrannidem suam exerceat vbi vis. Consentientem habemus *Helmontius tractat. de Febrib. c.6. §.9.* qui lienem sub quartanæ torturis tolerare multa docet, vt nigræ & retorridæ materiæ cloaca fieri queat. Sedes autem, subiungit, non est in lienis corpore, sed in arterijs, si non in omnibus, tantum aliquibus, cum hoc viscus præ reliquis frequenti arteriarum propagine sit ditatum.

Syluius prout in alijs febribus, & hic pro foco agnoscit solum pancreas.

§. 3. *Signa Diagnestica* iam videamus, alia sunt communia, alia propria. Communia, quæ febribus omnibus competunt, vt sunt dolor capitis & lumborum, frigus & calor, sitis, oscitatio, pandiculatio, pulsus p.n. frequentior, &c. Propria verò dicuntur, quatenus soli vnicuique harum febrium speciei competunt. Motus ergo frigoris & caloris ratione *circuitus* quartanarius infallibile huius febris indicium est, sic & ratione durationis, & temporis, quo ægrum paroxysmus tenet signum aliud emergit, terminatio enim longius protrahitur, ad 20. nonnunquam etiam 24. horas, & quidem cum sudore, acidum olente, hac febre laborantes ob acidum illud famelici sunt, & sæpè habentur vt pica laborantes appetitum deprauatum, corpus illis graue est, & parum perspirat, vires languent, & morosi sunt, vitam sedentariam eligunt, sic & sputatores esse solent, pulsus est semper debilis ob impeditam spirituascentiam chyli, & sanguinis. Pulsus testimonium magni facit *Galenus*, adeò vt 2. *de crisi. c.*4. glorietur, se ex hoc solo febrem imminentem non aliam, quam quartanam fore prædixerit, quod tamen negauit. *Campegius libr.*1. *histor.*7. hoc posse fieri.

Subiecti, seu febrilis foci, signa etiam paucis perpendenda sunt. Lienis affecti indicium vulgò censetur, color corporis plumbeus, tumor sinistri hypochondrij, quem tamen *Syluius*, non *lieni*, sed *intestino colo* adscribit. Pancreas hic quoque suum symbolum addere potest, ex huius succo nimis acido.

Vrina maximè quoad colorem, & consistentiam variat, modò est alba, modo nigra, modo rubedinem vergens. In principio sunt vt plurimum vrinæ aquosæ, & crudæ, procedente morbo sunt coloratiores, & crassiores; sudores sunt copiosi & fœtidi, lacidum vt plurimum spirantes, quos ipsi ægri nauseant. Hæc febris ferè semper post meridiem inuadere solet.

CAV-

CAVSÆ.

§. 4. Morborum *causas*, quo exactiùs quis cognouerit, eò tutiùs, citiùs & iucundiùs morbo eiusque causis opponere remedia poterit. Curabimus & *Nos* easdem scrutari, ijsque compertis, tanquam fundamentis totum curationis ædificium superstruere, sed priùs qui *Galenus*, eiusque *assectæ* de his sentiunt, videamus: Immediata causa huius febris ipsis est humorũ in corde accensio. Mediatæ proximiores sunt ipsis vapores putridi exhalantes ex humore melancholico, hoc est, atra bile. Hinc *Galenus* 2. *de Differ. febr.* 5. ex solo melancholico humore excrementitio naturali febrem hanc generari statuit, sic præternaturalem humorem melancholicum dicunt quadruplicem: 1. ex sanguine adusto, 2. ex pituita salsa, 3. ex bile adusta, 4. ex succo melancholico adusto fæcis ustæ instar. Sic *Auicenna*, vt quatuor species atræ bilis, sanguinis, pituitæ, melancholiæ factæ constituit, ita ex acribus istis humoribus quartanam oriri docet, & hoc sensu, quartanam vocat aliam *biliosam*, aliam *pituitosam*, aliam *melancholicam*, quem humorem quarto die primò putrescere, deinde moueri aiunt. *Hippocrates* verò, *libro de natura hominis*, vt omnes febres, ita etiam quartanam à bile flaua oriri contendi, sed permista cum atra bile, dicens: *Noctes ex eo, quod quartanæ excitentur* ab humore melancholico.

§. 5. *Chymici* suis innixi principiis producunt quartanam asserunt ex nitro sulphureis impuritatibus. Alij Mercurio quotidianas, elemento terræ quartanas, adscribunt. *Quercetanus* in *quartana* accusat Tartarum communem nostræ naturæ hostem.

Charleton VVillisium sequens docet, quòd in *febri quartana* sanguis dulci sua, spirituosa, balsamicaq; indole spoliatus, dyscrasiam quandam acidam, penuriosam, nonnihilque austeram sibi contraxerit, eo fere modo, quo vinum ac cerevisia tonitru commota fæceque turbida infecta suppressis spiritibus acescere perhibentur: quodque idem hoc pacto à natiua sua puritate longe degenet, & sacibus acidis ad spirituum vsque fixitatem conspersus, de nouo affluentem chylum rite concoquere, & assimilare minime, valeat, sed in liquorem extraneum corrumpat, qua cum ad plenitudinem ac turgescentiam in vasis saturata, consequitur mox huius materiæ fluor, velutique spontanea efferuescentia accessionem febrilem cum frigore, & calore excitans.

§. 6. Iuxta *Helmontium* sola Quartana exlex perijsse visa, siue extra contubernia stomachi ad splenem se exportexisse, parem sibi seruat progressum & explicationem super *Archèum* loci, dum intra proprios lares errorem digestionis committens, statis periodis suos producit furores. Iuxta ipsum & sua sponte cessat, & post mensem forte redit, & proprio naturæ ductu sanatur. Idem eam per crisin, & multas sedes, aliquando vidit sanatam. *Quartanæ* originem ex acido chylo in splenẽ delato deducit. Hinc ait, Quartanæ ansam dare chylum acore peregrino infectum.

§. 7. *VVillisio* proxima huius febris causa est sanguis in naturam acidam & austeram instar vini acescentis, vel aluminis, siue tartari, degeneratus, constans ex multa materia terrestri, & salina, per quam ferè tertia pars chyli in materiam quandam fermentatiuam transmutatur, quæ cum sanguine de quarto in quartum diem exaltatur, nouamque effervescentiam excitat, statuitque, quod in hoc morbo sanguinis liquor à natura dulcis, spirituosa, & balsamica, in acidam, & nonnihil austeram, instar vini acescentis transierit.

§. 8. *Syluius* febris huius causam petendam esse censet à pituita, aliquando propter frigus hyemis ac veris acre, glutinosiore, & copiosiore facta, à qua pituita tenaci in pancreatis ductibus lateralibus obstructiones contumaciores, & solutu difficiles fieri contendit. Sic & febrium duplicitas & triplicitas debetur pluribus ductibus lateralibus eodẽ tempore obstructis; diuerso tamen reseratis.

§. 9. Hisce perpensis iam non inmeritò quis sollitus esse posset de vera & genuina *causa quartanæ*, quid in hac re, igitur *nobis* statuendum sit, paucis videamus. Nulli ergò dubitamus, fermenta in hac febre in maiore quantitate, etiamque

que viscidiora esse, hinc non tantùm obstructiones tubulorum pluriũ, sed etiam contumaciores, hinc etiam sanguinis mixtionem turbari, & Reges nostros ab omnibus dulcibus priuari nulli dubitamus. Hostis enim non tantùm massam sanguineam occupauit, sed etiam omnes reliquos humores, imò ipsum chylum in acidam pastam redegit, quam ita deprauatam massæ sanguineæ, aliorumque in corpore succorum atonia viscerum necessariò insequi debet. Quod verò tam tardè insurgat paroxysmus hoc adscribendum est fermento viscidori tubulis tum lienis, tum pancreatis, aliorumque viscerum firmiùs inhærenti, item chylo tenaciori hinc tardiùs sanguinem alluenti.

Conditio foci autem est angustia meatuum istius, in quo febriles continentur particulæ lentæ, tenaces, & tartareæ, inprimis in ductibus chyliferis alijsque; exaltantur enim in quartana particulæ chyli salinæ, quas sanguis non potest subigere. Producitur enim hæc febris vt plurimùm à chylo vitioso acidiore. Has causas reuera in omni quartana locum habere, ac quartanarias excitare periodos inde discimus, quod omnes quartanarij vel obstructionem visceris alicuius contumacem habeant, vel magnam in visceribus omnibus primæ & secundæ concoctioni dicatis ἀτονίαν & visciditatem, seu cruditatem acidam, ex viscidis, & lentis, simul tamen acidis, & malè figuratis collectam. Tardiùs enim redeuntes paroxysmi indicant materiam valde esse ad fermentationem ineptam. Hunc affectum enim facilè produci posse ex limositate tartarea, amurca, alijsque liquaminibus viscosis, acidis, absque enim aciditate tales turbæ excitari non possunt.

Quod in quartana humori valde viscido, & quasi immobili aliquid *acre* admixtum sit, patet ex indè productis oscitationibus, frigore, rigoribus, & doloribus ossifragis, è quibus symptomatibus primum paroxysmum concomitantibus ferè dignoscitur ab alijs febribus.

Hinc etiam capitis dolor adest, quia materia illa crassa hæret in vasis capillaribus, & circulationem suam absoluere non potest. Frigus etiam durat diutiùs, quàm in alijs febribus, quia materia febrilis non tam citò potest se extricare, & insinuare sanguini, vt cum illo effluescat.

Inquietudo adesse solet, quæ producitur à particulis acrioribus, & scindentibus.

Intemperies melancholica non semper adest in hac febre, nisi materiam illam crassiorem pro illa intelligere velis, quæ materia, si adhuc sit crassior, & contumacior, tunc & fient febres sextanæ, octanæ, &c. quia illa materia crassa non est apta susciperc maturitatem, & sic erumpere, ob nimiam scilicet terrestreitatem, sed potius efficiet in corpore obstructiones vix solubiles.

Quoad causas remotas, hæ sunt vel *Naturales*, vt temperamentum, ætas, sic melancholicum vulgò ita dictum temperamentum dicitur idoneum ad hunc suscipiendum somitem. Ætas præ alijs opportuna est ab anno quadragesimo ad senilem ætatem, authore *Hippocrate 3. progn. 28.* vel *Nonnaturales*, de quibus tractabimus in cura Diætetica, ne crambem bis coctam propinemus.

PROGNOSIS.

§. 10. Si *quartana* tempore autumnali aduenial magis erit pertinax, quia omnes humores in corpore tum sunt fixiores, nam æstate spiritus auolarunt, adeoque per hyemem hominem comitari solent, sic tunc temporis ex hac febri facilè oritur cachexia, hydrops, scorbutus, &c. quia tempore autumnali crassi humores adhuc magis incrassantur, & viscera labefactantur, fitque atonia omnium viscerum primæ, & secundæ concoctioni dicatorum.

Euentus huic morbo quidem ex se rarò periculosus est, inprimis in regionibus calidioribus vnde vulgarum illud diuerbium Italicum: *Sopra quartana non suona campana*. Lenus tamen est ac tardus, adeò vt sæpe integrum duret bienium, & ampliùs, quod multis accidisse memini, inprimis ipsis, qui ex morbo epidemio, seu febre maligna in eam inciderunt, quod & mihi Lugduni Batauorum contigit. Ex se, ceu dixi, non est admodum periculosa, fieri tamen potest periculo-

sa ac-

sa accedente occasione, sc. morborum grauium, quorum suprà memini, in quos terminare potest, quosque producere valet: hodie enim vt plurimùm in scorbutum desinit nostra febris. Solamen tamen est, neminem bis laborare quartana, sic & *Plato* citatur, quòd scriptis ederit, eum, qui à quartana euaserit, post meliùs valiturum. Sed hæc omnia falsa esse quotidiana loquitur experientia.

Diuinus quidem *Senex l. 1. de morb. vulgar. comm. 3. text. 4.* beneficia quædã quartanæ recenset. Quartana laborantes magno morbo capiuntur, si verò iam alio morbo graui detineantur, & tunc superueniat quartana, liberantur. In exemplum potest adduci *Conuulsio*, à qua quartana superuenient liberantur ægri, authore *Hippocrate 5. aphorism. 70.*

Infantes faciliùs ab ea liberãtur, quàm mediæ & decrepitæ ætatis viri.

Quartana non est ex numero illorum morborum, qui coram sanitate in throno sedente flexis genubus benedictionem & gratiam illius sollicitabat, sed potius auersa facie posticis nudatis partibus se in fugam proripiebat. Saturni filia ob tardidatem & malignam contumaciam vocatur.

Æstiuæ quartanæ maximam partẽ sunt breues, autumnales è contra longæ, & diuturnæ, præsertim, quæ proximè ab hyeme ingruunt. Quo enim obstructio tubulorum contumacior, eò diuturnior est.

Gabelchouerus centur. 6. obseru. 74. exempla quartanarum colligit, quæ VII. XII. XXI. XXX. imò XLVIII. LVIII. annos durarunt. Modi euentus respectu, plerumque per vomitum, vbi plurimi crudi humores in primis vijs hærentes reijciuntur, abit. Interdum motu critico soluitur, sudoribus, vrinis crassis, nigris menstruis, aut hæmorrhoidibus fluentibus, hæmorrhagia narium, ab scessu, scabie, tumore lienis, quem Fieber Ruchen nominare solent, &c.

Si quartana inuadit eos, qui sanis visceribus, & integris viribus pollent, secura res est. Solui solet circa solstitium, vel æquinoctium.

Ex quartanis simplicibus duplices, vel triplices factæ periculosæ sunt.

Optimè refert *Crato in epistolis Scoltzij consil. 257.* vix nunquã discedere quartanam, quin aliquas relinquat corpori molestias, præcipuè autem pertimescenda est quartanarijs hypochondriacum malum, vel scorbutus, vel hydrops.

Sic & scirrhus lienis succedit desperatæ restitutionis; minatur aliquando hecticam.

In colicam sæpiùs per metastasin obseruaui hanc febrem transmutatam, acidum enim hoc vitiosum, & vt sic dicam, corrosiuum derelicta massa sanguinea circa membranaceas mesenterij partes sensiles transfusum tyrannicè imperium & sceptrum sibi rapit, quo etiam in loco hæ particulæ acidæ, rodendes putã, scindentes, pungentesque, spiculis suis lapsu temporis magis magisque impactæ fibrillas diuellunt, & rimas faciunt, vnde necessariò & fibræ illæ neruosæ, sensilesque cum fortiori spirituum animalium perturbatione, & ἀνεξίᾳ contrahuntur, indeq; factæ spasmodicæ conuulsiones ex dolorosè conuulsis & intestinis, & abdomine aliorsum in alias partes subinde cõtinuatæ, inde tanquã exequo Troiano hæc malorũ Ilias procedit.

Sequens casus contigit in Nobil. ægra, coniunge Generos. D. ab E. quæ etiam feliciter à me Dijs fauentibus pristinæ restituebatur sanitati.

CASVS.

Generosa ægra ætatis circa XXXVI. annum, temperamenti cholerico melancholici, teneræ ac macerrimæ constitutionis, texturæque, ante V. & quod exurrit, menses, febre corripiebatur quartana, à cuius tamen paroxysmo adhibitis varijs *præcipitantibus* & *absorbentibus* liberata fuit, remansere tamen atrocissimi abdominis dolores cum vigilijs intensissimis, ructibus & flatibus abdomen distendentibus copiosis, anxietatibus cordis, tandem animi deliquijs, & sic in extremis quasi iacens ægra infrà dicendis remedijs felicissimè curata est.

CVRA DIÆTETICA.

§. 11. Nunc *fontem Diæteticum* exhauriamus. In proba enim diætæ institutione præcipua curationis spes sita est, vixque etiam selectissima remedia proficere pote-

poterunt, nisi ægri obedientia cum sedulitate Medici faciat coniunctionem, & sic concorditer ambo reluctentur malo.

Aer ergo sit temperatè calidus, & purus, lucidus & frequentior ipsius mutatio. Valdè enim hic commendatur mutatio loci, regionis, &c. Vitetur nubilosus, vliginosus, marinus, hinc maritimis quartanæ sunt familiares, & solennes, sic & autumnus præcipuè ferax est quartanarum, si scilicet æstas calida præcesserit, & pluuiosus autumnus, quæ constitutio aeris epidemicas quasi producit quartanas, adeò vt plures reperiantur in regione, qui decumbuntur, prout hoc accidit in *Hanouiensi* districtu anno M. DC. LXXXII.

Cibus sit *ὐχυμος*, ab initio morbi sit tenuior, temperatur optimè borragine, bugloss. cichor. petrosel. capparibus, cinnamomo, croco, cum tempore tamen plenior conuenit victus, quia morbus est diuturnus, ne vires deficiat quod innuere videtur *Cous l.1. aphorism 6.* & tempus cibandi melius est post paroxysmum, quam ante, quod etiam indicat *Senex l.1. aphorism. 11.* Panis verò mucidus, nauticus vitetur in cibis, vt & carnes maiorum animalium, inprimis senio confectorum, vt sunt vaccinæ, bubulæ, aprugnæ ceruin. fuill. leporinæ. leporum tamen defensionem suscipit *Quercetanus Diæt. polyhist. l.3. cap. 43.* idem & indicat *Martial. l.13.*

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Sic ex volatilibus, *quartanæ* generandæ conferre dicuntur anseres, anates, columbæ agrestes, &c. Omnia quoque animalium inteſtina, & extremitates eò referenda sunt. E piscibus nocent omnes illi, qui in cœnosis, paiustribusque degunt locis, vt sunt anguillæ, &c. & cane atque angue peius fugiantur alimenta fumo indurata, vel sale condita, vt sunt pernæ suillæ, anseres perfumati, asellus exsiccatus, harengi diu in muria conditi & detenti. Cibi ergò salini, acidi, viscidi, glutinosi, & flatulenti summopere vitentur. Nocent & fructus arborum immaturi, austeri, pyra, poma, castaneæ, iuglandes, quia crassum generant sanguinem, & chylum corrumpunt. Omnia quoque legumina nocent; vt sunt oryza, fabæ, pisa, lentes, melones, pepones, &c. Fugiantur etiam omnia aceto condita, acetum enim quartanis non conuenire iam dudum agnouit *Hippocr. 3. de ration. victi. acut. t. 38.* E contrà alij acetum, quoniam refrigerat, & deobstruit, in febribus intermittentibus concedunt. Nos verò ab acidis abstinendum esse iudicamus, ni causam morbi fouere velimus. Pro potu sit vinum optimum, & etiam medicatum. Conuenit etiam serum lactis, aqua hordei, acidulæ martiales; inprimis verò decoctum agrimoniæ, quod arcanum est in hac febre.

Motum & quietem quod concernit, suademus motum, & quidem, vt æger se sæpè moueat, & equo, & curru vehatur.

Somnus & vigiliæ mediocriter se habeant. Excreta & retenta sint naturæ conuenientia. Aluus sit lubrica, si non natura, talis arte paranda. Hemorrhoides consuetæ suum habeant cursum, illæ enim vt sanant melancholicos, teste *Coo 6. aphor. 11.* ita si subsistant, accelerant.

Per vterum quoque, stata solita fieri euacuatio menstrua, si cesset, procuranda est, aliàs tartarei humores accumulantur, & acidum augetur.

Animi affectus potentes sunt causæ ad quartanæ productionem plurimùm facientes, quare timor, mœror, terror; lucubrationes, curæ, quatenus spiritus animales absumunt, sicque ansa datur huic affectui, supra lunæ sphæram locari debent.

Terrore subitaneo quidem quartanarios, nonnulli aiunt, liberari posse, vt aquæ frigidæ perfusione inopinata, serpentem, murium adspectu subitaneo, vel intento præcipitio ex alto. Animi affectuum, qui quartanarijs fuere remedio, exempla proponit *Ballonius epid. & ephemerid. l.1.*

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 12. Illustrato itaque *Diætetico fonte* ad *ipsum Pharmaceuticum* nunc accedamus *armamentarium*, ex quo depromemus varia tela, quibus febrem hanc nostram quartanam debellare ac propulsare queamus. Primò visitemus armamentarium

vete-

veterum Galenicorum, qui ex suo armamentario depromunt varia præparantia, purgantia, vomitoria, sudorifera, appropriata tam interna, quàm externa.

Si ergò febris hæc ab humore melancholico puro ortus sit, tunc *humectantia*, attenuantia, commendant: si verò adustus sit aliquo modo, refrigerantia suadent, quos humores sein conuenientibus medicamentis euacuandos esse volunt. Primas vias clysteribus, lenientibus medicamentis, vel etiam vomitorijs expurgandas esse monent. Postea, si simul sanguis abundet, venam aperiendam esse, dicunt, & si is crassus, & niger sit copiosius euacuandus, vt hoc modo & sanguinis copia imminuatur, & quod humoris melancholici in venam cauam diffusum est, euacuetur. Sanguine euacuato materiam peccantem præparandam, & coquendam esse aiunt, simulque diathesin humorem vitiosum generantem corrigendam.

Si pituitosus humor admixtus sit, & simul adusta bilis, tunc opus est etiam ab initio, *attenuantibus*, & *incidentibus*. Hinc exhibenda sunt borrago, viola, capillus veneris, bugloss., endiuia, fumaria, cichorium, scolopendrium maius & minus, chamædrys, chamæpythis, agrimonia, carduus benedictus, rad. althææ, glycyrrhizæ, polypodij, omnes aperientes, cortices tamarisci, radices iuglandis, flores & semen genistæ, viticis, fraxini, &c. & ex his varia composita concinnant, & nunc hæc, nunc illa eligenda, vel admiscenda, prout humoris peccantis natura id postulat.

Eorum purgantia, quæ præparata materia exhibere solent, desumunt polypod. epithym. folijs sennæ, radic. hellebor. nigr. lapid. Lazuli. Sic & varia ex his composita habent, vt sunt sirup. de pomis Regis sapor, electuar. diacatholic. confect. Hamech. pulu. diasenn. pilul. tartareæ, melanagogæ, de lapide Lazuli, &c. *Galenus* etiam die ante paroxysmum à cœna vomitorium exhibet, postridie manè succum seu dilutum absynthij, & duabus horis ante paroxysmum theriacam. Ipsorum mitiora vomitoria sunt succus raphani cum oxymell. vel decoct. hyssop. & sem. aneth. Potentiora sunt, asarum, gratiola, sambucus, rad. hellebor. alb. &c.

Tandem ad reliquias materiæ febrilis discutiendas, post purgantia, vel vomitoria, cocta seruet materia, sudorifera propinanda præcipiunt, hora vna atque altera ante paroxysmum. *Galenus* in vsu habet in hunc finem duo medicamenta, vnum ex succo cyreniaco, & theriaca, quæ & hodie ipsis *Galenicis* in vsu esse solent. In quem finem & commendant rad. gentianæ, card. ben. &c.

Tandem his præmissis ad adpropriata accedunt, quorum tamen agendi rationem reddere nesciunt, qualia ipsis hic sunt succus absynthij, verbenæ, rad. Imperatoriæ, plantaginis. Alij etiam alia laudant, & quisque crepat arcanum, nunquam promisso respondens.

Tandem etiam supra carpos & pulsus adplicant varia Topica, quorum iam in prioribus mentio facta est.

§. 13. *Paracelsistæ & Helmontiani* sua iactant arcana. *Helmont.* enim postquam omnia scolarum contemnit remedia, & irridet, febrifugum vniuersale proponit *l. de febribus* c. 14. n. 7. vocatque, præcipitatum diaphoreticum Paracelsi vel Mercurium diaphoreticum. Externè *Helmontius* commendat emplastrum ex paucis *resoluentibus & abstergentibus* paratum, descriptionem verò non addit. Censentur autem communiter hæc eius ingredientia prout videatur apud *Grembsium*:

℞. *Ceræ* ℥j.
styrac. calamit. ʒij.
ladan. liquid. ʒß.
asæ dulc.
oliban. opt. ana ʒiij.
M. F. l. a. Emplastrum.

quod adplicetur lieni, cuius Archeus ab acido stomachi ab ipso censetur ad iram commotus, vt odoratis his ille mulceatur, & sopiatur, in quem finem & varia commendat vnguenta, quibus solis hanc quartanam curari posse contendit. Quartanam quoq; vnico haustu arcani corallini curasse gloriatur.

§. 14. *Willisius* saliuationem suadet in *quartana*, nec non *Emetica*, & exemplum allegat virginis cui usdam illustris, quæ hoc modo ab ipso curabatur. Post solstitium hyemale facilè febrim hanc curari

posse

posse addit, & sponte quoque desinit, quia eo tempore dyscrasia sanguinis ab æstiuo feruore contracta propter brumæ frigus sensim deleri, & cruoris massa inueterascens, velut exuuias suas deponere, & versùs statum naturalem reduci solet. Totam enim curam consistere ait in mutatione dyscrasiæ sanguinis. Omnia remedia, quæ paroxysmum inhibent, conducere ait. Inhiberi verò paroxysmum posse putat, exhibitis vomitorijs antè paroxysmum, quia vomitoria sæpe motum sanguinis febrilem, motum alium huic contrarium ciendo, non rarò sistunt. Certiora tamen esse inquit, quæ non omnino è visceribus expurgant, sed quæ sanguini aut fixationem quandam, aut materiæ febrilis præcipitationem pro tempore inducunt. Sequenti ergo methodo vsus est Author, præmisso vel vomitorio, vel solutiuo tribus horis ante paroxysmum, epithemata carpis admouet, simulque puluerem febrifugum in vino generoso propinat, ac ægros intra lectum in leui diaphoresi detineri præcipere solet. Idem remedium aliquoties repeti vult. Præ alijs & vsum corticis Peruuiani magni facit, & ad ʒij. in vino tenui, aut generoso per duas horas infus. propinari vult in temperie calidiori etiam in aqua destillata, aut sero lactis sumi potest.

Cuius corticis etiam examinat qualitates & quia amara est, non dubitat & eundem effectum reperiri posse in alijs, rad. gentian. serpentar. contrayeru. &c. quæ enim actu amara sunt, vt ille loquitur, in suprimendis fermentorum præternaturalium viribus maxima virtute pollent. Exhortatur etiam alios, vt alia inquirant medicamenta simpliciora, & in ijs inuenient, quæ sæpe ex arte imitari nequeant ad oppugnandos plures Herculeos morbos.

§. 15. *Syluius*, qui causam huius febris statuit, magis glutinosam pituitam obstructionem parientem contumaciorem ceu in alijs intermittentibus, medicamenta pituitam glutinosam efficaciùs *incidentia*, hinc & subinde *minuentia* commendat diligenter vsurpata, donec superata pituitæ glutinositate obstructiones soluantur.

§. 16. Restat vt & *Carteſium*, & huius sequaces, qui parùm absunt, quin cum *Nobis* vexilla iungant, perspiciamus. *Nostra ergo hæc methodus est*, in febri quartana curanda, primò omnes curatiuæ intentiones eò dirigendæ sunt, vt acidum illud præternaturale chyli, aliorumque fermentum sanguini per vices communicatum, edulcoretur, corrigatur, & infringatur, simulq; effervescentia febrilis compescatur, dein vt humores crudi ab eo coagulati & viscidi facti incidantur, fluxilesque reddantur, & sic præparati per vias conuenientes eliminentur, & denique *Regibus nostris*, sanguini, & visceribus valde labefactatis pristinus vigor, & rubor restituatur. Quibus ritè factis, & spes erit quartanam feliciter curatum iri.

1. Ergo aluus seruetur libera, & nisi id sponte contingat, sollicitetur clystere, aut blandioribus catharticis, pilulis aut puluere sequentibus:

℞. *M. Pil. tartarear. Querc. melanagog. ſine quibus à* ℈j.
ol. caryophyllor. gt. j.
M.F. Pilulæ pondere gr. j. Sumantur xv. & plures.

Vel ℞. *Pulu. rhabarbar.* ℈ß.
cornacchin. g. v.
ol. ſuccini gt. j.
M.F. Pulvis pro vna vice.

Vel:

Sit vinum medicatum, vel decoctum incidens, & simul laxans, Ex gr.

℞. *Radic. belenij. galang. zedoar. gentian. acor. à* ʒij.
ſummit. abſynth. centaur. min. ā mß.
Herb. mentb. maioran. roſmar. à p. j.
fol. ſenn. ʒiij.
rad. rhabarbar. ʒij.
cort. aurantiar. tamariſc. à ʒiiß.
limatur martis in nodulo, vel eius loco vitrioli martis ʒj.
M. Conciſa dentur ad chartam pro vino.

Si tale vinum in mensa post pastum

abs-

absque purgantibus assumi potest, quia amara maximè febrilia fermenta exturbant, coguntque. Vomitoria aliaque purgantia fortiora exulare volo, nisi æger valde ad vomitum procliuis sit, & ventriculus saburra viscida sit refertus, & æger sit robustus, alias plus inde damni, quàm commodi senties. De his *vid. Obseru. in Ephemerid. Germ. Ann.* X. 30. Sic & venæ sectionem non admittimus, quia sanguis magis exinde depauperatur, & ipsius vigor labascit:

2. Pro domando illo acido præternaturali chyli, & corrigenda humorem visciditate, & sanguinis indè comitata efferuescentia sedanda, & ipsius turbatione impedienda, omnibus alijs præferendam censemus chinam de china, sequenti vel alia formula exhibendum:

℞. *Chin. de china subtiliss. pulueris. vel* ℥vi. *uel* ℥j.
salis tart. ℈ij.
herb. absynth.
cardui benedicti ana p.j.
vini Rhenani optimi & veteris ℥x.

Infunde per noctem in loco calido per horas decem, postea filtra per chartam. De hoc decocto diebus à paroxysmo liberis, manè & hora quarta pomeridiana, & circa tempus somni sumantur ℥iiij. vel ℥v. Die verò exacerbationis hora vna atque altera ante paroxysmum propinetur bonus haustus, & in eius declinatione iterum. Pro pauperibus cum radice gentianæ, vel cortic. guaiaci, vel contrayeruæ, eodem procedatur modo.

Sic etiam china de china cum purgantibus, vel sudoriferis pro re nata mixta exhiberi potest. Ex. gr.

℞. *China de China.* ℥j.
scammon. gr. vj.
salis absynth. ℈ß. M.

Sequens Tinctura chinæ de china non est contemendi vsus:

℞. *Chinæ de China* ℥iij.
salis tartari ℥i.
*cum spiritus salis * ci extrahatur l. a. Tinctura.*

Puluis corticis chinæ de china ad mentem *Vuilisij* ad ℥ii. in vino infus. 2. horis ante paroxysmum exhiberi potest. Diebus vacuis dari potest extractum eiusdem vel gentianæ in forma pilularum.

Nescio qualem timorem, & vnde conceperunt hodie nonnulli Medici ex vsu chinæ de china, cum Hecticam abeiusdem vsu formidant, cum & Hectica à sanguine, vel vt, cum Anglis loquar, succo nutritio acidiore, ac ad assimilationem partium ineptiore facto, ortum habeat, quæ ergo eadem acidum corrigentia exposcit remedia. Non ergo formidandus est ob febrem lentam, vel hecticam imminentem ipsius vsus, credas *Experto Roberto*. Si verò præiudicijs occupatus, ab eiusdem abhorreas vsu, exhibeas sæpius puluerem radicis gentianæ in aqua centaur. minor. ante paroxysmum, & interponas spiritum salis * ci volatilem, cuius vsum in quartana in *memet* egregium reperi.

In contumaci quartana sequens puluis proderit:

℞. *Salis absynthij,*
arcani duplicati,
ocul. ℔ præpar.
*sal. volatil. * ci.*
succin. ana gr. vi.
laudan. opiat. gr. iij.
M. pro tribus dosibus.

Vel ad mentem *Syluij* paretur talis, vel similis mixtura sæpè exhibenda ad viscidatem incidendam.

℞. ▽ *fœnicul.*
fumaria ana ℥j.
tincturæ cinnamom. ℥ij.
ol. caryophyll gt. ij.
♎ *sal. cigt.* xij.
sirup. cardui bened. ℥vj.
M.

Pro præsentissimo remedio quartanæ commendatur cochlear vnum spiritus frumenti cum pauco oleo oliuarum; Oleosa enim acidum absorbent.

Pro compescenda aciditate chyli præternaturali conueniunt omnia absorbentia martialia. Hinc etiam conferunt acidulæ martiales *Sualbascenses*, &c. sed viscera adhuc debent esse bene constituta, & tunc, vbi naturales non prosunt Kyperi, vel nostræ artificiales, item spiritus vitrioli martis ordinario potui possunt instillari. Plures laudant vomitorium martiale, & dicunt *Riuerij* antiquart. fuisse paratum ex antimonio & mercurio. Conueniunt & omnia antimonialia, saturnina,

na, aliaq; tum mineralia, tum animalia, tum vegetabilia. Ex terra martiali quadam optimum potest parari, & certum antiquartanarium. Ex sequenti optimum effectum habui:

℞. *Ceruß.* ℥j.
bol. armen. ℈j.
ol. caryophyllor. gt. x.
M. F. pulvis in iv. *doses dividendus, & detur* j. *ante paroxysmum in vehiculo conueniente.*

In hac febre Antimon. crud. salis tartari â p. æquales indantur crucibulo, & ad fluorem redigantur, postea massa frigescat, cuius pulueriſatæ tutò ℈j. exhibere poteris.

Myrrhata omnia hic etiam conueniunt, quod & nouit *Matthiolus*, qui commendat myrrham ℥j. pondere in vino cretico tribus vicibus hora vna ante paroxysmum potam, si quis statim in lecto sudet, & se ipsum hoc medicamento sanatum scribit *Commentario in librum primum Dioscoridis cap. 67.* Esto formula:

℞. *Myrrhæ* ℥ß.
Extract. absynth.
gentian.
centaur. minor.
theriac.
card. bened. ana ℈j.
ol. caryophyll. gt. iv.
c. s. q. essent. absynth. F. pilulæ pondere gr. j.
Dentur à ℈j. *ad* ℥ß. *pro dosi.*

Tinctura nostra antiquartanaria pluribus fuit vnicum solatium & auxilium, quam his curiosis communicare lubet ob eius egregias vires:

℞. *Extract. cortic. chinæ de china,*
gentianæ,
centaur. minor.
card. bened.
theriac. ana ℥j.
*affund. spir. tartari, ab aqua sua optimè liberati, & spir. sal *ci.*
F. l. a. Tinctura.
Cuius dosi gt. xxx. *ad* xl. *singulis diebus, inprimis vero ante paroxysmum.*

Omnia etiam absorbentia, quorum superiùs in *Cap. de Febr.* mentio facta est, hic in vsum trahi posse nulli dubitamus.

Aluminosa hac in febre omnem aliquando implent paginam. Ex. gr.

℞. *Alumin. rst.* ℈j. *vel* ℥ß.
nucis moschat. ℈ß.
M. D. ante paroxysmum.

In febribus, quartanis conducunt spir. volatiles, inprimis opiato combinati: Item mercurialia fixa.

Commendamus quoque tincturam lapidis Lazuli cum spiritu salis armoniaci vrinoso extractam.

Nec contemnendi vsus est in quartana Tinctura Saturni cum spirit. vini tartarisato, vel arcan. tartari solut.

Omnia diuretica & sudorifera, vt in alijs, sic & in his prodesse posse febribus, extra omnem dubitationis aleam ponimus.

Extra paroxysmum conueniunt omnia ea, quæ sanguini spirituascentiam restituunt, quatenus acorē inprimis vijs tollunt, & in sanguinem ipsum deriuatum pellunt, idque præstant diluendo, vt sunt serum lactis, borraginata, &c. Ita decoctum raparum maximè laudat *Crato* pro spēfico. Quò pertinent infusa aperientia ex splenecticis addito Martε.

2. Temperantia absorbentia hic in vsum vocanda sunt, præcipuè, seu, dictum, Martialia, vt pulvis cachecticus Q. tinctura Martis cum arcano tartari, elix. febrile cum spir. *ci patatum, clysſus antimonij salinus, tinctura antimonij tartarisata F. lixyr album *Helmontij*, sal ammoniac. cum sale tartari mixtum insigniter iuuat, ex his enim spiritus antiquartius destillari potest.

Aurum fulminans ad grana quinque exhibitum est arcanum hac in febre.

Elegantissimum exēplum curatæ quartanæ mediante vini veterrimi hastu habet *Barclai in Argenide*.

Ad viscerum & virium corroborationem, acorisq; peccantis maiorem emendationem in vsum vocandæ sunt mixturæ, inprimis illas vsualis aqua confortatiua, aliæq; ex aquis cordialibus temperatis margaritis, oculis canc. antihectico Poterij, corallijs, marte perlar. & similibus præparatis acorem absorbentibus in debita proportione adiectis concinnatæ, saporis gratia admiscendo saccharum perlatum, vel rosatum. Quæ medicamina sanguinis cassin, nec non viscerum tenorē emendant, & *Reges nostros* re-

creant. In iuniorum gratiam sic formula vnica:

℞. ∇. *confortatiu.* ℥iij.
cinnamon. ℥ß.
scord. ℥iß.
margarit. præpar. pro pauperibus vero ocul. ℔. *præpar. vel C.C. præpar.* ℥j.
sacchari perlati q. s. ad gratiam.

In quem finem & varia Electuaria, conseruæ, condita, &c. parari possunt. Profligata enim quartana nondum desistendum à medicamentis, sed martialibus, amaris, aliisque aperientibus diureticis, salinis, & antiscorbuticis, spleneticis, insistendum est, & si viscera adhuc sint firma, acidulæ *Sualbacenses* vel aliæ optimè conducent, quæ & à quartana nuper liberarunt *Celsissimum Principem Nassouium*, *Casimirum*, *Generalem*. Sic serum lactis cum succo tumariæ & beccabungæ per temporis spatium epotum, generosum est remedium.

Tædet verò omnia medicamenta huc apponere, quæ proficua esse possunt, cùm nauseam pariamus Lectori, quare ad *Topica Externa* progredimus. Externè iuxta *Cratonem* radic. vrticę carpis manuum applicatę prosunt. Idem pro experimento commendat epithema ex spiritu vini ventriculo impositum.

Amuleta contra qurtanam recepto apud populum more, quædam magis superstitiosa, quam salutaria, nonnulla verò minùs superstitiosa, magis salutaria. *Tallianus* scarabæum viuum suluo linteo firmiter alligatum collo suspendit.

Commendat etiam lacertam viridem, vngues patientis, pilos ex hirci barba.

Platerus præ alijs, ceu certa laudat amuleta, nempe araneam in nuce auellana collo appensam; item laspidis vel Limacis lapidem gestare, vel talpam manibus, donec moriatur, tenere.

Rondeletius iubet folia saluiæ, sambuci, pedis columbini, rutæ a mß. calthæ p. j. trita cum modico salis & vini, carpisque manuum alligata, ante paroxysmũ coctionis apparentibus signis alligare.

Alij ab ouo in vrina quartanarij aliquot horas cocto, foraminulis intruso, & in acerue formicarum defosso febrem cessare affirmant.

Crato Epist. Med. Scholtz. 113. memorat sequens: *Simon* pistor per triennium quartana laborauit, dicebatque mihi, se multis remedijs vsum esse, sed vnum hoc profuisse. Accepisse vinum sublimatum, siue aquam vitæ, & madefecisse prius tincam, & adueniente quartana imposuisse ventriculo. Tinca per medium dissecta in febribus intermittentibus ægrorum plantis pedum admouetur, ceu summum remedium. Et *Quercetanus* eandem carpis manuum applicat.

Plures pro certo experimento venditant tres radic. plantag. ante solis ortum collectas, & ex collo suspensas in nodulo. In votis habent tum intermittentium aliarum, tum inprimis quartanę inoffensum cursum tali amuleto intercipi.

Deuenitur nonnunquam ad extrema, & incantationes quęruntur, sed periculosę res plena est aleæ, quartanæ maleficijs curatæ, quæ euasit funesta, exempla non desunt.

Hæc, & alia amuleta me semper spe, frustrarunt, carpis verò manuum possunt ad mentem *VVillisij* varia cum fructu applicari, & quidem ex adstringentium numero, quorum iam in superioribus facta est mentio, & tædet, nec libet hæc iterum ruminare. Sed antequam ad alia accedamus, vnicum hic monere debeo, quod in memet supradictis amuletis in cassum tentatis supradictum de 9. speciebus herbar. vel radic. cum pane Iudaico & sale iuuamen attulit. Sed adhuc dubius hæsi, cuinam effectum adscriberem, cùm eodem tempore & alijs vsus sum medicamentis, sed nullus redijt paroxysmus, cùm amuletum hoc de collo suspẽdebam, sed bis in alijs mihi satisfecit, in alijs verò voto non respondebat. Exterius possunt etiam ventriculo, hypochondrijs, & Lieni, varia topica, tum emplastra, tum linimenta, apponi. Oleum sc. scorpion. tartari rectificat. Emplastr. de cicuta, de hyoscíamo, magneticum. Inunctiones dorsi possunt fieri ex balsamo Mynsichti. Potest etiam spinæ dorsi applicari halec salitus in medio scissus, vel lumbi fricentur allio.

Ferrara in Obsern. Chirurg. Obsern. 49. miris commendat modis sequens, quo inungi debet tota spina dorsi à nucha inci-

incipiendo, & ad os sacrum procedendo:

℞. *Ol. laurin.*
vulpin.
de euphorb.
spic.
Nucis moschatæ,
terebinth. ana ℥ij.
M.

Hisce præmissis specifica empyrica videamus. Decoctum lycopodij, alij genistæ magnificiunt.

Alij laudant radicem thapsi barbati; eiusdem succum Dardanus commendat.

Drachma radicis Imperatoriæ puluer. cum hausto vini ante paroxysmum propinata, & aliquoties repetita paroxysmum non tantùm mitigat, sed etiam sæpe planè profligat.

Cor leporis à *Diomede Cornario* priùs expertum, approbatum à *Monauio*, *Andrea Hildebrando*, & hactenus ab alijs tanquã specificum in quartana laudatur; Item de collo apensum iuuare creditur.

Vngule phocę suspensę, vti & cor eius, in brachijs gestata, vel suspensa, dicuntur sanare quartanam.

Oleum scorpionis, dorso inunctum ante horam accessionis, paroxysmum inhibere dicitur.

Castorei esum in accessione quartanæ, si detur ℥j. quartanarios sanare vulgò refertur.

Si suspenderis cor salamandrę ad collum febricitantis, statim inde exstingui febrem narratur.

Oua aranei in panno nigro ligata, sinistro brachio alligata, quartanam sanare dicunt, quæ etiam bibita, & quidem quatuor ad quartana iuuare putant.

Iecur Delphini assum & esum, tertianam & quartanam expugnare dicunt. Sed quis omnia hæc narrabit, cùm ferè quilibet hac in quartana arcanum habere sibi imaginetur?

CAPVT X.

De febribus symptomaticis.

§. 1. CVm pleraſque has nostras explicatas febres tum continuas, tum intermittentes, comitentur variæ symptomata, à quibus etiam *Clariss. Syluius* febribus, & quidem à magis vrgenti symptomate, nomen imposuit.

DIFFERENTIÆ.

Sunt ergò *febres* vel *algidæ ardentes*, *epialæ*, *fastidiosæ seu asodes*, *siticulosæ*, *famelicæ*, *cardiacæ*, *torminales*, *Syncopales*, *præfocantes*, *anheloſæ*, *asthmaticæ*, *tussiculosæ*, *arthriticæ*, *insanæ*, *vomitoriæ seu emeticæ*, *cacatoriæ seu cathorticæ*, *sudatoriæ seu elodes*, *vreticæ sputatoriæ*, *odontalgicæ*.

Algida febris hæc dicitur, in qua nullus calor, sed tantùm frigus molestum obseruatur, ab acido acriore viscido membranas & fibrillas vellicante oborta.

Ardens febris hæc vocatur, in qua nullum frigus, vel horror tantùm mediocris præcedit calorem intensissimum, à particulis acribus sulphureis exorta.

Epiala est, in qua simul frigus & calor in vehementissimo gradu apparent.

Sic *siticulosa* à siti importuna, & inexstinguibili ita nuncupatur, prout *famelica* a fame rabida, & inexplebili etiam tempore paroxysmi. *Fastidiosa* ab appetitu planè prostrato *Cardiaca* à dolore verò inexplicabili, & cardialgiã mentiente circa ventriculi orificium superius vt plurimum imperium sibi rapiente ità nominatur.

Torminalis dicitur, à dolore colico ipsam comitante, vt plurimum ex præmissa sanguinis turbatione, & acido circa mensenterij partes neruosas sæuiente, fibrillasq; lancinante, diuellenteque orta.

Syncopalis dicitur, ab vrgente symptomate, deliquio scilicet animi, à perturbatione sanguinis maiori, aliisque causis infrà dicendis producta.

Præfocans febris ità vocatur ob symptoma vrgens, vbi homo videtur propter austerum succum ad œsophagum, vel trachæam, vel pulmones delatum, suffocari, hinc & dicitur *anheloſa* ac *Asthmatica*, vbi sæpe latet pituita viscida stomachum obsidens.

Tussiculosa tussim habet comitem, vt plurimum ab acrimonia febris productam.

Arthritica hæc est, quæ dolorem atrociſſimum in omnibus ferè membris producit, & articulis infesta est.

Insana hæc dicitur, quæ deliria habet coniuncta, à perturbata sanguinis mixtione, & inde facta ἀταξία spirituum animalium exorta.

Vomitoria, seu *Emetica* illa dicitur, in qua vomitus sunt enormes, vtplurimum à spasmodica ventriculi contractione producta.

Cacatoria verò est, in qua alui fluxus simul debilitat; à bile sæpè volatili & acriori hæc ortum suum habet.

Sudatoria, seu *Elodes*, dicitur quasi palustris, cùm perpetuò natant in sudoribus ægri: aliis etiam dicitur *causus spurius*; cùm acres particulæ tam validæ sunt, vt sudoribus ægri diffluant, hodierno die dicitur *sudor Anglicus*, quia ibidem est *Endemius*, quam & nostris in regionibus obseruare licet, hinc nonnullis dicitur *Febris colliquatiua*.

Vretica est, quæ comitem habet diabetem.

Sputatoria est, quæ maximam saliuationem habet comitem, hinc & aliis dicitur saliuaris, quæ à glandulis malè affectis oboritur.

Odontalgica, quæ dentium dolorem habet coniunctum.

PARS AFFECTA.

§. 2. De parte affecta non multa addenda esse iudicamus, quia ipsa denominatio etiam partem affectam denominat. *Algida & ardens*, *Epiala*, totum nostrum sanguinem, & totum neruosum systema pro subiecto habent. *Siticulosa* verò, famelica, & cardiaca, stomachum, Gasteronacis solium Regium, agnoscunt; *Torminalis*, *vomitoria*, *& cacatoria*, intestina cum annexo mesenterio, aliisque membranis, & fibrillis nerueis; *Syncopalis* cor, Cardimelechis sedem Regiam; *Anhelosa*, *Asthmatica* & *Tussiculosa* pulmonem, ipsiusque bronchia cum annexis pleura, & diaphragmate; *Arthritica* omnes partes neruosas; *Insana* totum cerebrum, Microcosmetoris solium Regium, in quo fit excursio spirituum animalium; *Sudatoria & sputatoria* glandulas omnes cum contenta colluuie; *Vretica* renes, & omentum.

DIAGNOSIS.

§. 3. Cùm hæ febres ex comitante, & vrgente symptomate facilè dignosci possint, non operæ pretium duco, plura de his addere; *Febris* enim *algida* dignoscitur potissimùm per horrorem, & frigus, non cui inuasionis atque etiam accessionis ipsarum initio comes est horror, sed in qua per maximam paroxysmi partem horror extenditur; indeque *algidæ* dicuntur, in Belgio maximè frequentes, frigus enim nullus calor, vel leuis tantùm sequitur.

Ardens verò cognoscitur ex vno illo charactere, calore scilicet intensissimo. Interdum simul est coniuncta sitis.

In *Epiala* ægri vno eodemque tempore in quibusdam partibus calore, aliis autem in partibus frigore corripiuntur. Quam febrem nunquam obseruaui, hinc de ipsis vera existentia valde dubito.

Siticulosæ, *famelicæ*, *cardiacæ*, *torminales*, *syncopales*, *præfocantes*, *anhelosæ*, *asthmaticæ*, *tussiculosæ*, per se manifestæ sunt, & cognoscuntur ex proprio symptomate vrgente, vbi enim febrem hoc vel illud symptoma comitatur, potest nomen sortiri ab hoc vel illo concomitante, & vrgente symptomate.

Arthritica illa febris facilè dignoscitur ex dolore illo errabundo, mox hos, mox illos articulos infestante. Sic etiam *insana* ex delirio, *vomitoria* ex vomitu continuo ægros molestante, *cacatoria* ex perpetuo alui fluxu febricitantes valde debilitante, *sudatoria* ex madore, & sudore per totum corpus diffluente, & ægros ad extremum defatigante, *sputatoria* ex saliuatione nimia, vt & *odontalgica* ex dentium dolore febrem continuò concomitante.

CAVSA.

§. 4. Tunc demum scimus, quando causam cognoscimus, ait *Stagirita*, quare & nobis, vt in accuratam febrium symptomaticarum cognitionem deueniamus, causas indagare incumbit.

Febrium ergò *Algidarum* causa statuitur *Veteribus* pituita tenax, & frigida; *Syluio* est succus pancreaticus, pituita copiosa & viscida, bile existente inerte. *Helmontius* solũ Archeum dicit causam esse efficientem frigoris. *Nos* verò dicimus

in

in his febribus *esse particula acriores cum visciditate quadam*, quæ membranis & fibris per totum corpus firmiter adhærendo, & acrimonia sua vellicando, horrorem & frigus inducunt, & quia anima eiusq; *Vice-Rex* corporalis *Microcosmetor* nunquam nisi è frigore motum ortum obseruauit, hinc iudicat quoque à frigore proficiscei.

§. 5. *Ardentis* verò *febris* (in qua nihil præter calorem sentitur) causam *Veteres Galenici* bilem putarunt, sanguinem ita inflammantem.

Cymicis & *VVillisio* sunt sulphureæ particulæ sanguinem accedentes.

Syluio verò huius causa est succus pancreaticus minùs acris, pituita, pauca, minusque viscida, bilis autem acris, oleosa & copiosa.

Nos pro febris huius causa vera proxima venditamus, exceptis alij iam dubijs, caldissimas sanguinis particulas sulphure concremabili, & sale volatili magis abundantes, & calorem hunc intensissimum & ardentem producentes; nec hic excludimus furibundum spirituum animalium in partes influxum.

§. 6. Causam verò *Epialæ*, in qua ægri simul vehementer calent & frigent, *Galenici* modò pituitam, modò bilem accusant, à putri enim pituita, & bile calorem deducunt, ab imputri verò pituita frigus excedens. *Syluius* culpat succum pancreaticum & bilem acres, ita vt huius calor cum frigore illius concurrat.

Nos verò existimamus in tali febri, si existat, esse dispositiones sanguinis inæquales, & fermenti febrilis accedentis modò ad hanc, modò ad illam partem dissolutionem ac fermentationem, vti cùm particulæ febriles & feruidiores ad habitum corporis delatæ sunt, calor ibi producitur, si verò aliter figuratæ ac proportionatæ sint, frigus producere videntur; sic etiam sæpiùs fallacia est in sensu, quòd enim frigus ægri sentire solent, quamuis fermentationes sunt auctæ, & pulsus vehemens, & magnus, & corpus etiam ipso tactu calidum sentitur, & hæc contingit solùm ab acrimonia modò has, modò illas fibrillas vellicante, & sensum modò caloris, modò frigoris producent. Sic etiam sæpè hæ acres particulæ circa ventriculum, *Gasteronacis* sedem, sibi imperium rapiunt, & producunt febrem *assodem*, item *vomitoriam*, quæ particulæ sæpè inter tunicas & plicas ventriculi effusæ, eum corrugando, fibrillasque folliculi fellis spasmodicè contrahendo, eius succum bilem effundendo euertunt, vndè tum tale quid, quale vomiturientibus, accidere solet ægris. Fit autem hæc vellicatio à peruerso spirituum animalium motu, qui in ordine suo turbati conuulsiuos motus facilè cient. Sic etiam *Syluius* hac in febre bilem volatilem & acrem ad ventriculum affugere ait, & vomitum indè excitari asserit.

VVillisius vomitum immanem fieri existimat, quando semina fermentatiua in motum concitata, arteriolis in ventriculi tunicas dehiscentibus ad singulos appulsus sanguinis deponuntur, & vomitum non secus ac stibij particulæ deglutitæ concitant:

§. 7. *Siticulosarum* febrium causam *Veteres Galenici* accusant bilem, eiusque vapores ad gulam adscendentes, ibidemque siccitatem quandam producentes. *Helmontius* sitim non à calore in stomachi orificio oriri asserit, sed potiùs ab excremento, quod sensitiuum malè affectat, hinc ipse dicit, quòd sitis sit sensus diminuti laticis, quam generari in febribus asserit, non ob defectum humidi, neque ob penuriam sanguinis, sed indicare deficientè laticem. Inquit enim „p. 234. *n.* 27. Est ergo sitis præco defi„cientis laticis, non autem cruoris ege„stas, vt alioqui mandant scholæ, frebricientium quoq; sitis à sumto potu perseuerans, laticem alieno contagio ineptum ad sua munia factum denuntiat. Siquidem, *pergit ille*, quoties amaror, salsedo, nidorue, saliuam inficit, stomachus apepsia fatigatur, & lingua (indolens alioquin, & nihil mali in se habens) ariditate finditur: significatque, latex non transire ad venas, debita instru„ctus viatico: quia in ipso stomachi ho„spitio, eiusq; vicinijs ineptus euasit „pro suo munere.

VVillisio sunt particulæ sulphureæ ad gulam delatæ.

Nos existimamus in siticulosis istis se-

bribus plura corpuscula salina ad fauces deferri, tunicas earum obsidere, vaporibus ad humectandos faucium neruos à natura prouida matre destinatis, omnis præcludatur via, & intercipiatur commeatus, hinc necessariò sequitur sitis inextinguibilis.

§. 8. *Famelicarum* febrium causam dicit *Helmontius* à splene prouenire; *Sylvius* verò succum pancreaticum propter stagnationem aciditate grata, & potenti præditum accusat.

Nos verò deducimus famem à quouis præternaturali acido, vt plurimum nostrum *Gasteronacem* afficiente, fibrillasque neruorum orificij ventriculi blandè sollicitante quasi cum popysmate.

§. 9. Febris *Cardiacæ* causam quærunt *Galenici* in quadriga humorum, vt plurimum verò in bile vitiosa, ad orificium ventriculi delata.

Helmontio sunt corrosiua salia stomachum rodentia.

Sylvio causa huius febris est succus pancreaticus stagnatione corrodentem vim nactus, præsertim si bilis concurrat aoris.

Nos & hic culpamus spicula salina ex massa sanguinea, vel ex vasis lymphaticis ad orificium ventriculi delata, ibidemque fibrillas lancinantia, rimasque facientia, & cardialgiam, seu sensum inexplicabilem circa ventriculi orificium superius excitantia hinc que spiritus in fibris vellicatis latitantes extra ordinem mouentur, qui in continua serie disposiri impressionis typum, tanquam legati milites ad referendum suscipientes irradiatione vel vndulatione quadam animæ eiusque Microcosmetori dijudicandum offerunt. Sic & *Cartesiani* illam per varios motus neruorum tremulos cerebrum hinc mouentum explicant.

§. 10. Causam *febris terminalis Galenici* pro more solito deducunt à quadriga humorum in intestinis præter nata separatorum, vel à flatibus tum intestina, tum abdomen distendentibus, prout apparet in affectu de *Colica libr. III. cap. VIII. Helmontius* ab acido hunc dolorem esse ait.

Sylvio causa huius febris est succus pancreaticus acidior, & austerior, vel flatus.

Vuillisius, qui bilem flauam, aut pras-

sinam non causam materialem statuit, sed existimat liquorem neruenm in vitio esse, qui hæret in mesenterio, eiusque plexibus & effervescens tormina & cruciatus acerrimos ibidem ciet, vna in partibus plerisque membranosis spasmos, & contractiones conuulsiuas, aut dolorificas vbique excitat.

Nos iudicamus *febres* has *colicas* sæpissimè ortum suum habere, quando acidum peregrinum ex perturbata mixtione sanguinis enatum, derelicta massa sanguinea circa membranosas mesenterij partes sensiles transfunditur, & quasi corrosiuum stagnatione fit, & tunc ibidem tyrannice imperium, sceptrum è manibus *Gasteronacis* rapit, quo in particulæ hæ acidæ, vel corrosiuæ, rodentes, puta, scindentes, pungentesque spiculis suis lapsu temporis magis magisque impacta fibrillas diuellunt, ac rimas faciunt, vnde necessariò fibræ illæ neruosæ sensiles cũ tortiori spirituum animalium motu contrahuntur, indeque factæ, spasmodicæ conuulsiones ex doloroso conuulsis & intestinis, & abdomine aliorsum in alias partes continuatæ, vnde hæc malorum illas oritur.

§. 11. *Veteres Galenici febris syncopalis* causam dicunt esse spirituum animalium defectum à diuersa humorum diathesi ortum.

Helmontius existimat in his febribus esse venenum quoddam anodynum, dispersiuum, quod in orificio ventriculi superiori excitat syncopen, quæ statim sensum tollit ac motum.

Vuillisius vero *earum* causam quærit in massa sanguinea vappida, vel effœta, itidem iuxta ipsum oriri possunt hæ febres, quando sanguis nimium effervescit, & quidem ob particulas sulphureas nimium solutas. Sic & à denegato spiritum animalium influxu produci potest febris syncopalis.

Sylvio huius causa est succus pancreaticus volatilem magis quàm acrem aciditatem nactus, sanguinem coagulans.

Cartesiani à flammulæ vitalis ad tempus extinctione deducere solent has febres: Hinc & *Nos* existimamus in his febribus præter sanguinis turbatam mixtutam sanguinem in corde vel stagnare, vel ad minimum

nimum coagulari; hinc ad tempus cessat eius motus, quod potest produci à varijs acidis sanguini affusis, vel iam permixtis, nec excludimus influxum spirituum animalium ad cor impeditum, vel imminutum, qui spiritus in magna perturbatione à pluribus causis facilè dissipari possunt. Sic si animi deliquium adsit absque sanguis crassitie & terreitate, indicat materiam ætheream, quæ in sanguinem introducitur, maximè diuersam esse ab illa materia æthereà, quæ ordinario sanguinem perfluere solet. Sic & sæpe pituita crassa acida in orificio stomachi latet, & nauseam, cardialgiam, & sepe syncopen producit, quæ debent distingui à vera syncope: Nam in casu priori vires tantum sunt oppressæ, & vnico vomitorio omnia possunt tolli symptomata, in syncope verò hac vera *cardiacis* eger debet restitui.

§. 12. *Præfocantes* febres, & anhelosas *Galenici* deducunt à crassa pituita bronchia simul obsidente, & etiam in primis vijs hærente, sicque vna febrim producente.

Syluius præfocantis febris causam dicit halitus austeros ad œsophagum, cor, & pulmones assurgentes: anhelosarum vero minus austeros, magis vero flatulentos.

Nos putamus, si grauitas præcordiorum adsit, indicare ventriculum pituita crassa obsessum esse, aut pituitam inter membranas eius hærere; nec excludimus austeras particulas ad fauces delatas.

§. 13. *Febris asthmaticæ* causam *Veteres* dicunt pituitam crassam, etiam in asperæ arteriæ ductibus, & in ipsis pulmonum bronchijs latentem per metastasin aliquando eo delatam. Cui sententiæ assentiri videtur *Paracelsus*. *Helmontius* pro huius sedem statuit in ventriculo, atque in eo accumulatas mucilagines culpat.

Sylvio vero huius febris Asthmaticæ causa dicitur pituita viscida, à succo pancreatico soluta, & ad pulmones delata.

Nos vero haud dubitamus ex sanguinis turbatam mixtione, & eius cacochymica dispositione plura excrementa viscida generari, quæ tunc ad pulmones, vel eius bronchia, vel in ventriculum deferuntur, ibidemque asthma producunt. Sic & acor syluestris, siue humor acidus sanguini commixtus eundem circa præcordia, & vasa pneumonica plus minus coagulando, ac circulationem eius impediendo respirationem potest satis suffla minare, quod etiam ab *ataξία* spirituum animalium exspectandum est.

§. 14. *Veteres Galenici* febrium *tussiculosarum* causam dicunt esse, quando à calore febrili resoluuntur vapores, qui tunc ascendunt ad pulmones, vel iterum de capite depluunt à vaporibus condensatis resoluti ad pulmones, ibidemque tussim excitant violentam.

Paracelsus tussim ex tartaro, seu mucilagine lutosa in febribus resoluta esse contendit.

Sic & *Helmontius* eam deducit ex salso excremento à febribus separato.

Vuillisio verò est tussis primaria neruorum aut fibrarum pulmonum à quocunque heterogeneo irritatio.

Sylvio tussiculosæ febris causa habetur halitus & flatus aeres ad pulmones delati, eosque ad tussiendum irritantes.

Carteſius accusat particulas ex massa sanguinea oriundas acutas & actiores stimulantes, & vellicantes asperam arteriam, vel ipsos pulmones, & sic tussim producentes.

Nos causam huius febris tussiculosæ esse salia syluestria existimamus, vel humores acres, & viscosos tracheales fibrillas occupantes, vellicantes ac lacerantes, imò aliquando conuulsiuè aggredientes, & sic tussim excitantes. Sic & eius sedes aliquando esse potest circa ileum, in intestino duodeno, imò in ipso ventriculo, vbi latere potest viscida materia ibidem separata. Sic & tussis oriri potest à sanguine scorbutico, & ex eo enatis particulis ad pulmones vel tracheales fibras delatis, easdemque irritantibus, à sanguinis turbata mixtione exortis.

§. 15. *Arthriticarum* febrium causam *Galenici* dicunt biliosum humorem ad articulos defluxum.

Paracelsus hic tartarum accusat.

Helmontius ab acido febrilli *Archeum* inficiente ortum habere hanc febrem arthriticam, haud dubitat.

Vuillisius à duobus humoribus mutuò inter se efferuescentibus hunc dolorem oriri contendit.

Syluius succum pancreaticum ita corruptum culpat, vt articulis sit infestus; Si n. acrimonia præditus succus pancreaticus, bilem secum ducat, dolorem atrocissimum producet; sin minus acer, assumet pituitam, tumorem œdematosum.

Cartesiani particulas scabras, & salinas crassiores ad articulos è massa sanguinea delatas accusant.

Nos quascunque fæculentias lixiuiales, quæ partes membranosas & nerueas, seu ligamenta articulorum, seu periostia rodere aptæ natæ sunt, & circa has partes imperium sibi rapientes, culpamus, quæ fæculentiæ tempore febrilis insultus præcipitantur ad articulos, & ita dolorem lancinantem, vel rodentem producunt.

§.16. *Antiquitas Galenica insanæ febris* causam modò ex sanguine exuperante, & in cerebrum copiosius effuso, deducit, modò à bile efferata, & inflammationem insignem excitante, modo à bile adusta.

Paracelsus hanc febrem oriri existimat ex oppilatione spiritus vitæ.

Helmontius putat scoriam febrilem simul præcordia occupare, & ibidem instar veneni tyrannidem suam exercere, & febres insanas producere.

Vuillisius has febres deliras à spirituum animalium confusione & irritante produci asserit.

Syluio verò huius insanæ febris causa est, bilis acris, & ad occursum succi pancreatici acrior facta, vnde enim iuxta ipsum producuntur vitiosi spiritus animales, qui mouentur turbulentè, & necessariò hanc producunt insaniam.

Nos existimamus in febribus sæpissimè particulas acres, imò aquæ stygiæ similes, ex maxima perturbatione sanguinis exoriri, quæ ad soliũ *Microcosmetoris* delatæ itidem & spiritus ad furorem percitantur, qui itidẽ acriores redditi, & immorigeri facti, quascunque fossulas percurrunt, & sic deliria excitant varia.

§.17. *Galenici* in *febre cacatoria* accusant prauos humores, in primis bilioſos & corruptos, intestina ad expulsionem stimulantes.

Paracelsus culpat sal resolutum acrimonia sua ventriculum, in primis intestina stimulans, & irritans.

Helmontius vitium digestionis arguit.

Vuillisius humor quosuis acres, serosos, & bilioſos in massa sanguinea sæpè fluorem pati, & sic per intestina euacuari, & febrem *cacatoriam* produci posse nullus dubitat.

Syluius hic carpit bilem minus volatilem, magis acrem, ad occursum succi pancreatici acriorem factam.

Cartesiani statuunt in his febribus magnam in sanguine versus intestina præcipitari humorum copiam, & vellicando spiculis suis alui fluxum inducunt. Cui opinioni & *Nos* subscribus. Sæpè enim ex nimia serositate, & acrimonia sanguinis lixiuiali, à perturbata sanguinis mixtione inducta, particulæ tales heterogeneæ circa intestina sibi rapiunt sceptrum, & sic febres cacatorias excitare aptæ natæ sunt.

§.18. *Sudatoriæ febris* causa *Viteribus* est fusio, & colliquatio humorum: Syluio verò succus pancreaticus magis volatilis, quàm acris.

Vuillisio affectus huius causa consistit in sanguinis dyscrasia & debilitate, quatenus nempe liquor eius instar lactis acescentis, continuè fundi inque serositates præcipitari aptus fuerit, quare tum propria eius deliquia, tum humores quicunque aliunde suffusi siquidem assimilari nequeant, protinus secernuntur, cumque poris cutis valde patescant, per diaphoresin potius quam per aliam viam foras emandantur. Quod autem sanguis adeò in fusiones disponatur, plerumque in causa est salis fluidi, siue acidi in massa eius dominiũ, interdũ etiã succus nerueus degener.

Nobis huius causa est motus sanguinis tam circularis, quàm fermentatiuus, ille quidem celerior, hic intensior, sanguinem sub sudore necessariò attenuatum, resolutum, & quasi liquefactum exhibens, cum non nisi tali sub sanguinis statu illa eius phænomena apparere queant. In turbata enim mixtura sanguinis is attenuatur, & hoc ipso simul, disponitur, vt seri, communis istius alimenti & excrementi vehiculi, facilem secessum, & promtam separationem patiatur. Sic & pororum, seu sudoris cibrorum pro transmittendo ritè sudoris latice apta & vitiosa adest dispositio & figuratio,

de

de quibus iam in precedentibus actum est.

Vrina & sudor in pluribus conspirant, & vnius suppressionem excretio alterius quasi supplemento certo excipere solet. Vt ergò vrina supprimatur, ratio hæc est, quòd sc. stringantur renum nerui, & hinc quasi corrugentur eorum fibrillæ, & occludantur transcolatoria oscula, quo spasmo remittente omnia ordinariò fluunt. Si verò transcolatoria oscula plus minus aperiantur, vel à sanguine magna seri secreti copia eo detrudatur, & versus renes præcipitur, vel per omentum vasa nimis hiantia sint, vt per ea potulenta transeant ad vesicam, hinc facile hæc febris diabetica produci potest.

Syluio causa est succus pancreaticus nimis volatilis.

Sic & prædicto *Syluio* sputatoriæ febris causa dicitur succus pancreaticus ita corruptus, ad glandulas saliuares copiosius feratur.

§. 19. *Veteres* in febribus sputatorijs vel *lienem* accusant, quatenus non attrahit superfluitates serosas, hinc falsò deducunt rationem, quod leniosi sint vel vrinatores, vel sputatores, vel sudatores, vel catarrhis obnoxij, vel hepar etiam refrigeratum aquositate prodens plurimas culpant, modò ventriculum luxurie pelagum accusant, nec extra culpam esse volunt renes, mesenterium, pancreas, omnesque ferè totiusque corporis partes.

In hisce febribus sputatorijs glandulas affectas esse extra omnem dubitationis aleam ponimus. Hinc videmus in pueris, qui ptyalismo laborant glandulas esse circa totum collum induratas, hinc glandulæ saliuares omnem superfluitatem serosam accipiunt, quia reliquæ non amplius resorbere possunt, sed sunt obstructæ, hinc omnis humiditas ad has saliuares fertur, hinc est illa excretio saliuæ copiosa.

§. 20. *Febris Odontalgicæ* causam puto esse acidum mole subinde minimum dentis radicem nerueam & fibrosam pungens, & rodens, ac sic dolorosè irritans. Breui enim exinde non tantum faciei ex illa parte, ac temporum, sed totius capitis hæmisphærium, tensionis, & plus minus lacerationis sensus, spasmi fibrarum manifestus index, cui sæpissimè tumor malæ phlegmatosus aut œdematosus superuenit, cum copiosissima saliuæ limpidæ ac claræ effluxu, pertinaci fibrarum neruearum structura ex glandulis immediatè, ex sanguineis vasis expressa, prout loquitur *B. D. Ettmullerus*.

PROGNOSIS, & CVRA DIÆTETICA & PHARMACEVTICA.

§. 21. Quod concernit *Prognosin & Diætam*, illa facilè possunt ex prioribus hauriri, quia tædet illa iterum huc apponere, necamben bis coctam, quæ lectori nausea est, pripinemus, quare cuiusuis affectus huius succinctam curam videamus, & quidem primò *Febris Algidæ*.

§. 22. *Galenici* in his febribus algidis pituitam crassam ac tenacem incidendam, & attenuandam esse aiunt, hinc varia purgantia, incidentia, præparantia commendant, in primis omnia aromatica, & acriora quæuis.

Syluius ad auctam succi pancreatici aciditatem, & pituitam copiosam incidendam felicissimè adhibet varia salia volatilia, & aromatica omnia, hinc in febribus algidis sequentem vel similem laudat mixturam:

℞. ▽ *petroselin* ℥ij.
fœnicul ℥i.
theriacal. simp.
vel vitæ Matthiol. ℥ß.
salis volatil. succin ℈i.
sirup card. bened. ℥i.
ol. caryophyllor. gt. iij. M.

Nihil enim Author obseruauit hactenus æquò frigus temperare, quam oleum cariophyllorum, quod potest quamdiu frigus angit, ter quaterue in hora cum mixtura quadam assumi. Hoc in casu & opiata cum oleo caryophyllorum iuncta conuenire nullus.

Nos in quibuscunque febribus, frigore & rigore molestis, seq. cum effectu præscribere solemus:

℞. *Theriacæ* ℥ii.
specific. Strobelberg. ℥ß.
ol. caryophyllor. gt. ii. *M. F. Bolus.*

Cuncta enim volatilia opiatis iuncta totam sæpe implent paginam. Omnia quoque aromatica conducent acriora. Sic etiã sub paroxysmi initijs rigore graviore vrgẽte febrifuga fixa cũ aromatici optimè cõmiscẽtur, hinc plebis cõtra intermittẽtes cuporistõ debito vsu nõ cõtemnẽdũ est.

℞. Pi-

℞. *Piper. alb. ana long.* gr. ix.
ol. ciusd. vel caryoph. gt. ij.
M. Detur cum vino.

Si admiſceas granum vnum vel alterum theriacæ cœleſtis, habebis egregium remedium.

Sanè dum febrilis horror, friguſque vniuerſam cutim conuellit, aut criſpari facit, ol. caryophyll. deſtillatum epigaſtricæ ſaltem regioni illitum, leuamen affert, & in vniuerſa corporis peripheria horroris remiſſionem procurare ſolet.

§. 23 *Galenici* in febribus ardentibus venæ ſectionem, & omnia frigida remedia commendant, quæ ſuprà *cap.* III. *de Cauſo*, dicta ſunt.

Syluius calori comitibuſque ſymptomatibus contemperandis ſequens præſcribit Apozema.

℞. *Radic. acetoſ. c. foliis m.* ij.
folior. fragar.
violar. ana m j.
coq. ex ▽ *hordei, ad colatur.* ℥x.
ſirup. acetoſitat. citri ℥ij.
ſpir. ſalis dulc. ℈ß. *M*

Nos pro temperanda acrimonia bilis, hoc eſt, corrigendo acido volatili plus minus oleoſo in ſanguine, ſequens commendamus:

℞. ▽ *acetoſ.*
plantag.
acetoſ.
fl. papaver. rhœad. ana ℥j.
diaſcord. Fracaſtor. ℥ß.
ſpir nitri dulcis, vel ſalis dulc. ana ℈ß *ad* ℥j.
ſirup. portulac. ℥iij.
M. D. pro aliquot vicibus.

Vel ſequentem Iulepum exhibere poſſumus:

℞. *Decoct. rad ſcorzoner.* ℔ß.
Tinct. roſar. ℥j.
bellid. ℥j.
ſirup. roſat. rubr. ℥iij.
ſpir. vitriol. q. ſ. pro grato ſapore.

Hic & in vſum trahi poteſt Tinct. roſatum, bellidis, corroborans, & plura alia, quæ diximus Capite de febre ardente.

In primis hic notandum velim, quod hic ſæpè obſeruetur prunellæ, *die Branne*, in qua ſequente miſtura ſepiùs colluatur os, quin & interdum gargariſentur fauces, aut tepidiuſculè in ore per tempus detineatur.

℞. ▽ *Semperuiu. maior.*
prunell. ana ℥viij.
ſuco. cancror. fluuiat. rec. ℥iv.
*ſalis *ci depurat.* ℥ß. *M.*

§. 24. In *Epialis febribus* conueniunt medicamenta ex prædictis ſubcontrarijs compoſita, in quem finem *Syluius* ſequentem commendat mixturam.

℞. ▽ *Card. bened.*
cichor. ana ℥ß.
theriacal. ſimpl.
aceti ſtillat. ℥vi.
ocul. ♋ *pulueriſ.* ℥ß.
ſirup. de v. radic. ℥j. M.

Poteſt etiam ſequens parari:

℞. ▽ *borraginis.*
bugloſs.
rubi id. ſi ana ℥iß.
ocal. cancr.
corall. præpar. ana ℥ß.
ſaccharo perlati q. ſ. ad gratiam. M. D.
cochleatim.

Pertinent huc omnes mixturæ polychreſtæ, quæ hinc indè & ubi præſcriptæ videantur.

§. 25. Ad *ſitim* compeſcendam *Veteres* præſcribere ſolent varios iulepos; item commendant omnia aqua, & refrigerantia, quorum numeros eſt infinitus.

Syluius ad ſitim leniendam & tollendam laudat ſequens:

℞. ▽ *hordei* ℥xx.
ſirup. portulac ℥ij.
acetoſitat. citri ℥j.
ſpirit. ſalis dulc. ℥ß. M.

Pro lingua ſicca & arida mucaginem ſeminum cydoniorum, & Pſylli linguæ illinendam laudat.

In nimia ſiti & æſtu ſequens vel ſimilis conducet miſtura.

℞. ▽ *Fontan.* ℔ij.
cinnamom. ℈ß.
ſacci citri recent. ℥iß.
ſpir. rubri id. æi parum q. ſ. pro grato ſapore. M.

Lapis prunellæ in ſero lactis aſſumtus, optimè ſitim extinguit. Omnia acida, & aquea hic in vſum poſſunt trahi. Sic etiam os collui poteſt aqua, cui vel parum aceti, vel vini additum fuerit.

§. 26.

§.26. Ad *famem*, *syncopen* minantem, sedandam conueniunt, ex *Syluio* omnia, quæ acidum potenter infringunt, concentrantque, vt sunt oculi ☋, margar. corall. creta, &c. in puluerem redactam, & misturis alijs conuenientibus addita, vel in alio vehiculo idoneo ad grana quædam propinata, donec famos diminuatur. Si his & alijs ex nostro canistro addes oleum tartari per deliquium, eam certò curabis.

§.27. *Galenici* in febribus cardiacis varia commendant stomachica, cordialia, &c. iam alibi dicta.

Syluius in his febribus cardiacis laudat *opiata*.

Nos in casu, vbi suscipio adsit de saburra viscida, acida, acri, biliosa, veneno, vel corrosiuitate, vel visciditate peccante in ventriculi orificio superiore hærente, vomitoria antimonial. commendamus viribus adhuc integris, si verò iam vires fractæ sint, tunc ad diaphoretica cum opiatis iuncta, tanquàm ad anchoram sacram confugimus, quæ in febribus, & inflammationibus omnem implent paginam, & simul acidum absorbent. Sic huic intentioni ex volatilibus Tinctura bezoart. mixtura simplex, spir. theriac. camphoraturatus, C. C. & ex fixi antim. diaphoreticum, aurum fulminans correctum cum ebore sociat. bezoartic. miner. C. C. philosophicè præparatum admixtis dosi retracta *opiatis* satisfaciunt.

Hic & magnæ efficaciæ est Essentia carminatiua nupta cum essent, castorei, & anodyna. Omnia hic conueniunt cinnab. cum præcipitantibus maritata. Sequens pulu. prescriptus erit:

℞. *Pul bez.* ℥j.
conchar. præp.
cinnabar. antimon. ana ℈j.
castorei ℈ß.
laudan opiat gr. ij.
ol. cinnamom.
menthæ ana gt j.
M. F. puluis.

Et vt hostis sat fortis eò felicius vincitur, varia paregorica applicanda sunt, vt succ. ex paregoricis & carminatiuis herb. menth. absinthij, origani, serpilli, fl. chamom. summitat. anethi parari & applicati conueniunt. Item varia vnguenta ex aromaticis paratæ, in primis emplastrum ex gummi tacamahaca & caranna cum balsamo Peruuiano paratum.

§.28. Quibus *Galen.* in febrib. torminalibus vti solent, in l. prim. de Colica dicta sunt, vt & quæ alijs *Authoribus* solennia sunt ibidem videre potaris.

Syluius in his febribus torminalibus commendat inter alia sequentem mixturam:

℞. ▽ *Menth.*
fœnicul.
petrosclin.
cochlear. ana ℥j.
♎ *nitri gt.* x.
laudan opiat. gr. iij.
spir. salis * *ci* ℈j.
ol. anisi gt. vj.
sirup. fœnicul. ℥ß. M.

Ex nostra sententia in torminalibus febribus conueniunt omnia cinnabar. anod. & castorina, quæ omne absoluunt medendi punctum, sunt enim antispasmodica, & simul acidum respiciunt. Ex. gr.

℞. *Tinct. bezoart.* ℥j.
spir. sal. * *ci castoreat.* ℥ß.
essent anodyn. ℥ ß.
M. Detur ad gt. xl

In quem finem & conueniunt cephal. illud Michaelis, liquor. C. C. succ. neru. elix. nostr. polychrestum ex alkalino nostro paratum, quæ omnia sunt acidorum temperatiua, vel blando suaque propriate demulcent partes membranosas, & fibras sensibiles. Opiata quoque præcipitantibus iungi possunt. Hinc egregius puluis absorbens.

℞. *Pulu absorbent Vuedel.* ℥j.
bezoart. iouialis,
cinnabar. antimonij ana ℈j.
castor. præpar. ℈ß.
laudan. opiat. gr. j.
M. F. puluis.

Puluerem etiam ex ocul. canc. margar. spermate ceti, tantillo castorei, minium, quantum profuturum autumauerim, idque ex hac ratione, quia acidum vitiosum absorbent, imbibuntque, quod & faciunt alkalia quæcunque, quæ summopere prosunt cum prædictis opiatis iuncta.

Ex-

Externè varia conueniunt Topica, de quibus vide caput de *Colica*.

§. 29. In *syncopalibus* febribus *Galenici* varia commendant spirituosa, & confortantia, quorum numerus ferè infinitus.

Syluius in syncope, vt præcaueatur, sequentem laudat mixturam:

℞. ▽ *menth.* ℥ij.
vitæ Matthioli ℥j.
vel tinct. cinnamom. ℥ß.
olei caryophyllor. gt. vi.
sirup. cochlear. ℥j. *M.*

Nos in febribus his syncopalibus, palpitatione cordis, deliquijs animi, sequentem mixturam in vsu habemus, aliaq; cardiaca moderata, vt sunt, aquæ borrag. scord. citr. theriac. cum admixtis sirupis citr. meliss. & ex fortioribus sunt pulu. è chel. cancr. compos. bez. confect. de hyacinth. theriac. Andromach. Ex. gr.

℞. ▽ *borrag.*
scord.
ceraſor. nigror. ana ℥j.
cinamom. bugloſſat. ℥j.
margar. præpar. ℥j.
ſacch. cand. q. ſ. M.

Vel in his febribus ritè admiscebis antiscorb. martialia, aliaque absorbentia. Ex. gr.

℞. *Spec. cord. temperat.* ℥j.
pulu. abſorbent. ℥ß.
perlar. ℥j.
ol. cinnamom. gt. v.
M. F. *puluis ſubtiliſſimus. Doſis à* ℈ß. *ad* ℈j. *in uehiculo idoneo.*

Ad confortandos & recreandos spir. sequens mixtura non erit improficua:

℞. ▽ *borragin.*
roſar.
ceraſor. nigr.
cinnamom. ana ℥j.
ſuccі Kermes ℥iij.
moſchi, in ijs qui ferre poſſunt gr. j.
cinnabaris natiu. vel antimoni gr. xx.
Zibeth.
laudani opiat. à gr. j.
ſirup. corallior. ℥j.
M. D. cochleatim per vices.

Sic & externè varia cataplasmata, balsama cordi, naribus applicari possunt.

§. 30. Quibus medicamentis *Galenici*, in febr. *aſthmaticis & anheloſis* vti solent, ex Capite de *Aſthmate* peti possunt. Commendant enim varia phlegmagoga aliaque incidentia.

Nos hisce in affectibus varia pectoralia, balsam. sulph. & myrrh. aperientibus Martialib. nitroso balsamico sale, gaudentibus diureticisq; iuncta, laudamus. Omnem paginam absoluit sequens:

℞. *Mag. Saturni,*
ocul. cancr. ana ℥j.
cinnabar. antimonij,
flor. ſulphuris ā ℈j.
fl. benzoes ℈ß.
laudan. opiat. gr. ij.
ol. aniſ. gt. ij. *M. F. puluis.*

Sic & vomitoria varia conducent, inprimis vbi viscida latet saburra in ventriculo, de quibus iam dictum est.

§. 31. In febribus tussiculosis *Syluius* commendat varia opiata volatilibus, & oleosis salibus maritata. In quem finem sequentem laudibus extollit mixturam:

℞. ▽ *menth.* ℥iij.
Spir. carminat. Sylu. ℥j.
** cigt.* xx.
laudani opiat. gr. iij.
ſirup. fœnic. ℥iß. *M.*

Ad huius imitationem sequenti vti solemus:

℞. ▽ *menth.* ℥ij.
cortic. citri ℥j.
*ſpir. ſalis * cigt.* xx.
ſalis abſynth. ℈ß.
ol. menth. gt. ij.
ſirup. eiuſdem ℥vi.

Cochleatim assumenda, & pro re nata gr. i. laudani opiati, vel theriac. cœlest. addendo.

In tussi humida sequens conueniet:

℞. *Sulphuris myrrhat.* ℈ij.
radic. irid. Florent.
antim. diaphor. ana ℈j.
lapid. ♋.
cinnab. antim. ana ℈ß.
theriac. cœleſt. gr. vj.
M. F. *puluis. Doſis a* ℈j. *ad* ℈ß.

§. 32. In febribus arthriticis seq. conducet:

℞. *Arcan. duplicat. Mynſ.*
antimon. diaphor.
cinnab. antim. ā ℈ß.
laudan. opiat. gr. ij.

M. pro

M. pro duabus vicibus.
Vel: ℞. *Bezoart. minir. gr. xv.*
cinnab. natiu. gr. vj.
laudan. opiat. gr. j. M.

Fiat & decoct. lumbric. cum vino vel sero lactis. Hic & opiata, & omnia balsam. proficua erunt, in primis quæ desumuntur ex vino.

Externè possunt etiam varia applicari, de quibus vide *cap. de Arthritide*.

§. 33. *Sylu. insanas* febres curat per quęcunque bilis acrimonia tum potenter, tum blandè, corrigentia, temperantiaque qualia sunt præsertim *oleosa*, Emulsiones & *opiata* internè vsurpata, eademque capiti externè quouis modo applicata.

In his febribus insanis optimo cum successu propinantur vomitoria viribus adhuc constantibus. Magnificamus omnia martialia aperitiua, salia volatilia cephalia, cinnabar. combin. cum arcano duplicato, camph. sacchar. & magisterio Saturni pro re nata adiecto laudano opiato, vel addita theriaca cœlesti.

§. 34. In *vomitorijs* febribus suadet. *Syluius* omnia, quæ bilem figunt, vt sunt omnia austera, & opiata. *Nos* verò Tinct. bezoart. nuptam cum essent. anod. exhibere solemus, vel propinetur essent. Theriac. cum dimidio essent. opij xl. saltem gutt. dosi. Conueniunt quoque Cinnab. cum crystall. tartar. lapid. cancr. terra catechu. radic. aronis iuncta, adiectis guttullis ol. cinnamom. menth. macis, &c.

Omnia & hic conducent theriacalia, cum internè, cũ externè propinata. Optimè aliquando dedi theriac. rec. ad ʒj.

Sequens mixtura egregia est:
℞. ▽ *menth.*
rubi Idæi ana ʒiß.
cinnamom. ʒj.
spir. theriacal. camphorat. ʒiij.
laudani opiat. gr. ij.
essent. ambræ ℈ß.
sirup. de menth. ʒvj. M.

Sic & essentia theriacalis cum dimid. ess. opij propinata ad xl. gr. præsentaneam affert opem. Opium enim quosuis humorum motus sistere, & speciatim *vomitum* compescere solet.

Externè ventriculo applicari possunt sacculi ex herbis paregoricis parati. Ex. gr.

℞. ▽ *Herb. menth. m.* ij.
Nucis moschat. ʒß.
cinnamomi,
macis ana ʒj.
cariophyll. ʒij.

F. pulus, excipiatur cotone, & includatur sacculo ex sindone confecto interpassato rotundo, irroretur largiter spiritu vini theriacali, vel ol. menth. ac iuniperi.

Vel seq Emplastrum.
℞. *Theriac. recent.* ʒß.
balsam. Peruu. ʒß.
Vel: ℞. *Ferment. acerrim.* ʒv.
pulu. menth. ʒj.
zedoar. ʒvj.
N. M. No. 3.
macis,
cinnamom. ana ʒiß.
acet. rosat. q. s. F. Emplastrum.

§. 35. In febribus *Cacatorijs*, prout illas *Sylu.* vocat, idem laudat sequens conditum sæpius, & per vices sumendum:
℞. *Conser. rosar. rubr.* ʒij.
diascord. Fracastor. ʒij.
confect. de hyacinth. ʒj.
terræ sigill. ʒj.
sacchar. ʒß. M. D.

Ad nucis auellanæ magnitudinem aliquoties in die deuorandum.

Commendat quoque potum chalybeatum, vel auro candente auratum.

In his febribus *cacharticis* commendamus medicamenta carminatiua, theriacalia, absorbentia, bezoartica, & *opiata*. Hic ergo conducet essent. theriac. cum essent. opij maritata. Hic & pulueres, & electuaria ex prædictis concinn. liquidis præferimus, & cum eorum formulæ hinc inde exstent, non operæ pretium dicimus, hæc hic repetere.

§. 36. In curatu difficilioribus febribus sudatorijs *Sylu.* omnia commendat austera, in primis hanc insequentem mixturam:
℞. ▽ *Plantag.* ʒiij.
cinnamomi,
aceti stillat. ana ʒß.
sirup. portulac. ʒj.
corall. rubr. pulueris. ʒj.
M.

Hęc mixtura ad mentem *Syluij* cochleatim propinari potest, quam si quis velit potentiorem, addet ipsi acaciæ scrupulum

lum dimidium, vel etiam integrum. *Vuillisius* etiam varia commendat, Ex.gr. Saturn. sal.tartar. bis in die ad 30. gtt. exhibend. tinct. corall.2. C. C. vrinæ aut fuliginis, omnia chalybeata laudat, vt & seq.puluerem:

℞. *Pulu.ebor.*
coral. ana ʒij.
croc.martis,
sal. cholyst.ana ʒj.
elix.pulu.dosis ʒß.
bis in die.

Nos in febribus sudatorijs omnibus alijs præferimus saturnina, hinc tinct. illa antiphthisica egregij vsus est in febribus hisce sudoriferis. Nec excludimus varia austera, quæ constringendo poros cutis omnem implent paginam.

§.37. Eodem ferè modo & curantur *Vreticæ*, excepto, quod in his conueniant etiam opiata, opium enim ratione salis volatilis acris sudoriferum est, ratione verò sulph. somniferum. Hinc optimè *Diabeticorum* nimbus vrinarius per *opiata* compescitur.

§.38. *Sputatorias Syluius* curat per hydragoga, diuretica & sudorifera in tempore, h.e. ante paroxysmum assumpta, hisce enim educitur succus pancreaticus vitiosus.

Nos hic omnia aparentia, in primis spir. salis ammoniaci commendamus. Sic & ab opiatis exspectandum est leuamen, in primis à sirupo meconij, vel diacodij simplic. theriaca cœlesti, & pluribus alijs. Hic & conueniunt omnia decocta ex lignis, alijsque aperientibus, in primis potus Thee erit egregis. Seq.ad mentem *Ettmulleri* erit proficuum:

℞. *Rasur. lign. iuniper.* ʒij.
sassafr. ʒß.
cort. lign. guaiaci ʒj.
*herb.rorismar. p.*iij.
baccar.iunip. ʒß.

Infund.in ▽ & vin. ana ℔ij. ad ℔iiß, macerentur per XXIV. horas in MB. vase alembico suo munito, decoq. & destill. ad medias, colaturæ & destillato adde.

spir. sal.ammon.simpl. ʒiij.
sirup.flor.calendulæ ʒiij.
F.Apoz p.o aliquot vicibus.

Os etiam varijs gargarismatibus colluendum est, in primis sequenti.

℞. ▽ *Semperuiu.*
plantagin ana ʒvij.
tinct.bellid ʒj.
Onis crudi ʒß *ad* ℥ij.
sirup rosar. rubr. ʒj.
M progargarismate.

§.39. Præter generalia *intermittenti* febri debita, in his febribus odontalgicis conducet ex mente *Syluii* seq.mixtura, sæpius cochleatim ante paroxysmum exhibenda:

℞. ▽ *Betonicæ,*
fœnicul.ana ʒj.
theriac. simpl. ʒß.
*laudani opiat.gr.*iij.
*el.caryophyllor.gt.*iiij.
sirup. fœchad. ʒj.

Sæpius etiam externè in forma emplastri parti dolenti theriacam cum commodo applicuit.

Hisce in febribus *nostra opinione* conducet opium, quod interno vsu somnum prouocabit, doloremque leuabit, vel locò dolenti applicatum sensibilitatem stupefaciet, sicque plura mitigabit symptomata.

Sic radix apij, & benzoinum masticata *odontalgiam* soluunt.

Auricula muris, saluia, & lign. guaiac. cereuisiæ secundariæ incocta, & in ore detenta, dentium dolores sedant. Thymus etiam externè conuenit. Temporibus quoque applicari possunt varia adstringentia, & anodyna. Sequens medetur certissimo experimento.

℞. *Mastich.* ʒiij.
laudani. ʒij.
bol. armen.
sanguin.draconis ana ʒj.
apij Thebaici ʒj.
c. terrebinthina.
F. l.a. Massa ad tempora.

Denti etiam intrudi potest sequens:

℞. *Spir. vini* ʒj.
camphor. gr.x.
M. cum bombace indatur denti.

Reliqua ex alio Capite petenda sunt.

FINIS LIBRI IV.

IOH.

ENCYCLOPÆDIÆ MEDICINÆ, THEORETICO-PRACTICAE

LIBER QVINTVS.

DE MORBIS MVLIERVM.

CAPVT I.

De vteri inflatione, Hydrope & Procidentia.

§. I.

Vm varia & diuersa morborum genera varijs diriſque inſultibus ſequiorem ſexum omni ætate, omnique tempore multigenæ reuera Fatorum expoſitum ſorti & violentiæ, inuadant, permultas ſatis atroces, quæ ipſi tum cœlibi tum coniugato & grauido circa ſua geſtationis incerta dubiaue euentu tempora, præſertim partum ipſum obtinguntur, in qua quaſi in bilance ſuſpenſus ſi noſtros modo, oculos morborum ſeriem cernere dignemur, quam *Riuerius* exceptis cæteris ratione ſolius vteri extendit ad ſexcentos. Certè infinitarum ærumnarum eſt vterus & multis & incomprehenſibilibus ferè affectibus premitur, heu quot varijs caſibus, quot diſcriminibus vitæ obnoxius! Perpende, quæſo, quæ in teneræ muliebris ſexus corpora molleſve habitus ſæuiunt mala ſtructuram eorum multoties inuertentia, ſi non penitus euertentia & corrumpentia, ſæpè enim *Charybdim* euitantes miſeræ in *ſcyllam* incidunt. Qualem tyrannidem agat in eas tempore virginitatis *menſtruorum* nunc *depreſſus* nunc *exaltatus feruor*, nunc *plane deficiens*, nunc *ſolito copioſior fluxus*, ipſæ teſtantur miſeræ. Quantis verò malis ſunt ne expoſitæ maritatæ? Tempore imprægnationis adſunt *inſolitarum rerum deſiderium & appetitus* nunc *nauſeabundus* earum *ventriculus* reſpuit cibum, nunc *ſpaſmodicè* afficitur & *euertitur*, hinc vomere cogũtur, vel toto die vel ſtatis quibuſdam diei horis; vltimis tein imprægnationis menſibus, dum fœtus fortiori iam gaudet motu, *atrociſſimos* experiuntur dolores; ſi verò iam fœtus habitaculo ſuo ſe extricare, & ad exitum diſponere, ſitumque ſuum mutare ſecum conſtituerit, quantos non patiuntur *dolores*, & ſi infans iam partui proximus eſt, quantos non matri adfert dolores? de quibus etiam Sacer Codex loquitur, nullum dolorem hoc grauiorem eſſe. Hiſce etiam defunctæ incipiunt fluere lochia, quos & illa non inferunt cruciatus? hinc elogium *Helmontianum* eſt, *fœminam morbum omnem bis pati*, non minus doctum quam verum.

Miſera in hoc mulierum eſt conditio præ viris, quod tot ac tantis obnoxiæ ſint calamitatibus, eaſque non ſolum fabrica corporis cum labefactatur viris commuuis, ſed etiam particularis quoad vterum qui ceu ζῶον ἐν ζῴῳ eſt, ſuis mactet infortunijs & miſerijs, omnia hæc autem in ipſo vteri tantum mechanicè peragi, & à ſolo fermento vteri hæc mala excitari poſſe, hactenus meritò dubitauimus, ſed cum & vterus regatus ſpiritus, hinc & ipſis

ipsis præsidem ibidem constituimus ad regendos sibi creditos milites, quem spiritum plasticum nuncupare libet, qui si ab ingruente hoste infestatur, absque dubio plurima velut ex equo Traiano propullulant & oriuntur mala, quæ omnia quoad fieri potest, ordine iam proposito pertractare & explicare animus est; Supremum Numen faciat vt omnia benè & feliciter cueniat!

Primò se offert vteri *Inflatio*, *Hydrops* & *Procidentia*.

DESCRIPTIO.

Inflatio & *hydrops* vteri sæpè Medicos adstantes imo laborantes ipsas decipit, vt grauidationem adesse existiment, bene ergo Medicus distinguat necesse est, ne inflationem aut hydropem abdominis pro vteri inflatione, aut vteri inflationem pro abdominis inflatione, multominus pro grauidatione reputet.

DIFFERENTIA.

§. 2. A grauidatione differt vteri intumescentia aut inflatio (quæ à solis flatibus in vtero præternaturaliter detentis producitur) quia in inflatione hac decrementum & incrementum obseruatur, in grauidatione ferè semper sensim ac sensim augetur, in qua solet etiam adesse lac in mammis. Ab abdominis inflatione differt, quia in hac sæpè murmur & rugitus in toto abdomine percipitur.

DESCRIPTIO.

§. 3. Hydrops vteri est collectio aquosa, subinde in ipso vteri substantia, subinde inter membranas eius rariùs in ipsa cauitate, quia tunc faciliùs ejiceretur Racham Melcha; quandoque etiam in testibus, ex quibus vidi sæpe eductas libras vj. væ limpidæ.

§. 4. Vteri procidentia dicitur vulgo & falso *prolapsus* ipsius vteri, cum potiùs sit inferioris & rugosæ vaginæ à sede sua & loco, quo secundum naturam contineri debet, extensio; nunquam enim vterum prolabi posse, sequentia euincunt argumenta, tum propter ligamenta, quibus vterus vicinis suis partibus annectitur, quæ ne summa quidem vi quandoque ab illis auelli possunt, tum propterea quod vterus inuerti, inuersusque per suam ceruicem & osculum internum decidere nequeat, ligamenta enim illa ob loci distantiam non ad spithamæ longitudinem relaxari possunt, pleraque ergo vteri procidentia, quæ vulgo sic dicitur tantum vaginæ procidentia est, si enim vterus prolapsus sit, non tam facilè reponi neque inuerti aut curari possit, vt nunc quotidie obseruamus. Imo ipse obseruaui in fœmina (vetula) *Francothalensi*, vteri procidentia laborante, in qua etsi totus vterus prolapsus visus fuerit, tamen subiecta cultro anatomico vterum suis ligamentis firmiter annexum inueni. Idem mecum *Clarissimus Chyrurgus Amstelodamensis van Meckern* obseruauit.

SIGNA.

§. 5. *Diagnosin* hydropis seu inflationis quod spectat, ea est difficillima & obscura, propterea quod vterus alijs humoribus frigidioribus laborans, eadem ferè patitur symptomata & signa, imò sæpe hic affectus ceu dictum est, ab imprægnatione difficulter internoscitur. Vtramque tamen in eius *diagnosin* & cognitionem facili marte deueneris, si ad causas ritè attendas præcedentes, & ad particularia huius morbi symptomata, ad excreta, tandemque ad iuuantia & lædentia. Crebriora symptomata sunt tumor sensim ac sensim increscens, qui tamen singulis diebus augetur, diutiusque absque vllo motus sensu aut vitæ perdurat, quàm vt ab imprægnatione esse possit; molesta quoque circa has partes obseruatur grauitas, rariùs fluctuatio cum aliquo sensu frigoris aut doloris, adest partium superiorum emaciatio, sitis, vteri subinde suffocatio, denique menses suppressi cum excretione tamen aliqua ab vtero aut serosa aut pituitosa, inprimis quando humor in ipsa vteri cauitate colligitur, siue vero flatus adsint facilè ex inflatione rugitibus alijsque signis percipere potes. *Cl. Sebizius* historiam habet de fœmina *Argentoratensi*, quæ ventrem distentum & tumidum vltra decennium habuit cum hydrope vterino, tum mola carnosa laborabat.

§. 6. Vteri verò procidentiæ vulgo ita dictæ signa per se manifesta sunt, & ab ægra referuntur, & causæ quoque signa facilè cognoscuntur, modo Medicus ad singula, vt oportet, diligenter attendat, nam maior sanguinis affluxus ex signis plc-

plethoræ, menſtruatione aut impedita aut nimia facilè cognoſcitur, quemadmodum & affluens aliorum humorum ſeri ſc. pituitæ liquoris lenicalis &c.

CAVSA.

§.7. Cauſas eaſdem ferè habent hi affectus ac tympanites & aſcites, de quibus conſuli poteſt *liber tertius*: hic enim eſt lymphæ particularis extrauaſatio & flatuum concentratio; eſſe ergo plerumque pituitam acidam in vtero latentem, inque flatus ſpiritus plaſtici reſolutam nulli dubitamus, à qua pituita ita inundatur, vt officio ſuo impar ſit. Si vero loco flatuum lympha viſcida ac craſſa adſit, & præceſſit vaſorum lymphaticorum obſtructio vel compreſſio, neceſſario lympha ſtagnare, & hydropem producere debet.

Cauſæ procatarcticæ ſunt, refrigeratio partium genitalium poſt partum, aut menſtruationem, aut frigus pedum manuumque, vbi menſtrua inſtant, aut prolapſus in aquam aut medicamentorum nimium refrigerantium & repellentium perperam in vteri inflatione applicatorum abuſus; alimenta quoque acida & aquea, craſſa & viſcoſa ſæpè hos excitant affectus; huc & referri poteſt abuſus potus aquei tenuioris & nimis ſpirituoſi, ſomnus protractior, vita otioſa & ſedentaria, vtpote mulieribus ſolemnis, animi affectus, mœror, triſtitia, cura, quæ etiam ſexui huic cordi ſunt. Excretiones quoque tum vniuerſales tum particulares ab vtero ſuppreſſæ, & denique infortunia ab ictu, caſu, inflammatione, contuſione, ſcyrrho, vlceribus & ſimilibus alijs affectibus vterinis producta.

§.8. Cauſæ *procidentiæ* vaginæ vteri aliæ ſunt internæ aliæ externæ; Internæ ſunt relaxatio atque emollitio tunicæ rugoſæ in vagina vteri à nimio affluxu aut ſeri, aut ſanguinis, aut liquoris ceruicalis, aut puris ſimiliumue aliorum humorum. Sic & partes illæ internæ ab acrimonia humorum eo confluentium corrodi poſſunt, hinc producitur ſæpè procidentia vaginæ vteri, item caſu, vlceribus, in partu difficili, ab imperita enim obſtetrice hæ partes lacerari & dilatari poſſunt.

Cauſæ verò externæ plures ſunt, aer frigidior ac humidior, balnea, ſemicupia, inſeſſus, vnguenta, linimenta, cataplaſmata & omnia emollientia ac refrigerantia, ſic & potus aqueus nimius, alimenta lubricantia, diuretica & menagoga ſæpius exhibita, ſomnus nimius & intempeſtiuus, præſertim in locis humidis ac frigidis, nimia corporis exercitia, aut ambulatio, iter pedeſtre, ſaltatio, equitatio, tuſſis, ſternutatio, vomitus, partus difficilis &c. Subitanei & grauiores animi affectus ſuum addunt ſymbolum, præſertim ira, mœrores, triſtitia, curæ &c. Excretiones aut ſuppreſſæ aut immodicæ, vt ſuppreſſa menſtrua, nimius eorum fluxus, lochiorum fluxus, vt & fluor albus longior, aluus adſtricta, diarrhæa, dyſenteria, teneſmus, coitus nimius &c. ſic & facile hic affectus producitur ab ictu, caſu, contuſione, vlcere, auulſione fœtus, aut ſecundinæ manu violenta, doloribus, ab oſtetrice allatis, à mola, fœtu mortuo & ſimilibus alijs.

PROGNOSIS.

Perluſtrata nunc inſigni hac cauſarum caterua ad *Prognoſin* faciendus erit acceſſus & quidem primò ſalutis & mortis.

Inflatio & hydrops vteri eſt difficilis curatu, vti omnes reliqui hydropis ſpecies, ob grauiſſima tamen quæ ſecum importat ſymptomata, tum etiam quod ſpiritum plaſticum, qui maximum habet commercium cum Microcoſmetore aliiſque Regibus planè quandoque eneeet; ſæpè enim hic accidere ſolent grauiora mala, vt ſunt inflammatio, vlcus, ſcyrrhus & cancer, quæ miſellas ad mortem vſque comitari ſolent.

Procidentia vaginæ vteri ex ſe non valde periculoſus eſt affectus, ex accidenti tamen fieri poteſt periculoſus, inprimis ſi ſuperueniant inflammatio, vlcus, gangræna & ſphacelus vteri, tem ſi ſubſequatur ſuppreſſio menſium, ſuffocatio vteri, dolores, febris, conuulſiones &c.

Morbus hic quia longus eſſe ſolet, chronicus dicitur & curatu difficilis eſt, præſertim ſi procidentia fuerit magna & inueterata à cauſa violenta inque corpore cachectico aut debilitato aliiſque morbis producta.

CVRATIO.

§. 10. His ad Theoriam spectantibus præmissis, ipsam nunc aggredimur *praxin*, quæ methodo medendi & præsidiorum materijs absoluitur. Curatio quæ more solito à regimine rerum non naturalium à filijs Medicorum ita dictis recipienda est Inflatio & hydrops vterni diætam calefacientem, siccantem, aperientem & carminatiuam seu discutientem expostulant, qua constituta humores nitoris vteri negotium facessentes inprimis seroſi emendandi dein euacuandi, & si flatus vrgeant, discutiendi erunt.

Prodeant ergò primò medicamenta incidentia, attenuantia, aperientia & discutientia, decocta puta ex radicibus aperientibus, ex lignis guaiaci, sassafr. chinæ, sarsap. quæ & simul sudorifera sunt, & sic serum expellere satagunt. Conducunt & herbæ absynthij; cent. ⊙ minfol. foldanell. cortic. med. sambuci, baccæ lauri, iuniperi, semin. vrticæ additis vterinis, roremarino, maiorana, pulegio, arthemisia &c. hinc sequens conducet mixtura spirituosa & aromatica, quæ placat & popysmate demulcet nostram Racham Melcham. E. g.

℞. *Aq. rorismar. pulegij, arthemis. ā* ℥ ß.
hysteric. ℥j.
lap. ♋. *præpar. tartari oleati à* ℥ß.
ol. salin. g. viij.
spir. sambuci ℥ß.
syr. d. quinque radicibus ℥j. *M.*

Hic vero conferunt omnia salia volatilia oleosa carminatiua, & menses mouentia moderata, vel pilulæ ex gummi, myrrhata, castoreata, martialia, & quæcunque corroborantia &c. Præmissis his conducunt omnia hydragogo Ex. gr.

℞. *Extr. hydragog.* ℥ß.
mag. G. Guttæ gr. v.
☽ *hydragog. gr.* ij. cum essent. arthemis. fiant pilulæ pro vitium & ætatis robore assumendæ.

Vsus syrupi de spina ceruia sæpe iteratus hoc in casu egregius est.

Sic & omnia ex ialappa parata, inprimis eius tinctura optimè adhiberur, laudamus baccas sambucinas, ebulinas, iuniperinas & laurinas, præsertim in vteri inflatione.

℞. *Rob. sambuci* ℥ij.
extr. carmin. ℥j.
resinæ ialapp. gr. vj.
ol. anisi. g. i. M. fiat bolus.

Succus bryoniæ more nostro collectus & exhibitus, magnum affert leuamen; quibus præparatis & eductis, eo amittendum est, vt humor iam collectus discutiatur, in quem finem omnia sudorifera & diaphoretica commendamus Ex. gr.

℞. ♎ *tartari. sossafr. à* ℥j.
nitr. dulcif g. xv.
Sn. diaphoret. ℥j.
Aq. pulegu card. bened à ℥iß. *M.*
pro dosi.

Omnia quoque diuretica, qualia in hydrope ascite iam laudauimus, conducunt. Inter externa linimenta, vnguenta, emplastra & cataplasmata valde discutientia, qualia ibidem comendauimus, iuuabunnt additis semper volatilibus aut fixis, aut quæ ijs abundant sestercoribus animalium, oleosis, aromaticis id genus alijsque. Pessaria quoque, insessus, euaporationes & suffitus hic in vsum optimo cum successu trahuntur.

Conuenit quoque instrumentum Phiramundi Rumelij, quo aqua ex vtero educi potest.

Ad flatus ope vitiosi acidi productos discutiendos, conueniunt omnia acidum absorbentia, ex aromaticis oleosis constantia. Sequens mixtura sæpè cum commodo fuit exhibita:

℞ *Aq. Carminatiua* ℥iij.
aurant. c. vino malu. ℥iß.
*syr. * anisat.* ℥j.
sp nitr. dulc. ℥j.
lapid. ♋ *præpar.* ℥j.
syr. cort. aurant. ℥vj.
M. detur cochleatim.

Hoc in affectu tanquam arcanum commendatur radix doronici. Externè possunt quoque adhiberi varia carminatiua, fotus, nempe cataplasmata &c. de quibus videri possunt medicamenta in tympanitide commendata, modo cum hystericis specificis maritentur. Ex. gr.

℞. Ol. chamom. nitræ lauri, canij, fœnic. castorei ā ℥ß. *M.* Sacculus quoque ex milio cum herbis vterinis & carminatiuis conducet, internè etiam carminatiua possunt purgantibus misceri. *Glau-*

berus

berus optime impuritatem & flatus extrahit per singulare instrumentum, & indit sal tart. cum ammoniaco sale, vel potest huic instrumento fimus ex sale tartari cum * indi, vt ad vterum perueniat. Cùm inflatio vteri rarissime fiat sine extrauasato sero, ideo hydragoga medicamenta miscenda carminatiuis, quoniam hic inde variæ exstant formulæ, ijs iam supersedebimus.

§. 2. Curatio *procidentiæ* vteri vaginæ duplex est, vna vera, altera tantum palliatiua, & vtraque habet tres indicationes, 1. si quæ obstant, quo minus vteri vagina reponi possit, ea remoueantur, vt sunt inflammatio, tumor, gangræna, vlcus, excoriatio, aluus adstricta, vrina & menses suppressi vel nimis fluidi; si flatus ergò vel stercora hæreant in intestinis, tunc clysma sequens potest applicari:

℞. *Specierum decoct. carminatiu. emollient. à mi.*
flor. lauri m.ß.
sem. cumini, caruj ℥ij.
coq. in q.s. aq. com. in col. ℥viij.
Electr. lenit. d. bacc. lauri ā ℥ij.
vitell. ou. n. 1. fiat l. ar. clysma.

Dein pars prolapsa & extensa in pristinum reponatur locum, præmissa tamen eius abluitione cum decocto aliquo abstergente vel leniter adstringente aut illinitio, absente tamen inflammatione, erysipelate & gangræna, potestque talis fotus adhiberi:

℞. *Fol. quercuum, mespilorum, plantaginis à mj.*
rad. tormentill. bistort. ā ℥j.
Aluminis ℥ß. dentur incisa, quæ indi possunt sæculo & regioni debitè applicari in vino priùs cocta.

Inspergi quoque potest puluis ex consolidantibus & astringentibus paratus. Ex. gr. Ex thure, myrrha, mastiche, sarcocolla, ros. rubr. succ. hypocistid. ergò antea omnia annitendum est, vt repositum in loco suo retineatur, & partibus vicinis cõglutinetur, in quem finem conducet decoctum sequens:

℞. *Herb. hemiar. m. iß. flor. rosar. r. Fol. arthemisiæ, matricar. ā m.ß. plantag. bistort: ā* ℥j.
coque ex vino rubro vel ferrariorum aq. de quo vagina & foueatur seu abluatur.

Postea & illine hæc & similia linimẽta:

℞. *Vnguent. Comitissæ* ℥vj.
Croci Mart. adstring. ℥ij.
pulu. mastich. ℥ß.
ol. myrtilor. q.s. pro linimento.

Dein puluueris superiùs iam dicti inspergе, & te ad reductionem compone, quàm quo felicius exequaris, mulierem vel supra mensam, vel in lecto ita collоca, vt caput declиue sit, clunes verò elatiores, tunc crura deducio cruribus sursum retractis, sola manu digitisque vel linteis calidis sensim reducito in pristinum locum; ægrotans anhelitum ad se trahat, nec exspiret; parte ita in priorem sedem reposita, eo incumbendum, vt intus consolidetur, in quem finem varia emplastra pubi & vuluæ applicari possunt. Ex. gr.

℞. *Empl. matricar. magnetic. Rumel. ad q.s. malax. cum pinguedine vrsi q.s. induc. super alutam.*
Vel: ℞. *Empl. contra rupturam nostri vsitat. q.s.*
croci Martis adstring. ℥ij.
malu. cum ping. vrsi.

Palliatiue quoque illa protuberantia retineri potest aut globulis, aut annulis, quos globulis præterendos esse iudico; cera, resina aut gummi vtilis

In vera cura interna vulneraria, leniterque adstringentia non negligẽda sunt.

℞. *Rasur. ling. guai.* ℥v.
sassafr. cort. guaiac. ā. ℥j.
herb. alchymill. pyrol. veron. ā m.ß.
sem. plantag. ℥ij.
coque ex aq. com. q.s. col. ℥xxx. *adde syr. d. symphito Fern.* ℥iij. *M.*

Conueniunt etiam omnia leniter adstringentia, quæ vide ap. Authores.

Symptomata autem pro re nata mitiganda sunt.

Pessi quoque ex adstringentibus parati prosunt, sed his & alijs omnibus præferunt, suffimigia ex pell. anguilla salita, ex hypocystide, stercore vaccino exsiccato, alumine, muscо. acaciæ.

Globulus ex filo cannabino cum cera applicetur, & sæpe cineres scarbæorum inspergantur, vel ægra sedeat super lignum quercuanum frigidum.

CAPVT II.

De passione vel suffocatione Hysterica, vel vterina.

DESCRIPTIO.

§. 1. PAssio *hysterica* alijs ab vrgentiori symptomate dicitur & *suffocatio hysterica*, rectè an secus ita appelletur, quia vulgò dicitur ab vtero oriri, non iam decidam, cùm ab alijs factum sit. Est syndrome variorum affectum simul concurrentium, vt plurimùm ab austero & spirituum in vtero existentium ἀταξίαι *Rachan Melchan* molestantibus exorta. Ab *Helmontio* vocatur *asthma vterinum*; in viris vocatur *suffocatio hypochondriaca*, *die Beermutter* in fœminis, *suffocatio vterina*. Syluius hunc affectum appellat suffocationem & strangulationem hypochondriacam equè viris ac mulieribus solemnem. Est certè grauissimus affectus, & varia sub se comprehendit symptomata, & propterea non solum misellis ægrotantibus, sed Medicis ipsis & adstantibus, timorē incutit, subitò enim fœminæ prosternuntur, corpus refrigeratur, respiratio & vox quasi faucibus hęret, pulsus cessat, & nonnunquam sensus & motus aboletur, vt miserę quasi mortuæ iaceant, de quibus in Diagnosi pluribus agemus.

Passioni huic hystericæ valdè analogus est, & præcipuè respondet *incubus* in viuis, & conuenit quoq; cum apoplexia.

DIFFERENTIA.

Distinguitur verò ab ea, quod passioni hystericæ conuulsiones & dolores adsint, in apoplexia verò nunquam hæc symptomata obseruantur.

In Epilepsia verò longe grauiores conuulsiones adsunt, quam in passione hysterica, & sic facilè ab alijs cognatis morbis hic affectus distinguitur, non autem opus est, vt valde solliciti simus in his morbis à se inuicem distinguendis, quia curatio in his omnibus eadem est.

PARS AFFECTA.

§. 2. *Veteribus Galenicis* pars affecta est *vterus*, quem cum vulgo ad fauces vsque assurgere credunt. Hæc vero sententia à plebeijs, & quod miror à Medicis plurimis hactenus defensa, hodie à Neotericis plane est euersa, vt non operæ pretium ducamus hic illa refutare.

Syluius pro parte affecta, pancreas, intestina cum annexis ventriculo & gula, quæ in hoc affectu constringi videntur, reputat. *Helmontius* dicit in suffocatione vterina, ægrotantes queruntur, quando loquelę sunt compotes, tensionis intercostalium strictamque costis zonam cinctã arbitrantur, vel baculũ ab inferis ad guttur exporrectum, hinc ait *stomachum* claues vteri gerere. *Willisius* cerebrum ob neruosi generis affectam partem putat.

Nos hic non solũ *vterum* cũ suis vasis & glandulis, sed & *neruos & primas vias culpamus*, in quibus sæpe hæret causa, quæ dein & cordi & cerebro communicari solet, hinc Lerna illa malorum. Antequam vlteriùs procedimus in præcipua inquiramus symptomata, vt ex ijs tanquam præmissis notioribus gemina huius affectus causa assignari possit.

DIAGNOSIS.

§. 3. Affectum hunc comitatur respiratio difficilis, faucium adest strangulatio, ac bolus quasi faucibus hæret aut angustia quædam quasi à fusse in œsophagum intruso strangulari videtur; adsunt etiam borborygmi & rugitus, aliquando nausea adest, rarius vomitus, pandiculatio, cordis palpitatio & cardialgię sæpè comites sunt. In ipso paroxysmo pulsus imminuitur, quandoque in totum aboletur, interdum ad quadrantis dimidiæ & integræ horæ spatium, subinde ad satis notabile tempus ad vnum vel alterum diem, ita vt tales ægræ pro mortis habeantur, nullis signis vnde vitam adesse iudicare possumus se se prodẽtibus, vt plura exempla apud Auctores fide dignos habemus. Fauces etiam ita constringuntur, vt suffocari ægrotantes videantur, succedit pallor & frigus notabile, motus, & sensus nunc in totum, nunc ex parte tolluntur, sæpe in abdomine percipitur globus quidam ad diaphragma vsque adscendens, quem falsò vterum dicunt, cum Vterus 4. suis ligamentis firmiter annexus sit.

Accedunt quoq; animi deliquia, varij motus conuulsiui ac epilepsia, menses sũt sæpe suppressi, in hypochondrio vtroque præcipue sinistro percipitur pulsatio,

con-

conqueruntur ægri de anxietatibus, siti, doloribus varijs, inprimis verò capitis, ventriculi, artuum, &c. aluum aliquando habent obstructam, & tamen à lenientibus oritur hic enarrantibus, vti statim dum hæc scribo obseruaui in quadam quę ab applicato clystere ex mollientibus parat. & addit. ℥ß. Elect. diacathol. vigesies deiecit cum animi deliquijs & frigore extremorum. Tandem ni pereant ægrotantes, post paroxysmum longiorem aut breuiorem imò interdum ad notabile temporis spatium cordi & arterijs motus restituitur & pulsus obseruatur, pectus quoque extendi atque complicari sicque respiratio redintegrari incipiunt, vox quoque quæ antea nulla, redit, & ægri de molestijs præcordiorum conqueruntur, aliæ odorifera perferre nequeunt, ambram scilic. moschum, cinamomum, rosas &c. quem odorem & plures viri absque deliquio animi tolerare non possunt, vti exemplum habemus in Rege hodierno Gallorum Ludouico XIV. Hæc sunt symptomata grauiora nostri affectus, non enim quemlibet hæc comitantur symptomata; in alijs pauciora, in alijs plura sunt imò adeò obscura vt vix ab incantatione discernantur, omnia etiam enarrare, quæ inde coniunguntur symptomata, impossibile est.

CAVSA.

§.4. *Nos* vero nunc ad morbi nostri causas nos conferamus. De *Causa* huius intricatissimi affectus communissima est *Galenicorum* sententia, quod sc. vapores maligni & venenati à sanguine & semine in vtero corruptis vt & alijs humoribus ibidem collectis & malignam venenatamque naturam inducentibus per arterias, venas & neruosum genus ad superiores partes eleuentur, & prout vel ad hanc, vel illam ferantur, diuersa symptomata producant.

§.5. *Syluius* huic doctrinæ fere assentiri videtur, aliter tamen rem explicat, atque à succo pancreatico in tenue intestinum delato ibidemque cum accedente bile ex sale lixiuioso oleo & spiritu volatili constante blanda ac naturæ amica excitari pugnam, efferuescentiæ nomine à *Clar. Authore* insignitam, ex qua vitiosa efferuescentia habitus & vapores austeros ad has vel illas partes adscendere, inde omnia hæc symptomata in hystericis obuia oriri posse non dubitat.

§.6. *Helmontius* hunc affectum non esse ex corporali humorũ ac vaporũ confluẽtia in vtribus cerebri natum existimat, sed esse morbum ex Deutetopathia & actione regiminis atq; vterum aliàs quietũ in thymosin excitari per irã atq; mœrorẽ; Equidem vterus vt ille ait, nunquam supra diaphragma ascẽdit, aut apoplecticos patrat.

§.7. *Vvillisius* hunc ad conuulsiuos affectus refert, & inde causas deducit.

§. 8. *Nos* existimamus in abdominis partibus inferioribus, præsertim verò in vtero existere spiritus animales, qui Ianitori vteri ad nutum esse debent, qui spir. animales intra vteri fibras existẽtes si omnia ad nutum peragant lenes & contractiores motus constanter fiant, sin verò ijdem spir. ab hoste puta acido, vitioso, austero facilè efferuescenti plurimum inclantur, tunc tumultuariè insiliunt, ita vt densius aggesti & in auxilium vocantes *Microcosmetorem* statim progredi & pertransire nequeunt, inde membranas quibus intertexuntur distendunt, diuellunt & dilatant, quin & sæpe ipsas quasi à vento incluso inflatas attolli & anterius propelli faciunt, hinc & vteri & mesenterij plicæ à spiritibus agitatæ intumescant, imò cum subsultibus exilire ac intra abdomen vt cum *Vvillisio* loquar, arietare, videantur, nec minus *ventriculi* ac *intestinorum* tunicæ à spiritibus eo modo expansis impetumque facientibus elatæ in varias distentiones ac inflationes vrgeri solent, in hac spasmodica conuulsione & dolorosè conuulsis intestinis & abdomine aliorsum in alias partes subinde continuentur motus cum fortiori spirituum animalium perturbatione, hinc à spasmodica faucium contractione oritur illa constrictio faucium & globus in abdomine, hinc sæpe oriuntur Epilepsiæ &c. In grauiori hoc malo ab eodem acido vel austero tãdem superuenit sanguinis quodammodo congrumati stagnatio in præcordijs indeque omnimoda suffocatio, reliqua symptomata facilè ex his præmissis deduci possunt.

Eadem causa respirationis impeditæ & imaginationis boli in faucibus esse po-

test, quod intestina torqueantur & conuellantur, qua propter diaphragma minus deorsum ferri potest 2. quia musculi abdominis & gulæ conuelluntur, ita vt pectus & abdomen minus & cum summa difficultate moueantur & gula constringatur, quapropter anima iudicat vel vinculo gulam constringi vel globum in gula hærere, in aliis verò partibus hærentes particulæ austeræ, acidæ, varias conuulsiones excitant, vt morbus hic cum epilepsia valdè conueniat.

Inter causas procatarcticas referimus acrem frigidiorem, alimenta acida vel austera, vel acerba & aliquando acriora, odorata quævis grauiora natibus admota, moschus, cinamomum, rosa, zibethum.

Somnus & vigiliæ modum excedentes valdè nocet, nimium aut intempestiuum corporis exercitium, vt & vita sedentaria, maximè hic ferè symbolum addunt subitanei & graues quicunque animi affectus, vt sunt mæror, curæ, terror, ira, amor, &c. denique excretiones vel nullæ, vel intermissæ, vel nimiæ.

Postquam paroxysmus hystericus aliquandiu durauit, ægræ ad se redeunt valde defatigatæ scil. à conuulsionibus & membra dolent non secus ac si fustibus percussa essent, & reuera quoque vtrobique est doloris causa, nam sicut à fustium ictibus fibræ rumpuntur, vnde dolor, sic quoque à conuulsionibus hinc illinc fibræ franguntur, & hinc illi dolores.

PROGNOSIS.

§.9. Prognosin nunc paucis tangamus. Non admodum periculosus est hic affectus, ex se, rarò lethalis est, quamuis ratione aut coniunctorum morborum aut superuenientium symptomatum subinde lethalis fieri potest, diuturnus autem est & contumax, præsertim si altas egerit radices aut plurima eaque grauia coniuncta habeat symptomata, præsertim in vetulis. Virgines non aut minus huic affectui sunt obnoxiæ, quam fœminæ sedentariæ, quia illarum sanguis spirituosior, & stamen neruosum firmus est. Periculosus esse solet hic affectus puerperis & prægnantibus. Aliquando in epilepsiam degenerat, quare exemplum noui hac in vrbe. Huc etiam spectat sequens *aphorism. Hipp. s. 35. Mulieri hystericæ sternutamentum superueniens bonum*, quia motu isto valido humores, cum sæpe pauci sint, qui obstructionem faciant, expelluntur. Sic etiam bonum est, si copiosi ructus superueniunt, quod & obseruauit *Syluius* his enim & morbus & paroxysmus sæpe terminari solent.

CVRA DIÆTETICA.

§.10. Extra paroxysmum *Diæta* bene prospicies, omnemque in ea abusum euitabis. Aer sit temperatus, vitetur asperior & borealis, odores exstinctæ candelæ, moschi, zibethi, aliorumque gratorum fugiatur. Alimenta sint boni succi, austera, acida, salsa, concoctu & fermentatu difficilia vitentur, castaneæ, &c. nocent etiam omnia fumo indurata.

Potus sit cereuisia optimè defœcata vel vinum tenue, nocet omnis cereuisia non bene cocta & fermentata, itē potus aqueus mustum, &c.

Motus & quies, excreta & retenta, in primis menses suppressi, aluus constricta & semen retentum, si modum excedant, non desunt Patroni huius affectus. Somnus & vigilia etiam in mediocritatis cancellos contineantur, nocent enim somnus & vigiliæ nimis protractæ, cum varias cumulent cruditates; animus sit hilaris, mœrores autem graues & animus meticulosus, consternatio ex inopinatis casibus & si qui sunt similes affectus hunc morbum facile inferre possunt.

CVRA PHARMACEVTICA.

§.11. *Veteribus Galenicis* suffocationis vterinæ, curatiuæ intentiones duæ sunt, vna, quæ præsentem respicit affectus huius paroxysmum, altera quæ tempus paroxysmo liberum; eò ergo incumbunt, vt vapor ille malignus ex vtero adscendens dissipetur, & à membris principalioribus auertatur, dein, vt humor è quo eleuatus vapor, euacuetur & è corpore eliminetur, tandemque partes corroborentur.

Si ergo fœmina in paroxysmo grauiori constituta est, clamores, pilum in pudendis præcipuè aurium vellicationes, ligaturas & frictiones dolorificas commendant, præ omnibus tamen nostra obseruatione titillationes in plantis pedum paroxysm. discutiunt; sæpe etiam cucurbitulas cum multa flamma suris & femoribus

tibus applicandas volunt. Naribus graueolentia & fœtida, vtpote caſtor. aſa fœtida fumus ex pennis perdicum, vnguibus, cornubus, &c. vt vapores illi maligni diſcutiantur, adhibenda volunt, in quem finem etiam arcani inſtar verrucas (quæ tibijs equorum adnaſcuntur) comburunt, firmumque naribus excipere inſtituunt. Pudendis ſua graueolentia varia exhibent vt zibeth. moſchum, Gall. moſchat. ea addita ratione, vt ſeil. humorum & ſpirituum motus in vtero verſus inferiora reuocetur, & quaſi conſopiatur.

Reuocandam etiam & reuellendam volunt materiam ad ſuperiora adſcendentem, clyſteribus ex vterinis & carminatiuis paratis: vt etiam ipſa materia vaporum mater ex vtero tollatur, peſſos in maritatis vtero indunt, *Babaris Naſcalia* dicta, naribus verò indunt varia ſternutatoria, auribus inſtillant ol. ſalu. ſucc. ſpicæ, &c. Emplaſtrum d. galbano aliaque regioni vmbilicali imponunt: & ſi à menſtruor. fluxu impedito proueniat, venam tali ſecare iubent, aliaque varia vterina & anod. exhibẽt, de quibus practici videri poſſunt.

Extra paroxyſmum verò eò incumbendum volunt, vt ſi à ſemine malum corrupto ſit in vtero, id euacuare tentant eum clyſteribus vterinis & peſſis, & vt reliquię diſcutiantur & vterus roboretur, conueniunt à emplaſtra & vnguenta vteri regioni applicant, in quem finem Sennertus ſeq. commendat vnguentum:

℞. *Styracis liquidæ* ℥j.
Caryophyll.
ſem. agni caſti, angelicæ ana ℥ß.
Alipiæ moſchat. m. j.
ol. nardin. lil. alb. ceræ ana q. ſ.
Fiat vnguentum, item ſeq. emplaſt.
℞. *Sem. agni caſti* ℥j.
ſantalor. omnium ana ℥ß.
pulu. roſ. alb ℥j.
gumm. tacamahac. ℥iß.
carannæ ℥j.
alypt. moſcati ℥ß.
Terebinth. ladan. ceræ ana q. ſ.
Fiat emplaſtr. S. arte debite applicandum.

Si vero paſſio hyſterica à menſtruis retentis & corruptis habeat ortum, conducent omnia menſes cientia inferius dicenda, vt & venæ ſectio ſuperius allegata.

Eò verò vnanimiter collimant *Galenici* vt vapores maligni diſcutiantur & vterus roboretur, in quem ſcopum commendant meliſſ. menth. puleg. calamenth. rad. angel. imperatoriæ, meri, &c. præ alijs verò rad. bryon. & varias ex his alijſque aromatic. parant aquas deſtill. pulueres, vt ſunt ſpecies galang. diacalamenth. diacinam. &c. Magni quoque æſtimant. Theriac. Mithridatium, requiem Nicolai & caſtor. ex quibus concinnant varias formulas, quarum omnium Practic. *Galenicorum* volumina referta inuenies.

§. 12. *Paracelſus* præ alijs alibi dicendis commendat ol. ſtanni vmbilico inunctum, quod ſic fit: Soluatur ſtann. ♃ ſort. & ceruſſ. redigatur, hæc abluenda & ſoluenda in cryſtallos, qui deſtillati dabunt liquore dulc. & ol. flauum, ex reſiduo ſalelici poteſt, qui in cella in ol. reſoluitur.

§. 13. *Helmont.* dicit, etſi odora & grata aromata multas infirment mulieres, non tamen idcirco olida ſiue putida quæuis illas ſanare debeant, dicit enim aſſa aut odor fumantis ſulph. non recreant hyſtericas, quatenus fœtent, ſed quia cohibent ſiue interficiunt Ideas extrà vtero impreſſas; amara omnia mulieribus hyſtericis commendat Author. Remedia hyſterica ipſi ſunt arcanũ, ignis ſiue dulcedo ſulph. è vitriol. veneris paratura. Item tinct. corall. eſſ. ſucc. gagatis, vrticam non pungentem flore albo cucullato, Ribeſnigr. Ballote. Rutham, abrotan. Saluiam. Nepeth. Grana ſamb. ebuli, aſam fœtid. verucam poplitis equini. Corall. rutilantes laudat, cœterum pergit, non quæuis ſimplicia ex æquo incantatos ſanant vt neque omnes pariter hyſtericas. Nam ſuas ſingula dotes habent ideę tolluntque compares nocuas: Abrotan. ſc. ſaluia & ruta ideas timoris abigunt, Arthemiſia, vrtica, Balote & Ribes nigr. valent in caſibus è mœrore contractis, Aſa fœt. caſtor. grana acta, Gagatis, eſſent. in caſibus ex ira patratis. Nepetha autem Valer. & Adrant. in caſibus ex idea odij reſultantibus: Prouti hypericon & Phij tertium in Ideis furibundis, ſic lepus ſiccatus, teſtes quarundã beſtiar. fumo arefacti, virga cerui, agn. caſtus & ſuccin. in Ideis per libidinis ſuggeſtionem natis. Electr. autem miner. corall. præpar. & maiora arcana adſcen-

dunt ad vniuersale quodammodo, quibus approximat secundin. masculi primigeniti, fel anguis, &c. quæ arcana *Helmont.* dicit vix aliquem destituere, econtra contemnit hic Author in omnibus vteri affectibus dulcia quæuis, quia iuxta ipsum sopitum vteri furorem concitant.

§. 14. *Vvillisius* hic omnia ea antispasmodica commendat, quæ in epilepsia laudauit.

§. 15. *Syluius* verò in omnibus causis hystericæ suffocationi commendat sal. volat. & præ cæteris omnibus spir. sal. armon. ad gr. iij. vel iv. vel plures ex vini alteriusque conuenientis liquoris cochl. sæpius assumptum. Ad austeros flatus halitusque discutiendos præter hunc spir. * spirit. castor. laudat eiusque tinct. & vt ol. succ. maceris destill. &c. in casu verò vbi glutinosi & simul acres sunt halitus flatusue præter sal. volat. magni pendit spir. nitri dulcem & cort. aurant. rorism. &c. Vbi verò magis aquei existunt halitus conducere præter laudata salia volat. ait, tinct. aromatic. cinam. croci, macer. non neglectis hydragogis subinde vsurpatis, ad humiditates aqueas in corpore redundantes minuendas.

Idem ad austeros flatus halitusque ad fauces adscendentes, discutiendos commendat supra dictum & * volatil. vel aromatic. vel oleos. Inter alterantia laudat omnia aromatica, inter radic. eligit rad. asari, dictamn. alb. ireosi rubræ tinctur. cyclaminis, chelidon. min. aristolochiæ, rot. gentianæ, vt & Schœnantium, spicam, &c.

Ex folijs sabinā, puleg. arthemis. ruth. meliss. marrab. calamenth. mentastr. nepeth. flores cheiri, croci, rorismar. genistæ ex seminibus, nigell. petrosel. polipodij, lupin. apij, fœnic. leuistici; Ex baccis, lauras; Ex aromatis cinamom. maceres, cassiam ligneam, xiloaloem, ex gummi myrrh. castor. galban. sagapen. succin. mastichen, storac. laccam, asa fœtid. Ex metallis chalybis limaturam in vsum trahit, inprimis laudibus extollit sal suum volatile oleosum.

§. 15. *Nos* omnem operam omneq; studium in curando hoc affectu adhibemus vt extra paroxysm. causa remota acidum illud & austerum seu ponticum corrigatur. In paroxysmo verò vt spasmodica, illa concussio & contractio & suffocatio tollatur. Spasmodicam illam contractionem auferunt omnia ea, quæ spirit. animales extra pomœria sua vagantes iterum in ordinem pristinum restituunt, in quem finem commendamus salia volat. vrinosa aliaque fœtida & subtilia acria vt sunt spir. armon. volat. fuligin. vngul. equi, tinct. castorei vitr. succ. asam fœtid. cartham cum pennis perdicum combust. &c. Subtilissimorum talium odoratorum seu fœtidorum vis tantùm non sensibili effectu se exserit in his, vti in summè debilitatis & lypothymijs odor vini generosioris vel alius aromatici, quas nonnunquā ad viuos reuocare videtur, in pluribus hystericis fœtida, vt asa fœtida, castoreum plumarum accensarum, odor item volatilium, maximum afferunt leuamen; odorata verò stupenda symptomata excitare possunt quatenus spir. animales cum ianitore vteri ab ijs afficiantur, & mirum est, quod eiusmodi odorifera in substantia assumpta paroxysmos hystericos efficaciter sistant, refrænent, hinc habet *Horatius Augenius* experimentum seq. quod refert *l.* 12. *Epist.*

Sed tamen hic notandum insigniter Idiosyncrasias variare:

℞. *Moschi opt. gr. v.*
cinnamom. caryoph. mic. mosch. ana ℈j. M.

d. in vitro odorato, quo loco etiam pilulas ex moscho ceu præsidium efficacissimum commendat, sed caue sis ne fortè nares feriat talium odor, sic quoque plures dantur mulieres quæ castoreum aliaque fœtida sufferre non possunt, & hoc quoque in praxi notandum, quòd hystericæ in iecore dulc. abhorreant, quare Medicus ab his abstineat.

Ex reliquis volatilibus fœtidis certiorem tamen habebis effectum. Seq. pulus me rarò fefellit:

℞. *Fœnic. bryon.* ℈j. *succ.*
margar. præpar. ℈ß.
corall. rub. præpar. castorei ana ℈j.
præpar. verrucar. equin. ℈ß.
ol. ruthæ still. succ. ad gt. v. M.

diu. in 3. part. æquales, detur successiuè in vehiculo conuenienti; statim hoc pul. spir. plasticus mire placatur, guttur. alia-

tumq;

rumq; partium cõuulsiua coarctatio propediem cessat; addi potest gr. j. vel alterum laudani opiati, huic par est sequens:

Pulu. absorbentium Vvedelij ℥j.
bezoart. Iouial.
cinab. antimonij ana ℈j.
castorei ℈ß.
laud. opiati gr. j. M.

In passione enim hysterica ad conuulsiuos istos motus sedandos & simul austerum absorbendos, Iouialia. Saturn. anod. castor. cinabarin. omne absoluunt medendi punctum.

Tinct. bezoart. cum spir. *, castorei vel Elix. vterinum cum essent. anod. mista, generosa sunt remedia.

Laudanum seq. hysteric. vsu nostro comprobatum & generosum remedium, quod in vsum ægrotarum communicare iubet:

℞. *Extr. opiũ c.* ✣ *fact.* ℥j.
Zedoar. ℥ß.
verrucar. equin.
rad. calam. arom ana ℈ß.
cinabar. natiu.
castorei ana gr. xij.
croci gr. xv.
lap. bezoar. orient. ℈ß.
ol succ. ruth. aa. q. s. fiat l ar. Extract. cui grana 2. 3. ad 4. in ▽ *meliss. aut calamenth. exhibita, mira præstant, his vero aquis destitutis in vehiculis domesticis cereuisia, &c. propinandum.*

Iohann. Agricol. seq. laudan. opiatum deprædicat:

℞. *Laud. opiat.*
Extr. lichen. ana ℥j.
ol. sat. Iouis ana ℥ß. M.
Dos. gr. ij. *vel* iij.

Extract. lichen. sic fit:

℞. *Lichen. q. s. affund. aq. meliss. pone in vitr. ad tinct extraction. & abstrahe ad Extr. consistentiam.*

In grauiori malo sãguinis quodammodo cõgrumati stagnatio in præcordijs existit, quia ægræ non possunt mouere thoracem nec anhelitum ducere; pro temperando & corrigendo hoc acido & tollendo sanguinis coagulo, facilitanda respiratione, seq. conducet:

℞. *Ocul.* ℈ *præpar.* ℈j.
antimonij diaphor. ℈ß.
sperm. ceti ℥j.
castorei ℈j. *M. fiat pulu. det. in brodio calido.*

Acidum hoc corrigentia sunt omnia salia calido alkal. vt sunt Elix. vterin. febrif. Mynsicht. quod amaritudine sua corrigit acidum vitios. sp. * ci c. oleo aurant. vel ruthæ, succ. commixtus mirè præstat. Itẽ est castor. vel asæ fœtid. vel myrrh. vel seq.

℞. *Aq. byrund. c. castoreo* ℥ij.
Aq. meliß. ℥iij.
*spir. * succinat.* ℥ß.
spir. volat. cran. hum. ℈j.
syr. melissæ ℥vj. M.

Liquor C. C. succin. item tinct. ex bacc. ebuli omniaq; ceu diximus volatilia, quatenus spir. exorbãtes reuocant, & dormiẽtem Ianitorem vteri excitant; Ex. gr.

℞. *Aq. meliß.* ℥iij.
Zedoar. ℥vj.
*spir. * ruthac.* ℈j.
spir. corn. cerui.
tinct. castor. ana ℈ß.
syr. d. mentha ℥vj. M.
d. ad vitr. cochleatim.

℞. *Aq. napht.*
carminat. ana ℥ij.
spir. C. C. tartari,
tinct. succ. ana ℥ß.
asæ fætid. sol. gr. xij.
syr. cinam. ℥v. M.

Item spir. vrinos. armoniaci ad ℈ß.

c. est. castor. adhibitus pro præstantissimo remedio adhibetur in hoc affectu hysterico. Egregij quoque vsus sunt chalybeata.

Sic & spir. secundinæ tanquam certum & specificum habetur experimentum hoc in morbo. Balsamum seq. optimum est antihystericum:

Fuligo exponatur aeri frigidiori quo inuenies balsam. viscos. & liquidum, quod ad vsum seruet.

Antimoniata præsertim essent. Antimonij, vteri suffocationem facile tollit. *Thom. Barthol.* ex priapo cerui, & tauri iusto æstus tempore ex sect. tanquam secretum in suffocatione vteri & colica remedium commendat.

Instante mensium fluxu sæpè miserè excruciantur hystericis insultibus, in quem finem beat. *D. Ettmullerus* sequens laudat:

℞. *Aq. syr. c. castor.* ℥iß.
carmin. ℥j.

ocul. ℈ præpar. ℈j.
antimon. diaph. ℈ß.
sperm. ceti ℥j.
syr. cort. aur. ℥ß. *probè mixtum.*

Ægra capiat subinde 2. vel 3. coohlearia, inde enim nostra experientia non tantum paroxysmus sedatur, sed & fluxus promouetur, & hoc in casu institui potest venæ sectio in pede. Seq. *Crollij* extract. itidem magnificiendum:

℞. *Extr. castor. croci, arthem. ā* ℥ß.
sal. matris perlar. ℥ij.
ol. angel.
anisi succin. ana ℥ß.
M. Dosis. ℈j. ad ℈ij.

ab initio paroxysmi vel præseruatiuè singulis mensibus semel circa mensium initium exhibet.

In parox. clysteres acres ex vterinis & carmin. injici possunt, quibus sal arthemisiæ ā ℥ij. add.

Cauendum verò in ijs, quæ ad animi deliquia inclinant, & debiles sunt, hinc ægræ sunt interrogandæ, num facile purantia vel enemata perferre possint.

Hic notandum, quod omnia antiepileptica hic conueniant, & morbus hic curari soleat, vti epilepsia, nec externa in paroxysmo negligenda sunt, & hoc generaliter notandum, quod licet symptomata ab aliquo medicamento videantur intendi, non ideò semper iudicandum est, quod medicamentum illud fuerit inconueniens; externè ergò ad excitandas ægras naribus graueolentia admouenda sunt, vt fumus ex verruc. equin. pennis perdic. aliarumque auium tabaci, linteorum cœru. quibus verò antecellit spir. armon. volat. vel seq. succinatus fœtidus:

℞. *Succin. asæ fœtid. ā* ℥ij.
sal armin. ℔j.
Calc. viu. vel ol. tartari ℔ij.
M. lege artis & seruа pro vsu.

Asa fœtida, castor. rutha, sem. corui communia sunt; alijs suffitum byttriminis tanquam arcanum commendant, aliæ fœmin. nihil præter aceti & vini odorem ferre possunt *Thom. Bartholin.* ex corio humano cingulum parat, quod passiones hystericas comprimere dicit. Spongia, mixtura ex sp. c. ceru. armon. aromat. imbui potest, & sic naribus applicari, quæ omnia spir. plastic. mirè placant. Ori indantur varia spirituosa, inprimis ▽ vitæ, mulierum naribus illinantur ol. succ. rectificatum, aut sp. armon. Temporibus inungantur balsam. apoplectic. ruth. succ. altaq; fragrantia. Suaueolentia, vt moschus, Zibeth, balsam. apoplecticus, aliaque vmbilico & pudendis applicantur, mirè enim illa acerbum istum hostem compescunt, & spiritus animales excitant, & Reginam vteri placant; ægra potius sedeat in paroxysmo quam iaceat, vt viscera non ita premant diaphragma, & ori & naribus inflentur sternutatoria, vel fumus tabaci, vt expergefiat.

Vmbilico etiam varia linimenta & emplastra imponi possunt. Seq. habetur optimum:

℞. *Gumm. Galban. Tacamahac. ā p. æq.*
balsam. Peruuian. ℥j.
ol. succ. capor. ā ℈ß.
fiat l. artis Emplastrum:

Vel: ℞. *Gumm. asæ fœtid. galban. ammoniac. ana* ℥ij.
Theriac. ℥j.
ol. succ. castorei à g. v. M. f. empl.

Vel. ℞. *Gummi galban. in x. solut.* ℥ß.
Extr. capor. ℥ij.
ol. succini spicæ ana ℥j.
M. f. l. a. Empl.

Nonnulli commendant fila cocta, muliebri inguini tepidè applicata.

Hæc de medicamentis durante paroxysmo exhibendis, extra paroxysmum verò hic affectus aliam postulat methodum, sedato & inducias ferente acido, hostem illum apertius aggredi audemus: Hinc extra paroxysmum conueniunt illa, quæ acidum illud ponticum absorbere, præcipitare, & quouis modo corrigere apta sunt, & simul respicere debent ianitorem vteri, & hæc sunt omnia vterina, specifice iuuantia & superius apud *Sylvium* recensita, omnia sc. aromatica & volatilia, dein omnia præcipitantia correcto aliquo modo austero pontico sæpè viscido, operæ pretium est vt dein educatur; in quem finem varia conducunt purgantia antihystericis maritata. Sequens vinum medicatum non contemnendi vsus, præscribimus:

℞. *H. Absinthij card. bened. melissæ. scolop. celerach, ruth. murranæ ana m.* ß.

Rad.

Rad. zedoar. eringij. pimpin. ana ℥ß.
angelic. ℥ij.
Rhabarb. opt. ℥iij.
Fol. sen. ℥j.
sem. juleris m. fœnic. carici
ana ℥iiß.
cort. aurant. tamarisci, frax. ana ℥iij.
tart. crudi ℥ß.
incisa d. ad cartham.

Si quis pilulas amat, sequentes erunt:

℞. *Spec. diacymini* ℥iij.
Asæ fœtid. gr. xij.
Extr. castorei ℥ß.
extr. crocigr. v.
extr. rhabarb. resin. ialappæ ana ℥ß.
ol. Ati succini, tinct. castorei ana g. vj.
M. f. pilulæ, quæ sufficiunt pro xxxvi. *vicib. purgantibus caute incedendum.*

Post hæc varia alterantia inprimis volatilia oleosa sal illud oleosum *Sylvij* vel spir. *aromaticus, prosunt; eorum vsus verò per tempus continuandus, dein conueniunt præ alijs thermæ sulphureæ, omnia quoque iouialia, Martialia, Saturnina, cinabarina, præcipitantia quæuis, item varia decocta ex lignis, aliaque salia alkalia myrrhata &c. Vbi scopus est ad mentem *Veterum* seminis generationem diminuere, tunc venæ sectio, quæ aliàs non conuenit hoc in affectu, adhiberi potest, exhibeanturque agnus castus, camphora, ruta, vnguentum refrigerans Galeni &c. sed cauendum, ne vis *Racham Melchæ* inferatur.

Empyrica sunt sequentia *Iohann. Arcularius* inquit *pr. tr. 6. p. 179.* si quis alternis diebus ante cœnam assumpserit ℥ij. pilul. d. arthamisia adeò præseruabitur ab omni suffocatione, vt nullum inuentum sit efficacius.

Trypheræ magn. ℥ß.
cham. aridæ ℥j.

cum iuino aut saccharo ieiunis dandum.

Spiritus vitrioli veneris ad gutt. iii, propinatus ad omnes affectiones hystericas commendatur; A *Rhoderico à Castro* ℥j. Theriac. Androm. exhibetur.

Iohann Crato habet hoc singulare remedium quod iugland. exsiccat, & contritos & pulueriſatos ad ℥ij. cum guttis aliquot succini propinet.

Iohann Faber sal vitr. laudat, quod vomitum excitet, & menstrua promoueat.

Iuxta *Calud. Deodatum* sal Iouis vmbilico inditum, vel inunctum, summum est remedium.

Petrus Forestus ait, quædam perstentiens paroxysmum, sola ostrutij radice in ore retenta, & parum masticata à suffocatione statim liberatur. Sic plures Authores allium concisum, & vmbilico applicatum laudibus extollunt.

Heurnius flores micis moschat. ℥j. cum vino exhibet, item aquam cyani, in qua camphoræ quantitas nucis auellanæ accensa conflagrauit.

Fridericus Hofmannus stercus gallinarum vino albo dissolutum, & cum aliquo cardiaco mixtum cum commodo sæpius dedit.

Sic *Simon Pauli* in hoc affectu folia herbæ theæ, vteri regioni & vmbilico calidè imposita, magni pendit.

Quercetanus solum semen pastinacę domestic. exsiccatum & pulueriſatum ad ℥ß. cum pauco vini vel ▽ melissæ datum, pro peculiari & specifico medicamine ad vteri suffocationem venditat.

I. D. Rulandus stercus vaccæ vel cerui, vel aprę cum vino calido propinatum, statim vterinam suffocationem sedare, inquit, item lintea in vrina vel fimeto bouino intincta, calideq; super vmbilicum imposita, sedare hunc affectum, asserit.

Oleum galbani à *Schrodero* laudatur, intrinsecus vel extrinsecus adhibitum.

Varignana inquit, capillos patientis accensos, & fummus inde acceptus, mira præstare.

CAPVT III.

Mensium defectu, paucitate, imminutione & fluxu inordinato cum dolore.

§. 1. TOtus fere muliebris sanitatis cardo vertitur in naturæ lege conuenienti exuberantis sanguinis ad vterum *motu* & excernendi modo, adeò vt vbi is se ritè habeat, illa (cæteris paribus) optatò vigeat, concidat verò & subuertatur, vbi secus præsertim sanguinis euacuatio præternaturaliter *deficit* atq; *emanes* siue supprimitus, seu tantum *imminuitur*. Littoralis quippe hic sangui-

nis

nis motus de totius constitutione testimonium exhibet, restitans enim seu imminutè fluens, pallorem corpori conciliat, Qualis ergo sanguis menstruus, talis fœminarum sanitas; mensium obstructio & remota malum est communissimum, ita & præ reliquis, iuuenculis familiare, & reliquorum basis; Ordinario enim ab anno XII. vel XIV. fluere incipiunt, alijs citius, alijs tardius, sic nos nouimus iuuenculum, quæ anno 5. menses sustinuit; cessat ferè & vt plurimum circa annum XLV. vel L. In his ergò ætatibus omnia in cassum tentabis, nec in grauidis (in quibus sanguis superfluus in alimentum fœtus transit) nec in lactantibus, vel morbo grauiori laborantibus fluxum promouere debes.

2. Dicitur, vt paucis synonyma tangam, mensium emansio, suppressio vbi planè cessat iste fluxus, vbi verò fluit, sed non sufficienter & egræ simul malè se habent fluxus imminutio; & paucitas nuncupatur. Et licet hic fluxus, dum in iuuenculis primum erumpit, seriem singulorum mensium ad vnguem non obseruet, prout experientia clarum facit, nonnullas tertio quoque mense solum purgari, & successu temporis Racham Melcham fortiorem euadere, sanguinisque copiam augeri, ordinarium tamen tempus tunc obseruat.

Quæstio hic non leuis occurrit, quænam sit causa quod fluxus tam exactam teneat periodum. Authores hic ferram contentionis inter se re reciprocant, plurimi eorum Lunæ partes eas deferunt, eò quod pro diuersitate phasium in mutandis & alterandis humani corporis humoribus multum valeat. Imò nonnulli tantum tribuunt Lunæ, vt in omnibus ferè morbis phases lunæ aspiciant, sed non tarò expectando feliciorem lunæ adspectum, patientem interea mori sinunt, cùm verò etsi luna in mutandis humani corporis humoribus plurimum valeat, hoc tamen concedi minimè potest, quandoquidem omninò peculiaris quoque subiecti cuius vis corporis spiritus plastici dispositio multum facit, præprimis & victus ratio, qua de re experientia testatur, propriaque mulierum confessio: hinc quædam in lunæ decremento purgantur, atque non sibi semper constet veritas versiculi:

Luna vetus Vetulas, Iuuenes noua luna repurgat.

Regnerus de Graef verò putat, crusam esse definitos naturæ motus adhuc incognitos, qui verò obscurum per obscurum declarat.

Nostro iudicio illi menstruus fluxus consuetus fit, quod sanguis ad vasa vterina, quæ sunt plura & ampliora à natura facta ob nutritionem fœtus, copiosius fluat, & ibidem motam nectens, arteriolas pungit, scinditque atque rimas facit, & sic à Regina nostra foras amandatur; sanguis ille nimius vt expellatur eo detrusus, non potest non quin successu temporis eatenus cumuletur, vt necessariò regurgitare cogatur in vasa illa, per quæ eò emanauerat, semel enim facta via sanguis accumulatus iterum eò fertur.

DEFFINITIO.

Dicimus ergò suppressionem mensium esse, in qua totalis menstrui sanguinis singulis mensibus ex legenaturæ alias semel fluentis p. n. ablatio, à vitio sanguinis vel vasorum, vel constitutione p. n. vteri organica orta.

Diminutio est, vbi menstrua diminutè fluunt.

PARS AFFECTA.

§. 3. *Subiectum* horum affectum communi *Veterum* suffragio statuitur *Vterus*. Alij v. pro subiecto agnoscunt stomachum, nonnulli hepar, quidam lienem, pauci renes; sanguinem verò esse subiectum causale siue obiectum proximum & primarium luce meridiana clarius est, si enim sanguis tenax, crassus, frigidus; coagulatus sit, tunc emanent menses, quia per vasa transire nequit, inde necessariò per alia loca exitum quærere vel retineri suppressionemque hanc producere oportet.

Quod alterum & magis propriè dictum inhæsionis subiectum attinet, consistit id in vasis vteri & vagina seu collo vteri obstructis, quæ in primi, rami inferiores arteriæ hypogastricæ venis ipsius haud exclusis; per anatomen enim hodie patet, vasa hypogastrica non ad ipsum vterum, sed ad ceruicem eius vtrinque deferri; probaturque per id, quod tempore conceptus

ptus menſtrua ſæpè fluere pergant, ſic nos nouimus matronam honeſtam, maxime plethoricam tribus menſibus à conceptu ſemper paſſam hunc fluxum, hoc autem contrarium eſſet hypoteſi magni Medicinæ *Dictatoris libr. 5. aphor. 52.* dicentis: *Qui ventrem ferunt, ijs os vteri connitet, adeo vt ne ſpecilli mucronem admittat*: Item *Impoſſibile eſt fœtus agere vitam ſanam, ſi mulieri grauidæ purgationes exeant*. Superius tamen dicta matrona vegetos ſemper edidit infantes, & etiam medio geſtationis tempore venam incidi curauit. Accedit huic hiſtoria *Guillemæi in Tr. de partu felici c. 12. de muliere*, quæ octo diebus ante partum aliquot iv. vel v. pintas aquarum euacuerit, non per vterum, ſed per vaſa vaginæ vteri.

Stitimus nunc horum affectuum ſubiectum, nunc ſymptomata vnde prognata ordo tangit. Vt autem affectus ipſe facilè, ſic cauſæ difficilius cognoſcuntur. Si ergò quis ſcire vult, num maſſa ſanguinea, num verò vaſa vterina affecta ſint, *in hoc* obſeruandum eſt, num virgines vel mulieres ſtatis temporibus percipiant paſſiones, quæ oſtendunt ſanguinis impetum vergere ad vaſa vterina? Ex. gr. anſentiant dolores lumborum, grauitatem totius corporis, inflationem vētris, inappetētiam & nauſeā, & crebras caloris & frigoris viciſſitudines, reſpirationem difficilem, ſenſus tēſionis circa genitalia & regionem pubis, pulſationes in varijs corporis partibus, in hypocondrijs, in artubus, murmura & rugitus in abdomine, ſanguinis impetus per alias vias extraordinarias, vt per hæmorrhogiam narium, per oculos, per pulmones; Nunc medicinam facio puellæ xix. annorum, cui nunquam per vterum, ſed ſemper per aures menſes fluebant, itidem alij quæ ſingulis menſibus ſudorem patitur ſanguineum &c. Si hæc etſi non omnia, tamen plurima adſint, concludendum, vaſa vterina vel obſtructa, vel nimis anguſta, & exigua, curaque ad ea dirigenda eſt. Sanguinis verò vitio hoc contingere ſolet, quando virgines & mulieres nullas alterationes, nullum tenſionis vel pulſationis ſenſum circa genitalia & lumbos debito tempore, vel alia pathemata in vaſis partium genitalium denota percipere ſolent. Craſſitiem & viſciditatem ſanguinis indicant diæta refrigerans, humida ac incraſſans prægreſſa, pulſus rarus, tarditas in motu, tranſpiratio impedita, calor pallidus, & frigiditas totius corporis; pituitoſos humores arguunt frigiditas partium genitalium, pituitoſi & viſcidi humoris per eas excretio, pulſus paruus, rarus & debilis, ſomnolentia, &c.

Signa reliqua affectum præſente demonſtrantia ſunt varia, haud dubiè autem ægrotantis confeſſio & relatio propria optimum & infallibile eſt ſignum; quod affirmat, ſi conqueruntur de laſſitudine totius, doloribus tenſiuis circa lumbos, colore faciei liuido vel albicanti, reſpiratione difficili, præſertim ſi ſcalas aſcendunt; ſi adſit oculorum intumeſcentia, ſint triſtes, laborum pertæſæ, interdum vel quia appetitu imminuto laborant, vel vomitum vel hypothymiam patiantur. In imminuto fluxu ſymptomata omnia ſunt remiſſiora & pauciora, affectus hi ſecundum magis & minus differunt, ſed cum his in affectibus magis ad cauſarum differentias, quam ſigna reſpiciendum, ad *Aitiologiam* pergamus.

CAVSÆ.

§. 4. Accedimus nunc ad *cauſas* penitius explicandas, quia cognita & remota cauſa, ipſe affectus cognoſcitur & remouetur; hæ pro diuerſitate ſubiecti ſunt diuerſæ. Libet nunc eas ad mentem *veterum Galenicorum* tractare, qui in menſium fluxu ſupreſſo culpant vteri intemperiem frigidam & ſiccam, vel vteri inflammationem vel ſchyrrum, vel compreſſionem à tumoribus vicinarum aut omenti craſſioris, imo ipſius vteri arguunt denſitatem & craſſitiem nimiam, vlcera & cicatrices ab ijs relicta, aut ex laceratione cotyledonum in violento abortu, ſic etiam ab humoribus frigidis & craſſis vaſa obſtrui dicunt. Sic & ſanguinis auctam vel imminutam quantitatem hunc fluxum producere ſtatuunt.

Inter cauſas externas referunt aerem frigidiorem & ſiciorem, ingreſſum in aquam frigidam, aut nimiam in ea moram præcipuè inſtantibus aut fluentibus menſibus, cibos copioſiores vel frigidiores & adſtringentes, aromatum abuſum,

exer-

exercitationes vehementes, vigilias nimias, animi perturbationes &c.

§.5. *Paracelsus in param. l.4. de origine morb. matricis*, aliisque in locis *de matricis natura & munere* plurima narrat, quod nempe ea sit peculiaris & microcosmus in homine imò instar hominis, imò quæ totius mundi naturam in se habeat, omnesque amplectatur creaturas, quod propria habeat elementa & alimenta quibus nutriatur, vt & proprietas tartari hinc culpat varias fœculentias tartareas in vtero latentes.

§.6. *Helmontius* menstruum sanguinem separari *Archèi* manu, & sic à natura projci statuit, atque inordinata menstrua iuuenculas discolorare.

§.7. *Syluius* causam mensium suppressionis latere vel in ipso vtero, vel vteri vasis, ait, asseritque nec procedere istam euacuationem, quando viæ vel vasa huic euacuationi dicata non patent, in vteri cauitatem vel sanguis ad ipsa non feratur, vel eadem vasa pituita viscida & glutinosa infarta sunt.

Pro *causa remota* accusat sanguinem crassiorem & melancholicum: ipsumque puellarum animum tristiorem, vitamque sedentariam, somnum longiorem, alimenta frigidiora, aerem frigidum, crassum, nebulosum & humidiorem; contingere etiam ait in pubertate naturalem vasorum apertionem (quem effectum humoribus biliosis tunc temporis prædominantibus in corpore adscribit) & secundum tres gradus ætatis distinguit; causam ergò suppressorum mensium attribuit pituitæ & sanguini pituitoso glutinositate sua vias obturanti & obstruenti: Coalitum vteri sæpè esse & existere huius affectus nullus dubito.

§.8. *Nos* causas huius affectus distinguimus in proximas & remotas; Illæ ratione duplicis subiecti sunt duplices; prima ratione sanguinis, est nimia crassities, & gultinosa visciditas, quæ crasin massæ sanguineæ volatilem inuertit, fluxibilitatem & fermentationem eius impedit, atque motum ineptum reddit, spirituum generationem inhibet, & spir. plasticum obnubilat, sæpè tamen hic fluxus impeditur ob vasa minus aperta vel totaliter obstructa. Est autem vasorum constitutio duplex, nempè à primo ortu vel tractu temporis oborta. Illa est quando *Racham Melcha* vasa illa non bene seruat aperta, vel à natura angusta nimis facta sunt, adeò vt licet sanguis perfluere amet, sed per eorum exilitatem permeare & egredi non valeat, vnde sæpè per alia inconuentiora exitum quærit, V. gr. per hæmorrhoides, nares, oculos, dentium alueum, aures, pulmones, minimum digitum, sudorem, quale exmplum nos nouimus. Tractu temporis hæc vasorum obstructio fit à materia quadam viscida, glutinosa & mucilaginosa, quæ sensim ac sensim hæc vasa genitalia obstruit, fluxumque istum impedit.

Vasa hæc quandoque à grumis sanguinis nonnunquam à pure crassiori, interdum à vermibus & calculis obstruuntur vel comprimuntur ab omento aut nimia pinguedine, aut à vesica, aut intestino recto, similibusque alijs partibus vicinis tumefactis, aut è loco prolapsis, itidem à quouis ipsius vteri tumore.

Inter remotas causas referimus stomachum debilem, & res non naturales, symbolum suum hic conferentes, vt sunt aer frigidus, ab eoque manum aut pedum refrigeratio, vel aquæ frigidæ immersio, vel super lapidem frigidum sessio; alimenta acida, austera, crassa, terrea, aquea, pituitosa & viscida, aut vi adstrigendi prædita. Medicamenta nimis refrigerantia, incrassantia & adstringentia, somnus intempestiuus aut nimius, vita otiosa, animi affectus graviores, auctæ aut diminutæ aut intermissæ excretiones ac purgationes; tumores, aut abscessus ex abortu, partu difficili, casu, contusione, & medicamentis perperam adhibitis.

PROGNOSIS.

§.9. Obstructio mensium vt plurimum malum est Chronicon, & si non tempestiuè curetur, quamuis ex se primò non valde periculosum videtur, tamen progressu temporis potest existere causa variorum grauissimorum morborum, vtpotè hydropis, leucophlegmatiæ, phtiseos, inflammationum, tabis, vlceris, suffocationum, aliorumque affectum planè periculosissimorum. Hic affectus in virginibus febrem albam, in alijs cordis palpitatio-

tationem, in alijs sterilitatem, in alijs cephalalgiam, in alijs picam, in nonnullis dysenteriam producere solet. Minus tamen periculosus est affectus, quando à causis externis excitatur, tempore scil. aut verno quàm hyberno & autumnali; Sanguis enim quandoque se ipsa destruit, hinc vel cachexia, vel hydrops vel tabes oritur, sæuitque hic sanguis corruptus in pulmones præcipuè & eius vasa vel aperit exedendo vel vlcerando hincque in phtysin degerat.

CVRA.

§.10. Ordo nunc poscit, vt ad ipsam *curationem* accedamus, & illam prius videamus ad mentem *Galenicorum*, qui curationem huius affectus pro causarum varietate variandam esse aiunt. Si ergò à nimia copia sanguinis affectus ortus sit, illius quantitatem minuunt per phlebotomiam, quam pro re nata vel in brachio, vel in pede instituunt, simulque frictiones, ligaturas, cucurbitulas tam siccas, quam scarificatas commendant, dein fomenta, semicupia ex emollientibus & relaxantibus cum vterinis parare iubent, præsertim verò balnea naturalia, thermas sulphureas & bituminosas, internè & externè magnificiunt, in primis vbi suppressio mensium à motu sanguinis præpostero contingit, illeque per nares vel os excernitur.

Hisce præmissis varia tum interna, tum externa aperientia, atque omnia vterina specifica commendant, quorum numerum referunt innumerum.

§.11. *Paracelsus* ad menses ciendos maximè commendat specificum ex splene bouis in magisterium redactum, aut quintam essentiam; item essentiam solis, quam resinam solis vocat; magnificit. Discipuli eius magnificiunt scorias ex regulo ♂ nij, & ex ijs paratam tincturam, arcanum ♂ nij, sal philosophorum, oleum succini, victrioli & sexcenta alia.

§.12. Ad mentem *Helmontij* mensium retentorum remedia corallorum tinctura volatilis, oleum succini, sal chalybis, & similia alia volatilia ex specificis elicita.

§.13. *Syluius* ad humorem tenacem & viscidum commendat tum acida, tum aromatica sale lixiuo tam fixo quam volatili, abundantia ipsaque salia fixa & volatilia, omnibus præfert aromatica, siue sint amara, siue minus amara, nempè rad. aristolochiæ rot. angelic. asari, rubi tinctorum, apij, fœniculi, petroselini, eringij, leuistici, treos nostrat. & Florentin. pinellæ; Schonanth. spicanard. &c.

Fol. pulegij, sabinæ, saluiæ, dictamn. maioranæ, ruthæ hortensis, origani, calamenth. montan. artemis.

Flores anthos, cheiri, spic. nard. chamom. croci &c. bacc. iuniperi, lauri, semina pleraque carminatiua, Gumm. & lachrymæ Galban. sagapenum, myrrha &c. Borax natiuus, castoreum, chalybs &c. Sequens laudat vinum medicatum:

℞. *Radic enul. compan.* ℥ij.
Galang. curcum. ā ℥j.
Fol. pulegij, maioran. sabin. arthemis. r.
ana m̃ß.
bacc. lauri, sem. daiici, leuistici
ana ℥ij.
cinnam. acuti. ℥iij.
maceris ℥j.

Incisa & contusa indantur sacculo, cui in cantharo affunde vini albi ℔.iij. bibit ægra in prandio & cœna haulum; cui verò pilulæ magis placent, sequentes habet:

℞. *Gumm. sagap. c.* ✣ *præpar.* ℥ß.
chalyb. præpar. succ. alb. præpar. ℈j.
myrrhæ rubr. castorei opt. ā *gr.* xv.
croci orient ℈ß.
borrac. Veneti ℈j.
ol. caryophyll. g. vj.

M. Fiant pilulæ num. xl. capiat ægra quotidie v. ante cubitum.

Salia quoque omnia volatilia, item oleosa, quia blandius & felicius opus suum absoluunt, laudibus extollit, quibus commodè quouis tempore in iusculis vti potest ægra, præ alijs commendat ℈m * ad gutt. v. & plures sæpius exhibendas. Omnia sudorifera etiam & diuretica hic conuenire ait, in adultioribus venæ sectionem instituit, potius verò in brachio quam in pede; nec minus externa, vt linimenta aromatica. Ex. gr. vnguentum martiatum, ol. nardinum, chamæmelinum, fotus, suffitus, halitus,

tus, vapores aliaque appplicari iubet.

In fluxu imminuto supra dicta medicamenta quidem, sed minori dosi exhibenda esse præcipit.

§.14. Nunc & *curam nostram* indicationibus curatiuis innixam videamus, primò ergò primæ viæ emendetur, deinmassa sanguinea eiusque cruditas & crassities corrigatur, si vasorum obstructio adest, remoueatur, humorum viscieditatem vasa obstruentem tollendo, resoluendo & incidendo, spir. plasticum excitando, quibus apropriata & menses cientia adiungatur.

Primario scopo vt satisfaciamus, opus est, vt ventriculus à cruditatibus acidis, humoribus refertus liberetur, huic fini inseruiunt purgantia, quæ viscieditatem in primis viis liquant, obstructionesque vasorum tollunt. Ex. gr.

℞. *Herb. pulegij melissæ arthemisiæ, sabin. ana* mß.
verbenæ p.ij.
Fol. sen. SS. ℥j.
Rad. rhabarb. ℥iij.
asari ℥ij.
cofti (quæ mensen valde cient) ℥v.
sem. anisi fœnic. ā ℥ij.
limatur. chalybis ℥j.
Schoenanth. ℥j.
bacc. lauri No. vj.
Rad. zedoar. calam. arom. ana ℥ß.

Incisa & contusa d. ad nodulum, cui affund. vini veteris rhenani & ægra capiat ℥iij. *bis vel semel in die, vel si puluis arrideat,*

℞. *Pulu rad. ialapp* ʒß.
croci Mart. sacchar aperitiu. gr. viij.
scamm. sulphurat gr. vj.
ol. desi. cinam. gr. j. *M.*

Prouenica vicè, quæ verò exhibenda sunt, eo tempore quo alias in statu naturali fluere solebant menses.

Vel: ℞. *Aq. arthemis. corruu.* ℥j.
Extr. hellebor. n. gr. vj.
chalyb. ʒß.
scamm. rosat. gr. iv.
syr. d. canclla ℥iij.
M. d. vel in forma pilul.

℞. *Pil. d. bier. pic. c. agar.* ℥j.
vitriol. mart. modest. calcinat. ʒj.
troch. alhand. ʒß.
extr. croci gr. vj.
ol. pulegij g. iij.
M. F. pilulæ dos. gr. ix. *ad* xv.

Vel: ℞. *Gumm. ammon. sagapen. d.* ʒß.
resin. ialapp. g. vij.
mag. succ. gr. iv.
sal. eiusd. vol. gr. vj.
ol. myrrhæ gr. iij.
M. F. pil. No. xj.

Si ex signis patet saburram viscosam in ventriculo delitescere, vomitorium exhibendum est, præsertim si coindicantia adsint, ægraque facilè vomat, sirque tempore vel verno, vel æstiuo.

Post purgantia venę sectio in talo institui potest, in delicatioribus clysteres conuenient ex appropriatis.

Dein pro resoluenda sanguinis viscieditate conueniunt remedia, salia fixa & volatilia, vt sunt decoctum lignorum & rad. aperientium cum herbis appropriatis.

Hic laudo salium volatil. continuum vsum, additis, oleosis, vel

℞. *Aq. pulegij arthemis. rorismar. ā* ℥ij.
vitæ mulier. ʒvj.
spir. armon. gr. xxx.
antimon. diaphoretic.
lap. & præpar. ana ʒß.
ol. sabin. gr. x.
sirup. cort. aur. ℥j. *M.*

Præalijs tanquam arcanum in his commendo sp. armon. cum ol. cortic. aurant. vel sabinæ, vel cinnam. vel pulegij, vel macer. aromatizatum.

Præter hoc nullum expeditus habemus indicamentum in hoc affectu quam essent. myrrhæ c. spir. vinoso paratam vel magis compositum medicamentum Elixir. proprietatis volatile, de quo fateor, me eius vsum semper certum reperisse.

Myrrhata, succinata & martialia sæpè omne ferunt punctum, præsertim aciduláe ferratæ; hinc & ordinario potui indi potest limatura martis præparata:

℞. *Trochisc. d. myrrh.* ℥ß.
Boracis veneti gr. xij.
castorei opt. mum. alexandr. ana ʒß.
ol. sabin. g. viij.
M. F. puluis in quinque doses dividendus. Vel:

℞. *Limatur. chalyb. pulu. nuc. mosch. garyo-*

garyophyll. croci optim. ana ℈j.
ol. caricig. vj. M.
diuidatur in quatuor partes æquales.

Vel:

℞. *Secundin. human. præp. castorei præp.*
ol. succini gemmæ gr. vj. M.
pro tribus doſibus ana ℈ß.

Mire etiam hic laudari ſolet tinctura ſeu ſpiritus ſecundinæ humanæ c. tinctura aloes & ſpir. armon. ad guttas aliquot in conuenienti liquore exhibita. Decoctum ſol. ſabinæ, matricariæ, dictam. & ſimil.

Sequens aqua hæmagoga eſt multo vſu comprobata:

℞. *ariſtol. vtriuſque,*
rub. tinct. caſſ. lign. ana ℥ß.
Fol. ſabinæ, pulegij, lauri, verbenæ,
florum calendulæ, cheiri ana mß.
croci martis aperitiu. ℥iij.
ſpec. diarb. Abb. ℥j.
trochiſc. d. myrrha ℥ ß.
fæc. bryon. ℥ß.
croci auſtriac. ℥j.
ſal. ſulphur. ℥v.
arthemiſiæ ℈j.

Inciſa infunde in q. ſ. aq. pulegij, mercurial. ā ℔ß. vini maluat. ℔j. per 8. dies poſt l. art. deſtillentur, quo ſolo deſtillato plures iuuenculas curatas vidimus, caſtoreum & aloetica ſæpe omnem implent paginam. Hic optime conducit Elixir. vitrinum Crolli, Elixir proprietat. &c. ſic & ſpirit. vitrioli martis ſingulare ſpecificum hoc eſt in affectu.

Decoctum ſplenis bouis ſeq. magnipenditur:

℞. *Splen. bou. caſtr. № j.*
Herb. meliß. mercurial.
pulegij nepeth. ana mj.
flor. calendulæ, cheiri ana pij.
rad. ariſtoloch. ℔.
bryoniæ ana ℥j.
bacc. lauri ℥ij.
caſſ. lign. ver. ℥ij.

Infunde in q. ſuff. aq. meliſſæ & arthemiſiæ, calend. ſtent infuſa in MB. *poſtea coq. in vaſo clauſo duplicato; Colat. edulcoretur ſyr. ex arthemiſ. & d. canella a. q. ſuff. ſilibet, acidulari poteſt tinctura martis Zuuelferi.*

Vbi menſes à frigore externo & inde nata ſanguinis congrumatione ſuppriuntur efficax erit antimonium cum caſtoreo exhibere addito ſpermate ceti, inprimis ſi pleuritis cõiũcta fuerit prout aliquando factum fuiſſe nouimus.

Sequentes pilulæ non contemendi vſus ſunt:

℞. *Aloes ℥j.*
myrrhæ reſinos. rubr.
Extr. gentian. ariſtoloch. dictamn. croci ana ℥ß.
rub. maior.
Mithridat ā ℥j.
M. fiant cum ſyrup.
arthemiſ. q. ſuff. pilul. doſ. v. VII. aut plures.

Singulis matutinis & pomeridianis horis in ceruiſia calida aſſumendæ.

Omnia etiã acida abſorbentia hic conducunt; acido enim abſorbendo & inſal tertium mutato ritè per vias vrinarias vel alias euacuatur maſſa peccans. Ex. gr.

℞. *Coral. r. præpar.*
ocul. ☋ præpar. ana ℈ß.
croc. martis aperit. gr. v. M. detur.

Si verò ſanguis per alias affluat & quidem extraordinarias vias, tunc auertendus eſt, & vaſa vterina obſtructa reſeranda, quod obtinere potes per vollatilia, balnea aliaque.

In genere ergo ceu diximus conueniunt omnia ſalia tam fixa quàm volatilia, vbi tamen hæc cautio notanda venit, vt ſalia volatil. aliaq; mẽſes cientia menſib. fluentibus, fixa verò è plantis appropriatis ante menſium fluxum per ſtoicum adhibenda; Inter ſpecifica ſunt artemiſia, pulegium; flores cheiri, rad. ariſtol. rot. cinam. myrrha, eius trochiſci, caſtor. crocus, borrax. Ex. gr.

℞. *Borracis ℈j.*
cinam. pulueriſ. acuti ℈ß. M.

Sabina eiuſq; oleum meretur laudem. Sequentes ſpir. volatiles magni vſus ſunt V. gr. ſpir. * aromatizar. ſpir. corn. ceru. fuliginis, ſecundinæ, liquor C. C. ſuccin. tinct. ſalutis, caſtorei, Elix. propriet. c. alkali in primis volatilis, Eſſent. ad menſes aurea noſt. deſcript.

Hoc in genere notandum eſt, quod nullum ſit remedij genus, quod eandem habet vim in ſingulis: Vnde niſi in omnibus remedijs ritè vis obſeruetur & ſubie-

ctum patiens cum obiecto agente conferatur, non obtinebimus semper optatum finem. Hinc notum illud veri verbium Germ. *Es ist nicht eine Dasur mie die andere*, id quod plures cum summo suo damno & vitæ periculo experiuntur, cum si vel maximè Medicastris Empyricis & vetulis quædam experimenta sint, quæ sunt tanquam gladius in manu furiosi, cum ignorent medendi methodum; quibus tamen sæpè non plebs tantum, sed Grandes etiam plus tribuunt, quam expertissimis, & rationalibus Medicis, adeò vt parum desit, quin nostro seculo verificetur illud *Zachiæ*: *Medicus & obstetrix sunt eiusdem dignitatis*. In pertinacissimis mensium obstructionibus sal stomachicum ex lapide mortuo spirit. sal. ci cum sale tartari paratis cibis ipsis commode interponendum est.

Si iam adest Anasarca, quæ facile se huic associat affectui, tunc conducet sequens:

℞. *Rad asari,*
rubri tinctorum ana ℥j.
Herb. sabin. m. j.
baccarum iuni p. ℥ij.
coq. in q. s. aq. comm. sub finem adde cinamomi acuti ℥ij.
cardamom ℥j.
col adde spir. lumbric. terrestr. ℥iij.
M.

Potus si cereuisia vel vinum enulatum.

In hoc casu etiam conueniunt purgantia hæmagogis mixta.

Cereuisia vel vinum seq. medicatum sæpius iuuamen attulit.

℞. *Rad. angelic.*
leuistic. ana ℥ß.
galangæ ℥ij.
Fol. rorism. matricar.
Herb sabin. ana m. j.
bacc. lauri ℥j.
cinnamom. acuti ℥iij.
croci ℥j.
sal. tartari ℥ij.
incisa d. ad cartham.

Decoctum rorismarini cum floribus cheiri valde prodest.

Si vero febris alba simul adessent vel cachexia, vterinis anticachectica medicamenta adiungas.

℞. *Pulu. cachect. Harimanni* ℥ß.
stercor. anserin. ℥ij.
M. pro aliquot vicibus.

In mensium difficultate seq. conuenit:

℞. *Aq. pulegii* ℥ij.
arthemis. ℥ß.
essent. castorei ℥iß.
♃ s ℥ß.
ol. Ai anisi gutt iij.
syr. d. arthemis. ℥vj.
M. F. pulu. pro 1. vice.

Vel:

℞. ▽ *fœnic. pulegii ana* ℥j.
Aq. carminat. ℥ij.
Tinct. tartari ℥j.
liquor. C. C. succin ℈j.
syr. d. arthemisia ℥ß.
M. vel det eßent. croci ad xv. *gutt.*

Sequens si simul adsunt dolores & crispaturæ sensibiles:

℞. *Elix. proprietatis Par.*
Tinct. opij ana ℥j. *M.*

Vel: ℞. *Eßent. splen. bouis,*
arthemisiæ, meliss.
martis liquat. ana ℥ij.
Sabinæ ℥iß.
croci ℥j.
M. dosis g. l. ad lx.

Hisce internis externa coniuncta non absque singulari effectu extolluntur.

Optima externa parari possunt ex scorijs antimonij Regul. Ex. gr.

℞. *Scorian. regul. antimonij.* ℥iij.
coque in q. s. lixuio ex arthemisia vel alijs herbis specificis parat. adextract rubedin.
Col. ℥vj.
adde vini malual. ℥ij.
M.

Scilibus vel ferro ignito duo cochlearia huius liquoris affundantur, simusque per infundibulum à mulieribus accipiatur in casu desperatissimo.

Possunt & instituti suffitus ex sabina, colocynthide, myrrha, styracæ alijsque similibus.

Non immeritò etiam laudibus extollitur instrumentum *Glauberianum*, cui mediante spongia, salia volatil. in primis sal. armon. alhalisato alicui iunctum, vtero ægræ coniugatæ committenda. Qui verò hoc instrumento carent, Phiolam accipere possunt, cui infundant a liquid

de

de ſpiritu quodam volatili Ex.gr. ſp.* volatilis & aromatizati & ore phiolæ linteis circumducto ſinui pudoris admoueant, corpus verò phiolæ imponatur carbonibus, quo facto mucus viſcidis ac tenax optimè reſoluitur & ♁ plaſticus exſuſcitatur.

Poſſunt & in hunc finem Balnea vel fomentationes ex herbis vterinis parari.

℞. *Herb. arthemis.*
pulegij
matricariæ,
mercurialis ana m. ij.
roriſmarini m. j.
Florum cheiri,
maluæ ana mß.
Baccarum lauri ℥iß.
Rad. bryoniæ ℥ij.
ariſtoloch. rotund. ℔
rubi tinct. ana ℥j.

Inciſa & contuſa groſſo modo coquant, pro balneo Thermæ autem ſulphureæ & bituminoſæ, vt ſunt Suualbacenſes, Vuisbadenſes & Emſenſes artificialibus ſunt præferendæ.

Si expetis linimentum, habes ſequent. form.

℞. *Ol. lil alb.*
flor. cheiri ana ℥iij.
Diacolycinthidis ℥ ß.
M. d. ad vitrum.

Sic etiam in obſtructione menſium poſſunt peſſi vterini applicari, inter quos *Mynſichti* peſſi eminent.

Angelus Sala helleborum nigrum mirè commendat, ſed cum debet diutius retineri, timendum ne exulceratio oriatur. Sic & ſequens pro certiſſimo habetur experimento.

℞. *Pulu. fol. perſicariæ maculat. ſol. exiſtente in ♌ collect. & in vmbr. exſiccat. ℥ß.*
rad. hell. nigr. præp ℈j.
c. q. ſuff. tragacanth in vin alb. q. ſ. infuſa, fiat peſſus.

Obſtructio autem quæ à peculiaribus vteri aut vaſum morbis originem trahit, aut à morbis viarum, procidentia vteri, imperforatione & ſimilibus alijs, eius curatio aliundè petenda eſt, ſemper vero menagoga his addenda ſunt.

In menſium follicidio & difficultate, ſeu fluxu imminuto eadem fere iam dicta, ſed minori doſi conueniunt; Sic in menſium decoloratione, à putredine orta, Elixir proprietat. cum Elixir vterino Crollij conuenit. Item eſſent. arthemiſiæ, meliſſæ, &c.

Mercurius dulcis hoc in affectu generoſum eſt remedium. Ex.gr.

℞. *Eſſent. meliſſæ ℥iij.*
Elixir. proprietatis ℥ß.
M. doſ. gutt. l. lx.

Vel ſequens nodulus.

℞. *Herb. ſcordij, meliſſæ, cent. ℔ min ana m j.*
rad. bryon. ℥j.
hell. nigr. præpar. ℥ß.
Fol. ſemn. SS. ℥j. ℈ß.
antophill. ℥j.
ſal. vterin. ℥j. M.
fiat nodulus pro libr. iij. vini, hiſce præmiſſis ſudoriferis non ſunt negligenda.

In fluxu menſium inordinato conferunt omnia ferè iam dicta in primis ſanguinem purificantia & eius acrimoniam ac viſciditatem corrigentia. Acidulæ artificiales ad mentem *Kesleri* & *Schroderi*, naturales verò martiales, his longè antecellunt.

§. 15. Nunc paucis videamus *Empirica*. *Iohan Agricola* ſequentes pilulas tanquam ſingulare arcanum ad menſes ſuppreſſos commendat.

℞. *Extr. bacc. lauri, ſabinæ, cent. ℔ min. calend. ana ℥j.*
ſab. meliſſæ,
ſabinæ ana ℥ß.
ol ſabin. ℥ß.
Boracis veræ. ℥ ß.
croci.
fiat maſſa cum oleo cinnamom. d. quibus mane & veſperi ℈j. detur.

Idem flores ſulphuris alb. laudibus extollit.

Thomas Bartholinus decoctum cort. granaterum laudat.

Borellus marrubium, *Foreſtus* ſem. nigellæ, *Glauberus* ſpir. vrinæ concentratum, *Iohann Ferdinand.* Cineres ſtercocor. columbin. calcinat. cum ℈ß. pulu. croci magni æſtimant.

Mineram ferri *Iacobus Luſitanus* magnificat, ex qua & *nos* tincturam in vſu habemus.

Anton. Mizaldus ruthan. c. vino hyſ-

sopi & anisо coctum & haustum commendat.

Simon Pauli decoct. matricariæ & chamomillę cum tantillo arthemisiæ vires deprædicat.

Præputius porrum confixum vndiq; radiculis ellebori nigri coctum, abiectis radicibus, aliquoties ieiune mensibus instantibus esitatum æstimat; qui etiam pro secreto habet succinum & bellidem hortensem ex vino albo coctum.

Ronsæus ol. seminis seseleos destillatum hic summopere commendat.

Iohann Schroderus sequens decoctum pro arcano in mensibus ciendis venditat:

℞. *sem. milij, salis, anisi, visc. quercin. ana* ℥iij.
rad. dictamn. ℥j. *croci* ℈j.
in vino albo parum macerentur, dein leniter ebulliant Dosis ℥iv.

Timæus à Guldenklee remedijs alijs nihil iuuantibus vmbilicalia ex Trochisc. alhandal. & suffitum ex sabina & colocynthide commendat.

Benedictus Fauentinus sequentem Pilulam vtero intrudendam asserit proficuam, experientia edoctus.

℞. *Theriac. Androm.* ℥j.
pulu. sabinæ ℈j. *M.*

CAPVT IV.

De mensium fluxu immodico, & fluore muliebri albo.

§. 1. QVam varijs *Regina nostra vteri* calamitatibus affligi assueuerit, varia in eam impingentia morborum varia genera sat aperte declarant. Inter quę cæteris ob contumacitatem non cedunt affectus propositi, *mensium* sc. *fluxus immodicus*, & *fluor albus* muliebris.

Fluxus mensium immodicus duobus ferè modis dicitur: 1. quando & nimia quantitate, & nimis diu menses ex vteri vasis fluunt, vel secundò quandò citiùs redeunt, quam oportet, qui describitur vulgò, quod sit nimij sanguinis per vterum excretio, à vasorum vterinorum apertione producta.

Fluor verò *muliebris* dicitur & *fluxus albus*, *menstrua alba*, & *gonorrhœa non virulenta*: *coryzanteri*, pilla coryzalis, &c. Seminis enim profluuium, siue Gonorrhœa non multum differt ab hoc fluore, cum quo subinde coniugitur.

DESCRIPTIO.

Describitur vulgò, *quod sit humoris pituitosi subinde crassioris, plerumque albi, aliquando etiam alius coloris sine dolore copiosior, & frequens excretio*. Melius verò describitur quod sit liquoris inguinum ex glandulis vteri vaginalibus Saccharum elcan aliquando inundantis excretio.

Hic fluor quibusdam perperam menstruorum alborum nomine venit, cùm primo neque singulis mensibus, neque citiùs, neque tardiùs (quemadmodum in menstruo fluxu obseruare est) manare soleat; 2. quia hic fluxus à productionis suæ initio ad integram sui cessationem plerumque perdurare solet; 3. quia ante & post menstruorum tempora obseruari nonnunquam solet. Nulla enim ætas (prima excepta: quem tamen hic Casselis in puella nobili nondũ decimum annum egressa iamiam obseruo, & cui medicinam facio) ab hoc malo immunis existit; quæ simul considerata dubio procul demonstrant, hunc fluxum cum menstruo minimè conuenire, licèt instante fluxu menstruo sæpiùs sit copiosior, propter copiosiorem eius materiam, tunc temporis ad glandulas illas vteri ceruicales amandatam atque coaceruatam.

DIFFERENTIÆ.

§. 2. Differt hic fluor albus quoad vehementiam symptomatum, sicut vnus sæpè multis mensibus, imò interdum annis, sine notabili noxa, nullisque grauioribus symptomatibus coniunctis perseueret. Hinc à magno *Platero moderatus* dicitur, & *immoderatus*. Quod etiam de fluxu menstruo immodico intelligendum est.

SIGNA.

§. 3. Vt autem hi affectus facilè pateant, sic etiam causæ facilè ex suis signis cognoscuntur. Nam plethora habet sua signa; tenuitatem verò & acrimoniam, vt & motum intestinum eius auctum arguunt, tum excretus sanguis, tum verò vel præsens, vel absens, in excernendo dolor, aut ardor, aut similia alia. Anastomosin præcedunt causæ eam inducere aptæ, vel

vel ingens æstus, coitus immodicus; partus laboriosior, abortus, mensium præuia supperssio, &c. Diæresin verò dolor & ardor circa ceruicem vteri, dolor in excretione, mutatio in ipso sanguine coloris; iuuantia, & nocentia, & vel excoriatio, vel phlogosis in partibus, quas sanguis excretus pertransit. Comitantur has ægras lassitudines, languores totius corporis, facies pallida, inappetentia, calor, sitis, dolor lumborum, tumor pedum, & sexcenta alia.

§. 4. *Fluor* quoque iste *albus* muliebris signis non indiget, vt pote qui partim ex relatione innotescit ægrotantis, aut adstantium; partim verò ex vrina perspicitur, in qua p. n. albidiore, & crudiore, ordinariò sedimentum obseruatur pituitosum, & inodorum, vel nescio qui flocculi pituitosi & albi perspiciuntur; partim innotescit hic affectus ex symptomatibus coniunctis, dolore scilicet lumborum, abdominis, hypogastrij, cordis palpitatione, atrophia, grauitate totius corporis, colorequę corporis vitiato. *Moderatus* verò *fluxus* nulla grauia symptomata habet coniuncta, *immoderatus* verò tum quoad materiæ copiam, tum quoad causæ vtriusque pertinaciam habet primò coniunctam virium deiectionem; 2. cachexiam; 3. manum & pedum torporem, sterilitatem, & ad concipiendum impedimentum. Humores verò excrementitij modò albi sunt, & pituitosi, sero lactis persimiles, modò pallidi aut flaui, modò serosi pro liquoris diuersitate. Ex hisce vt frequentissimè obseruabilibus, & per experientiã notis (in omnibus tamẽ ægrotis non omnia sunt ęquè obseruabilia) veram horum affectuum causam pro instituti ratione deducere conabimur.

CAVSA.

§. 5. Iuxta *Galenicos* intensium fluxus immodici causæ sunt anastomosis, diapedesis, diæresis, & diabrosis, quæ fiunt à sanguinis quantitate nimia, caliditate, tenuitate, vel acrimonia, ictu, casu, aut vulnere.

In fluore albo dicunt *Ipsi*, à cerebro, ventrilo, hepate, liene, mesenterio, excrementa sua ad vterum, tanquam partem debiliorem hincque receptioni magis dispositam amandari, nec dubitant in vtero eosdem humores excrementitios generari posse, ob debilitatem retentricis aut concoctricis facultatis. Culpant ergo frigidam vteri intemperiem, & debilitatem, quæ sæpe à grauiditate, partu, abortu, contusione, inflammatione, abscessu, aut exulceratione contrahitur.

§. 6. *Paracelsus l.* 11. §. *de dolorib. matricis* diuersam affectuum matricis naturam proponit. §. 1. *ait*, morborum matricis generationes in matrice non sunt, nec ex ea matrice, nec per eam. Omne enim membrum, quod descendit ab alijs, ab alijs detrimentum accipit. Sunt enim morbi *matricis retentio*, *& rei superfluitas*. Matrix iuxta *ipsum* nutrimentum suum accipit ab omnibus membris singulis quatuor septimanis semel, & tum excrementum suum eijcit, tuncque patiuntur fœminæ dolores dorsi, capitis, compressiones in scrobiculo cordis. Retentio non fit in matrice, sed ex omnibus corporis humani partibus. Pergit §. 2. nam menstruum in matrice menstruum non est, sed menstrui excrementum, & hinc *tr.* 2. *de gen. hom. c.* 8. Menstruum vocat egestionem, & stercus matricis. Ex his sequitur coniuncto (cum menstruum venit ab omnibus membris, & aliquæ partes morbosæ sunt) destructio, alteratio, conclusio, permixtio bonæ & malæ rei; discoloratio cum similibus. Vbi mulier dolores percipit ibi est *oppilatio*, *& nimius fluxus*.

§. 7. Ad *Syluij* mentem contingit fluxus menstruus nimius, vel ipsius sanguinis, vel vteri, eiusque vasorum culpa. Et quidem sanguinis culpa, quoties is tenuior, vel acrior existit, & inprimis menstruorum tempore, qui sanguis sæpè talis redditur ob aerem æstuantem à sole, igne, blanco, &c. item ob alimenta spirituosa, & aromatica, ob animi affectus, iram item, corporis motum nimium, cutsitationem, saltationem, frictionem, &c. ob vigilias diutius protractas, euacuationes bilioſas, solitas cessantes, aut suppressas. Vteri & vasorum culpa esse ait, quando vel sunt laxiora, vel humidiora, ob abusũ scilicet rerum aquearum, ingurgitationem fructuum horariorum, persicorum, vuarum, &c. præsertim men-

sibus instantibus, quia tum temporis omnia sunt circa vterum aperta.

Causam quod attinet *fluxus albi* moderati, multoque sæpè tempore notabili sine noxa durantis, eam *Sylvius* statuit efficientem, fermentum aliquod acido austerum in vtero productum, massam verò sanguineam non valde mutatam. *Immoderati* vero *fluoris* eandem statuit causam efficientem, sed diuersimode (prout diuersa symptomata excitantur) agentem, materialem vero massam sanguineam varijs modis vitiatam, asserit tamen etiam fluorem hunc posse produci sine tali fermento vterino, modo humores pituitosi redundent in toto corpore, indeq; amandentur ad vterum, sicque eliminentur è corpore. Noster Author existimat, vterum hoc in affectu duplici ratione afficiei, mediatè scilicet affectis primò glandulis præcipuè pancreaticis, acidum illud ad vterum amandantibus, secundò immediatè & aliis glandulis illasis, si nempe vterus à frigore externo afficiatur.

Primariam ergo huius fluxus causam semper in vtero quærendam asserit; secundariam verò & ipsum augentem in sanguine, alijsq; humoribus vitiosis sanguini confusis, & vnà cum ipso ad vterum tendentibus, nec à semine hunc fluxum, nec à spiritibus fieri probat. Fluoris ergo huius albi sanguinem esse contendit, & quo fluxus viscosior vel serosior, sanguis tunc existit vel viscidior, vel serosior, pro cuius diuersitate & color diuersus oritur in excretis, qui fluorem album deducit ab acrimonia acida sanguinem in pus simile mutante.

Inter causas antecedentes *Sylvius* inprimis refert animi mœrorem grauem, & diu protractum, *acidi noxij*, inprimis vero *austeri productorem* assiduum. Cuius acidi & austeri causam certissimam dicit esse terrorem inopinatum mulieribus valde infestum; huc refert frigus, acidorum abusum, & quoties à causa externa simul afficitur *immediatè* vterus, ita vt indè ad fluorem album producendum simul disponatur, toties tunc facilius, tunc citius, tunc grauius laborant fœminæ isto fluore. Vterum dicit in fluore albo esse vitiatum adeò, vt in ipso corrumpatur sanguis, qui pro vitij vteri varietate variet non parùm tam coloris, quàm odoris, & acrimoniæ copiæque ratione. Statuit ergo Author fermentum illud vterinum, & quidem acidum, prout magis vel minùs existit austerum, vel acre, vel alio modo vario vitiosum, ita diuersimode corrumpet sanguinem ad vterum delatum.

Sic etiam sanguis ob alios affectus in corpore existentes, aut præcedentes varijs modis affectus in humorem diuersum corrumpetur ab eodem fermento, adeò vt iuxta ipsum diuersitas humoris in fluore albo effluentis pendeat nunc à diuersitate fermenti corrumpentis, nunc à diuersitate sanguinis corrumpendi, nunc ab vtroque.

§. 8 Perspectis iam aliorum sententijs, nunc & *nostram* de horum affectuum causis propinemus.

Vtriusque causa petenda est ab ipso sanguine vel abundantiore, aut tenuiore, aut acriore, vel in vasis aut anastomosin, aut diæresin, rariùs autem diapedesin patientibus, vel à causis externis, aere scilicet nimiùm calido & tenui, alimentis calidis, & incidentibus, attenuantibus, medicamentisue aut menagogis, aut vasorum oscula aperientibus, & rimas facientibus, inprimis *particulis* acutis, scindentibus, pungentibus, *vigilijs* nimijs, nimio corporis, *partiumque* eius exercitio, equitatione, cursitatione, saltatione, pilæ, aliorumque lusu, animi pathematis subitaneis, terrore, ira, excretionibus varijs sanguineis suppressis, infortunio ab ictu, casu, vulnere, vlcere, & similibus alijs. Secundùm enim naturam experiuntur fœminæ sanguinis turgescentiam menstruationis tempore, in quibus occasione auræ fermentatiuæ à genitalibus forsan inspiratæ rarescunt, & præter ordinarium modum turgentis, ac tantùm non feruentis sanguinis impetu dolor dorsi, & circa lumbos pulsatio, vt & distendens molestia, artuum tensiua lassitudo, dolor capitis, hypochondriorum inflatio, & inprimis eiusdem per vterinarum arteriarum anastomosin excretio excitatur, quo vndecunque ferociente ianitore qua data porta sanguis impetuosius effluit.

Sic

Sic & causam huius morbi esse posse nimiam pororum laxitatem nulli dubitamus, quæ plerumque fieri solet ab humidis varijs.

§. 10. Fluoris verò albi causam esse serum vitiosum, & in glandulis vaginalibus corruptum, interdum purulentum, sæpè verò serosum ex glandulis vteri effluentem existimamus. Optimè ergò ratiocinatur *Cl. D. Mich. Bernh. Valentini* Collega curiosorum & amicus noster *in Epistola per quam docta de noua matricis, & morborum muliebrium anatome*, dicens. Vltima tandem eaque pessima liquoris seminalis corruptio est in affectu, si quis alius nanserto, *fluore mulierum albo*, qui glandulis his maximè proprius & reuera, nihil aliud est, quam quidam *vteri cirryza*, ex continuo humoris nutritij abscessu & fœtidissima in glandulis vaginalibus corruptione pro pillularum, *pergit ille*, Fur enim est tyrannus iste morbosus in partibus glandulosis putridus, qui non vicinas modo sed omnes insimul C. H. partes suo defraudans nutrimento in putrida liquamina præcipitat. Ostendit id halitus corporis, oculi concidunt, malæ labascunt, cæteraque membra solito graciliora fiunt, quod vel mulierculis appareat, hinc quoque est quod affectui huic tandem iungatur quædam cachexia, quatenus nutrimento suo defraudata viscera fatiscunt, eorumq; fermenta vitalia quandam patiuntur eclipsin, inprimis stomachus, qui foco carens & igne cibos nec seligere nec volatilisare nouit, sed in putridam conuertit mucilaginem, quæ nullibi correcta, vt in vtile venarum pondus, qua data porta ruit. *Lamburgi* enim ad *Lanum* fœminam xl. ann. hoc morbo extinctam & sterilem aperuimus, in cuius cadauere vteri inuenimus glandulas tumefactas, & magnitudine pisi indurata. Hic quoque aliquando chylus excerni potest, cum nempe pori arteriarum ita aperiantur, vt per illos chylus deferri possit. Sic & excretam vidimus materiam veram purulentam ab vlcere vteri. A nimia tenuitate, & acrimonia seri hunc affectum oriri posse cum reliquis statuimus Medicis.

Culpamus hoc in affectu non obstructionem, sed pororum & glandularum nimiam laxitatem. Omnes quoque hoc in affectu pituitosi, & serosi, imò acres humores circa glandulas hasce sibi rapiunt imperium, & sic qua data porta ruunt.

PROGNOSIS.

§. 11. Quod *prognosin fluxus menstrui* immodici attinet, notandum, quòd omnis immoderata mensium excretio si non ex se, saltem ex accidenti periculosa est, inprimis in adultioribus, & si immodicè duret; nam præterquam quòd vires exsoluat, etiam variorum affectuum causa est, hydropis scil. ascitis, anasarcæ, leucophlegmatiæ, cachexiæ, angustiæ pororum tum in vniuerso corpore, tum inprimis in ipso vtero inflammationis, exulcerationis, &c. aliorumque morborum. Affectus enim hic plures ægras in Libitinæ rationes transcribit.

Atrophiam quoque minatur, quia sanguis diminutus minorem impetum habet, quàm vt particulæ ad nutriendum aptæ per poros arteriarum in partes nutriendas satis altè ad adhærendum possent protrudi.

Huc spectant aphorismi *Hippocr.* sequentes:

Sect. 5. aph. 32. Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus solutio fit.

—5. —36. Mulieri menses decolores, nec eodem semper modo prodeuntes, purgationem necessariam esse indicant.

—5. —39. Si mulier quæ nec prægnans, nec puerpera est, lac habet, ei menstrua defecerunt.

—5. —50. Mulieri si velis menstrua sistere cucurbitulam quàm maximã ad mammas appone.

—5. —57. Menstruis abundantibus morbi eueniunt, & subsistentibus accidunt vtero morbi.

—5. —61. Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superueniente, cibique fastidia ei accidant, prægnantem esse putato.

—6. —29. Mulier podagra nõ laborat, nisi ipsam menstrua defecerunt.

Quando hic fluxus aliquandiu durat, metus est fluxus diuturni, quia pars assuefacit fluxui.

Hic morbus facilè in iuuenculis, non ita in prouectioribus, curatur, quia ibi fibræ arteriarum, & venarum solidiores, & callosæ sunt, & non ita facilè astringuntur, imò sæpè immedicabile est malũ.

PROGNOSIS.

§.12. Quod verò spectat prognosin *fluoris albi muliebris*, diuturnius est malum, præcipuè in vetulis, aut cachecticis, aut cacochymicis, aut quibus menstrua diu substitere, aut fluere desiere, aut virginibus, aut viduis chlorosi laborantibus, aut quibus diuturnior, grauiorque aliquis vteri accidit affectus, & glandulæ ceruicales induratæ vel alio modo læsæ sunt, in senibus enim nõ facilè curatur hæc fluxio vterina, quia in illis fibrillæ magis sunt immobiles, & vbi pori glandularum semel sunt detorti, constanter ita manent, nec ita facilè ad pristinam figuram reduci possunt.

Periculi tamen parùm habet, nisi quando diuturnior existens, grauiorque siue ratione sui, siue ratione causæ à qua producitur, grauiores aliquos, & periculosiores morbos excitat.

§.13. Quod curam mensium fluxus immodici attinet, eandem hic attendendam esse putamus, quam in alijs sanguinis excretionibus, quæ superiùs iam traditæ sunt, parum enim differt hæc à curatione reliquarum hæmorrhagiarum.

CVRA DIÆTETICA.

In *fluore albo* verò ægræ vtantur aere sereno, & paulò calidiore, vitent saltem pluuiosum, & frigidum, alimenta humori peccanti sint contraria, & fugiant præ alijs acida, sero & glandulis inimica, hinc obseruamus in Belgio hunc affectum frequentiorem, quia ibidem mulierculæ in mensa abutuntur acetarijs. Alimenta etiam sint facilis fermentationis, bonique succi, à cœna aliquando abstinere non inconsultum. Potus sit paucus, motus corporis, & exercitium sint mediocria, vti & somnus & vigiliæ nõ excedant limites, quia excessus omnis malus, nam sicuti otia ignauum corpus reddunt, sic

Attenuant iuuenum vigilatæ corpora noctes.

Animi pathemata omnia, inprimis mœror, quæ causam huius affectus augere possunt, vitanda, & conuenientia mediocriter exercenda, excretaque & retenta ordinariò inprimis ritè assumtorum quantitati correspondeant.

CVRA PHARMACEVTICA.

§.14. Affectus mensium fluxus immodici *curatio pharmaceutica* ad mentem *veterum Galenic.* eadem est, quæ ad immodicum hæmorrhoidum fluxum tollendũ est proposita. Primò enim reuulsionis gratia venæ sectionem in brachio celebrant, & hoc in casu magnam sanguinis quantitatem detrahendam esse volunt; frictiones, etiam ligaturas, & cucurbitulas itidem reuulsionis ergò commendant. Ad biliosos & serosos humores in corpore abundantes educendos præscribunt bis vel ter in hebdomade purgantia, blanda etiã vomitoria, quatenus frequenter reuellunt, aliquando admittunt, postmodum propinant varios iulepos, pulueres, opiata, catapotia, aliaque remedia incrassantia, & adstringẽtia in dicta curatione proposita, additis, si vrgeat necessitas, opiatis.

Seq. laudibus extollit *Riuerius*:

℞. *Cortic. duor. ouor. recent. vitthuris, mastich. ana* ʒß.
margarit. præpar.
corall. rubr. præpar.
carabes ã ʒij.
lapid. hæmatit. smaragd. præpar. ã ʒß.
garin. hord. p. ij.
album ouor. num. x.

& si opus fuerit adde parum aquæ chalybeatæ, & fiant duæ placentæ, quæ in furno coquantur, vt possint in puluerem redigi. Dosis à ʒß. ad ʒj. cum iusculo pedum veruecis summo manè.

Reliqua ex *Veteribus* desumta vide inferiùs inter Empirica.

§.15. *Paracelsus* curauit quandam fœminam, quæ diu hunc passa est sanguineum fluxum cum animi deliquio, *oleo vitrioli* in aqua plantaginis exhibito & ʒj. carniolæ.

Laudat etiam tinct. corall. quæ cum pumice fit.

℞. *Corall.* ʒß.
olei myrtill. ʒj.
oliban. ʒj.
salis fusi ʒij.

Mixta reduc in calcinatione per quartum gradum reuerber. ad horas xij. vel vltra. Postea reduc in ablutionem cum aqua

aqua plantaginis. *Crollius*, eius discipulus elect. laudani commendat in languinis excretione, & mensium nimia euacuatione cũ croco martis, & corallis rubris.

§. 16. *Syluius* menstrum fluxum fœminasque infirmantem à sanguine tenuiore, & acriore ac seroso productum curat abstinendo ab omnibus rebus non naturalibus sanguinem vitiantibus, easdem saltem moderando, & inprimis mensium instantium tempore cauendo ab omni ęstu, alimentis spirituosis, & aromaticis, vino generoso, & presertim eius spir. ab ira, vehementi ac diuturno corporis motu, viglijs, quæ si nimis vrgeant, varias commẽdat emulsiones ex amygdalis, & semin. papaueris albi paratas, item opiata conducent, bili vero euacuandæ gratia tamarindis laudat, qui simul sanguinem crassiorem reddunt: vt ergò sanguis solito tenuior, ac fluidior paulò inspissetur, commendat omnia austera & acerba, vulgò adstringentia dicta. Talia sunt plerumq; fructuum immaturorum succi expressi, aut inspissati, omphacium, acacia, &c. & si in sanguine multum lateat seri, id euacuandum censet per hydragoga ante menstruorum fluxum diebus aliquot exhibita, si vires ferant.

Quod si *fluxus menstruorum nimius* debeatur vteri constitutioni laxiori, danda erit opera, vt causæ externæ nocentes fugiantur, atq; noxa in vtero recepta laxitasq; nimia corrigatur, in quem finem etiã conducunt adstrigentia, quæ possunt adhiberi vel forma pulueris, vel pilulalum vel conditi, vel misturæ, vel alia quauis ægræ commodiore & acceptiore, quo aliqandiu presęuerare possit in eorum vsu. Commendat etiam suffitum ex mastiche, thure, rosis rubris; fomenta itidem ex varij adstringentibus, tum radicibus, tum herbis parata laudat in vino rubeo cocta, externè applicata.

§. 17. His ita præmissis proximum est, vt etiam ad *fluoris albi* curationem ex mente *Syluij* nos accingamus, quam secundùm causę diuersitatẽ variandam esse ait. Si ergò fermentum vteri sit noxium, acidumque, cura huius fluxus primaria consistet in fermenti huius vitiosi correctione, ac emendatione, secundaria verò in sanguinis vniuersi correctione, hinc corrigantur causæ præcedentes, vt sunt vel frigus, vel animi mœror, aut terror grauis, acidorum abusus, &c. dein fermentum acido austerum aliquando acre optimè corrigi ait Author per salia volat. puriora, quale est sp. salis *ci, sicut & *oleosa* magis temperata in emendando acido acriore proficua. Ad sanguinem autem ipsum peculiari corruptione inquinatũ, corrigendum, atque nunc fluori albo ansam præbentem, nunc eundem grauiorem facientem pro & *vitij* & *cachexiæ* varietate medicamenta vsurpãda esse dicit varia, tũ *alterantia*, tum *euacuantia*.

§. 18. His autem ita prælibatis proximum est, ad horum affectuum tam sæpe tam grauium curationem nostris intentionibus suffultam *Nos* accingamus. Curatio fluxus menstrui nimij parum differt à curatione aliarum hæmorrhagiarum, siquidẽ externa, siue topica hic soli vtero ceu loco affecto applicãda veniunt.

Sanguis ergò, & spir. vterinus ferocientes ante omnia compescantur, quod facilè obtinere possumus exhibitis blandis vterinis leniter incrassantibus, & adstringentibus, & si plethora adsit, venæ sectio celebranda est, & quidem in brachio, & si humores serosi, vel bilioſi abundent, mitiora purgantia sunt exhibenda. Ex. gr. tamarindi, rhabarbarum, quod in potu ordinario commendamus, Elect. passulat. tamarind. &c. dein ad incrassantia accedendum, in quem finem conueniunt omnia terrea, glutinosa. Ex. gr. sequens Electuarium egregium est:

℞. *Conserv. rosar. antiq.* ℥ ß.
rad. symphyt. ℨß.
carn. cydonior. cond. ℨiij.
confect. de hyacinth.
corallior. rubr. præpar. ana ℨj.
succin. præpar.
ebor. præpar. ana ℨß.
pulu. sperniolæ comp. ℨj.
sirup. cydonior.
myrtill. ana q. s.
F. l. a. Electuarium.

Vel:

℞. *Corall. præpar.*
lapid. hæmatit. præpar.
bol. armen.
vnicorn. ver.

sem.

sem. plantag. ʒiij.
Aur. crud. ℈ij.
laudan. opiat. gr. v.
M. C. syr. plantag. vel myrtillor. q. s. f. Electuarium.

Oleum quoque è bolo armeno destillatum egregium est in sistendi mensibus.

Vel: ℞. *El. Diascordij* ʒß.
ros. ar. rubr. ʒj.
sanguin. dracon. ʒß.
pulu. semin. hyoscyam. alb. ℈ij.
oss. human. calcinat.
trochis. de terra sigillat.
vitriol. Mart. ana ℈j.
c. mina cydonior. q. s. F. conditum.

Capiat ægra magnitudine nucis auellanæ, vel castaneæ.

Magni æstimantur hoc in casu tinct. coralliorum, tinct. sulphuris, tinct. antiphthisica, tinct. vitrioli, tinct. lapid. hæmatit. Mart. adstringent. Sperniola, Crollij, spec. diamart. diaplantaginis Mynsi. pilulæ styptiæ eiusdem, essentia mumiæ, præ alijs hic etiam conuenit mixtura styptica Syluij. In gracilibus, vbi humores nimis acres sunt, cura lactis caprini vel asinini egregia est. In extremis recurrendum est ad anodyna. Ex. gr.

℞. *rubr. præpar.*
succin. flau.
bol. armen.
sanguin. dracon. ana ʒj.
semin. plantagin. ʒiß.
laudan. opiat. gr. iij.
Extract. croci Mart.
sirup. de rosis siccis q. s. F. l. a. Electuarium.

Si fluit sanguis arteriosus, *das Bergeblut*, vti aiunt, mirè prodest aqua de corde cerui, & tenel. C. C. & interponatur talis, vel similis potiuncula adiectis opiatis, quæ fere omnem implent paginam.

℞. ▽ *è typh. C.*
bursæ pastoris ā ʒj.
laudani opiati gr. j.
vsneæ cranij humani gr. vj.
Syr. corallor. ʒß.
M. pro vna vice.

Vel: ℞. ▽ *plantagin. portulac.*
cardi. l. II. S. frigid. ana ʒij.
lapid. hæmatit. præpar. ℈ß.
lulu. sperniol. C. gr. iij.
laudan. opiat. gr. j.
syr. cydonior. ʒiij.
M.

Omnia testacea, quæ vim habent sanguinis acrimoniam corrigendi, vt & vasorum apertiones constringendi, hic conducunt. Sic etiam, quæ corrodentes humores per sudores, vel vrinam expellunt, in quem finem conferunt decoct. ex lignis, vel ex his paratæ essentiæ, quorum medicamentorum formulas iam superius tradimus.

Sequens D. Rod. à Castro magni facit:

℞. *Succ. stercor. asin. sirup. myrtin. ana* ʒß.
▽ *plantagin.* ʒiij.

Vel detur sequens:

℞. *Vini styptic. rubr. chalybeat.* ʒij.
gummi Arabic.
tragacanth. ana ʒß.
M.

Hic etiam conducunt varia edulcorantia, acrimoniam eluentia, vt sunt aquea, serum lactis; sic nos non ita pridem puellam hoc fluxu per annum & vltra vexatam, cum succo betulæ per xiv. dies ad ʒxij. singulis diebus hausto curauimus.

Externè etiam, vt in alijs hæmorrhagijs, vel hypogastico, vel pubi, vel alijs partibus applicari possunt adstringentia, incrassantia, & anodyna, ita siue cum linteis, siue cum spongia admotum prodest acetum hypogastrio. Prodest etiam Emplastrum styptieum, aut ad rupturam *Fernelij* decoctum aluminis sæpè omne fert punctum. Sic & pessus ex stercore, suillo decocto hoc inebriatus non contemnendi vsus est.

Vel: ℞. *Musc. prun. sylvestr.*
radic. tormentil.
bistor. ana ʒj.
gallar. ℈j.
croc. Mart. adstringent. ℈ß.
c. f. q. rob. acaciæ f. l. a. pessus obduc. syndon. rubr. c. filod.

Dominus Boyle generosam quandam feminam, quæ passa est hæmorrhagiam vteri iam iv. mensibus solo puluere sympathetico ex vitriolo Vngarico parato curauit, quæ indè ita constipata fuit, vt valdè ægrotaret propter inhibitum fluxum, quem

quem iterum prouocare coactus fuit cum tinctura succini.

Quare in impetuoso mensium fluxu optimo cum successu applicui liquorem meum stypticum martialem.

Item mammis lintea in aceto tincta sæpius imposita, magnipendo.

Stercora quoque animalium, vt suillum, & asininum, sacculo inclusa, & aceto incocta, mulieribusque applicata, sæpe egregium præstant effectum. Vel lintea sequenti indantur decocto, & applicentur:

℞. *Rad. tormentill.*
bistort.
symphytic. ana ℥ß.
herb. plantagin.
nummular. ana m.j.
burs. pastoris.
polygon. ā mß.
agrimon. M. M.
fl. balaust. ā ℥iß.
bull in aq. ferrariorum, & applicentur.

Possunt etiam ex his balnea, seu insessus parari.

Sequens epithema rarò etiam nos fefellit:

℞. *Sperm. ranar.*
solani ana ℥ij.
✣ *rosac.* ℥iß.
sacchar. saturni,
sperniol. Croll. ana ʒß. M.

Nec vngenta stiptica Mynsi. comitiss. cum varijs adstringentibus mixta sua carent laude.

Loyse Bourgis commendat sequens:

℞. *Rad. eryng. m.ij.*
coq. c. vin.

lauetur probè manè & vesperi, linteis calidis post abluitionem impositis. Initium verò abluitionis fiat ponè aures, tunc in ceruice, hinc per totam spinam vsque ad os sacrum, postea inungantur etiam Ilia vsque ad vuluam.

Hoc remedio nonnullas intra triduum sanatus vidit, quæ nullis alijs remedijs curari poterant.

Haud etiam culpamus cucurbitularum vsum, vel ligaturas.

§. 19. Paucis videamus *Empirica. Præuotius* sirupum de stercore asinino in mensibus nimis fluentibus laudat.

Boetius laspidem, alij bufonem exsiccatum collo appensum valde commendant.

Iohannis Theod. de Bry specificum est bursa pastoris, & persicaria calceis imposita.

Puluis florum vrticæ mortuæ, & spongiæ lotæ à multis laudatur, à *Crollio* verò puluis ex matricæ gallinæ orificio pudendi intrusus magni æstimatur.

Deodatus in desperato sanguinis fluxu vltimum, & præsentissimum remedium ducit pulu. cortic. Mari --ad ℥j. cum vino austero singulis matutinis horis propinatum.

Digbæi experimentum est cran. human. ℥j. pulu. cum vino albo per noctum infus. & exhibitus.

Rodericus à Fonseca sequens laudibus extollit:

℞. *Lentisc. sicc. concis.* ℥ij.
coq. in ▽ ℔viij.

bibat per multos dies saltem cum fluxus est immodicus. Vel datur aqua sulphuris ℥iij. pro dosi.

Grulingius laudat fumum ex folijs siccis quercuum, qui excipiatur ab inferioribus corporis vestimentis.

Ioh. Hartmanus in fluxu mensium nimio, cingulum ex folijs hellebori nigri consutum, ita vt folia recentia assuantur fasciæ circa lumbos corpori applicat.

Casp. Caldere de Heredia balneum decoctionis aluminis esse efficacissimum remedium ait, si quater repetatur.

Ioh. Ionstoni specificum est cuticula pedum anserinorum exsiccata & ʒß. ad ʒvj. exhibita.

Domin. Leo commendat aquam frigidam, in qua sedere debeat ægra.

Ambr. Parœus mala cydonia sub prunis cocta puluere boli armen. & myrtillor. mista, inque ceruicem vteri intrusa laudibus extollit.

Henr. Petræus rad. nymphæ albæ vino coctam, & potam, & *Primerosius* sal prunellæ dilutum aqua vel succo plantaginis laudat.

Riuerius puluerem castaneæ ad ʒj. propinatum pro secreto habet.

Ioh. Schrœderus sequens ad immodicum mensium fluxum curandum experimen-

mentum habet : Pannus menstruo sanguine tinctus certos tempore radici cerasi in cortice apertæ indatur . Alijs ipsius ægræ sanguinem menstrum propinant .

Sennertus stercus asini extra & intus adhibet :

℞. *Succi millefolij* ℥iij.
saccbari ℥j.
vel sirup. corall. d. cochleare vnum.

Radicem alij filipendulæ ad ℥j. datam laudant .

Solenander habet sequens experimentum pluries probatum :

℞. *Flor. nucum , quando sunt maturi , dui tunc decidunt , cochl. j. pluribus diebus detur cum vino optimo ieiuno ventriculo .*

§. 20. Hisce præmissis videamus etiam paucis curam rationalem *fluoris albi muliebris* , cuius curatio non multum differt à curatione gonorrhœæ . Affectus ergo huius chronici curatio consistit in causæ vtriusque peccantis correctione per medicamenta conuenientia , vt & symptomatis maximè vrgentis mitigatione , glandularum ceruicalium & vterini corroboratione .

Causam vtriusque corrigunt in primis aromatica balsamica , vti sunt radices galangæ , bistortæ , iridis florentinæ , helenij , &c. Inter herbas conueniunt artemisia , matricaria , sabina , origanum , folia lauri , scordij . Conducunt quoque baccæ lauri , semen anisi , dauci , corallia rubra oculi ♋ , creta , rasura eboris , C. C. cran. human. Non contemnenda sunt salia volatilia , vtpote in morbis diuturnis & liquoribus acido-austeris corrigendis quàm maximè vtilia . Ex his secundum modum diuersum , quo singulæ causæ peccare possunt , formulæ diuersæ præscribi possunt tam internè assumendæ , vt decocta , vina medicata , pilulæ , puluercs , mixturæ , electuaria , &c. quàm externè adhibendæ , vt fotus , suffitus , &c.

Hoc in affectu optimè conducunt gummata & resinæ , & in ijs præcipue terebinthina , quæ vt in gonorrhœa , sic & hoc in affectu summarum est virium , quia est affectus glandularum . Olea aromatica , aliaque hic possunt in vsum trahi . Quibus præmissis humores correctos educere debemus vel phlegmagogis , vel hydragogis . Sic & ipsum rhabarbarum & terebinthina conuenit , quia simul modice astringunt , & consolidant . Euacuantia possunt esse pilulæ ex gummatibus , fœtid. maior. tinct. gialappæ , &c. vel vinum medicatum sequens :

℞. *Flor. scabiosæ ,*
rosar. rubr. melilot. alb.
hyperic. ā mß.
fol. artemis. m. j.
radic. ellebor. nigr.
esulæ præpar. ana ℥ß.
semin. cartham. ℥vj.
rhabarb. ℥ß.
rad. bryon. ℥iij.
antophyll. ℥ij.
sal tartari ℥ij.
M. F. Nodulus .

Vel in fluxu seroso sequens bolus :

℞. *Rob. ebulli* ℥j.
resin gialapp gr. vij.
Mercurij dulc. gr. x.
M. F. Bolus .

Euacuatis humoribus totius ad sistendum fluxum medicamenta adhibere poteris , & hic conueniunt omnia quæ glandulas flaccidas firmant , & simul *Reginam nostram* corroborant .

In quem finem singularum quoque , promittunt energiam , atque effectum cinnabarina , bezoartica , antimoniata , succinata , lignosa . Omnia enim balsamica catharralia , vti sunt myrrha , succinum & camphora conueniunt , quæ sc. catharros sistunt .

Sequens puluis est egregius :

℞. *Cinnabar. antimonij ,*
magister. saturni ,
succin.
antimonij mart cachect.
oß. sepiæ ana ℥j.
laudan. opiat. gr. ij.
M. F. pulu. dosis ana ℥j. *ad* ℥ß.

Vel: ℞. *Conserv. flor. anthor.* ℥ij.
Ebor. ras.
magister. succin. ana ℥iij.
lap. osteocoll. ℥ ß.
putamin. auellan. pulu. ℥ß.
c. syr. rosar. rubr. f. Electuar.

De hoc capiat ægra bis vel ter de die magnitud. castaneæ vel nuc. iuglandis.

Hic etiam conuenit Tinctura antiphtisi-

phtisica cum anodyna inuecta, & sæpius exhibita.

Nos leui remedio, plerumque vnico solemus curare hoc malum, & nisi aliud quid adsit, quod huius morbi curationem impedire possit, auderemus fere certam polliceri curationem. Exhibemus autem sequentem pulverem, & quidem reiteratis vicibus:

℞. *Testar. ouor. calcinat.* ʒß.
vitrioli mart. àgr. v. ad x.
huic pulueri & potest adiungi.
camphoræ g. iij.
laudani opiat. g. j.
sacchar. Saturni gr. v. *M.*

Omnia enim nitrosa, saturnina, aluminosa conueniunt. Sequens haud erit inconueniens:

℞. *Pulu. testar.*
ouor. calcinat.
succini albi,
ostreocollæ,
matris perlar. præpar.
alumin. plumos. ana ʒj.
M. dosis ʒß.

Tinctura coralliorum cum spiritu lignorum parata est optimum remedium ad xxx. guttulas sæpius data. Ossa sepiæ etiam propter speciales proprietates, quibus præter generalem corrigendi acidi morbosi vsum conducunt ad fluorem album & gonorrhæam sedandam.

Possunt & potui indi varia. Ex. gr.

℞. *Flor. rosar. alb.*
melilot. alb.
scarleæ ana m. j.
rad. filipendulæ,
nymphææ, ana ʒj.
lign. lentisc. ʒiß.
visc. quercin.
M. F. Nodulus.

Ad fluxum inueteratum commendamus cum Bartholino emulsiones cum ▽ chalyb. parat. additio pulvere eboris.

Externe conueniunt thermæ & balnea ex sulphure & alumine, aliisque adstringentibus parata; item insessus, euaporationes, vnguenta, linimenta, emplastra, &c. superius iam dicta. Inprimis verò hoc in casu fiat iniectio in cervicem vteri ex decocto lign. sancti; vel c. in fundum excipiatur fumus catharralis ex Mastiche succino, thure, aliisque modice adstringentibus, prout solemus facere in cotyza.

Inter *Empirica* sequentia commendant Authores. Ex. gr. *Ioh. Agricola* ol. mart. viride.

Louyse Bourgois ægræ xix. femina citrullorum vt edant, iubet, & tunc superbibant, hocque optimum esse ad menstrua alba.

Hartman Corbæus pro experimento habet quotidie ʒj. radicis filipendulæ virentis cum vino nigro exhibere.

Laudat etiam vnguentum ex scarlea & butyro paratum, quo mulieris venter ab vmbilico ad pubem vsque inungatur. Saluiæ quoque suffitum magni facit, si is excipiatur à vulua.

Digbæus commendat fumum sulphuris antimonij. Vinum lentiscinum præscribit *Rod. à Fonseca* tanquam expertum remedium.

Petrus Foreflus tanquam expertum remedium sequens obtrudit.

℞. *Faucium lucij capiat.*
capiat caponis exsiccati in fumo. ʒß.
ost. dactyl. ʒij.
coriandr. præpar.
semin. anis. torrefact. ana ʒj.
radic. nymph. ʒß.
sacchar. ros. ʒiij.
c. vino rubro.

Abraham Frambesarius decoctum ligni sancti præ alijs æstimat per aliquot dies mane haustum.

Grulingius vidit vetulam ab hoc fluxu liberatam, quæ linteum cum fluore excepit, eundemque suspendit in furnum, quo facto desijt.

Hieronymus Mercurialis testatur, se hunc fluxum curasse cum decocto foliorum quercus, ʒvj. cum ʒj. coaguli lepor. per viii. vel x. dies vsurpatæ.

Panarolus cum decocto pineæ, & visc. ligni.

Thurnheiserus scribit, oleum ex radice destillatum post balneum vulvæ illitum, miraculosè menses albos sistere.

Reinerus Solenander commendat vsum lactis recentis coct. vstulatione auri ad iii. vel iv. partis absumptionem.

Ludou. Septalius præsentissimum præsidium dicit esse aquas Thermales salsas.

CA-

CAPVT V.

De Sterilitate vteri.

§. 1. MAgnæ Medicis sunt tenebræ & cespitationes circa *hominis generationem*, partumque adeo vt & *ipsa sacra Scriptura Eccl. c.xv.* eius obscuritates innuat. Antequam ergo ad morbum hunc accedamus, prius opus generationis enucleabimus. Solicita mater, *Natura*, tres generationis modos habet, quædam scil. ex putri sunt materia, vt omnia pleraque insecta, quædam ex semine terræ commisso, quæ prægressa fermentatione germinant, vt sunt plantæ omnes. Tertius modus est, quæ pro lucuntur per epigenesin, hæc ex ovo generantur, vt pleraque animalia, eorumque nobilissimum, homo puta, vt placet Trigæ illi, *Hornio. Kerckringio, & Grafio*, qui in mulierum testiculis vesiculas membranaceas humore repletas contineri rationibus suffulti adseruere, easque ova, ex quibus homo primitias suas gabet, rectè appellant, & demonstrant hominem ipsum ex tali ovo generari, in mulieribus esse ovarium satis fœcundum. Medicorum verò vulgus ment mulierebre in testibus contentum in vtero vna cum virili misceri, sicque conceptum fieri existimat. *Harvæus verò in eleganti suo tractatu de generatione animalium p m.2. inquit*: Omnia omnino animalia, & etiam viuipara, imò hominem ipsum, ex ovo progigni, primumque eorum conceptum, è quibus fœtus fiunt, ova ipsa esse. Ex sanguine menstruo fieri conceptuum existimat Aristoteles. Receptissima ergo est sententia de modo conceptus, ovum quodlibet in proprio receptaculo, siue testibus, à contagio virili fœcundari, fœcundatum ovum de die in diem augescere, tandemque ex loci situsque necessitate in vterum excludi, ibidemque efferuescere, donec omnia linimenta, siue membra acceperit, indè *Steno* inquit: Omnis vterus dum fœtum gerit, ovum gestat. Quæ sententia hactenus à pluribus tum rationibus, tum experimentis comprobata est. Statuimus ergo cum *Regnero de Graaf*, alijsque vesiculas illas, quas testiculi muliebris tunica inuoluit, esse vera ova, è quibus, & in quibus, & in quibus generatur corpus humanum, quæ ova spiritibus è spermate virili exhalatis, & fortiter electis fœcundantur, & beneficio corporis glandosi in Tubas Fallopianas deponuntur, per quas in vteri cauitatem peruenire solent. Hinc certum concludi potest, ova illa in testiculis mulierum remanere debere, donec aura virili fœcundentur, quippe testiculi membranam nullibi perforatam videbis, ac proinde ovo exitum concedere nequit, vbi verò aura virili fœcundatur ovum, circa illud corpus quoddam glandosum excrescit, quod membranam testiculi afficiens ovum ex ovo educit, quo facto cum tempore corpus illud glandosum euanescit, & testiculus muliebris in pristinum reducitur statum.

Quare & *Charleton ait libr. de Scorbuto pag. m.78.* Genitura fœcundior, spiritibusque refertior æstimatur, quæ *longè*, valideque ejicitur. Sic & Nobil. *Regnerus de Graaf* potiorum Authorum sententias de conceptu & semine muliebri allegat *cap. 13. de Mulierum organis*, ad quem Lectorem breuitatis gratia missum facio.

DESCRIPTIO.

Sterilitas describitur, quòd sit impotentia ad conceptionem ob vteri, vel ouarij, vel eiusdem vasorum vitium. Hic examinabimus solùm sterilitatem, quæ solam fœminam concernit, quæ aliquando est hæreditaria.

PARS AFFECTA.

§. 2. Omnium Medicorum suffragio pro *subiecto* agnoscitur vterus, quamuis quidem nonnulli allegant aliquando factum esse, vt fœmina per os fœtum digiti longitudine euomeret. Vide de hoc conceptu *Salmuth*. Sic & *Bartolinus* refert canem & felem catulos suos per os peperisse ac exspirasse. Alij quoque in vteri tubis fœtum ac molam asserunt conceptam, sed hæc sunt rara. Nos pro subiecto habemus vterum cum annexa tuba Fallopiana, & ouario muliebri.

DIAGNOSIS.

§. 3. *Signa* huius affectus manifesta sunt, quæ enim steriles sunt, aut omninò non pariunt, aut rarò, fœtumque generant

rant tenerum & imbecillem, sed tamen sæpe litis est, an causa ad virum, an fœminam sit referenda? Vnde & frequentia inter vxorem & maritum iurgia oboriuntur, & litigia, dum alter alterum de impotentia accusat. Ad litem hanc dirimendam vetustas varia ridicula proposuit, Ex. gr. effundatur vtriusque coniugis vrina supra lactucam, cuius ergo pars arescit, in illa sterilitas est. Sed melius ex mulieris temperatura frigida, lumbis adstrictis, ex defectu pilorum in pube, aliisque partibus, ex mensium defectu, & fluore albo cognosci potest. Et hinc fortè est, quòd nonnisi casu subinde hic affectus curari possit, neque enim dubitandum, si causæ certò cognoscerentur, plures ab ea sæpè conualituras.

CAVSÆ.

§. 4. Hisce missis ad *aetiologias* nos conferamus, & videamus, quid *Veteres* de causa sterilitatis statuerint; Ex his *Arabes* ad occultam confugiunt proprietatem.

Stoici principalem sterilitatis causam in discordes coeuntium vires qualitatesq; reijciunt.

Alijs à conceptione vteri facultas frustrata est. *Riuerius* quatuor habet causas 1. quando receptio seminis impeditur, vel ob exiguitatem, & strictiuram partium genitalium iuuenculæ, vel seniorum, quæ etiam impeditur, quando virgines sunt claudæ, & distortis cruribus, vel depressâ coccyge existunt, quæ vix possunt commodam in concubitu figuram præstare, quæ ad seminis debita receptionem necessaria est. His addit pinguedinem nimiam, quæ vias vteri angustat. Inter res non naturales refert animi pathemata, inprimis odium inter coniuges, quo mulier ab huiusmodi voluptate auersa non suppeditat spiritus sufficientes, quibus turgere debent genitalia tempore congressus, vt matrix quasi gestiens semini virili occurrat, idque benignè excipiat, attrahatque in cauitatem suam, simulque proprio semine in ea voluptate effuso perfundat & irriget, atque ex amborum, vt ille loquitur, commixtione conceptio oriatur.

Sic & *Veteres* conceptum impediri aiunt, quando scilicet semen non retinetur, vel à nimia vteri humiditate, vel à causis externis humidioribus, vt balneo, otio, victu humidiori, vel à fluore albo diutiùs durante.

Tertia causa ipsi *Riuerio* est, quando semen in vtero corrumpitur.

Quartam deinde sterilitatis causam assignat, quando scilic. fœmina deb tam materiam non suppeditat ad embryonis conformationem, & incrementum, ea seminis aut sanguinis menstrui defectu, sic nimis iuuenculæ, & vetulæ non concipiunt propter vtriusque materiæ defectum.

§. 5. *Helmontius* non pro causa vera agnoscit calorem, non frigus, non humiditatem, non menstruorum defectum, „ nec aliud. Dicit enim, Enti positiuo, „ quod dicitur sterilitas, vnicam, adæ„ quatam, & coæuam causam in sacris „ descriptam video his verbis: *Deus vte„ rum Saræ aperuit*. Etenim est donum „ Dei, in naturam delatum, quo perga„ menum vteri, suis plicis optimè clau„ sum, aperitur, & dilatatur, congruo „ congressus momento. Blas est, inquit, „ magneticum trahens, per quod metus „ vacui istam apertionem sequitur attra„ ctus seminum, & adæquatè repletio a„ perturam rugarum. Apertio nempe „ præfata suctum facit metu vacui; qui si „ indebito momento fiat, iam frustra fit. „ Vterus enim virginis vix duorum digi„ torum amplitudinem ostendit, quippe „ qui per minimas plicas in se rugatur. „ Sui autem apertio non consistit in ho„ minis arbitrio, vt neque in titillatio„ ne, aut luxu, at prorsus in diuino be„ neplacito, vnde dotes in natura quo„ que dispersæ aperiendi, & claudendi, „ adeò vt simplicia quædam hanc vim „ obtinuerint. Nec sat est vterum stato „ aperiri momento, nisi aduenies hos„ pes loco gratus sit. Nam si labefit in„ quinatus de cætero irrita cum illo viro „ generandi est spes, quia indignatus v„ terus abhorrescentiæ furorem vix pla„ cabilem concipit.

§. 6. *Nos* cum reliquis *Authoribus* causam sterilitatis vitio vxoris iam examinabimus, quoad virum alibi examinaturi sumus. Quædam ergo steriles sunt prætera, quod admittere virum in coitu ne-

nequeant, aut imperforatæ, aut quibus vagina angustior, quàm vt membrum virile recipere aut admittere queat: quædam verò penem admittere quidem possunt, sed aut semen, vel eius aura ad ouarium pertingere non potest, & quidem aliquando ob procidentiam vteri, vel glandulas vteri ceruicales tumefactus, aut quibus vel distortum, vel coalitum, vel quomodocunque angustatum est internum orificium vteri, aut tumores, aut exulcerationes cancrum, &c. aut ob obstructionem tubæ Fallopianæ, & sic sæpè obstructæ & coalitæ, aut compressæ sunt viæ ab vtero in tubas Fallopianas.

Aliæ, quòd ipsa in ijs oua vel intemperata, vel obstructa, vel indurata, vel membranula crassiori nimis inuoluta, vt non à seminis virilis contagio fermentari possint: Aliæ quòd ouula habeant aut parua, aut exsucca, & sic nihil in recessu habent: Aliæ quòd toto corpore intemperatæ sint, aut cacochymicæ, aut nimis obesæ, aut nimium patiantur fluxum fœmineum, aut fluxum album; vt plurimùm verò sterilitatis causam esse in obstructione tubarum Fallopianarum. Sic fœminam sterilem aperuimus, cui tubæ hæ fuerint callo obsitæ; aliam cui calculus in hisce tubis fuit inuentus. Si enim hæ sunt obstructæ aura seminalis non potest ad ouarium peruenire, vt illa fœcundet. Obstructionem verò harum vasorum vario modo contingere posse in aprico est, vel ab acido austero vasa illa constringente, vel à callo, vel à calculo, vel scirrho; constringuntur quoque hi ductus à nimia pinguedine, quæ pinguedo etiam liquores refluentes ita inficit oleositate sua, vt minùs simul efferuescere possint, vnde est, quòd nimis obesæ mulieres non facilè concipiant.

Sic & sæpè ☿ plasticus indignatur, & abhor. rescentiæ furorem vix placabilem concipit, indè Microcosmetor animæ refert indignationem, hinc & ἀτραξία spirituum animalium, quæ multùm facit ad sterilitatis causam; sic & à glandularum ceruicalium mala constitutione & nimia laxitate conceptus lædi potest.

Quibus accedunt etiam causæ externæ, Aer scil. aut calidior, aut frigidior, aut humidior, aut siccior, crassus præterea, nebulosus & fœtidus, impurusque. Alimenta verò aquea, acida, austeræ, glutinosa, crassa & viscida, quandoq; etiam spirituosa, calida, aromatica, & menagoga intemperantiùs vsurpata; Medicamentorum nimis incrassantium & humectantium balneorum &c. abusus; Vigiliæ; somnusque nimius & intempestiuus, nimia corporis, mentisque exercitia, aut vita otiosa, & sedentaria; animi affectus, inprimis odium, ex quo oritur indignatio lanitoris vteri. Excretiones aut suppressæ, aut nimiæ, & inprimis diarihœa, menses immodici, fluxus albus, sudores nimij, vomitus, & id genus alia. Et denique infortunium ex abortu, partu difficili, vulnere, vlcere, tumore glandularum, calculo vesicæ ictu, casu, contusione, compressione, &c. aut causis, aut morbis tum ipsius vteri, tum partium vicinarum. Quæ de astris & incantationibus Authores referunt, huc usque in dubium has vocauimus causas.

PROGNOSIS.

§. 7. Quoad *Prognosin*, Affectus hic non est periculosus, & sæpe sanitati non multùm obest. Chronicus est, & sæpè incurabilis, inprimis is, qui ortus est à coalitione variarum vteri partium inprimis totali obstructione ductuum Fallopianorum à callo, calculo, &c. aut à morbis vteri grauioribus, atheromate, steatomate, scirrho, cancro, gangræna, diuturno fluxu albo, &c. itidem si excrescentia carnosa in tubis *Fallopianis* existat, vel nimia corpulentia adsit, itidem quæ hæreditaria est.

CVRA DIÆTETICA.

§. 8. *Cura* ergò etiam consistit in dieta consistent in sex rebus non naturalibus. Primus hic communi scholarum Medicarum voto obtinet aer. Sit is ergò temperatus vitetur frigidus atque hyemalis. Mutatio aeris sæpè fœminas steriles reddidit fœcundas, vt noui exemplum, quod tamen tanquã odiosum reticeo. Alimenta sint boni succi, reijcimus omnes crudos flatulentos, viscidos, acidosq; cibos, vt & nimis aromatisatos, maximè etiam nocet liberalior potus aquæ frigidæ, vt & vini, cuius temulentia plurimas reddit steriles, ceu quotidiana, eheu! testatur experientia. Culpamus & potum Coffee,

item

item Thee nimia copia ingurgitatum. Motus sit mediocris, fugiatur nimius, hinc Scythicæ fœminæ vt plurimum habentur steriles & infrugiferæ ob equitationem crebriorem: Indè & *Aristoteles* scripsit ob nimiam onerum impositionem atque laborum grauitatem Barbarorum mulieres facilè sterilescere. Hinc & culpamus saltationes, clamores, vociferationes, tussim & sternutationes frequentiores. Nec excludenda sunt animi pathemata, ira nim. tristitia, timor, odium, lætitia, amor. Somnus quoque mediocritatis limites non excedat. Somnus enim iusto longior, iniustoque tempore admissus, vt & vigiliæ nimiæ nocere possunt quatenus spiritus animales supprimunt, qui multum ad conceptum contribuere debent. Maximè verò hic excreta & retenta sint naturæ conuenientia. Nocent enim menses suppressi, vel nimij, vel fluor albus. Coitus quoque nimius nocet, vnde videmus meretrices, vt plurimum esse steriles, quia vasa nimis laxantur, vt ouulum vix vtero adhærere possit.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 9. Felici nunc fidere ad ipsam prouoluimur *curationem pharmaceuticam*, quam primò ad mentem *Galenicorum* videamus, & quidem *Riuerij*, qui pro diuersitate causæ curam diuersam instituit; quæ ergò à nimia obesitate ortum suum habet, extenuãte victus ratione, & conuenientibus euacuationibus iuxta ipsum curanda est; Si verò ex praua victus ratione sterilitas dependeat, vt in gulosis, ebriosis, aut hydropotis ad exactam viuendi normam huiusmodi mulieres monet. Robustiores quoque virgines effœminandas esse ait, vel interdictis edulis crassioris succi, & laboribus & exercitationibus, simulque in his procuretur conueniens menstruorum fluxus, per iteratas purgationes & venæ sectiones.

Si verò ab vteri clausura, distorsione, obstructionibus, tumoribus aut vlceribus sterilitas orta fuerit, illis prouidendum esse remedijs idoneis & appropriatis. Sic & calidior & siccior intemperies corrigatur refrigerantibus & humectantibus, & frigidior calefacientibus. Dicit enim *Riuerius* omnium frequentissimam sterilitatis causam esse frigidam & humidam intemperiem, quare in hoc casu primo humores pituitosos euacuandos esse præcipit purgantibus medicamentis, diureticis, & sudoriferis. Reuulsionis gratia instituenda vult cauteria brachijs aut cruribus adhibenda. Tum partes principes roborandas esse ait theriaca, Mithridatio, tabell. arom. rosat. confect. alkerm. & simil. Postmodum ad ea confugiendum est, quæ proprietate specifica vterum roborare, conceptionem adiuuare, & venerem stimulare apta nata sunt, quorum formulas ad ipsum *Riuerium* videre poteris.

§. 10. Secundum *Nos* multiplex in sterilitate esse potest indicatio, & subinde contraria, ita quoque varia ijs inseruire possunt remedia; quò magis miramur illorum hominũ ignorantiam & stupiditatẽ, qui vno eodemque medicamento omnes se curaturos steriles opinantur, aut nescio quæ appropriata iactitant remedia. *Nos* verò secũdum rationem curam pro diuersitate causarũ aliam atque aliam instituẽdam esse iudicamus, quibus tamen semper specificum aliquod admisceri potest.

Sterilitas ergò quæ oritur, quod fœmina virum admittere non possit, curatur morbis, impedimentisque sublatis, quæ hoc impediunt. Quæ verò ab acido austero ductus Fallopianos, aliaque vasa coarctante, & aliquando illorum fibras conuulsiuè vellicante, & sic plasticum inquietante, ortum habet, in hunc finem conducunt omnia acidum & austerum corrigentia, vt sunt salia volatilia aromatica, item absorbentia varia, cinnabarina, &c. Cui scopo sequens pulvis satisfacit, sæpè ad ʒß. exhibitus.

℞. *Cinnab. nativ.* ʒß.
rasur. eboris ʒij.
secundin. mul. exsiccat. ʒj.
salis Satyrion. ʒß. *M. D.*

Si verò ductus Fallopianus à pituita tenaci vel materia tartarea sit obstructus, vt contagium virile, quamuis optimè effusum fuerit, non ad ouarium pertingere possit, in quo casu varia præparantia, incidentia, attenuantia, & purgantia conducent.

Ex numero præparantium, incidentium optimum remedium est sequens, vel simile vinum medicatum:

℞. roriſmar.
meliſſ.
ſaluiæ,
mercurialis ana m. j.
rad. eryngij ℥ij.
caſſ. lign.
antophyllor. ana ℥iij.
ſemin. amm.
ſeſel. ā ℥ß.
raſur. ebor. ℥ij.

Dentur inciſa ad chartam pro nodulo.

Sic & decoctum roriſmarini cum vino pro ordinario proderit potu. Eſſ. lign. ſaſſafras, ſatyr. Croll. ambræ cum ſpir. meliſſæ parata ſunt hoc in caſu generoſa remedia.

Omnia ſalia volatil. conducunt quatenus ſæpè obſtructas vias reſerant. *Hartman.* ſal ſatyrionis commendat, ſi eius ℈ß. poſt menſium fluxum in vino maluatico, vel aqua vitæ mulierum ſæpius exhibeatur. Sic & *Platerus* ad incidendam hanc pituitam propinat ol. maioranæ & moſch. ā gr. j. cum coagulo leporis, & vehiculo conuenienti.

Sic & ſuccolada Indica benè aromatiſata & in lacte in dies aſſumta egregias habet vires *Rachamelcam* excitandi, & vias ſimul aperiendi.

Præmiſſis his præparantibus & incidentibus pituitam illam viſcidam è corpore euacuabis ſequenti vel ſimili:

℞. Herb. mercurial.
roriſmar. ā m ß.
card. bened. p. ij.
rad. eryng. ℥j.
flor. anthos.
ſaluiæ ā p iij.
radic. mechoacann. ℥j.
agaric. alb. ℥ß.
ſemin. carthaм. ℥j.
ſemin. amm.
ſeſel. ana ℥j.
antophyll.
caſſ. lign.
cremor. tart. albiſſ.
M. F. Nodulus.

Vel: ℞. Conſerv. fl. anthos.
ſaluiæ ā ℥ß.
reſin. gialapp. gr. iij.
pulu. cathol. purgant. ℈j.
M. cum ſiruppo de cinnamomo F. bolus.

Poſſunt & potiones, & pilulæ pro lubitu exhiberi.

Si autem malum à veneno, vel philtro aſſumto originem traxerit, tunc vomitoria ſuademur, ſic nobilis quædam peritis per vomitum tres reiecit vermes & fœcunda facta eſt.

Si malum à nimio ſemine natum eſſe ſuſpicetur, tunc conuenit ſemen exſtinguentia, vt ſunt agnus caſtus, abſynth. camphora, &c. Si verò à glandularum ceruicalium vitio, tunc auferunt ea quæ ſuperius in fluore albo diximus.

Si verò ouorum tegumenta ſint nimis craſſa, & à contagio ſeminis virilis non fœcundari poſſint, in quem finem conducunt prædicta ſalia volatil. in primis ſpir.* ci volatil. anthoſatus, variaque ſuffumigia, infuſiones, peſſi, &c.

Si ab obeſitate nimia ortum ſuum habeat ſterilitas, tunc conueniunt præter diætam tenuem decoctum lignorum, eorumque eſſentia per longum tempus vſurpata, item acetariorum vſus. Hic & conferunt pilulæ contra pinguedinem Mynſ. cum ol. deſtillato ligni ſaſſaf.

Si verò à paucitate liquoris in ouulis contenti, in quem finem conducunt omnia ſemen augentia, inprimis ſuccolada cum lacte cocta, ſeq. quoque Electuarium:

℞. Conſerv. fl. ſalu.
anthos ana ℥j.
rad. eryng. cond.
Nucis indic. condit. ā ℥iij.
Succol. ſeulian. ℥iß.
pulu. antophyll.
ſemen. ſeſel. ana ℥ij.
c ſirup. de canell. F. Electuarium.

Item Diacinamomum Regium eſt egregium medicamentum. Conditum Mynſichti, ambrata & moſchata, item panatella cum vino, ouis, macere, & ſaccharo parata. Hic & conueniunt partes animalium ſalacium. Seq. ergò decoctum pro ſpecifico contra ſterilitatem habetur:

℞. Herb. mercurial.
flor. ſaluiæ,
roriſmar. ā m. j.
antophyllor.
nucis moſchat. ā ℥ij.
pulu. leporis,
ceruæ exſiccat. ā num. j.
F. l. a. Decoctum.

Ex

Ex his & alijs varia possunt parari electuaria, infusa, quorum formulæ hinc indè apud Authores exstant.

Viperina etiam commendantur ab *Ettmullero*, cuius verba *in disp. de Mus. viperæ* nostra facimus.

Est ergò verus reconditus balsamus in viperis eorumque sale volatili, qui totius corporis renouat œconomiam, fermenta viscerum effœta iam renouat, & sanguinis vitalem fermentationem fortiter conseruat & masculè restaurat, hinc est quod vino viperino sequuntur, ferè sic elegans reiuuenescentia, quod ex brodio decoctionis viperarum mulier leprosa quadragenaria, sterilis antea, post curatam leprã facta fuerit fœcunda, teste *Helideo Padoano in Curat. p* 294. non secus ac galli gallinæque viperis nutriti, docente Zuuelfero *Animad. Class.* 12. admodum fiant fœcundi, quæ animalcula postmodum vires possidentia esu, ad eadem conferunt mala scabiem fœdam, lucm veneream &c. tum ad *fœcunditatem*, vitæ prolongationem, corporis nitorem, & oculorum claritatem conciliandam.

Simon Pauli in quacunque causa commendat fœminis sterilibus vsum pulueris herbæ Veronicæ, quem eis in aqua herbæ eiusdem destillata propinat, & plura allegat exempla matronarum honestissimarum, quæ ab huius vsu fœcundatæ sunt. Mihi etiam sanctè affirmauit *Medic Doct. & Chirurgiæ Seren. Hassiæ Principis Chirurgus, Aulicus, Pœtterus*, se medicamentorum ex Veronica depromtorum vsum in sterilitate sæpè approbatum vidisse.

Si malum sit à glandulis nimis laxatis, proderunt varia adstringentia tum interna tum externa specifica maritata.

Si verò sterilitas à diuturno fluore albo muliebri, tunc vtere præmisso clystere, vterino sequente puluere *Simonis Pauli*:

℞. *Herb. veronic. opt. puluer.*
semin. ammeos. ver. ana ʒß.
cardamom. minor.
cinnamom. el ana ʒij.
saccbar. cand. quartam part. ad pond. omnium.
pulueri sati add ol. cinnamom gtt aliquot.
Dos. est ā ʒß. *ad* ʒj.

& superius dicta conueniet.

Sic & theriaca cœlestis sæpius vsurpata diuinam afflat auram, & pro Luperco est, ope enim salium volatil. ductus ille, *Fallopianus* deobstruitur, vnde facilè oua illa muliebra in testiculis mulierum fœcundatur atque eliciuntur.

Inter externa præ alijs conuenit liquor quidam volatilis ex spiritibus mineral. paratus, qui nostro vel Glauberiano instrumento, vel qui his carent phiolæ includatur, & os sinui pudoris admoueatur, fundus verò phiolæ prunis imponatur, & sic excipiatur spir. ille volatilis, quo facto *tuba illa Fallopiana* non tantum aperitur, sed & ouula densiore cuticula circumdata tenuiora & delicatiora fiunt, vt facilius à seminis contagio fœcundari possint, spir. plasticus etiam popysmate hoc valdè demulcetur. In hunc finem conducunt quoque varia balnea, in primis illud, quod ex aceruis formicarum paratur. Prosunt thermæ sulphureæ ac bituminosæ, aluminosæ, & nitrosæ, hisce in locis Embsenses, & Vuisbadenses.

Laudamus & insessus, qui ex herbis & radic. aromaticis, alijsque mineralibus conficiuntur. Post balnei insessum instituitur potest suffitus ex gummi animæ, tacamach. succ. bezoes. Ex. gr.

℞. *Gumm. iuniperi* ʒj.
bacc. iuniperi ʒij.
thuris,
mastich.
gumm. amon. ana ʒß.

Vel post balneum infusio liquoris per syringam fieri potest. Vel instituatur ille modus superius iam dictus.

Varij pessi cõueniunt, inprimis qui ex volatilibus parantur. Laudatur alliũ cum oleo spicæ forma pessi vulvæ intrusum.

Item clysteres vteri proficui erunt. Ex. gr. illud *Simonis Paulli*:

℞. *Radic. aristolochb. vtr. ana* ʒij.
gentian.
zedoar. ā ʒj.
herb. beder. terrestr.
centaur minor.
aristoloch.
rorismar. ā m. j.
meliss.
arthemis. rubr. ā m ß.
cardamom minor. ʒß.

Incis. contund. pro decocto ad clysterem vterinum.

Vel paretur seq. vel simile linimentum pectini vsque ad vmbelicum illinendum:

℞. *Choci*,
spic.
mastich.
styracis ā ʒiij.
folij ʒj.
ceræ ʒj.
ol. de spica,
rosat. vtriusque ā q. s. M.

Ad empiricorum classem referimus sequentia:

Iul. Cæsar. Baricellus commendat in sterilitate, quod vir & vxor per aliquot dies ieiuno stomacho cum iure galli veteri *testiculorum apri*, seu *verris* in vmbra exsiccatorum puluerem capiant.

Osuual Grembs egregium esse dicit ad fœcunditatem remedium, si mas & fœmina oleo formicarum se inungant.

Philippus Grulingius certissimum seq. esse remedium ad tuuandam conceptionem:

℞. *Testium veuecie præpar. in vino & exsiccat.*
vulu. leporis præpar.
macis,
caryophyllor.
semin. ammeos ver. ana ʒ j.
croci ʒiß.
medull. auellan.
pistat. ana ʒvj.

Contus. coq. in ℔ij. vini maluatici ad tertias post menses offerendæ ʒij. idque tribus diebus, quarto iungatur marito suo, & concipiet.

A Dominico Leone laudatur frequens vsus *semin. pæoniæ*, & limaturæ eboris ex vino rubro à muliere sterili sumtæ.

Quidam etiam ad roborandum vterum pro arcano habent pessarium *Hippocr.* quod paratur ex puluere magnetis cum lacte mulieris.

CAPVT VI.

De Symtomatibus grauidarum, Nausea sc. vomitu, pica, spasmo, & conceptu falso, abortu, & mola.

§. 1. EX superius dictis colligere licet, hominem fieri in & ex ouo, vesiculis enim illis germen ineſt, ex quo corpus humanum pullulat, quũ sc. aduenient aura seminali maris ad istã pullulationem germẽ disponitur, quæ dispositio oui fœcundatio siue cõceptio vocatur. Semen enim virile si in vterũ, imò sæpè ad ipsum ouarium eiaculatur, aura seminalis exhalatur, & testiculos subit, peruadit, & oua ibid. hærentia penetrat, per totãque eorum substantiã diffunditur. Si autem ex omnibus ouis vnum occurrat, in cuius germinis gremio liquor dispositus ad fermẽtandum cum aura seminali reperiatur, statim inchoat illa efferuescẽtia, quę per totã corporis producendi vitã durare debet, & tũc mulier cõcepisse, siue ouũ fœcundatũ fuisse dicitur. Quũ ita fœcundatum per ductus Fallopianos ad vteri cauitatem delabitur, & tũc simul augetur humoris copia, adeò vt sub forma bullę indesinenter incrementum patiatur. Hinc Anatomici ferè omnes primordiũ fœtus bullã obseruarunt. Quantæ verò turbæ excitentur circa hunc actũ, testãtur grauidarum symptomata. Primis enim conceptus diebus adsunt fastidiũ cibi, nausea & vomitus inane, pica admirãda, tormina ventris, alui fluxus, dolor dẽtium, vertigo, cephalalgia, spasmus, & quandoque dolor ischiadicus, fępeque cõceptus falsus, abortus. Medijs gestationis mensibus miselle grauidæ affligitur tussi, palpitatione cordis & hipothymia, lũborum & coxendicum dolore, hæmorrhagia narium, vteri, &c. Vltimis verò mensibus ipsi accidunt vrinæ suppressio, vel stranguria, alui durities & tarditas, abdominis fissuræ, & sæpè loco fœtus eijciunt *molam*. Quorum symptomatum potiora, & frequentius excurrentia breuissimè examinabimus quoad *causas & curationem*.

DEFFINITIO & DIFFERENTIÆ.

§. 2. *Vomitus grauidarũ* describi potest, quod sit excretio contentorum in grauidis à conuulsiuo ventriculi motu orta, dum spin-

spir. animales cum *Rachammelca* irritati à rebus per conceptionem genitis aut motis, molestum per illam expellere conantur; quædam enim tantum patiuntur nauseam pro ventriculi dispositione, & materiæ excernendę aptitudine, vel ineptitudine, aliæ vexantur manè, aliæ vesperi, aliæ post pastum, aliæ omnem ejiciunt cibum, aliæ nullum, vel viscidam quādam & paucam materiam, aliæ peracto vomitu melius se habent, aliæ peius, aliæ ipsum patiuntur in ipso quasi conceptionis momento, aliæ præterlapsis aliquot nunc diebus nunc septimanis vno vel altero mense, aliæ incipiunt vomere primis vel medijs mensibus, aliæ hoc symptoma patiuntur per totum imprægnationis tempus, sed hoc fit pro diuersa ratione subiectorum, auræ seminalis, dispositione ouulorum, conceptionis, & pro tempore imprægnationis. Ejicitur à grauidis aliquādo cibus vel potus, chylus vel biliosa colluuies, ab alijs pituitosa saburra, ab alijs sanguis purus, prout legimus in *Curios. Ephemer. Obs. 6.* casum de muliere, quæ à primo conceptionis mense vsque ad vltimum singulis diebus euomuit sanguinem nonnunquam floridum, interdum aliquatenus coagulatum, in satis magna ad ℥viij. quantitate, sine tamen noxa vel grauiori læsione, integra cæteroquin valetudine vsa.

§. 3. *Pica* verò vel malacia (nam duo illa vocabula vnum eundemque, sed in diuerso sexu, aut in diuerso vitæ genere affectum denotant) est vel impossibilium, vel absurdorum appetitus à peculiari spirituum animalium influxu, & spiritus plastici regimine dependens.

§. 4. Maximas autem inter & frequentissimas gestationis læsiones certè *Abortus* est, in quo fœminę grauiter, imò multo grauius, quam in ipso naturali affliguntur partu, vnde *Andr. Smitzius* addit hanc rationem, quod poma immatura non nisi vi euulsa decidant. Sunt etiam ex miseliis his, quæ confitentur, se malle decies parere, quàm semel abortire, teste *Hæfero* in *Hercule suo Medico*. Sunt verò aliæ, quę abortiunt inter ambulandum, & non se lecto committunt, quales ego noui plures.

Describi ergo potest abortus, quod sit p. n. & intempestiua fœtus nondum perfecti, vel molæ informis cum summis doloribus, & anxietatibus ante septimum gestationis mensem, siue viuus, siue mortuum prodeat, exclusio, à pluribus infrà dicendis causis oborta.

Mola vero, seu *fœtus conceptus* est informis, inanima, & conglobata massa, sine ossibus ac visceribus dura & pellicula obducta, intus rubea ac sanguinea, foris verò ex albo rubescens, figura ex rotundo oblonga, magnitudine nunc ouo gallinæ aut anseris persimilis, in vtero concepta, fœtum mentiens.

Triplicem vulgus statuit *molæ* differentiam, & quidem minorem, & oui gallinæ magnitudinem referentem, dicunt *solarem* fœtum, quæ vt plurimum circa tertium gestationis mensem expellitur. Secundam vocant *Lunæ fœtum*, *ein Mohntind*. Tertiam dicunt *ein Demachs*, & sæpè per integrum gestatur annum, imò non rarò per totum vitæ decursum, prout monumenta Medicorum docent.

Reliquorum symptomatum descriptiones superius suis capitibus peti possunt, quare ad partem affectam inspiciendam nos conferamus.

PARS AFFECTA.

§. 5. Quoad *partem affectam vomitus* in grauidis illa est omnium Medicorum vnanimi voto ventriculus, quomodo verò afficiatur, hactenus inter Medicos disceptatur. Fieri verò hunc vomitum propter conceptionem extra dubium est, siue id fiat per tunicorum vel neruorum ventriculi cum vteri neruis communicationem, siue à fermento heterogeneo ventriculo ab vtero communicato.

Alij sunt, qui spiritus circa formationem in vtero occupatos, ventriculum ac primæ digestionis negotium deserentes, indè charactere vitali destitutos, crudos humores genitos, & stomachum lacessentes accusant. Alij dicunt id fieri à subsistente impuro, & corrupto sanguine menstruo. Certum enim est, in conceptione non duntaxat sanguinem cum spiritibus, quà particulas suas multū immutari per istam liquoris genitalis spirituosi cum ouulo siue vesicula fœminæ coniunctionem, sed & cessare istam menstruo tempore per singularem efferuescentiam, turgescentiā, & per vterum euacuationem aliàs solennē obuiam, si adsint in sanguine, particu-

ticularum heterogenearum cum ipso eductionem.

Sic & *Picæ* pars affecta est cerebrum; *Abortus* verò & *Molæ* vterus subiectum habetur.

DIAGNOSIS.

§. 6. Hisce ita deductis *Diagnosin* aggredimur, quam putamus ex ipsius ægræ relatu hauriendam esse, non neglectis symptomatibus hunc affectum concomitantibus. Ast cum ipsæ ægræ sæpè nesciant, an grauidæ sint, nec ne? quare prudentis Medici est discernere, num vomitus sit à grauiditate, vel an ab alia causa; in hisce Practicorum libri sunt plenæ, sed nostro iudicio primo mox tempore vomitum ab imprægnatione oriri vel affirmare, vel negare nequit Medicus. Sæpè enim vomitus iungitur falsis conceptionibus. Adiunt etiam interdum grauiditatē mentiones molæ varijs figuris textura, & alijs adiunctis præditæ, ouum quod post excluditur, gestantur varia in vtero animalia, decipit sæpè sub imprægnationis specie hydrops; extendunt ventrem tumores, abscessus, & similia, Æolius & Anemius partus. De quibus exstant plures notatu dignæ obseruationes in *Ephemerid. Germ. Ann. 1. Obseru. 1.* sc. & reliquorum annorum. Potissimum ergò perpendendum, vnde *vomitus* ortum suum habeat, an molæ, an alterius affectus adsint signa.

§ 7. *Picæ* signa sunt, quando grauidæ appetunt absurda, à quibus alias natura abhorret, veluti sunt carnes, piscesque crudi, anguillæ, ranæ (quale ego noui exemplum) pix liquida, creta, amurca *Magen schmier*, prout noui exemplum Lugd. batau. Carbones, & sexcenta alia.

Sic quidam vidit, quod fœmina ex mariti brachio mordebat frustum carnis. *Nicol. Tulpius* Obseru. Med. libr. 2. c. 24. exemplum habet, quod prægnans comederit mille quadringentos haleces, aliam ego noui quæ comedebat limaturam Martis, aliam quæ appetebat plumbum.

Signa *Abortus facti* manifesta sint *Abortus* ergo contingere potest à primo conceptionis momento vsque ad septimi mensis initium. Frequentius oboriri solet circa tertij mensis finem, sed & accidit ante & etiam post idem tempus. Ante decimam post conceptum hebdomadam vix habentur exclusiones pro vero abortu, quia vix tunc aliquod fœtus rudimentum apparet, vix antequam ipsius placentæ initium, vnde tunc potius pro *mola* habetur, nisi enim fœtus apparet in placentæ corpusculo, negatur verus conceptus, nec proinde tunc conceditur abortus. Signa verò abortus imminentis sunt varia sæpe incerta, quia fœminis inexspectato, & ex improuiso accidit. Probabiliter verò cognoscet 1. ex causis prægressis grauioribus iam dictis, quæ abortum producere possunt, item ex corporis horrore & rigore subitaneis, subsequente leuiculo quodam calore, ex nausea, inappetentia, siti maiore, dolore lateris, lumborum, totius corporis lassitudine, animi deliquio, palpitatione cordis, odore halitus fœtido, terrore, mœrore, alijsque. Vteri verò vt dolore grauatiuo supra pubem, sensatione ponderis, minores veneris appetitu, frigore partium genitalium, &c. Sic & ex excretis patet, vt si subitò grauidæ menstrua fluere incipiunt, aut fluxus augeatur albus, aut ichor ab vtero emanet, & ex colore mutato tum totius corporis, tum inprimis faciei. Sunt etiam nonnulli, qui ex sola coloris in facie mutatione ratione abortum sæpè prædicere volunt. Accedunt & vltimò signa quædam particularia, vt subita mammarum detumescentia, aut copiosi lactis ex ijsdem profluxus, quibus adde frequentem abortiendi consuetudinem, nam multæ, quæ consuetæ sunt abortire, vel à leuissima causa abortiri solent.

§. 8. *Signa* in conceptione *Molæ*, omnia ea apparent, quæ in fœtus vteri conceptione contingere solent, menses cessant, appetitus deprauatus est, subsequuntur nauseæ & vomitiones, mammæ intumescunt, ac post medium gestationis tempus, vel circa quartum mensem fit diminuta commotio à spiritibus & Ianitoris vteri auersione & commotione, grauantem *molam* excutere conantium. Processu temporis, si non expellatur à *Regina nostra*, intumescit venter, & alia oboriri solent symptomata.

DIF-

DIFFERENTIA.

§.9. Distinguitur verò à vera *conceptione*, quod in *mola* ex mammis intumescentibus nullam lac exprimi queat, quemadmodum contingit in vtero conceptu; In mola etiam nullus motus blandus est, vti ab infante percipitur, sed vt lapis grauis ex vno latere in aliud cum molestia delabitur.

Ab hydrope distinguitur duritie, & in *mola* quidem venter intumescit, sed pedes & manus gracilescunt. Præterea molæ id proprium est, quod per manus compressionem pondus ex vno latere in aliud protrudi possit, quod in fœtu gestato minimè accidere solet; Dein in gestatione molæ grauida vehementem commotionem in ventre ante tertium mensem percipit, in fœtus verò gestatione ante quartum mensem nunquam vel rarissimè.

De reliquorum symptomatum signis, causis, & curandi ratione suprà in curatione morborum capitis, ventriculi, &c. abunde à nobis actum est.

CAVSA.

§. 10. Hisce præmissis *causas* symptomatum in grauidis rimabimur, & quidem vrgentis vomitus, quem *Veteres Galenici* oriri dicunt à corrupto sanguine menstruo subsistente, & halitus emittente, sicque ventriculum lacessente.

Sylvius ait gestationis tempore vterum constringi, & corrugari adeò, vt sanguis in vasis suis & cauernulis hærens sursum versus reliquam massam repellatur, quem sanguinem in vtero etiam alterari, ex quo alterato sanguine pullulare humores vitiosos plurimos, at bilis iuxta eum vna cum succo pancreatico noxam suam exerit, nauseæque ac vomitus & fastidij & malaciæ, causa existit.

Quibus enim mulieribus bilis per se fluidior, mobilior, & acrior est, ijsdem non tantum *nausea*, sed & *vomitus* solennes sunt.

Quibus a. succus pancreaticus est austerior, ijs *nausea* facilius excitatur, quàm vomitus. Sic & causam adscribit halitibus in tenui intestino excitatis, & ad ventriculum delatis, ipsumque lacessentibus & titillantibus, ac subinde mordicantibus. Sic etiam Author reliqua symptomata, vt sunt animi deliquia, vertigines, motus corporis languidus, febres variæ, macilentia, cacehexia, anhelatio, deducit ex vitiata in tenui intestino bilis succique pancreatici efferuescentia, propter quam dicit halitus assurgere ad ventriculum, & ibidem deliquia animi tum leuia, tum grauia, relinquaque symptomata excitare.

§.11. *Nos* existimamus sanguinis ac spirituum per conceptionem immutationem esse in causa, vt vomitus & nausea grauidis accidant, spiritus enim corporis nostri per vnanimem consprirationem se inuicem afficere posse abunde patet. Sic spiritus plasticus cum *Gasteronace* habere magnam inuicem correspondentiam ex pluribus alijs symptomatibus grauidis obuenientibus constat. Spiritus enim magno agmine circa vterũ excubias agentes facili marte ob adfinitatem ad ventriculum irradiant, eumque sæpius spasmodicè euertunt, è spirituum horum ἀταξίᾳ possunt etiam deduci *nausea, fastidiũ, animi deliquium, lassitudines, aliaque grauidis solennia symptomata*. Sic & istud nouum germen in vtero pullulans membranas vteri cum ventriculo communes facilè vellicare, ac spasmodicè afficere potest, vnde sepe nausea, fastidium & vomitus, &c. prout videre licet in vomitu à calculo renum oborto. Communicari quoque posse à sanguine, sero, alijsque; humoribus ventriculo plurima salia sylvestria (quæ ob retentionẽ menstrui sanguinis cumulantur) haud dubitamus, quæ particulæ sylvestres molestant, irritant ventriculi fibrillas, sicque authores existunt pluriũ malorum, in primis *Nauseæ, & Vomitus*. Hinc remotè symbolũ suum addunt dispositio sanguinis deprauata, inde quæ cachymo & impuro præditæ sunt corpore proniores ad hoc symptomata sunt. Sic & ætas iuuenilis, quia in his sæpe tener habitus nondũ adhuc sufficit huic actioni, vnde ipsum totum corpus sæpe cõcutitur: hæreditaria & vita sedentaria hic multũ conferunt, quare rusticis & laboriosis fœminis malum hoc non tam familiare existit.

Res quoque p n. multum contribuunt ad promouendum hoc malum vel vitio conformationis, vnitatis solutæ, &c. Sic & viscus quoduis suo non fungens officio, & proprium corrumpens alimentum

& fermentum tales inimicas ventriculo transmittere potest particulas. Sic & aliquando maritorum morbi, inprimis qui laborant vomitu, aliquid conferre possunt, cùm id commode fieri possit communicatione particularū spirituosarum per liquorem genitalem.

Quæ causæ ex rebus non naturalibus desumi possunt, interius peti possunt, vbi Diætæ habimus.

§. 12. Plicæ verò causam produci posse ab acido itidem ex massa sanguinea, vel alijs humoribus ad ventriculum depositis nullus dubito; quam tamen obseruaui in pluribus mulieribus, quæ non grauidæ fuere. Peregrinum ergo hoc fermentum acidum neruos ventriculi afficiendo ansam dat, vnde Gasteranace insoliti orientur appetitus, nempe illorum, quæ alimenta non sunt, vt lapidis, cretæ, trumenti, terræ, calcis, &c. quia his absurdis assumptis acidum saturatur.

Quod grauidis hoc malum accidat est, quia à spir. seminis virilis multum alterantur sanguinis fermentationes, atq; fermentum acidum peregrinum ventriculo committitur, atque sic fit, vt illæ fermentationes multùm immutent ipsas cogitationes, & appetitus; sed multum quoque adiuuat, quod fœminæ, quæ ordinario magis quàm viri affectus sequuntur, & illarum animæ non concurrant tales cogitationes, dum putant mulierculæ sibi illo tempore, quo grauidæ sunt, nihil non licere. In nobis ipsis aliquando obseruamus, quod certi alicuius cibi desiderio teneamur, hoc quoq; non aliunde est, quàm à peculiari quodam fermento, quod certo modo neruos afficiendo facit, vt animæ talis repræsentetur cibus. Certissimum est peculiarem quandam motionem fieri in neruo sexti paris, quæ causa est perceptionis, & iudicij depravatio.

§. 13. *Abortus causas* ad mentem *Galenicorum* vel oritur à nimia sanguinis abundantia, maiore tunc eius ad vterum affluxu, item à defectu sanguinis in matre ad nutriendum fœtum alijsq; causis remotis infrà dicendis.

§. 14. *Syluius abortus causam* dicit etiam plethoram propter quam sæpe vi expellitur fœtus laxius vtero adhærens, nec sanguinis copiosi egressum quærentis, ac in vtero inuenientis impetum sustinere volens. *Abortum* quoq; accidere posse à sanguinis defectu nullus dubitat. Culpat quoq; inter causas remotas motum corporis vehementiorem, ac præsertim saltationem, equitationem, agitationem, brachiorum eleuationem, quatenus agitatione concutitur contentus in vtero fœtus, cuius vincula (h. e. placenta vtero cohærens) si fuerit laxior & minus firma, mox soluuntur, ac rumpuntur eadem, secedendo ab vtero, fœtumque cum secundis ad exitum vrgendo. A casu quoque matris sæpe abortum fieri Author rationibus & experientia comprobat. Sic & à terrore magno, animi solicitudine cum subsequente tristitia abortum, item ex ira contingere loquitur quotidiana experientia. In ira enim anima mirè turbatur, & omnes quoque actiones tum animales, tum naturales, multùm læduntur, vnde in fœtu non minor, sed maior functionum omnium conturbatio sequitur, propter quam inter alia mala plura etiam consequi potest abortus. Accusat quoq; vigilias nimias, quatenus illæ vires omnes atterunt, sicque fœtus paulatim deficit; item summum aeris æstum, alui fluxum vehementem, dysenteriam, hæmorrhagiam insignem culpat.

Sic & iuxta *ipsum* abortum conciliare possunt remedia hæmagoga, si aut imprudenter, aut malitiosè durante grauiditate vsurpentur, qualia sunt venæ sectio largior, præsertim ac inprimis in pede, celebrata, purgantia potentiora in magna copia assumpta, & inprimis acria.

Sic & spirituosa nimis vsurpata, quatenus dissoluunt sanguinem vniuersum, facilitantq; ipsius per vterum effluxum, abortum facilè producere possunt; interna quoque vitiosa materni abdominis conformatio apta est ad abortum producendum. Huc refert etiam *molam*, vel alium fœtum viuum, mortuumq; in vtero simul existentem, atque priorem aut posteriorem fœtum ad exitum cogentem.

§. 15. *Nos Abortus causas* tam in matre quàm in fœtu quærendas esse censemus, quatenus illa à rebus non naturalibus & præternaturalibus vario modo agentibus miserè affligitur. In fœtu verò quatenus

in

in vel per se, vel per accidens mutationem patitur insignem, & ex praua & præternaturali dispositione exitum affectat. Sic & causa proxima rimanda est aliquando in vtero, quatenus is vndecunque vel à plethora, aliisque rebus inconuenientibus spirituum animalium nimio influxu, Reginæ molestatione irritatur, & interdù spasmodicè conuellitur ad contenti exclusionem, prout enim ventriculus in vomitu, sic etiam vterus in abortu ad excludendum fœtum offici solet.

Morbus quoque aliquis grauior ipsius fœtus vndecunque ortus abortum producere potest, quatenus scilicet inde fœtus facili Marte à matre vegeta excluditur. Sic & sæpe accidit, quando abdomen matris non ritè constitutum sit, vel tersum, vel durum, commodam distensionẽ non ferens, indeque fœtus ad sui exclusionem cogitur, huic accedit vteri conformatio vitiosa, si vel substantia carnosa nimis crassa, vel callosa, vel nimis parua sit capacitas vteri, vt sufficienter distendi nequeat, vel nimia laxitas vtero insit, quæ omnia abortum hunc ciere possunt. Sic etiam si lanitor vteri non mitis est, sed semper indignabundus, vnde non potest non fieri, quin semper abortiat.

Causę huius abortus etiam esse possunt, quando mater, vel ob prægressum, vel præsentem morbum, febrem puta, hydropem, scirrhum vteri, erysipelas, inflammationem, abscessum & cancrum, non paruam sentit virium deperditionem, vnde fœtum per consensum mirè & perperã affici posse nullus dubito.

Sternutatio, tussis, vomitus, vociferatio, frequentes, simulque vehementes abortus metum inferunt, quatenus vires tam matris, quam fœtus ijs absumuntur, & abdominis musculi vterum quasi mouendo nimis & concutiendo premunt, & sæpissimè ad fœtus exclusionem, etiamnum immaturi, cogunt.

Sic & *Mola* vtero, quam placenta firmius adhærens, graue tanquam pondus deorsum premit, & nonnunquam verum fœtum expellit.

Ad *procatarcticas*, matrem valde vrgentes, & per consequens ipsum tenellum adhuc fœtum angentes, abortus referimus causas *Res non naturales* Medicis dictas, vbi se primò offert Aer, qui si eius æstus sit intensior, aberas, vel ignis, vel balnea, vel stupharum constitutione obortus, vterus inde ad fœtus concepti excretionem stimulatur.

Nocet & valde aromaticorum, & spirituosorum, & medicamentorum menagogorum abusus, quæ omnia in se continent salia volatilia, quę facile sanguinem fundere, spiritus animales, lanitorem vteri turbare, & sic abortum producere apta nata sunt. Hic maxime culpandus est potus generosus, & inebrians, quare etiam *Angelus Lib. Iudic. cap.* XIII. admonet vxorẽ *Manue*, quæ peperit *Simsonem*; *sterilis es*, inquit, *& absque liberis, sed concipies, & paries filium*. Caue ergo ne *bibas vinũ ac siceram, nec immundum quicquam comedas*. In specie verò à vini spiritu copiosè assumto abstineant fœminæ, multa enim tristia exempla docent hinc factos fuisse abortus. Ansam quoque huic malo dat aliquando inedia, aut nimia repletio à cibo potuque. Cibus propterea desideratus & concessus.

Motus etiam nimis vehementes, vt saltatio, vectio equi & curru, agitatio nimia & commotio quæuis violenta, corporis concussiones, oneris grauioris eleuationes, contusio in ventrem, quale ego noui exemplum non iam pridem factum, facile hunc inferunt abortum, quatenus inde vincula fœtus in placenta vterina reduntur laxa, & vtero concutitur tenellus fœtus vt vincula tandem cogantur solui, atque embryonem dimittere. Sic etiam à qualicumque sanguinis excessu abortus produci potest, dum is scilicet plus, quam par est, ad vterum fluit, fœtum permit & fibrillas irritat, vt postea simul cum sanguine tenellus prodire fœtus cogatur.

Insignis qualiumcunque partium hæmorrhagia, nimius qualiscunque menstruorum fluxus, alui fluxus vehemens, & dysenteria, hunc ciere abortum potis sunt.

Venerem nimis frequenter repetitam culpamus, quatenus vteri collum, aliæque partes laxius reddũtur & ipse conceptus factus abhorret ab ijsdem, inde sæpius abortus hic oritur, vt quoque ex

nimio

animio liquoris ceruicalis profluxu laxiora redduntur vasa.

Animi pathemata & hic suum addunt symbolum, quatenus inde turbatur non solum *Regina* nostra, sed & *Microcosmetor*, vnde non potest non fieri, quin spiritus animales confusi reddantur, & sæpe vterum conuulsione aggrediantur, & sic fœtum conceptum expellant. Inter quæ sunt ira, mœror, terrores graues ex obiectis terribilibus, & subitò ipsis oppositis, vel alio modo incussi, qui sæpe fœtum mouent, & matrem in mala præcipitant atrocia. Eandem quoque obtinet vim sonus qualiscunque vehemens, vt tormentorum, & bombardarum tonitru. Sic *Schaumburgi* noui fœminam, quæ si fœtus ætatis tempore non fuerit septimestris, ab audito tonitru semper abortum passa est. Odor etiam quilibet grauis, vel suaueolens nonnunquam vt ambra rosmosch. vel ingratus è suffitu candelæ perperam exstinctæ, cornuum, vngularum, &c. in quibusdam fœminis abortum procurare valent. Sine dubio à spirituum animalium ἀταξία, & *Racchammelkæ* inde concepta indignatione. Culpanda venit hic omnis compressio & constrictio abdominis, vel thoracis. Hinc malè consulunt suæ sanitati delicatulæ fœmellæ, quæ, nescio qualem corporum gracilitatem & rectitudinem quærunt, dum lumbos formant ad os vsque coxendicis, & quod adhuc magis est reprehensione dignum, pectora laminis ferreis, orichalceis, item ligneis sæpe suffulta gerunt, quibus accedit illa *Planchette* dicta, quæ ad maiorem venustatem ad vsque pudenda gestare non verentur, quibus corpus ita constringunt, vt vix respirare potis sint. Hinc optimè notat *Hieronymus Mercurialis*, plures à sola vestium arcta constrictione abortus pati. Hisce certè constrictionibus vasa redduntur adeo angustiora, vt circulatio sanguinis impediatur aliquo modo, & sic sæpe obstructiones, tumores, lancinationes, abscessus, vlcera, phthisis, respiratio difficilis, & plurima mala exoriri possint, prout hæc eleganter deduxit Clarissim. Dominus *Georgius Francus, P. P. Heidelbergensis celeberrimus, in disputatione quadam de Planchetta*. Itaque grauidæ ab eiusmodi vestimentorum genere, quam maximè abhorreant, inducentes è contra vestes magis accomodatas, & sibi, & fœtui minus noxias.

§. 16. *Molæ* causa materialis *Veteribus* est semen vtriusque parentis vitiosum, in concubitu in vterum illapsum, & ab vteri auiditate conceptum ac retentum, à caloreque vteri induratum, in quam materiam sanguinem menstruum influere, dicunt per cotyledones eoque nutriri & augescere fœtum.

§. 17. *Paracelsus* dicit molam matricis esse abortiuum quid, in matrice generatum.

Alij huius conceptus vitiosi, & abortiui in seminis alterationis cum primis masculini deficiente actiuitate ponunt.

§. 18. *Nos* verò *molæ* causam dicimus esse seminis virilis, vel etiam solius sanguinis acrisque liquoris in vtero coagulationem ab acido vt plurimum factam, inductamque.

PROGNOSIS.

§. 19. *Vomitus grauidarum* per se ita consideratus rarò periculosus est, inprimis qui contingit ieiuno ventriculo, & absque singulari fit molestia, cum *Gasteronax*, & spiritus plasticus sui sint studiosissimæ, id duntaxat expellunt, quod iam secretum & ineptum est ad fœtus nutritionem, qualiscunque sit, quæ ejicitur materia, haud rarò fit ad matris fœtusque solatium. Hinc *Nicolaus Rochæus de morb. Mulier.* quarto mense picam quiescere dicit, partim quod vomitione vitiosi humores expurgantur. Refert enim *Hæferus in Hercul. Med. l. 7. c. 3.* Tales prægnantes plerumque habere fœtus pulcherrimos, adiecta hac ratione, quia nutriuntur depurata per vomitum sanguinis materia. Minatur verò periculum, qui immediatè vel prandium, vel cœnam excipit, omnem iterum educens cibum, qui mox in alimentum fœtui cedere debebat, qui nimius est tam quà quantitate, quam quà conatu ac motu ipso, prout enim quæuis violenta excretio abortum producere potest. Nouimus tamen exemplum hic Cassellis, vbi Mater octo liberorum per tres primos menses nullum cibum gestare potest, sed solis potulentis se sustentare debet, quæ etiam sæpe per

vomi-

vomitum iterum redduntur, quæ, quoties grauida est, præter hanc *nauseam* & *vomitum* patitur maximum ardoris sensum in gula & stomacho.

§. 20. Quod *Picæ prognosin* concernit, multum difficultatis hic affectus non habet, nisi aut diu duret, quod causæ abundantiam, & vires augeret, aut ijs ipsis præter rationem huic affectui auscultet, & absurda adsumat, vnde obstructiones plures atque humorum corruptionem sequi possunt. Aliquando verò si humor maiori copia in ventriculum feratur, & acris sit, cardialgias insignes producit, ex quibus lipothymia & syncope, & nonnunquam sed rarissimè mors sequi solet. Grauidæ à *malacia* vt plurimum liberari solent versus quartum gestationis mensem, si verò malum vlterius progreditur, periculosum esse obseruatum est. Melius est hoc affectu laborantes acida appetere; peius si res absurdas exoptent.

§. 21. *Abortus*, quamuis ex se satis molestus sit, & fœminas plus debilitet, quam partus, vtvt difficilis, sæpe etiam variorum morborum causa existit, sterilitatis, inflammationis, vlcerum, erysipelatis, vteri & similium aliorum morborum, maximè si vltimis eueniat gestationis mensibus, quo tempore, cum fœtus grandior sit, difficilimè ab vtero excluditur, ceu pomum immaturum, quod non nisi vi decerpitur, insignes hæmorrhagiæ ad quas syncope, deliria & conuulsiones accedunt. Hinc testatur *Aretæus*, se nullas vidisse seruatas ex ijs, quibus in abortu, aut post abortum conuulsiones superuenerunt. Abortus in primipara periculosior est, quam in assueta. Mulieres admodum teneræ constitutionis magis periclitantur quam obesæ; febres, palpitationes cordis, cardialgia, aliaque symptomata peiora motum reddunt periculosiorem.

§. 22. *Mola* est salutaris, si à Ianitore vteri, vt pondus inutile, & sibi noxium eijciatur. Nullum animal, excepta muliere, *molam* concipit, aut gerit teste *Aristotele*.

CVRA DIÆTETICA.

§. 23. Promouendo pedem vlterius transeendo ad *Curationem Diæteticam*, quæ vt plurimum consistit in sex rebus nonnaturalibus ritè adhibendis. In vomitu inprimis grauidarum aer sit temperatus. Præstat in vomitu prandium vel cœnam immediatè excipiente, sæpius in die, sed paucum, & quid boni edere, vt aliquid transeat in nutrimentum fœtum & matris. In cibo peptici iuuant pulueres; pro causæ diuersitate bibat ægra vel aquam frigidam, plures enim adeo abhorrent à vino, vt non de eo audire possint, ardorem enim maximum gulæ inde percipiunt, nonnullis verò si acidum adsit, conceditur vinum maluaticum, vinum rubrum, in quo aurum, vel chalybs, vel silices igniti exstincti fuere. Pro cibo digestu faciles carnes, volucrum, assas potius quam elixas, pyra, cydonia, aliaqu; admittimus, pinguia verò nocere nouimus, reliquæ res quomodo dirigendæ, ac earum vsus moderandus sit, ex infrà dicendis facile patescit.

§. 24. In *Pica* aliquando concedenda sunt alimenta desiderata, si potest fieri præter periculum vitæ, animus quoque varijs rationibus confirmandus est, & ab his, alijsque incongruis auertendus.

§. 25. In *abortu* aer sit temperatus, & absque feruore, si tamen adsit, emendandus est tum frigidis pauimento insperſis, tum odoribus gratis, alijsque naribus admissis odoramentis, nocet omnis odor ingratus. Cibus detur paucus, coctu facilis, sit panis triticus succo berberum, vel vino granatorum, cydoniorum, &c. imbutus, vitentur cibi conditi salsis, acres, ex nimio enim sinapis vsu abortum hunc obseruaui. Vitentur acida, nimis humida, aromatica. Iuscula dentur temperata acidulis, omnem effugiat inebriationem vel cum vino, vel cum eius spiritu. Somnus & quies conducunt. Animus sit placatus & tranquillus. Cane & angue peius vitentur ira & terror. Reliqua superius inter causas recensuimus.

In *mola* eadem fere sunt obseruanda.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 26. Nunc accedamus ad Curã pharmaceuticam. In *vomitu* grauidarum *Galenici*, inprimis *Riuerius* venæ sectionem commendat his verbis: Et docuit experientia vomitum, qui prægnantes frequenter infestare solet primis gestationis men-

menſibus à purgationibus exacerbari, à venæ ſectione verò plurimum ſubleuari, imò verò in totum auferri, ſi vſque ad ſolutionem ſymptomatis ſingulis menſibus iteretur. Suadet etiam varia ſtomachica, quæ ſuperius iam dicta ſunt, vbi de *Vomitu* c. 1. l. 3. egimus.

§. 27. Sic & *Vvilliſius* cum ſanguis impurus ac rancidus materiæ incongruæ penum ſubinde nouum ventriculo ſuggerens diatheſin emeticam infert, grauidarum vomitiones venæſectione crebra ſanari teſtatur in *Pharmaceutica rationali ſect.* 2. *cap.* 3. *Venam* autem non tali, ſed brachij, aut manus eligere ſolet, aliaque alibi commendat ſtomachica in lib. 3. dicta.

§. 28. *Syluius* in *vomitu* grauidarum commendat auſtera blandiora, vt ſunt, plantago, ſemperuiuum maius, myrtus, polygonum, biſtorta, caryophyllata, roſæ rubræ, &c. alumen crudum, terræ ſigillatæ omnes. Inter Chymica laudat ſpir. aluminis, ſalis dulcis, vitrioli, &c. Ad bilem volatilem figendam vſurpat ſubauſtera, & acidiuſcula tum medicamenta, tum inprimis condimenta. In quem finem æſtimat ſalia volatilia oleoſa, quæ ſimul fermentationem alimentorum in ventriculo iuuant, promouentque.

Quod ſi non tantum qualitate, ſed & quantitate hi humores vitioſi peccent, eos purgantibus conuenientibus minuendos eſſe ait, contemnit vero purgantia acriora, indeque fortiora, ſed admittit tantum lenientia. *Opiata* ac *narcotica* etiam hoc in caſu commendat, vtpote quæ tum humorum acrimoniam temperant, tum eorundem vitioſam efferueſcentiam corrigunt, tum ſenſum omnem obtundunt, ſicque ſat ſufficienter *vomitum* nimium compeſcunt, ac ſiſtunt. In quem finem propinat laudanum opiatum, theriacam, requiem *Nicolai*, &c. Sic & externa varia, olei, emplaſtri, cataplaſmatis, pulueris, ſaculi, aliaque vſurpanda forma.

§. 29. In *vomitu* grauidarum *noſtro iudicio* cautè incedendum eſt, ne plus noxæ quam commodi inferatur. Sic & *Platerus* monet, & ritè obſeruandum, ſi grauidis mulieribus contingat vomitus, vt omittantur medicamenta, quæ illas incommodant, ſæpe enim nullam requirit curationem vomitus, de quo agimus, & ſic nihil agendo rectè agit Medicus, cum expellantur à natura expellenda, & grauidæ nullam planè exinde experiuntur moleſtiam, citra enim virium iacturam, ſi ab illo melius habent, quod præſertim in matutino vomitu, quem prouida Natura ad ſui procurat conſeruationem contingit.

Qui vomitus vero manifeſte lædit corpus; matrem & fœtum eneruat; qui nimius eſt & periculum minatur, ne ergo abortus fiat, indicat ſui remotionem, interdum mitigationem, quod agit Medicus motus inhibendo, cauſas irritantes imminuendo, immutando, eneruando; plaſticam & Gaſteranacem roborando, demulcendo, ſpir. ſopiendo, quæ executurus è triplici communiter propoſito penu depromit auxilia.

Ex *Chirurgico fonte* primò ſe offert *venæſectio*, quam nonniſi medijs menſibus adminiſtratam admittimus ob metum abortus, loco verò huius admittimus cucurbitulas, ſcarificationes. Fonticuli, hirudines, ac veſicatoria ſuam hic merentur laudem; frictiones manuum ac pedum præſertim à cibo, quas frictiones & laudat *Mercurialis de Morbis Mulier. l.* 1. *cap.* 4.

E *pharmacia* depromuntur *vomitoria*, quatenus hæc ægros valde torquent & angunt, omittenda eſſe cenſemus, dedi tamen gr. j. tart. emetic. cum ſalis abſynth. gr. ij. & theriacæ cœleſtis gr. j. cum ſummo commodo vxori meæ à tribus menſibus grauidæ. Blanda purgantia, & vias abſtergentia ſubiungi poſſunt. Tutius autem incedes cum abſorbentibus, inprimis ſi ardore coniunctus ſit, quorum doſin determinet acidi morboſi quantitas & exuperantia maior vel minor, quin & eiuſdem qualitas ſiue acrimonia corroſiua fibras ſtomachi vellicans, potentior aut debilior.

Iſiter ſpecifica & appropriata abſorbentia præter generalem corrigendi acidi morboſi vſum, ſunt & ſpecifica proprietate donata, vt viſcus corylinus habet ſimul vim antiepilepticam, cortex fraxini diureticam, Vvinteranus antiſcorbuticam,

cam, Martialia cachecticam, Iouialia & Saturnina antihecticam.

Hic ergò conueniunt oculi ♋, C. C. tunic. ventricul. gallin. vnicorn. terra, catechu. N. Moschata, ebur, martialia, bolus Armenus, adiectis oleis cinnam. menthi, &c. & ea, quæ simul adstringunt conferunt, vt sunt, tormentilla, bistorta, terra sigillata, item quæ lanitorem veteri & Gasteranacem sepiunt, & refocillant, simulque spir. vigorant, vt sunt Castoreū, omniaq; balsamica, præ primis tinct. terræ laponicæ excellens hoc in casu remedium mixta cum essentia opij. In iuniorum gratiam sint formulæ in vomitu grauidarum, vbi simul ardor adest:

℞. *Ocul. ♋ præpar.*
cretæ ana ℈j.
N. Moschat. ℈ß.
C. C. præpar. ℈j.
theriac. cœlest. gr. j.
M. F. pulvis diuidendus in duas partes æquales.

Si simul magnus ardor instar Sodæ adsit, conuenient sequentes morsuli:

℞. *Specier. diacret. Mynsi.* ℥vj.
Vel: ℞. *Cret.* ℥ij.
ebor. vsti ℥j.
vnicorn. fossil.
lapid. cancr. præpar.
corall. rubr. præp. ā ℈ij.
N. Moschat. ℥j.
c. s. q sacchari. F. Morsuli.

Sic & hic pulvis ex lateribus coctis cõducet. Sic & spiritus Masticines, vitrioli Martis sunt remedia generosa. Ex. gr.

℞. *Aq cinnamom. cydoniat.*
menth. ā ℥ ß.
spir. vitr. Mart. gt. xxv.
mastich. ℥ j.
laudani opiat. gr. j.
syrup. de mastich. vel *de agrest.* ℥vj.
F. mixtura cochleatim assumenda.

Cùm verò valde vrgeat vomitus, grauidasque ita affligat, vt metus sit abortus, aliorumq; peiorum symptomatum, optimo cum successu opiata reliquis associare poteris remedijs. Laudanum nostrum hystericum in forma pilularum exhibitum egregium est hoc in affectu, quæ pilulæ diu morantur in stomacho, & eidem sunt acceptæ, adeoque intimius ibi vires suas explicant. Conueniunt hic omnia illa balsamica, item succolada, balsamica, item succolada, balsamum de Peru, quæ superiùs dicta sunt in Capite de vomitu, præsertim verò salia volatilia, oleosa opiatis iuncta, laudanum cydoniatum *Hoffmanni*, vt & theriaca cœlestis, summa sunt remedia. Vinum corynthiacum sæpè cochleatim exhibitum, omne aliquando fert punctum.

Cibi fastidium & nausea ferè ijsdem tollitur remedijs, hic conducunt magis balsamica.

Externè optimo cum successu applicari possunt Emplastra, vnguenta, balsama, cataplasm. facculi ipsius ventriculi regioni tam anteriori, quam posteriori ex *Auicennæ* consilio.

Si simul adsit fastidium cibi, conducet oleum Cratonis scrobiculo cordis vulgo ita dicto illitum. Conuenit hic etiam emplastrum stomachale Cratonis cum tacamahaca; de crusta panis; de caranna cum balsamo Peruu. cataplasma ex fermento, vnguenta ex ol. mastich. nucistæ, cydon. absynth. cortic. aurant. & sexcenta alia conueniunt; tanquam certum experimentum commendat tabulam eburneam ventriculo applicitam *Loyse Bourgois de Obstetric. l.* 4 *c.* 30.

Inter *Empirica* sequentia alijs palmam præripiunt:

Decoctum maioris chamomill. quod *Ioh. le Bon in therap. puerperar. p.* 6. valde commendat.

Vinum cydoniorũ laudat *Camerarius*. *Herlicius de cura grauidar.* pedes & manus frigidæ in causa calida, in frigida verò calidæ immergere iubet aquæ.

Singulare mustũ præscribit *Hiltprand. de grauid. & obstetrice.*

Forestus sorba assumta commendat.

Ludouic. Mercatus tom. 3. *l.* 3. *c.* 11. sequens laudibus extollit:

℞. *Sem. anisi, cortic. citri ana* ℥ ß.
pulu. rosar. rubrar. corallior. rubr.
margar. præp.
electuar. de gemmis ana ℈j.
sacchar. q. s. F. tabellæ cum aqua ferrata.

Laudat quoque bolum armenum, seu terram sigillatam cum sacchar. rosato exhibitam.

§. 30. *Veteres Galenici* in *pica* nec hic amis-

omittendam esse volunt venæsectionem parca tamen manu celebratam. Purgantia quoq; leuiora admittunt, dein varia roborantia sæpius dicta in ventriculi affectibus, adhibenda esse aiunt, pro varia sc. corporum ægrotantium natura & dispositione.

§. 31. *Syluius* grauidis desiderio vehementi cibi potusq; boni quamuis absentis laborantibus, tradenda esse vult, & hoc non esse veram malaciam.

Malacia verò, siue appetitus rerum insuetarum, si reprimi nequeat moderanda est solidis rationibus. Aromatica & spirituosa commendat Author, quatenus hæc spiritus animales restituunt, ac defectum supplent.

Inter omnia laudat tinct. cinnam. cum spiritu vini rectificato paratam; vel quæ eius vsum ferre non possunt, detur Nux Moschata, vel caryophylli.

§. 32. *Malacia* mulieribus valde familiaris facile nostro iudicio curatur medicamentis acidum absorbentibus, & vitiosam efferuescentiam in primis vijs exortam compescentibus, & aliquando per epicrasin educendis. Quod si ergo fœminæ ex *picæ* stimulo vel cretam, vel calcem, vel arenam, vel similia deuorent, modo non nimio fiat excessu, ipsis indulgendum est, inde enim plus auxilij, quàm noxæ experiuntur. Si verò in absurdorum horum appetitu depraua to diutius maneant, & peius inde habeant, optimè ad præcipitantia confugere potes, quæ sub considerata dosi exhibita saturando specifici saporis acidum stomachale picantes iuuant, solis enim his absorbentibus picam cum ardore ventriculi feliciter curauimus, hinc stultorum exioma est, præmittenda semper esse vniuersalia, hoc est, purgationem & venæsectionem in morborum curationibus; Confer *Lindanum* super *Hartmanum*. Summe etiam commendat in pica *Frid. Hoffmannus* magisterium perlarum. Sed horum præcipitantium vsui non nimium indulgendum, aliàs miselle charybdim metuentes incidunt in scyllam, incurrunt enim in anorexias, dyspnœas, cachexias, & febres lentas sexcentaque alia mala. Hinc etiam virgines nonnullæ malè consulunt suæ sanitati, cum cretæ siue aliorum præcipitantium vsu candorem facici, & corporis sibi conciliare volunt, quæ tamen inde maximè læduntur quoad primæ digestionis, & reliquorum inde dependentium negotium.

Conueniunt ergo hic cum prædicta cautela absorbentia specifica, quæ sodæ ebullitionem sedant, acidumq; illud peregrinum tollunt, vt sunt, creta, cornu cerui vstum sociata nuci Moschatæ, idq; præsentaneo magis successu, si conseruæ aut sirupo summitatum quercinarum electuarij sub forma permiscentur. Ol. tartari per deliquium solum nobis satisfecit sæpius ad guttulas plures exhibitum, quo solo remedio non ita pridem Nobilissimam Matronam pica laborantem; quam honoris ergo nominare non libet, hic *Cassels* curauimus. Mirificè etiam commendat *Hoffmannus* spiritum Vitrioli Philosophic. & decoctum Chamemæli, quod omnibus præfert remedijs.

Zacutus Lusitanus sequentes habet pilulas ad picam:

℞. *Rhapontic. electi.* ℥iij.
Cinnamom. ℥j.
lign. aloes ℥ß.
balsam. ℈ß.
mastich. ʒij.
aloes hepatic. ʒijß.
gumm. arabic. ʒß.
rosar. rubr. ℈j.
confect. de hyacinth. ℈ij.
calam. aromatic. ℈j.
menth. ℈ß.
ambræ gr. xx.
cum sirup. rosar. solutiuo & absynth. F. Pilulæ, quarum dos. ℈j. *alternis dieb.* ʒ. *horis post cœnam.*

Seq; mixtura nostro vsu est comprobata:

℞. ♁ *aurantiar. c. vino malnatio destill. rorismar. ana* ʒij.
essent. cortic. aurantiar.
ol. Tart. per deliquium ā ʒj.
sirup. cortic. citri. ʒj.
F. Mixt. sæpius cochleatim exhibenda.

Vel: ℞. *Menth.*
rorismar. ana ʒij.
vitæ Matthioli,
Tincturæ cinnamom. ana ʒij.
spir. salis armon. gtt. xx.

ol. menth. gt. viij. firup. de menth ℥j. M.

Vel: ℞. Salis cuiuſcunq; volatilis oleoſi ℥j.
Doſi gt. xx. cum vino Corinthico, vel Canarienſi, aut quoque alio generoſo.

Vel in forma Electuarij:

℞. Conſerv. menth.
anthos ana ℥iß.
cortic. aurant.
limon. condit. ana ℥ß.
pulv. cardamom.
cubebar. ana ℥iij.
ol. macis. gt. ij.
M. F. Electuarium.
Doſis inſtar nucis caſtaneæ, ter quaterve de die.

Decocta ex ligno guaiaco, ſaſſafras, rad. chinæ, ſarſæ parillæ non contemnendi vſus ſunt. Si nimius appetitus adſit, tunc ab acidis abſtinendum eſt, & ſic ſpir. ſalis * ei retineatur, & amylum & pultacea hic proſunt.

Inter Empirica ſequentia habe: Si mulieres laborent appetitu deprauato, laudat *Ægineta* vſum vini venuſti, & odorati, ∇ virgæ paſtoris potatam & præſertim poſt cibum: anethum etiam vino maceratum, & exhibitum commendat idem.

Brendelius dicit amylum ſanare malaciam. Sequens æſtimat *Iul. Cæſar Claudinus*:

℞. Sinap. ℈ß.
off. columb. aſſator. & in viner. redactor. ℥iß.
ſemin. portulac. ℥j.
cinnamom. ℈ij.
ſucc. cydonior. ℥ij.
ſaccbar. alb. ℥iij.
M. in duplici vaſe ad ignem.
Doſis mane ℥ß. altero quoque die.

Ioh. Rhodius Obſ. Medic. Contur. 2. p. 97. malaciam hæmorrhoidum fluxu ſanatam obſeruauit.

Ioh Schræderus laudat in pica poma granatorum acida, & folia vitis.

Trotula dicit, ſi prægnans praua appetat dentur ei fabæ cum ſaccharo.

Arnold. Villebardus ſeq. externum applicat:

℞. Cortic. citri, acaciæ,
calam. aromatic. ana ℥ß.
fol. meliſſ. Turcic. mij.
Coq. in vino, contuſis add. ol. nardin. maſtichin. ana part. æquales cum mica panis furfuracei. F. Cataplaſma, quod ventriculo calidè imponatur.

CVRA.

§. 34. Nunc etiam paucis curationem Abortus videamus.

Veteres præſente plethora cùm abortus immineat venæſectionem inſtituunt, & vbi inſignis cacochymia adſit, purgationes blandas iterandas eſſe iubent, medijs præſertim menſibus geſtationis, & interim toto geſtationis decurſu adſtringentia, & roborantia varia, quæ ſcil. abortum prohibere poſſunt, in vſum reuocant, quorum in fluxu menſium immodico plura deſcripta ſunt, quæ repetere non libet, extra grauiditatem omnes praua, corporis diſpoſitiones, quæ abortum producere ſolent, remouendas eſſe aiunt, vt ſunt plethora, cacochymia, & peculiares vteri morbi, Verbi gratia, intemperies, inflammatio, vlcera, &c.

Sic & varia externa, vnguenta, linimenta, emplaſtra, cataplaſmata, fotus, conueniunt, de quibus vid. *Riuerium c. 17. de Abortu*.

§. 35. *Syluius* in Abortu curationem pro varietate cauſarum variandam eſſe inquit.

Quoties igitur ob ſanguinis materni copiam, & plethoram, fit abortus in tempore eandem eſſe minuendam præcipit, etiã aliquando poſt inchoatam conceptionem, corporis motum nimium, caſus, animi terrores, vigilias nimias, ſummum aeris æſtum, alui fluxum, & dyſenteriam, hæmorrhagiam partim vitanda, partim curanda.

Cauendum quoque ab omni ſanguinis miſſione enormi, & purgantibus medicamentis potentioribus, & inprimis medicamentis menſtrua promouere ſolitis.

Potum quoque quemuis generoſum fugiendum eſſe inquit.

Qui verò abortus à conformatione vitioſa ventris materni, vel alio fœtu contingit, is vix vel nunquam ad mentem Authoris curari vel emendari poteſt.

In parte placentæ poſt abortum in vtero reſtitante, atq; continuum ſanguinis effluxum per aliquot menſes comitem haben-

habente feliciter remouenda, ægra restituenda magni facit experientia edoctus seq. apozema bis terue in die ad ℥iij. assumtum:

℞. *Rad. bistort.* ℥ij.
fol. maioran.
pulegij ana mj.
coq. ex ▽ *&* ♈ *in. alb. q. s.*
Incolatur. ℥xx. *dissolu. sirup. artemis.* ℥ij.
▽ *cinnamomi* ℥ß. *M.*

§. 36. Nostro calculo cura vel est extra grauidationem, vel in abortu. Curatio tota consistit in præseruatione & mitigatione symptomatum, quæ eum vel antecedunt, vel consequuntur. Vt autem præcaueri possit (neque enim omnis potest, vt ex causarum narratione facilè patet) primò ergo humores in corpore contenti ad statum naturalem reducendi sunt, & si quæ adest ἀταξία spir. animalium, illi in ordinem pristinum redigendi sunt; si fœmina sit plethorica venæ sectio medijs gestationis mensibus instituenda est, pro diuersa humorum natura & vitio, modò his, modò alijs ijs corrigendi sunt; si in vtero morbi sint, qui abortum producere apti sunt, illi priùs suis curandi sunt medijs. Medicamenta ergo, quæ in genere in Abortu præcauendo prægnantibus exhibentur, & matrem, & fœtum, & ℔ m plasticum roborare debent ad quosc unq; hostiles insultus, In quem finem conducunt blandiora balsamica, aromatica & spirituosa, simulq; blandè adstringentia, vt sunt Tinct. corallior. terr. lapon. liquor stypticus balsamicus. Tinct. antiphthisica, magisterium corallior. eboris, specif. cephalicum, nux moschat. rad. bistortæ, lapid. cancror. caryophyll. mac. cinnamom. ▽ epileptica, vitæ mulierum, cordial. H. Saxon. cinnam. eiusq; tinct. & plurima alia. Sint formulæ nonnullæ. Si ergo abortus sit metuendus ex terrore, conducet mixtura seq. sapiùs cochleatim exhibenda:

℞. ▽ *epileptic. Langij, vitæ mulier. ana* ℥ß.
magister. corall. specific. cephal.
smaragd. præpar. ā ʒß.
sirup. de canella ℥vj. *M. D.*
Vel: ℞. *Ebor. præpar. pulu. marchion. margar. ana* ʒß.
trochisc. de spodio gr. vj.
M. F. pulus dividendus in duas partes æquales pro duabus vicibus.

Sequentem puluerem habet *Sennertus*:

℞. *Magister. corallinorum* ʒj.
margar. præpar. ʒß.
rasur. eboris ʒj.
mastich ʒß.
gran chermes ʒj.
man. Christi perlat. ℥ij.
M. F. puluis.

Si à lypothymia abortus metuatur seq. conducet:

℞. ▽ *cinnamom. borraginat. cord. C. cordial. Hercul. Saxoniæ ana* ℥ ß.
Tinct. corallinorum ʒß.
sirup. granator. ℥vj.
M. D. cochleatim.

Si est ab ira tunc conueniunt antispasmod. & antiepileptica, quia ita est lenis epilepsia mitior, sic & bezoard. hoc in casu magni sunt vsus. Ex. gr.

℞. ▽ *cerasor. nigr. flor. tiliæ. epileptic. Lang. ana* ℥j.
sirup. corall.
pæniæ ana ℥vj.
Tinct. corall ℥iß. *M.*

Item detur magister. eboris, & vngul. alcis.

Si est à fluxu nimio tunc conueniunt magis adstringentia & stomachica, & quandoq; *Opiata*, item Cydoniata, laudanum cydoniarum *Hoffmanni*, pellicula ex ventriculo gallinarum.

In genere verò contra abortum prosunt puluis contra abortum Augustan. & Magister. corall. cum succo citri; aliaque modicè adstrigentia.

Si fœmina semper abortiat seq. detur.

℞. ▽ *embryon.* ℥ij.
N. moscb. ʒ ß.
saccbar. rosar. vel perlat. q. s. ad gratiam.

Vel: ℞. *Conserv. rosar. rubrar.* ℥j.
condit. cortic. citri ʒß.
confect. alcherm. incompl. ℥ij.
spec. de hyacintho ʒij.
pulu. contra abort. Augustan. ℥ij.
marchion. ʒij.
smaragd. præpar.
corall. rubr. præp. ana ℥j.
margarit. præp. ʒß.
ebor. sine ▽ *parat.* ʒj.
c. brodio Nucis moscbat. F. Electuarium, cuius

cuius caſtaneæ quantitatem capiat ægra ſæpius. Tinct. granorum Kermes Zuelferi ad xxx. guttulas aſſumta Herculeum eſt remedium.

Seq. mixtura cochleatim exhibenda eſt:

℞. ♁ *menth. cortic. aurant. ana* ℥ij.
vitæ mulier.
Tinct. cinnammom ana ℥vj.
corall. rub. prep. ℈ij.
ol. mac. ſtil. gr. v.
ambræ griſeæ gr. ij.
ſirup. cortic. aurant. limon. ana q. ſ.
M. D.

Mulieres Italicæ vtuntur Tinctura roſarum. Pro ſecreto refert *Capiuaccius* puluerem cocci infectorij, pauco maſtich. addito in ouo ſorbili.

In abortu, vbi ſimula adeſt ſanguinis ex vtero profluuium ſeq. conducet:

℞. *Maſtich. terr. ſigillat.*
thurbit alb. ana ℈j.
ſanguin. dracon.
bol. armen. ana ℥ß.
M. f. puluis. Doſis ℥j.

Externè verò aut cataplaſmata adhiberi poſſunt ex mica panis albi, vel paſta mellita Norimbergenſi cum vino maluatico calidè abdomini imponenda, ſuperſperſo puluer. caryophyllor. & N. Moſchat. cinnamomi, herbiſque menth. maioranæ, flor. roſar. alb. balauſtior. & ſimilibus alijs. Vel vnguenta & linimenta adſtringentia additis oleoſis aromaticis. Ex gr.

℞. *Vnguent. Comitiſſ.* ℥ij ß.
Ol. maſtich. ℥iij.
℔ moſch. deſt. gr. vj. M.

Lud. Bourgois habet fomentationem ex foliis cupreſſi, herb. maioranæ, rorifmar. menth. flor. chamomill. & piloſellæ, poteſt fieri inde ſacculus, qui ♁ vitæ mulierum, vel alia humectetur. Sic & Bourgois egregium habet emplaſtrum.

℞. ♁ *vitæ mulier. vel*
balſami embryon, vel
vini maluatici ℥ii.
calide cum cruſta panis vel linteis exceptis regionis pubis applicentur.

Grauiora ſymptomata, vt dolores, tormina, aliaque mitiganda ſunt enematis, electuarijs, opiatis, & caueatur, ne quis in diæta error committatur, qui abortum promouere poſſit.

§. 37. Inter Empirica recenſemus ſequentia. *Iulius Cæſar Baricellus Hort. Genial.* inquit, p. 308. Meſpiti lignum collo appenſum grauidas ab ortu præſeruare. *Petrus Foreſtus l. 28. Obſer. 66.* lapidem in vulua, aut corde, aut inteſtinis ceruorum repertum pro amuleto commendat. *Iob. Hartmann. in pract. Chymiatrica.* Succum aſtaci vnius contuſi in vino bono ſingulis menſibus ſemel vel bis datum laudat.

Ioh. Heuhnius magni facit ſeq. ceratum ventri, & oſſi ſacri apponendum.

℞. *Lapid. hæmatit.*
thunis albrana ℥ß.
maſtich. ladan. ana ℥j.
ſumach. ℥ij. *Galban* ℥ß:
reſin. pin. q. ſ. F. Ceratum:

Iacob. Hollerius ſcribit, quod in Scotia Heroinæ ſertum tanaceti admotitent pudendo ſæpiſsimè felici cum ſucceſſu, quod, vt grauius oleat, manibus atterunt, vel ſub cineribus paulatim coquunt.

Dom. Leo commendat contra abortum Erinacei terreſtris pellem vſtam & ex vino potam.

Zacutus Luſitanus ad retinendum fœtum ex corio equi marini zonam, ſeu cingulum parari vult, quod toto geſtationis tempore iuxta carnem, cinguli modo ferri debet.

Philipp. Mullerus Miracul. Chymic. l. 5. ad prohibendum abortum laudat pelliculas ex ventriculis gallinarum extractas, tritas, aliquot diebus manè florem vnius pondere cum vino ieiunè exhibendas.

Riuerius ſequentem bigam remediorum in abortu magni pendit:

℞. *Fol. auri num. xij.*
ſpodij ℥j.
germina tria ouorum non ſubuentaneorum.
M. probè, donec aurum ſit in minutiſſima diuiſum, poſtea ſoluatur in dimidio cyathi vini albi, detur manè per triduum, ſimulque impone hoc emplaſtrum:

Et ℞. *Thuris maſcul. puluerif.* ℥iij.
albumin. ouor. num. v.

agitentur ſimul ſupra prunas, ſemper mouendo ne concreſcant, add. terebinthinam,

thiam, ne nimis adhæreant, postea stuppis excipiantur, & quantum ferri potest, calidissimo vmbilico applicentur bis in die, manè & serò per tres dies.

Daniel Sennertus instante abortu grauida vt brachio alliget, & sub alis gestet lapidem aquilæ præcipit.

Gottfried Welschius sequentia habet: Ad præcauendum abortum vile quidem, sed optimum remedium est, si fermentum intra vmbilicum probè imponatur: Item cinis cinnacei cum oleo instillatitio instar vnguenti mistus, & pudendis illitus.

Pro singulari arcano iuxta ipsum Authorem habetur puluis ex vmbilico infantis assumtus, qui sic paratur:

℞. Partem vmbilici, vel illud, quod post vmbilici abscisionem secundinæ adhæret, abluatur vino, calcinetur in olla noua aperta in fornace. Huius puluer. ʒß. vel ʒj. cinnamomi ℈ß. croci gr. v. detur cum vino maluatico, & aqua artemisiæ mista.

Breuiter curationem molæ nunc tradamus: Si ergò certi sumus molam ad esse, massam sanguinis puta concretam, tunc omni opera & viribus annitendum est, vt expellatur, in quem finem prosunt purgantia fortiora, & menagoga. Ex gr.

℞. *M. Pil. fœtid.* ℈j.
extract. trochis. alhand. gr. iij.
C. essentia Sabinæ.
F. Pilulæ pro vna vice.

Possunt & exhiberi clysteres pellentes ex sabina & colocynthide in petia ligat. scor. regul. ℥ij, &c. parati. Essent. ad mensas, & sabinæ ad xl. & l. guttas exhib. egregium est remedium. Cum pulu. femin. aneth. cumin. ana ʒiij. Sabin. ʒij. fiet fumus, qui excipiatur per infundibulum.

Potest etiam fieri iunctio cum oleo colocynth., & cheiri, sed hæc ne adhibeas, nisi sis certus de mola.

In quem finem etiam conducet sequens:

℞. ♈ *cinnamom.* ʒj.
melliß. ʒij.
essent. crocigt. vj. *ol. succin.* ℈ß.
borracis Venet. ℈j. *M. D.*

Philipp. Grulingius dicit secretum non dari felicius, quàm puluerem secundinarum in ♈ artemisiæ, rub. tinctor. vel pulegij exhibitum.

Sic & *Zacutus Lusitanus* commendat aquam destillatam ex floribus viridibus cinnamomi. Qui molam aquosam syrup. decoction. hepeticæ, pulegij & cæp. alb. feliciter curauit.

Al. Massaria fel. bouis ad ʒj. exhibitum commendat tanquam arcanum ad molam expellendam.

Sequens *Eustachius Rhodius art. Medic. l. 2. cap. 48. De mola* ad exstirpandam molam validissimum dicit:

℞. *Ol. amygdal. dulc.* ʒß.
sesam. vel aneth. ʒj.
saccharat. cochl. j.
rad. filic. fœmin. ℈j.
fell. bouin. p. j.
detur mulieri in balneo.

Guerner. Rolfinc. Epitom. med. inquit: Ad molam abigendam quidam magni pendunt secundinam humanam, item ouis, & capræ puluerem in vino sumtam.

Iacob. Ruff. sequentes commendat pilulas:

℞. *Sem. nill. aristoloch. rot.*
dictamn. Cretici. semin. nasturt. syluestr. Sabin. serapin. sem. rutæ Ammoniac. Thymiam. rub. Tinct.
Myrr. castor. ana ʒj.
F. pilulæ cum succo raphani syluestr. & melle. Dosis ʒß. *ad* ʒj.

§. 38. In *spasmo* gratidarum conueniunt specificum cephalicum, vngul. alcis, dens equi marini, & alia antiepileptica superius de spasmo iam dicta. Externè vnguent. spasmodic. Mynsichti ʒj. Ol. lumbric. ʒij. ♈ articul. ad extta ʒiß. spirit lumbric. ʒß.

Annulus ex vngula alcis, vel dente marino præparari potest.

In *dolore Ischiatico* prosunt omnia arthritica superius dicta.

Sic & reliquorum symptomatum curationes ex suis Capitibus peti possunt.

Atq; sic symptomatum plethorumq; prægnantibus superuenientium, ipsiusque adeo abortus naturam, signa, causas protulimus, ipsorumq; curationem compendio exhibimus.

CA-

CAPVT VII.

De partu Laborioso, siue Difficili, Fœtu mortuo, & aquæ ex vtero effusione.

§. 1. INter omnia animalia solus Homo, & quidem mulier maximè in partu vexatur. Bruta licet doloribus non minus crucientur, attamen difficiliori nixu laborant miserlæ mulieres, adeo vt si parturientes non cohibeant anhelitum, oscitent, nec non assumant prorè nata medicamina vita periclitentur, *Medea* apud *Euripidem* ter maluit sub armis vitam periculo exponere, quàm semel parere. Sic Deus T. O. M. *Genes. c.* 3. Sexum muliebrem huic calamitati subijcit.

DESCRIPTIO.

Partus ergo difficilis est, cum infans nonnisi cum dolore, summisque torminibus, & periculo tum sui, tum matris in lucem prodire debet. Legitimum ergo partum præcedere debent aquæ illius in amnio detentæ effusio, non verò ossis pubis, seu ossis coxendicis dilatatio, quam plures contra experientiam dilatari credunt, quæ tamen ossa pubis firmiter in partu connexa manent, prout etiam experientia edoctus confirmat Celeberrimus Anatomicus, & P. P. *Georg. Francus* in *Satyris suis Medicis*.

Difficilis autem dicitur partus à causis eum difficilem reddentibus, à stipantibus quoque symptomatibus, tum etiam abeuentu.

Hæc liberorum propagatio in sacro Codice maximè commendatur, nihilominus dolores, qui eam comitantur, tam vehementes sunt, vt miserlæ præ eorum immanitate, aliorumque symptomatum frequentia, sæpè animam exhalare debeant. Sic *sacra scriptura* atrocissimos dolores parturientium exprimit. Vid. *Isaiæ c.* 21. 26. *&* 27. *Ierem. cap.* 48. 49. *&* 50. *Iohann. cap.* 12.

PARS AFFECTA.

§. 2. Vnanimi Authorum consensu pro parte affecta habetur vterus, cum suis vasis, qui vterus vel afficitur, vt aiunt, per essentiam, vt vitio proprio vel temperamenti, vel conformationis: vel secundò per consensum, quando nimirum totum vel morbis, vel defectu vitium laborat.

DIAGNOSIS.

§. 3. *Signa* partus difficilis partim à parturiente, partim ab obstetrice, & adstantibus cognoscuntur, præterquam quod & ipsi longitudo temporis, & dolores, torminamateria, &c. patefaciant. Nam torminaquælenta sunt, & languida, & quæ in lumbos potius & abdomen, quàm in ipsum vterum terminantur. 2. quæ grauia sunt, & quibus fœtus nihil promouetur, partum omninò difficilem ostendunt. Sed quæ causa sit, ab obstetrice explorandum, quæ quomodo cum matre aut vijs comparatum sit interroganda, sola enim ea hæc referre potest, propter morem hic & alibi receptum, matres scilicet, excepto graviore necessitatis casu, huic rei solas fœminas præficere.

Sic etiam è causis præcedentibus partus futurus difficilis iudicatur, si nimirum omnia circa matrem, fœtum atque vterum non ritè processerint, si quoque mulier alias difficili partui obnoxio fuerit, vel nimis iuuenis, vel senex est.

Naturalia & communia partus signa sunt, dolor lumborum, molis ipsius ventris versus pubem decubitus, respiratio citata, aliaque: sed quæcunque insolita hic occurrunt, vel in excessu, vel in defectu difficilem fore partū arguunt. Duo tamen sunt potissimum signa difficilem partum concomitantia, 1. Dolorum carentia, quos in naturali partu alias *Rachammelka* ope spirituum animalium excitat ad protrudendum fœtum, hinc mala hedera est, si dolores partus vel sunt nulli, vel insufficientes, vel languidi, & per longa interualla repetunt, & ad dorsum potius quàm versus pudenda vergunt. Vnde *Aristotel. 3. hist. animal. c. 9.* inquit: *Quibus aluum termina vehementer exercent, citissime pariunt, quæ lumbos dolent vix pariunt, quæ imum ventrem expeditius*. Alterum est aquæ puta ordinariæ ante tempus effluxus. Peculiare enim difficilis partus signū est: quando diebus aliquot ante partum copiosa profluit ab vtero aqua, & consequèter viæ angustiores præcludunt exitū.

Partus difficilis censetur, si vltra XXIV. horas duret, tum si dolores, aliaque gra-

grauia ſymptomata in partu, aut poſt partum torqueant.

Ratione matris an ſit debilis, vel alijs morbis fracta conſtabit ex propria relatione.

Ratione fœtus cognoſcitur partus difficilis, ſi tarium vel languidius ſe moueat, periculum enim eſt, ne moriatur aut ſuffocetur: Si menſes vel ſanguis effluxerint, vel ſi ſecundina prius exeat: Si mammæ matris, quæ turgidæ antea erant, ſubito extenuentur, & lac copioſum vel aquoſum fundant, fœtum malè ſe habere denotant iuxta aphoriſmum *Hippocrat. ſect.5. aph.2.* Si ſint gemelli, tunc etiam nota eſt, futuri partus difficilis: Sic etiam ex vagitu fœtum debilitatum colligere eſt. Fœtus verò mortuus cognoſcitur, quando à motu antea vegeto prorſus ceſſet fœtus, & mater ſe mouens eum inſtar lapidis de loco in locum delabi ſentiat, & ſic nulla motio amplius in fœtu percipiatur, quæ tamen antea percipi ſolebat. Cuius rei & nota eſt, quando pudenda & abdomen frigeant, & naſus, & quandoque, ſed iteratis vicibus vniuerſum corpus inhorreſcat, dein quando facies, & oculi matris immutantur in colore, nitore, ſimilibuſque alijs. Si ex mammis collapſis lac ſubito profluat; adde & hoc, quando ex pudendis ichor, aut alia effluat materia putrida & fœtida; quando febris, palpitationes, & animi deliquia, & ſyncope animaduertuntur; inprimis verò dignoſces ex cauſis grauioribus prægreſſis fœtum enecare aptis.

Via an in culpa ſint, obſtetrix tactu explorabit. Secundinas duriores eſſe, nec rumpi poſſe cognoſces, quando parturitionis labores perſeuerant, & nihilominus aqua non effluit, hic iuuamen exposcit lanitor vteri exoſa ſui deſtructionem, quare membranę hic digitorum vnguibus ab obſtetricibus aperiri debent.

CAVSÆ.

§.4. Antequam ad *Cauſas* partus præternaturalis accedimus, prius partum naturalem inſpiciamus, de partu enim p. n. nemo docebit bene, qui partum naturalem non conſideraſſet prius exactè, cum quicquid ab ipſo plus minuſue recedit, pro partu læſo habendum ſit, prout loquitur *Syluius*.

Conſideratur autem in partu naturali tum *tempus* tum *modus* partus.

Tempus ergo ab omnibus ferè Medicis, partus ſcil. humani, ſtatuitur finis noni ab vteri geſtatione menſis, quod vſitatum tempus obſeruatur ſemper, nec tantum fœtu exiſtente viuo, ſed etiam mortuo.

Partus ergo naturalis contingit circa ducenteſimum, & tertium ſeptuageſimum diem, vel vigeſimam nonam ſeptimanam, vel nouum menſem ſolarem non lunarem. Partus dantur & ſeptimeſtres. Sic noui familiam honeſtam, & inter Senatores ferè primariam, in qua hoc obſeruauit factum, vxor enim eius filios ſex vel ſeptem ſeptimeſtres vitales progenerauit. Sic & hodie plures notaui fœtus humanos tum viuos, tum vitales vltra nouum menſem editos. Sic & noſtra obſeruatione partus octimeſtris viuus & vitalis eſſe poteſt, præter enim plures alios fœtus octimeſtres non tantum viuos & vitales quos notaui, filius meus primogenitus eſt fœtus octimeſtris, qui excurrit annum ſextum. Confert de his *Syluium Drelincurtium*, Profeſſores celeberrimos Batauos. Matris enim animi paſſione, inprimis mœror grauis, & ſollicitudines impedire poſſunt, quin ſerius ad exitum fuerint, apti fœtus, vt quotidie videmus fœtus infirmiores ob matris affectum corporis vel animi grauem, mœrorem, terrorem, moleſtum aut frequentem, iram, aut alimenta vitioſa, aeriſque mutationes noxias, vel nimias vigilias, vel corporis defatigationem crebram.

Fœtum ergo ſeptimo menſe tentare exitum ſtatuere falſum & ridiculum eſt, id enim nulla ratione ſolida, nullaque experientia certa comprobari poteſt, quia grauidæ finitio ſeptimo menſe non percipiunt partus dolores ac conatus, prout optimè etiam annotauit *Syluius*. Prodit enim iuxta ipſum fœtus ſeptimeſtris, quando idem ſolito maior, tum quando matris vterus explicationem ampliorem ferre non poteſt, tum quando aeris æſtus ſummus citius exſiccat comiſſuras placentæ atque vteri, vnde facilior fit vtriuſque partis ſeceſſus, vel aliquid aliud accidit, quod idem efficiat. Tempus

pus ergo partus naturalis est circa finem noni mensis *solaris*. Atque hæc sufficiant de tempore partus humani naturali; quoad modum verò sequentia notanda sunt.

Modus ergo maxime naturalis habetur, quando fœtus humanus prono capite in lucem prodit, subsequentibus scapulis, mox reliquo corpore, vel si vtraque manu subsequente capite exitū quærit ac inuenit, modus quoque naturalis censetur, quando fœtus vtroque pede subsequentibus omnibus, hinc abdomine, mox pectore, tandemque capit prodit.

Quæ omnia contrà accidere solent, vel culpa aut matris, aut infantis, aut vitio obstetricis, aut vitio viarum, aut denique culpa causarum externarū contingunt.

Et mater quidem in culpa esse potest, 1. quando debilior est, vel ægrotat, & quando ipsi vires deficiunt, vel ob diuturnum morbum, tusses diuturnas, vigilias nimias, dolores, solicitudines, nimia corporis exercitia, vel ob euacuationes nimias, alui, sudorum &c.

2. Fit & partus difficilis, quando mater nimis iuuencula est, aut annosa, quia tunc viæ sunt ineptæ, & vagina vteri est magis in his subiectis constricta & angustior.

Non succedit partus 3. matris culpa, quando illa dolori & torminibus resistit, & in ipso partu malè se componit ad pariendum, nec alijs adstantibus mulieribus bene monentibus, vt anhelitum retineat, & versus pubem comprimat, morigera est.

Partus quoque malè succedit, quando mater morbo aliquo vterino laborat grauiori, vel partium quarumcunque vtero vicinarum, ob herniam scilicet vteri, vel si coalucrit vteri vagina, &c.

Sic & malè contingit matris culpa partus, quando ipsa in medio partu moritur, vnde tunc rarò gignitur infans, qui plerumque Chirurgiæ tantum ope, abdominisq; materni apertione exsecatur.

Fœtus verò culpa malè contingit partus, quando is vel toto suo corpore, vel capite, humerisque maior est latior, quàm vt commode per angustam illam viam exire possit; vel numero plures sint, aut monstrosi; vel quando aut ægrotat, aut infirmus est adeoque partum sui promouere nequit; vel quando malè conuersus est, iacetque vel pronus vel supinus, vel in alterum latus vel quando cum vno pede natibus, genubus, aut vno brachio primò prodit, vel quando vasa vmbilicalia circa collum, aliasque partes circum voluta sunt, vel quando secundina intempestiuè ab vtero secedit, vel primùm exit; vel quando membranæ fœtum inuoluentes duriores sunt, & solidiores, vt fœtus perrumpete nequeat? vel quando fœtus est, qui sæpe in vtero materno, vel in ipso partu, vel ante partum vita priuatur. Prioris quidem causas iam vidimus, posterioris verò mortis scilicet variæ esse possunt causæ, vt 1. morbus aliquis grauior maternus, qui fœtui tenello communicatus eum exstinguit, & perimit conualescente matre, 11. vel affectus aliquis grauior ipsius fœtus vndecunque ortus; vel 111. defectus succi nutritij, & alimenti necessarij; vel 1v. morbi vterini tempore gestationis in vtero oborti; vel v. fœtuum in vtero pluritas, propter quam sæpe vnus alterque exstinguitur; denique v1. infortunium à causis externis siue necessarijs, siue non necessarijs, & contingentibus, ictu, casu, contusione, vulnere, vasorum disruptione, & similibus alijs.

Sic etiam partus difficilis oboriri potest culpa obstetricis, vel aliarum mulierum adstantium, si officio suo non ritè fungantur. Obstetrix scilicet, si vel ignara est rerum agendarum, vel audax, vel temeraria, neque curet quarum de corio laudatur, vel, quod ordinariò accidit, nimium festinans, vel ebria, quæ largiùs Baccho quam Lucinæ litat, aut maleuola, ausim enim dicere plurimos infaustos successus hoc modo fieri, imò plurimas mortes contingere. *Confer Terentium in Andria*:

Sane pol temulenta est mulier, & temeraria, nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.

Adstantes verò in causa esse possunt, vbi obstetrici non parent, aut perperam agunt, quæ illis agenda erant demandata.

§. 5. Inter *nonnaturales causas* memorandus aer frigidus, sicciorque, borealis nempe, cui grauida corpus si exposuerit, genitalia is constringit, nec dilatari sinit, tempore enim hyberno partus difficiles vt plurimum ingruunt, multo enim acido constringente imprægnatus aer parturientes offendit. Sic & nimis calidus sæpe ansam huic dat affectui, quia is vires prosternit, quibus opus habet parturiens ad laborandum.

Causæ externæ sunt alimenta frigida, humida, acida, salsa, austera, acerba, adstringentia, cruda & corruptioni obnoxia, vt fuctus horarij æstiui, tempore gestationis immoderatius ingurgitati. Nocet quoque potus frigidus æstuante corpore assumtus. A potu glacie frigefacto bis fœtum mortuum, & planè sphacelatum, obseruaui.

Somnus & quies nimia, quemadmodum & exercitia immodica, propter quæ & ante tempus malè conuertitur fœtus. Animi affectus subitanei & grauiores, vt ira, excandescentia, tristitia, mœrores, solicitudines, &c. & denique multæ excretiones suppressæ, vt suppressa vrina, quæ quamdiu non excernitur partum remoratur, & difficilem reddit, fæces in intestinis crassiores ac duriores.

Astrologorum sententia est *Influxum Astralem* tradunt etiamac difficiliorem partum præstare, si Luna & Venus in octaua domo infaustis maleficorum adspectibus irradientur & retrogandus adscendentem obsederit. Sic *Iob. Theod. Schenkius* notat in *Collegio suo Problematico* historiam notabilem, quod nimirum Consulis cuiusdam Vvittembergensis vxor ipsa *eclipsi* filiam fusci coloris, & horribilis adspectus in hanc lucem ediderit, à cuius conspectu adstantes valde perterriti fuerint, discussa tamen eclipsi color & forma ad naturalem mutati, & parentes bene formatam filiam nacti fuerint, qui casus in memoriam mihi reuocat alium, qui Limburgi ad Lanam contigit in vxore hospitis ibidem *D. N. VV. quæ Anno 1675. die 3. Septembris* tunc temporis nulla existente eclipsi peperit filium instar Æthiopis cum admiratione adstantium, qui verò color post tres dies nullis adhibitis remedijs euanuit, & infans fuit alij similimus, & albus. Sic effectus plurimum euentum adscribimus causis, quibus non adscribendi sunt.

Reijcimus erga vanorum Astrologorum concursus planetarum, aliorumque influxum hoc in affectu aliquid denotantes.

PROGNOSIS.

§. 6. Omnis partus difficilis vt laboriosus, sic etiam periculosus est aut matri, aut fœtui, aut vtrique, inprimis si vel mater, aut fœtus ægrotent, aut languidi sint, & debiles, vel si nimis aut iuuenculæ, aut vetulæ, vel si cum altero brachio fœtus primùm prodeat, qui quidem modus est peioris notæ; fœtus si vasis vmbilicalibus circa collum aliquoties inuoluatur pro pessimo habetur signo, attamen obstetrix *Hanouiensis* sanctè affirmauit, se plures sune tali circumligatos à periculo vitæ liberasse. Hunc partum difficilem sæpe sequuntur ruptio vasorum pectoris, hinc oritur phthisis, sanguinis sputum, molesta tussis, dilatatio colli partium, inde scrophulæ, quale exemplum *Hanouiæ* contigisse noui. In alijs rumpitur peritonæum, sequuntur herniæ tum vmbilicales, tum inguinales, quibusdam pupillæ dilatantur, læditurque visus, quædam vexantur stranguria, interdum sequitur claudicatio, sterilitas, nimia amplitudo, deformesque ventris rugæ, vaginæ vteri procidentia sæpe in partu contingit difficili, siquidem violentiori tractione, quæ continebat, non rarò sequi cogitur, & nisi blande reponatur, alia symptomata plura producit: Fœtus, vbi aquæ ab vtero diu sunt elapsæ, in magno versatur periculo, nam aquæ illæ inseruiunt pro respirationis materia, sicut nobis aer, nam in inspiratione assumit eas, redditque iterum in exspiratione. Cum igitur aquæ illæ deficiunt fœtui idem est, ac si nobis eriperetur aer, adeoque fermentationes cordis fœtus magnũ sufflaminationis incurrunt periculum. Propter elapsas illas aquas difficilior adhuc redditur partus quia partes tunc ficcæ fiunt, quæ glabræ esse debeant. vt fœtus melius excludi possit.

Exterma si frigeant, lethargus, sudor frigidus, syncopticusque, respiratio difficilis, deliria, conuulsiones, tristitia, despe-

desperatio, risus Sardonius, &c. haud fallaces mortis insequentis sunt prodromi. Spem verò bonam facit mater, si est hilaris, ac constantis animi, vires quoque sufficientes adsint, si sternutamentum superuenerit bonum est elogio *Hippocratis sect.5. aphor.35.* Quando partus difficilis adest, cum omnibus requisitis bonis non desperandum est. Paralysis alterutrius cruris aliquando remanet post partum difficilem. Huc spectant aphorismi *Hippocratis s.5. aph.35. s.5. aph.46. 55.*

§.7. Mortuum verò fœtum sæpe quoque mortem matri inducere quotidiana constat experientia. Molestum ergo est, & valde periculosum fœminæ fœtum in vtero mori, siquidem difficulter excluditur, fœtu iam nihil cooperante ad partum & ni excludatur, varios tum in vtero, tum in vicinis partibus, inflammationes, tumores &c. tum verò in toto corpore morbos efficiti; Imò sæpe ipsam affert mortem, ceu plura exstant exempla. Plures tamen, quæ vegetæ sunt, & robustæ, & quibus loca muliebria vel ampla sunt, vel facilè dilatantur, aliquando ab eo liberantur.

CVRA DIÆTETICA.

§.8. Restat nunc perspecta *Prognosi*, vt de *Diæta* puerperæ post partum difficilem prospiciamus. Aer ergo sit paulò calidior, & frigidus omnis vitetur, quantum enim is vel ad vterum incautius tunc admissus, vel totum etiam corpus ambitu suo alteret puerperas, pluria tristia nos docent exempla. Hinc enim sæpe sanguis quasi coagulatur, gumescit, & dolores, tormina, anxietates, lypothimiæ, & febres sæpe numero morbi grauiores promti sequi solent. A calido omnes bene se habent, inde enim disponuntur ad sudores, qua diaphoresi præseruatur corpus à purpura, aliisque puerperarum affectibus alias solennibus. Quoad cibum is sit talis, qui lochia secundum naturam fluentia non sistit, nec nimis promouet, in quo sæpe puerperarum salus consistit. Omnes ergo cibi acidi, crudi, flatulenti, exulent. Nocent quoque omnia pinguia, salsa, austera, fumo indurata, & frixo, item lacticinia. Laudantur verò pulli, perdices, lepores, iuniores, carnes vitulinæ, agninæ, & bouinæ iuniores, iusculæ gallinaceæ, & auenaceæ, cum passulis minoribus prosunt. Noui enim plures Illustres personas, quæ iure caponum, vel carnium tempore hoc seu primis maximè diebus loco potus & ciborum contentæ sunt, & quidem cum magno emolumento. Vinum, vt & alia gerosa, maximè puerperis obsunt, exinde enim sæpe incurrunt in febres acutas & lethales. Plura scio exempla.

Quoad motum & quietem optimè faciunt puerperæ post partum ad minimum per nouendium se lecto affigant, extra enim oleas, seu lectulum, vagari primis diebus periculosum est.

Excreta, & retenta naturali fluant modo.

Animi pathemata sint moderata, studeatur hilaritati, nocet enim ira, & mœror.

CVRA PHARMACEVTICA.

Antequam ipsam medendi methodum aggrediamur, præmittemus pauca de officio obstetricis. Sit autem *Obstetrix fidelis* & iurata, ne partum aliquando falsum pro vero supponat, vel infanti acicula cranium proferet, vel vnguibus digitorum aliquid laceret; sit pietate & modestia clara, sit vidua, & non iuuenis, sed prouectioris vel mediæ ætatis, non sit loquax, ebriosa, vel arrogans, non rixosa, vel auara, sit laboris patiens, non decrepita, quæ scilicet ob virium vel visus imbecillitatem, aut manuum trepidationem rem non ritè faciat, sit Anatomiæ gnara, præsertim circa genitalia muliebria, tempus quoque partus bene noscat, dolores etiam dignoscat, neque alios ventris dolores colicos pro partus ingruentis doloribus reputet, vagosque pro constantibus habeat, & ita miseram puerperam, vt, proh dolor! quotidie fit, ad labores frustra adhortando vire eius conterat. A magistratu, cui salus subditorum cordi est, peritis Medicis, antequam officio præficiatur, examinanda tradatur.

Si ergo obstetrix ad parturientem vocatur, omnia quæ circa ipsam tractandam necessaria, caute præuideat, obseruetque, si difficilius procedat negotium, alias prudentes sibi adiungat, hilari, vultu ex-

cipiat paturientem, promittendo illi faciles labores, vetet ne parturiens acida assumat, ventos quoque clausis fenestris & ianua ab illa, nisi ad recreationem, arceat.

Instante verò partu grauida commode locanda est, optima est sella, in qua ponatur fœmina; aliæ verò lectum eligunt, aliæ amant stando, ac ad lectum se inclinando parere. Locum ante parientem occupet decliuiorem obstetrix, præmissa exploratione, pudendum ventris, perinei, parteſque muliebres oleo amygdalarum dulcium, seu liliorum alborum illinat, obseruetque dolores, ac vteri aperturam, vt parientem ad conandum, seque iuuandum adhortetur; instituat quoque, si vterus se non ritè aperiat, fumum ex semine carui, vel cumini, quod egregium est. Potest etiam re non ita succedente, suadere parienti, vt surgat, ac leni deambulatione siue per se, siue ductu aliarum exitum fœtui paret.

Diductis postea labris si viderit os vteri interim apertum, fœtumque capite ingressum, iubeat parientem, vt compresso anhelitu, sufficientique corporis motu partum promouere non desistat, vna etiam parientis abdomen leniter comprimendo expulsione velificat.

Membranas duriores, infantemque cingentes vnguibus cautè, ne fœtum lædat, aperiat, cæterum situs vitiosos dexteritate sua ita dirigat, vt præuio capite, qui modus optimus, in hanc miseriarum vallem ingrediatur. Egredientem fœtum obstetrix subtiliter attrahat, cauendo ne, corpore adhuc molli, quid distorqueat, vel laceret. In lucem edito fœtu, sanguis, qui in vasis vmbilicalibus existit, versus infantis vmbilicum comprimatur, & relicta parte quatuor digitorum transuersorum longitudine ea abscindatur, vino abluatur, & vmbilicus filo proximè ad ventrem, pollicis à ventre distantia constringatur leniter.

Si in partu infans quasi semianimis in lucem prodeat, cura habenda, ne plane exstinguatur, ideoque obstetrix prudens spiritum ipsi infanti, aromata mansa, & halitus affiare & adspirare debet, linguæ vel ori instillet guttam aquæ vitæ vel alius spirituosæ, narium quoque foramina, & pulsus spirituosis sunt illinendi. Secundinæ postea sunt extrahendæ, quod fieri debet vel abdominis compressione & labore à puerpera sola, vel obstetrix manum oleo calide intinctam in vterum immittat, easdemque attrahat, sin vteri parti alicui accreuerint, sedulo danda opera, ne violenter abrumpantur, se leniter hinc indè trahantur, ne damnum inde oriatur.

Tunc puerpera monenda, vt complicatis cruribus, ventre verò ligato fasciis in lectum calefactum decumbat, lochiorumque fluxum exspectet. Interea obstetrix infanti sordex mucumque abstergat solito lauacro, in quo plantæ cephalicæ, ne lauacrum sit nimis calidum, quod infanti summè noxium, imò sapè mortiferum. Confer. *Medicinam D. D. Ammani cas. 76.*

Hæc sufficiant dicta de statu partus ordinario & naturali. Sin figura præternaturalis se offerat, obstetrix tum proprio, si callet, tum Medici potissimum consilio maximè situm attendat parientis. Matrem igitur si Medicus offendit debilem (Curatio enim primariò consistit in matris, & fœtus corroboratione, vt ambo laborioſam hanc sustinere possint prouinciam) varia præscribat corroborantia & analeptica. In quem finem prosunt vinum calefactum cum macere, vitell. oui & saccharo, addito croco; vel detur aliquoties confectionis alkermes, quantum cuspide cultri capi potest; inungatur vmbilicus matris vino maluatico, vel aqua Anhaltina, vel balsamo vitæ, vel imponatur cum pane tosto. Sic & propinetur cochlear vnum vel alterum balsami embryon. Ventri quoque imponatur panis mellitus Norimbergensis cum vino Maluatico, vel alio aromatico imbutus, item cum puluere cinnamomi, caryophyllorum, &c. insperſus.

Matrem, fœtumque roborabis cardiacis, spirituosis aromaticis, salibus volatilibus, & similibus, & similibus alijs internis cum specificis maritatis vsurpandis. V. gr.

℞. ▽ *vorismar.*
cortic. aurant. ana ℥j.
vitæ Matthiol.
Tincturæ cinnamomi ā ℥ß.

Con-

Confect. hyacinth. vel alkermes ʒj.
Aqua * *ci aromatiz. gt.* xij.
ol. destillat. mat. gt. iij. *succin. gt.* ij.
sirup. menth. vel cinnamom. ʒvj.
Vel: ℞ *Salis volatil. aromat. vel oleos.* ʒj.
ol. cortic. aurant.
macis, succin. ana gt. v.
Mixta sient in digestione.

Dosis guttæ circiter xx. ter quaterue de die cum vino generoso, vel Hispanico.

Secunda intentio Medici consistit in viarum dilatatione, & lubricatione. In quem finem optimè instituitur ante partum insessus, seu semicupium ad facilitandum partum. Sequens commendat: *Nob. Ettmuller*:

℞ *Herb. maluæ, althææ,*
meliss. flor. chamomill. ana m. ij.
malu. melilot. ana m. j.
semin. lin. fœni græci ana ʒiij.
rad. althææ ʒiv.
Incis. dentur ad chartam.

Decoctum horum grauida insideat, quamdiu cum euphoria fieri potest, idque ferè alternis diebus imminente partu. detersa madore in lectum se componat, illinendo postmodum lumbos, regiones vmbilici, & lumborum, linimento ex mucilagine seminis lini, fœnugræci, althææ, ol. amygd. d. lilior. alborum.

Pinguia omnia hic conducunt, oleum oliuarum recens, oleum raparum, adipes, & seba animalium, quibus quascunque partes attingere potest obstetrix ritè inungat. Hic & conducet fotus ex mente Syluij sequens:

℞ *Rad. althææ* ʒj.
fol. eiusdem,
maluæ ana m. iß.
summitat. melilot. m. j.
semen. fœnugræc.
lini ana ʒiij.

Concis. & crasse contusa coquantur ex aqua pura, & per horæ quadrantem à cubitum itura excipiatur vapor adscendens, id toties repetatur, donec vis exoleta sit plantarum decoctarum, tunc enim recentibus vtendum.

Si post partum collum, vel vagina vteri coaluerit, vnde via præcluditur sæpè fœtui exituro, soluendus est ante omnia in tempore iste coalitus, & cicatrice leui obducatur.

In plethora, quoniam ob sanguinis copiam vires tam matris, quam fœtus obrutæ sæpe langueſcunt, consultum erit venæ sectionem instituere, quo spiritus plasticus sanguinis onere liberatus eò alacrius excludendo fœtui ope spirituum suorum animalium se accommodet, in quem finem saphæna aperiri potest.

Si aluus obstructa sit, & fæces induratæ clysteribus partum remorantem facilitare possumus, quibus addenda sunt & vterina, stercora enim dura fœtui egressum impedire possunt. Ex. gr.

℞ *Rad. althææ,*
maluæ ana ʒj. *lilior. albor.*
bryon. ana ʒß. *her. 5. emollient.*
flor. melilot.
chamomill. ana mß.
cheir. p. j.
semin. fœnicul. ʒij.
Coq. in lact. q. s. add.
electuar. lenitiu. ʒß.
ol. momordic. ʒß.
spec. diacastor. ʒ. j.
mell. rosac. ʒß.
F. l. a. Enema.

Oleum momordicæ hoc in casu magni facit *Celeberrimus D. D. Volkhmerus, Archiater Reipubl. Norimbergensis, Amicus noster singularis*, quod commendat ad illinendum orificium vteri.

Vbi verò membranæ crassiores sunt, quàm vt fœtus illas perrumpere possit, hoc oleo inungi possunt:

℞ *Ol. Nucum,*
sapon. Venet. ana ʒij. *M. D.*

Vel obstetrix, ceu dictum, vnguibus, vel scalpello, vel lancetta aperiat.

Si carnis excrescentia, aut verruca viam obsederint, illæ debent prius curari, cui scopo inseruit vnguentum ad verrucas aliaque ex Chirurgia petenda.

Sic & si alij affectus vteri adsint, ij priuandi sunt appropriatis, & iam dictis remedijs.

Sic & hæmorrhagia per vterum & vesicam grauidis facta, sistenda cum adstringentibus, inprimis opiatis, diascord. &c. Æstus quoque corporis si adsit, sedandus est; quæcunque enim causæ partum remorantes, remouendæ sunt.

Symptomata enim varia sunt, quæ pro re nata prudenter, & vt rei postulat neces-

necessitas mitiganda aut præuenienda sunt. Hic verò pellentia seu hæmenagoga, quæ specifica proprietate pollent, siue sola, siue cum alijs confortantibus mixta, omne ferunt punctum.

Laudatissimus inter hæc est borrax experientia celebratus, vnde basin constituit ferè omnium partum promouentium. Ex sequente pulucre plures admirandos effectus vidimus, hinc & Serenissimæ cuidam Principi pro secreto est. Ex gr.

℞. *Succin. præp.* ℈ß.
borrac. Ven. gr vj.
pulu. stomach. gallin. gr. v.
M. F. pulvis, detur in triplo, cum mixtura sequenti, vel alio vehiculo propinandus:
℞. ▽ *puligij, meliß. ana* ℥j.
rubr Danic. ℥ß
Tincturæ castor. ℥ß. *M. D.*

Quæ mixtura potest & per se cochleatim exhiberi.

Sequens mixtura & multis effectibus est celebris:

℞. ▽ *cinnamom. puleg.*
lilior. albor. ana ℥j.
fell. anguill. ℥ß.
borrac. cinnabaris antimon. ana ℈j.
Spir. secund. human. ℥ß.
sirup. de pæon. ℥vj. *M.*

Arcanum & nostra experientia est pulvis rasuræ cornu Rhinocerotis à gr. vj. ad x. in aqua verbenæ aliquoties exhibendus.

Hic etiam conducunt omnia myrrhata, inprimis flores Sulphuris myrrhati, qui difficiles accelerant partus, quod & faciunt omnia succinata, aliaq; volatilia. Sequens mixtura non inconueniens est:

℞. ▽ *matricar.* ℥ij.
cinnamom. ℥ß. *borrac.* ℥ß.
myrrhæ ℈j. *Salis volatil. succin.* ℈ß.
sirup. de cinnamom. ℥iij.
M. D. pro duabus vicibus, vel detur cochleatim.

Vel: ▽ *lilior. albor. pulegij ana* ℥j.
cinnamom. ℥ß. *Spir. fulgin.*
pulu. secundin. præpar. ana ℥j.
sirup. de canell. vel artemis. ℥ß. *M. D.*

In forma pulueris sequens quoque erit proficuus ad partum accelerandum:

℞. *Testicul. eq. exsiccat.* ℥j.
borrac. ℥ij.
Cinnamom. croci ana ℈ß.
F. pulvis dividendus in tres partes æquales.

Sequens laudat Hoffmannus:

℞. *Borrac. Veñet* ℥ß.
glaciei Mariæ ℥vj.
M. D. Dosis à ℈j. *ad* ℥ß. *in aqua cinnamomi.*

Helmontius in partu difficili pro arcano censet hepar anguillarum, serpentum, &c.

In aquarum mora etiam prodest tomentum cum herbis emollientibus.

In aquæ prolapsu immaturo conuenit oleum liliorum alborum, vel amygdalarum dulcium tepidè applicatum, & linimentum ex mucilagimibus rad. & semin. althææ, lini, fœnugræci cum ▽ maluæ extract.

In partu difficili præter varia vegetabilia laudari merentur Tincturæ castorei, succini, croci, oleum succini alb. cranium. C. C. fulig. sanguin. hirci, ol. Tartari fœtidum, efficaciores sunt pulueres ex secundina humana additis trochiscis de myrrha, aut borrac. aut ex ea cum vini spiritu extracta Tinctura additis olei sabinæ guttis aliquot.

Sequentem non inconuenientem potiunculam habet *Balthasar Timæus*:

℞. ▽ *meliss. cinnamom. hysteric. ana* ℥j.
myrrh. ℈j. *croci* ℈ß.
M. F. potus calidè sumendus.

Externa verò multa sunt, quæ partum accelerant, vt fernutatoria, fomenta, aut sacculi abdomini applicati. Amuleta, siue de collo suspensa, siue genubus, vel cruribus, vel stomacho applicata, qualia sunt lapis aetites, hæmatites, magnes, styrax calamita, cutis tigris aliaq; linimenta sunt sæpe optima. Ex. gr.

℞. *Vnguent. dialthææ* ℥vj.
axung. serpent. ℥ij.
coturnic. ol. cheirini lilior. alb. ana ℥j.
succin. ℈j. *M. D.*

Ligaturæ quoque institui possunt cingulo cutis humani vel cerui, quæ & alia iuuant quatenus compressionem abdominis iuuant.

Quibus omnibus si non promoueatur partus, doloresque crescant, moriendum matri aut infanti, aut vtrique, nisi ad Embryulciam, tanquam ad vltimum remedium

medium in hoc casu confugiatur, de qua re vide Nuperum *Hagiensem Autborem*, item *Barbette*, *Nicolaum Fontanum* &c. vel ad sectionem Cæsaream, quæ instituitur vel viua matre, vel eadem mortua; hæc nihil habet dubij, impunè enim secare licet mortuum eadauer, vt viuus in lucem prodeat, carceri inclusus fœtus. Sic *Scipio Africanus* prior defuncta matre excisus est vtero, & primus *Romanorum Cæsar* dictus, quod alij falsò attribuunt *Iulio Cæsari* primo *Imperatori*. Hinc etiam cautum & *lege Regia Dig. l. 2. L. 8. de mort. infer. & sepult. ædif.* prægnantem mortuam non nisi infante prius excisò sepeliendam. Sed maturè id fieri debet, vix enim fieri potest iam ablato calore corporis materni, quia sine eo vix fœtus superstes esse potest.

Illa verò, quæ viuente matre institui debet, dictu quidem facilis, factu difficilis, & terroris plena est hæc sectio, non verò impossibilis, vt plura habemus exempla, ita nisi extrema vrgeant, & iussus, vel alia prægnanti de causa motus Medicus, non aggrediatur eandem, inde enim conuulsiones, & mors facilè oriuntur. Quæcunq; enim successerint præter spem mala, vti fieri solet, non tam fato, quàm Medico tribui solent. Quomodo verò hæ sectiones institui debeant, in *nostra* videre poteris *Encyclopædia Chirurgica*.

§. 9. Nunc pergamus ad Empirica, quæ partum singulari & specifica vi accelerare possunt. Quilibet hoc in affectu fouet arcanum, immo nulla est muliercula, qui non iactat hoc in affectu specificum.

Nostra experientia frustulum cutis tygris femori sinistro alligari potest, inde enim plures effectus vidi.

Alij cor gallinæ nigræ sinistræ alligant coxæ.

Ioh. Agricola ad partum difficilem, secundinam & fœtum mortuum expellendum, nihil melius esse inquit, quàm *aurem potabile*.

Petrus Bayrus ligat parturienti radicem cucurbitæ supra renes, quæ inde, vt ille ait, statim pariet.

Iul. Cæs. Claudinus ad dolorem in partu excitandum exhibet aq tepid. ℥j. *Mell. q. s.*

Hermann. Corbæus Gynæcei l. 3. c. 5. pro secreto infallibili obtrudit sequens:

℞. *Rad. vrtic. coq. in vino, & in eius vini hausto exhibeantur pulu. cinnamom.* ℈j. *croci* ℈j. vel succin. albi, & simi accipitris alb. ana ℥ß. cum vino detur.

Cland. Deodatus vult, vt mulier lauri folia ore mandat, quæ & ligentur super vmbilicum.

Ad coxas verbena cum polypodij radice ligetur.

Franc. Osuu. Grembs in partu difficili commendat lap. spec. ℥ß. cum vino albo potam: item oculos leporis mense Martio capti.

Phil. Grulingius inquit *Med. Pr. l. 4. part. 4. c. 4.* In partu difficili præsentius non reperitur sequenti: Da Patienti particulam de boleti ceruini quantitate minoris fabæ, vt masticet ipsam parumper, tunc iube, vt vnam partem de eo vmbilico inungat, alteram partem masticet.

Ioh. Bapt. ab Helmont init. Phys. Ius Duumuiratus ad partum difficilem iecur simul cum felle anguillæ siccatum, & pulueriſatum ad magnitudinem auellanæ sumptum magnificat, Donumque Dei in hoc simplici experimento esse inquit.

Experimentum sequens ad partum difficilem habet *Conrad. Kuhnrad. Medull. defibrillator p. j.*

℞. *Cancr. ix. No. 2. contund. & exprim. succum add. e pingued. vulpin. & leporin. p. æq. solu ad ignem, add. succos superiores. M. F. vnguentum.*

Idem dicit, sæpissimè probatum est, si Rosmarinus contundetur, & in aceto per xxiv. horas maceretur, & de hoc aliquid vmbilico parturientis alligetur, & simul internæ succini præparati ℥ß. cum vino vel aqua artemisiæ detur.

Idem ait Experimentum certum esse, si parturiens aliquid vrinæ sui mariti assumat.

Simon Paulli pro arcano venditat sequens in partu difficili minimè fallax:

℞. *Semin. lauend. ℥ß plantag. endiuiæ ā* ℈j. *piper* ℈j. *M. F. pulvis, capiat patiens cum aq. caprifolii & endiu* ℥ij. Vel: ℞ *semin. lauendul ℥ß. succin. alb. horrac. ana* ℈ij. *ol cinnamom. gt. ix. M. F. pulvis pro tribus dosibus cum vino Rhenano.*

Franc.

Franc. Ranchinus habet sequens: Detur sperma ceti ad ʒij. cum aqua cinnamomi, aut decocto Matricariæ & Artemisiæ.

Eustachius Rudius longa experientia sequens comprobatum esse dicit:

℞. *Cortic. cass. fistul.* ʒj.
asar. cinnamom. croc. sabin. ana ʒß.
M. F. pulvis. Dosis ʒj.

Iob. Andr. Smitzius commendat quinque vel iv. grana iuniperi.

Martinus Schmuck duas exhibet particulas rad. lilior. alborum. Idem propinat aquam, in qua duo ova ad duritiem cocta fuerunt.

Iohan. Schræderus lachrymas, seu sordes ceruorum difficili partu summopere laudat ad gr. iij. exhibenda.

Daniel Sennertus exhibet guttulas aliquot liquoris è ligno coryli destillati in aqua conuenienti; laudat quoque secundinam exsiccatam; amuleta ex exuuijs serpentum, quibus mulieres ligari debent, addensque partum quoque ciere corallia, iaspidem, radicem polygoni, coriandr. virid. coxæ, aut plantis pedum alligata.

Arn. Vveikardi experimentum ad partum accelerandum sequens est:

℞. *Pseudomela ab. (Raden)* ʒj. *D. c. vino malvatico.*

Glossopetram quoque in manu parturientis retentam, donec incalescat, partum iuuare dicunt.

Sic mulieres quædam ad partum facilitandum circa medium partus tempus vti solent puluere radicis fraxinellæ cum polenta, & nuce moschata vtuntur.

Si & semen aquilegiæ in partus difficultate in pollinem redactum, & ex vino sumtum maximè commendatur.

Dictamnus quoque Creticus internè & externè laudatur.

Puluerem Ægagropilarum *Zvelfferus* mirè extollit.

Rosa illa Hierichuntina in calicem vini iniecta haustum præbet ad partum difficilem pluribus æstimatum.

Ex talo leporis (*Rasensprung*) optimum paratur medicamentum ad partum accelerandum.

Nunc omnis ad curam fœtus mortui nos conferamus.

§. 11. Fœtus quandò mortuus est, atque adeo difficultas pariendi maior, quàm primùm vt expellatur annitendum, ne si putrescat, matri immania importet symptomata, mortem nonnunquam minitantia. Quæ autem fœtum mortuum educere valent potissimum sunt illa *pellentia partum*, modo dicta & omnia quæ menses potenter mouent, vt sunt, radices dictamni albi, aristolochiæ rotundæ, irid. Florent. asari, hellebor. nigr. folia sabinæ, dracunculi, matricariæ, croc. calendul. gumm. vt myrrha, aloe, borrax, ammoniacum, galbanum, sagapenum, pulpa colocynthidis, & similia alia. Nos cũ successu hoc in casu vtimur trochisc. de myrrhr. borrac. Venet. fol. sabinæ, croc. limatura Martis, &c. Nam vomitoria, quæ à quibusdam laudantur hactenus in vsum reuoluit simul non ausi sumus. Omnia balsamica, quæ siccare putredini resistunt, sunt egregia. Ex. gr.

℞. *Dictamn. alb. cinnamom. testicul. eq. borrac. ana* ʒß.
castor. myrrh. succin. ana ℈ß.
M. f. pulvis, divid. in iij. *partes æquales.*

Sequens tanquam tantorum expertissimum remedium commendat *D. Moræus*:

℞. *Flor. cheiri, borrac. Venet. succin. alb. ppt. rasur. lign. sabin. gall. moschat. croci orient. ana* ℈ß.
confect. alchermes ʒß.
margarit. præpar. ℈ß. *M.*

Assumatur cum aqua cinnamomi calidè. Vel sequẽs propinatur pro vnica dosi:

℞. ▽ *carbuncul.* ʒij.
cinnamom. lilior. alb. ana ʒß.
cordial. Herc. Sax. calid. ʒuj.
borrac. Venet. ℈ß.
sal. serpent. gr. viij.
balsam. vitæ gt. iij.
essent. croci gt. iij. M. F. potio.

Suffumigium vuarum putridarum hoc in casu laudat *Zacutus Lusitanus*. Sic & commendatur pessus *Fontani* ex radic. iuglandis. Optimè gummi sagapenum pudendis intrudi potest.

§. 12. Pharmacia nihil efficiente ad *Chirurgiam* confugiamus necesse est, & ferro tentandum, quod alijs remedijs non licet exequi.

Operatio hæc Chirurgica exequitur vel manu, vel instrumentis, h. e. vncis. Quæ prior facilior est, & securior: hæc altera

altera vſitatior, de quibus vide inſtar omnium *Tractatum Nicolai Fontani de Extractione fœtus mortui*. Nos actum hunc triſtem exercuimus ope Chirurgi *Experti ſſimi Limburgi ad Lhanam*. Hoc in caſu requiritur præter ægrę vires & cordatus artifex peritiæ Anatomicæ gnarus, ne vterus vncis aliiſque lædatur: Inſtrumenta quæ *Velſchius in Scipion. Merc. & Illemerus* deſcribit, meliora ſunt, quàm quæ habet *Scultetus*. Vide & vncos hos deſcriptos in *Ephemeridibus Germanicis*.

§. 13. Inter Empirica ſunt ſequentia ex aliorum ſcrinijs compilata.

Tobias Dorncreilius ait, ad fœtum quouis tempore, ſeu mortum, expellendum, teratur *rutha cum ſcammonio*, & cum goſſypio incorporetur, & reponatur matrici.

Petrus Foreſtus ſuccum foliorum leuiſtici recent. expreſſ. cum aqua artemiſiæ, vel cereuiſia, vel vino propinat.

Sequentẽ quoque commendat puluerẽ:

℞. *Aſſæ fœtid.* ℥ß.
ſemin. ruthæ, caſſiæ ligneæ,
lapid. dactylor. borracis ana ℥jß.
croci ℥ß.
myrrhæ, theriac. diateſſ. ā ℥j.
M. Doſis ℥j. *c.* ▽ *ſabinæ.*

Idem *Obſeruat. 76.* Cuidam ob gemellos mortuos difficulter parienti dedit decoctum artemiſiæ, ſabinæ, cum aqua liliorum, & accepit ſabinam viridem adiecto pauco crocipuluere, eamque linteolo inuolutam peſſi inſtar, & ol. lilior. immerſam iuſſit, vt in vuluam poneret, & ibidem aliquantum hæreret. A quibus medicamentis vix per quartam horæ partem mulier fœtum mortuum eijcit.

Ad quem expellendum hoc vnguento ſe feliciter vſum fuiſſe affirmat ipſe prędictus Zacutus, perinæo impoſito:

℞. *Medull. colocynthid.*
ſucc. colocynthid. virid. ā ℥j.
ſuccin. ℥iij.
myrrhæ ℥ij. *ol. caſtor. ruthæ ā* ℥j.
coq. ad ſucci conſumptionẽ F. vnguentũ.

Dauid Herlicius nihil excellentius eſſe dicit aqua decocta ſeminis lini, vel ſi decoctum eius in vterum infundatur.

D Leo inquit, fœtũ mortuũ ſtatim euocari poſſe peſſo ex colocynthide, galbano, rad. ſerpentarię, & helleboro nigro parato.

Zacutus Luſitanus ſequens quoque laudat paſſarium:

℞. *Sagapen. galban. ammoniac. ā* ℥j.
hellebor. alb. colocynthid. ā ℥vj.
cantharid. gr. vj.
F. peſſarium cum ſelle taurino.

Maroldus commendat emplaſtrum ex caulibus coctis, & axungia exceptis. Idem magnipendit brodium, in quo decocta ſunt folia Ireos.

Danniel Sennertus oleo ligni heraclij magnam ineſſe vim ait, ad fœtum mortuum expellendum, ſi ad guttas xv. vel xx. in vino maluatico exhibeatur: teſtes quoque equi valde commendat.

Sed hæc ſufficiant; ad alia nos vocat Ordo.

CAPVT VIII.

De ſymptomatibus circa Partum obuenientibus.

§. 1. PVerperas ſymptomata plura comitari ſolent, *Nos* iam ex ijs potiora, & præcipua examinaturi ſumus. In nonnullis ſecundinæ remanent, in alijs chiorum fluxus eſt imminutus, in alijs immoderatus, omnes dolores, ſeu tormina à partu (*Nachmechen*) patiuntur, cunctas affligit lactis rigor (*Milch, Froſt*) ſeu febris lactea, pluribus deficit lac in mammis, in alijs redundat, & coagulatur, hinc inflammatio, durities, & eryſipelas. Reliqui verò, qui occurrunt, morbi, videantur in ſuis Capitibus.

§. 2. Secundinæ dicuntur à ſecundis, quia ſtatim inſequuntur partum, & quaſi partus ſecundus eſt. Optimè etiam deriuari poteſt à ſequendo, quia calentibus adhuc locis fœtum è veſtigio comitari dent. Si partus eſt facilis & naturalis, ratione proceſſus quem natura in partu ſeruat, Germanis dicuntur *die Nachgeburt*, appellantur etiam loculus, fœtus indumentum, ſecundæ, ſecundum domicilium, ac receptaculum, membranaceum tegmen, &c.

DESCRIPTIO.

Secundinæ ſunt membranæ illæ fœtum inuoluentes, vel eſt tertia, & extrema fœtus tunica, venis & arterijs à cotyledonibus pronatis conſperſa, ijſque con-

connexa, quæ & vmbilico infantis per vasa vmbilici adhæresceit, & quæ in naturali partu semper cum fœtu excernitur vna cum placenta vterina. In præternaturali autem partu nonnunquam post fœtum enixum intra vterum remanent secundinæ.

§. 2. In omni partu ab obstetrice abrumpitur placenta vterina, vnde oritur sanguinis profluuium post partum, qui sanguis in vteri substantia cauernosa subsistens & euasatus lochia vocantur; lochia hæc puerperis quibusdam fluunt per dies duos, tres, quatuor, alijs per dies octo, decem, aut plures, & quidem aliquando copia satis notabili, aliquando parua, siue fluxus ille abundantior, siue parcior diutius perseueret, siue citius cesset, quare ritè obseruandum est Medico, num fluxus sit naturalis, vel præter naturam. Mulieres enim, quibus copiosa fluunt menstrua, etiam lochiorum fluxum patiuntur largiorem. Si ergo hic fluxus sit nimius cum puerperæ debilitate, dicitur *immodicus*, si verò parcior sit, & indè facilè damnum concipere potest mulier, hinc dicitur fluxus *imminutus*.

§. 3. Tormina in partu, siue dolores post partum pleræque mulieres non tantùm durante partu, sed etiam post partum habent, quæ sæpe adeo vehementes sunt, vt non solùm febrim producant, sed etiam deliria, & nonnunquam mortem accelerent. Falluntur ergo mulierculæ putantes, vtiles esse puerperis hosce dolores, quia iuxta ipsarum opinionem ab ipsis promoueatur lochiorum fluxus, quod tamen falsissimum, vt rectè etiam inquit *Sylvius*, quoniam negligitur idcirco, & impeditur à multis dolorum dictorum tanquam vtilium curatio, quamuis tam sæpe eorumdem neglectus causa fuerit necis multis puerperis.

§. 4. Tribus vel pluribus diebus post partum leui horrore puerperæ corripiuntur, quem fœminæ nostrates per nomen Misch-frost exprimunt.

Sic & lac in mammis varias subit mutationes, modò coagulatur, hinc sæpe duritiei, mammarum inflammatio, & erysipelas.

SIGNA.

§. 5. *Signa* secundinarum retentarum obstetrici, alijsque adstantibus mulieribus manifesta sunt.

Immodicum verò lochiorum fluxum cognosces ex nimio sanguinis profluxu, ex virium debilitate, & languore, animi deliquio, pallore totius corporis, & macie, similibusque alijs grauioribus symptomatibus, quæ alias immoderatas sanguinis excretiones comitari solent.

Suppressa verò esse lochia, partim ab ægrotante puerpera, partim verò ab alijs intelliges; ab amicis aut adstantibus, quemadmodum & ex dolore grauatiuo hypogastrij, lumborum, abdominis, tumore abdominis, difficili respiratione, febri, & similibus alijs superuenientibus symptomatibus.

Febris, seu rigor lactis cognoscitur, potissimùm ex eo, quod scil tribus diebus à partubus puerpera horrore corripiatur subsequente calore, siti, intumescentia mammarum, dolore lumborum, inquietudine totius corporis, &c. quam comitari solet aliquãdo inflammatio, & erysipelas mammarum, aliarumque partium.

§. 6. Sæpe contingit in partu, inprimis difficiliore, vt fœtu in lucem edito, aut quia corrupta sunt vasa vmbilicalia, aut quia tenuiora sunt, aut quòd circa collũ aliasue partes circumuoluta sunt infãtis, aut quòd violentiùs ab obstetrice trahuntur, aut quia secundina vtero firmiùs adhæret, aut alia aliqua de causa, imbecillitate sc. matris, aut occlusione partium, siue à frigore ambiente, siue aliunde disruptis vasis in vtero secũdinam remaneant, & excerni commodè non possint.

§. 7. Sic etiam *fluxus lochiorum immodici causas* habet tum plures alias, vt plethoram, sanguinis tenuitatem, aut crassitiem, acrimoniam, aut motum nimium & impetuosum, spirituum animalium ἀταξίαν, lanitoris vteri negligentiam, tum inprimis vasorum arteriosorum à partu, aut anastomosin, aut rexin.

Causæ verò externæ sunt aer vel immoderatè calidus, & alimenta, & medicamenta nimis acria, & menagoga, vigiliæ nimiæ, intempestiui aut nimij corporis motus, vnde quæ ante tempus (quod ordinariò quidem menstruum esse debet) se ad negotia sua applicant, facilè in hunc affectum incidunt. Animi affectus subitanei,

tanei; vt ira, & denique aliæ excretiones suppressæ, præter alia, quæ puerperis accidere possunt, infortunia ex ictu, casu, &c. vel ex violenta obstetricis dilaceratione, vnde contingunt vteri excoriationes, quas certè dolor subsequi debet, inprimis quando grandia vteri vasa dilacerata sunt.

Sic etiam *Sylvio* causa prima & primaria dolorum post partum est connexio arctior secundinarum cum vtero, hinc & earundem laceratio ab vtero, vteriq; adeo excoriatio. Causa verò earundem secunda *ipsi* est sanguis lochiorum per laceras excoriatasque vteri partes fluens, ipsasque mordicans & rodens inprimis sanguine existente acriore.

§. 8. Contrarium priori morbi vitium est *Lochiorum suppressio*, quando scil. nullus à partu sanguis ab vtero excernitur, aut perpaucus, isque serosus, aut pituitosus, vel cum vel sine dolore. Vitium hoc ortum suum habet vt plurimum à vitio sanguinis, vel à morbis vteri, & vasorum, rarius autem à morbis vaginæ, aut aliarum partium. Vitio sanguinis contingit primò, quòd is in corpore paucus sit, & quando copiosè ante partum effluxerit, aut in partu ipso, quando est grumosus & crassus, vt plerumque accidit post partum, quo tempore etiam fœminæ, quæ purgantur, grumos sanguinis, eosque satis magnos, & insignes solent excernere; sic & quando pituitosus est, & viscidus adeo vt vasa obstruat. Fieri quoque potest obstructio vitio vasorum, quando ea obstruuntur, aut comprimuntur à tumore vteri, aut aliarum partium, vel obstringuntur ab aere ambiente frigido, siue ab alimentis, aut medicamentis internis externisque, nimium refrigerantibus, incrassantibus, & adstringentibus. Causæ verò externæ, quæ hic suum conferre possunt symbolum, sunt præter aërem frigidum admissum, cibus potusque, & medicamenta, & vigiliæ nimiæ, vel somnus nimius, nimia quies, subitanei & graues animi affectus, præsertim mœror, solicitudines, curæ, &c. manuum præsertim, pedumque subita refrigeratio, & infortunium à superueniente febre, similiue alio morbo, aut vniuersali, aut particulari. Hæc obstructio lochiorum sæpius contingit ob dolorem nimium, & indè factam ἀταξίαν spirituum animaliū: qua de re elegantem habet locum *Beatus D. D. Ettmuller. in Disput. de Opij vi diaphoretica* §. 6. quem ipsius suis verbis exprimere libet. Reuocant hæc in mentem istud ad phænomenon per sæpius in puerperis obseruare datum fuit, dum nempe primis duobus vel tribus diebus libere fluunt lochia, quæ sub turgescente in mammillis lacte sponte absq; manifesta causa alia, siue præcesserit lactea febris, siue non, supprimi solent, tunc scil. temporis, dum dolere & turmere, simulq; indurescere solent mammæ: sed cessante dolore, & vel insensibiliter translato aliorsum lacte, vel sensibiliter per papillas transudante, libere denuo fluunt lochia. Nempe doloris occasione, in sensibili illo mammarum globo & turbatur spirituum ordinatus motus, stringuntur vndique in corpore fibræ, & tenduntur simul vteri, eiusque membranosæ vaginæ fibrillæ, hinc excernendorum per hæc loca debitus supprimitur fluxus, qui largiter redit, simul ac cessante in mammis dolore, cessat etiam fibrarum contractura. Nec est, quòd fluidorum istorum impetum ex locis inferioribus ad mammas, pergit ille, hic objicere velis siquidem dum durat adhuc mammarum repletio, aut per papillas etiam lac excernitur, nihilominus modò dolor illarum remittat, redit lochiorum profluuium. Par nempe hic est ratio, atque intensiorum post partum dolorum, quorum occasione etiam supprimi plus vna vice obseruatur lochia. Quod etiam ex iuuantibus, & nocentibus patet. Dolorum verò post partum potissimæ causæ sunt lochia non admodum copiosè, aut planè non euacuata, & propter coniunctos simul acres humores, à quibus partes exulceratæ & læsæ, per quas sanguis transire debet, læsi debent, hinc fibrillarum illarum subtilium vibratio.

§. 9. Nunc ordo nos iubet vt paucis videamus causas *febris lacteæ*, aliarumque *lactis mutationum*. Antequā verò ad præternaturalē accedamus statū, priùs naturalē præmittamus, h. e. quædā de lactis natura, materia, & modo generādi dicamus.

Vete-

Veteres Galenici vteri cum mammis cōsensum finxere, statuentes venas mammarias atque epigastricas per anastomosin, vel alio modo ita coniungi, & sic ex sanguine menstruo fieri lac, quod nonnulli eorum affirmarunt. Sed hodierni Anatomici, tanquam oculares testes, de illa anastomosi planè dubitant, & eam nobiscum rident, hinc testatur rectè *Bartholin. l. de pulin. s.* 1. viam ab vtero ad mammas esse oculis nunquam manifestā, multis enim menses supprimuntur sine vlla lactis in mammis præsentia. Per vasa verò lactea hunc consensum esse hodie celeberrimi testantur Anatomici. Nec indè est lactantibus non fluere menses, sed quoniam communis quædam materia lactis & sanguinis est, fit, vt si sanguini associatus fuerit pro mensium effluxu, lactis plerumque oriatur defectus, & contra, si lacti materiam submiserit, menses vt plurimùm desinant, geminæ verò euacuationi natura ratissimè sufficit, vt rectè ait *C. Hoffmannus de lact. memb.* 1. §. 16. Nos ergo cum pluribus doctissimis viris lac fieri ex chylo statuimus, & per ductus chyliferos ad mammas ferri prout etiam hodierna detexit Anatomia. Si quis plures cupiat rationes adeat *Bartholinum*, *Coum*, *Martianum*, *Castellum*, *Haruæum*, *Charlotonem*, *Slegelium*, *Horstium*, *Sualue*, *Horst. Vvarthonum*, *Guiffartum*, *Hobokenium*, *Langium*, *Schenchium*, *&c.*

Syluius lac in mammis ex sanguine per arterias adeò delato generari asserit, simulque addit, quæ assumuntur ad sanguinem properare, & inprimis ad lactantium mammas, & proinde non chylum, sed sanguinem lactis esse materiam probat: 1. Quòd loco lactis sanguis sæpe effluat. 2. Quòd non rarò ad medicamenti sanguinem sistentis vsum conuenientem absque vllo alimento assumpto sistatur vlterior sanguinis effluxus, & sequatur etiā loco lac: 3. Quòd vasa notabilia ad sanguinem & mammas deferentia, referentiaque, arteriæ puta venæque in mammis augeantur durāte lactatione, decrescantq; ad minùs, appareant eadem cessante; vnde Author concludit, desiderari eo tempore plus sanguinis in mammis, quàm aliàs. Non sola verò per glandularum mammarum poros percolatione sanguinem in lac mutari arbitratur, sed ob acidum in mammis admistum colorem rutilum sanguinis mutari in albicantem existimat, statuitque in mammarum glandulis præparari liquorem, sed valde temperatum, qui partibus sanguinis ibidem à reliqua massa secretis admistus easdem tum magis consistentes, tum intimiùs commixtas, tum albicantes præstet, adeoque in lac mutet.

§. 10. *Veillisius* existimat, quòd à cibi stomacho materno ingestis chyli indè confecti portio statim in venas absorbeatur, qui sanguinis vehiculo potiùs priusquam ipsi planè assimiletur in glandulas, hìc illic eidem excipiendo destinatas per arterias aduectus à cruoris massa denuo secretus deponatur; cùm enim constet, pergit idem, quòd potus copiosè ingestus citò totam sanguinis traijciat massam, & sub lymphæ forma per vrinam reddatur.

§. 11. Examinato paucis statu lactis naturali ad præternaturalem *Nos* conuertamus, ad quem examinandum iam nobis facilior patet aditus. Facilè ergo febris lactea oboriri potest, vel ob chylum per ductus suos partim in massam sanguineā maiori solito copia influentem, & turbationem sanguinis instituentem, vel ob lochiorum retentionem, vel ob dolores nimios post partum, quod etiam agnouit *Syluius* inquiens; Et certè quemadmodum à doloribus vehementibus in vtero propter partum difficilem malè habente, aut inflammatione ibidem orta non rarò excitatur febris.

Nec hic excludimus spirituum animalium ἀταξίαν, & lanitoris vteri auersionem & excandescentiam. Causam quoque harum febrium esse quoque aliquando existimo particulas quasdam insensibiles, & heterogeneas, quæ partim sanguinem traijciendo turgescentiam ac efferuescentiam sanguinis excitare, ad extraneum illud sanguini haud miscibile, eliminandum efferuescentia triduana impendi debet prout ratiocinatur *Veillisius*.

Lactis verò generationem lædi constat ex eo, cùm nulla fit, vel parcior, vel nimia.

Nulla verò lactis generatio fit, vel mammarum, vel chyli vitio, mamma-

rum

rum culpa deficit lac, quando desunt glandulæ aut quando ineptæ sunt ad lac producendum, vel reseruandum. Desunt verò quando ab humore acri exesæ, quando propter affectum aliquem, cancrum putà, mammæ adeoque & glandulæ asciſſæ sunt, vel dum glandulæ illæ duriores existunt vel à causis externis, vt si adstringentia & austera mammis imprudenter imponantur.

Chyli quoque vitio potest deficere lac in mammis, si nullus chylus ad illas deferatur, vel vitio sui, vel viarum culpa. 11. Si chylus, licet deferatur, ineptus sit. Ad mammas non defertur chylus vitio sui, quando scilicet deficit ob præcedentem vel coactam, vel voluntariam inediam, vel ob vias, per quas chylus ad mammas defertur, obstructas, vel alio modo malè affectus, vel si à pituita vel alio austero succo istæ viæ constringuntur, vel si viæ erosæ, ruptæ, aut dissectæ sunt. Accedit etiam, quod lac in mammis deficere potest, quando vasa tam exilia, & tam parua sunt vt chylus non ad mammas deferri possit.

Sic etiam ob nimias sanguinis effusiones, menses puta, lochiaque nimis largè fluentia, ob morbos graues puerperas affligentes, non tantum lac deficit, sed etiam vires.

§.12. Nunc accedimus ad causas pausas paucum lac producentes, quas similes ferè cum præcedentibus lactis generationem impedientibus, sed gradu tantum differentes esse affirmamus, ea propter non libet crambem bis coctam propinare.

§.13. Causæ nimij prouentus lactis sunt, vel chylus laudabilis, & copiosus, rebus non naturalibus benè constitutis, inprimis optima constitutio glandularum mammarum, quæ in eo consistit, quando scilicet molliores sunt. Nam obseruatum est, mulieres eiusmodi glandulis gaudentes lac copiosius suppeditare.

§.14. Lac verò in mammis facilè coagulatur, ab *acido* vndecunque orto, & eò delato. Inflammatio verò, vt plurimum febrem comitem habens, oritur, à sanguine nimis efferuescente, tunc enim sulphureæ particulæ versus peripheriam mammarum delatæ partes externas feriunt, excitant ardorem, ipsę verò sanguinis particulæ, quæ adhuc exsuperant cæteras, si nihil obstet, quo minus transpareant, in superficiem laborantis exhibent *ruborem*, & inflammatio nihil aliud est, quàm sanguinis extra sua sibi receptula effusi fermentatio præter naturam.

§.15. Hisce discussis ad *Prognosin* properabimus. Ex secundinis retentis eadem mala exspectabis, quæ ex fœtu mortuo retento, imò ni excludantur naturâ vel arte, moriendum est puerperæ, ea propter statim ellaborandum vt ea excludantur, fœmina expurgetur, symptomata præcaueantur, & vires conseruentur.

Sic etiam lochiorum suppressio, affectus est periculosus, non tantum quod varij ab illo morbi particulares, sed & vniuersales in toto corpore produci possint vt febres acutæ, phrenitides, maniæ, melancholiæ, pleuritides, peripneumoniæ, veteri inflammationes, &c. & cuius notabile exemplum habuimus *Hanoviæ* in muliere, quæ ab hac causa primò in maniam, nunc verò in melancholiam incidit hypochondriacam, quapropter hoc in affectu etiam maturam est semper, quantum possibile, curatio. Si stupor, facici pallor, concussiones oculorum, conuulsiones, tunc parum reconualescentiæ supereſt, & Medicus periculum adstantibus explicare debet, ne vitium & mortis causa in illum cadat. A prædicto periculo liberantur sæpius puerperæ, si hæmorrhagia quædam alibi liberalis fuit, vel si contingat sudor copiosus.

Cæterum effluxus lochiorum immodicus, vt puerperas valde debilitat, & sæpè necat, ità variorum etiam morborum causa esse potest, quæ ex alijs hæmorrhagijs peti possunt.

Dolorum verò post partum curatio plerumque facilis est, hinc est, quod sponte ferè desinunt. Si verò nimis persistant, eorundem curationem non negligendam esse cum Syluio credimus, quia in febris, lactis defectus, aliaque mala oboriri possunt.

Febris lacteæ *Prognosin* quod concernit, nihil mali denotat, modò ritè

obseruetur ne semel concepta efferuescentia sanguinis in aliam peioris notæ degeneret, & si mammæ turgidæ sint, vt benè lac emulgeatur, alias facilè inflammatio, tumor & abscessus mammarum metuendus est.

Reliquorum symptomatum mammis obuenientium Prognosis inferius ex suis Capitibus petenda est.

CVRA DIÆTETICA.

§.16. In his affectibus aer sit serenus & temperatus, ante omnia vitandus frigidus, alimenta sint facilè fermentabilia, & boni succi, & caueant mulierculæ sedulò à quocunque acido assumendo, quod maximè nocet. Motus corporis sit mediocris, & per nouem dies puerpera, si fieri potest, ad nimirum se in lecto contineat, somnus sit placidus, nocent enim vigiliæ. Excreta & retenta ante omnia ritè se habeant. Animus sit hilaris, absit ira, mœror, curæ, &c.

CVRA PHARMACEVTICA.

§.17. Nunc ad *Curationem* horum affectuum accedamus, & primò *Viterum* meditationes videamus, qui secundinam retentam iisdem expelli remedijs aiunt, quę ad fœtum mortuum expellendum fuere proposita.

Inter alia remedia manu Chirurgi periti esse extrahendam, dicunt & si nullo modo illa eduei poterit, sed firmiter vtero adhæreat, & in eo putrescat, suppurantia in vterum immittenda esse aiunt, admixtis detergentibus. In quem finem laudat *Rondeletius* vnguentum basilicon. Varia quoque habent empirica, quæ paulò inferius videbimus.

§.18. *Syluius*, qui existimat ab abusu alimentorum crassioris aut glutinosioris substantiæ, propter quam sanguis productus similis arctius secundinam vtero necti, commendat in eius curatione pituitosum, glutinosum corrigentia, salia lixiua nempe fixa & volatilia, tum aromatica, item euacuantia phlegmagoga, vt & diætæ correctionem. Sudorifera, & diuretica, aliaque emmenagoga.

§.19. Curatio secundinarum retentarum nostro iudicio in eo vertitur, vt illæ quantocyus expellantur, symptomata mitigentur, & denique vires conseruentur.

Quæ vero secundinas educere valent, sunt vel pharmaceutica, vel chirurgica, Pharmaceutica sunt omnia illa, quę menses potenter mouent, aut fœtum mortuum expellunt. Si itaque puerpera post enixum infantem secundinam eijcere nequeat ob virium consumptionem, primum conuenientibus alimentis, veluti sunt, iuscula ex vino optimo, croco, saccharo, & ouis, aut ex contusi pullis perdicibusque confectis restauretur, ac tandem puerpera anhelitum cohibendo, & abdomen comprimendo expellendæ secundinæ annitatur. Et si ceruix vteri sit nimis angusta, conducunt olea emollientia, & lubricantia, qualia sunt ping. anat. lilior. albor. amygd. d. mucag. rad. althææ, &c. Possunt & parari fotus, sacculi aliaque quæ possunt per infundibulum excipi, vel applicari, sic odorati suffitus ex gallia moschata, ambra, & moscho prunis insperſis conueniunt, & quæ parari solent ex artemisia, sabina, abrotano, pulegio, scordio, &c.

Conueniunt simul internè varia pellentia, quæ superius diximus. Specifica verò virtute pollent, puluis secundinæ ℥j. pondere cum iure data; item pelliculæ ventric. gallinæ ad ℥j. in vino albo exhibitæ.

Vel detur sequens, vel similis puluis:

℞. *Carab. pulu.* ℥j.
borrac. ℥ß.
trochisc. de myrrh. ℈j.
rub. tinctor. ℥ß.
croci ℈ß.
M. f. puluis.

Dosis ℥j. in vino cum saccharo.

Vel: ℞. *Borrac. Venet.*
succin. alb. ana ℈j.
croci,
cassiæ lign.
castor. ana ℈ß.
M. f. puluis.

Potest quoque tale, vel simile decoctum propinari:

℞. *Radic. scorzoner.*
pæon.
cichor. ana ℥j.
herb. scordij,
borragin.
melissæ.
artemis. ana m ß.

Ca-

Coque in ∇ communi, colaturæ adde
Syrup. artemis.
limon. ana ℥ij.
Ioel sequentem habet pulverem:
℞. *Castor.*
myrrh.
Storac. liquid. ana ℈j.
cinnamom.
aristoloch. rotund. ana ℈ß.
agaric. trochisc. ℥ß.
di. grid. gr. v.
croci,
sileris montani,
sabin. ana gr. iv.
opij Thebaici,
asæ fœtid. ana gr. vj.
M. f. pulvis tenuissimus.

Conueniunt quoque sternutatoria naribus indita.

Verum si tenacius hæreat secundina, ijsdemque remedijs auscultare non vult, tunc eius particula, quæ ex vmbilico infantis prognati est abscissa, obstetricis, vel Chirurgi periti digitis apprehendatur filoque serico alligetur, & hinc indè leniter trahatur, vel instrumenta in eum finem applicetur, præsertim, si frustula intus maneant, quæ non ita possunt extrahi. Inter externa sequentem fotum commendamus cum *Nob. Ettmullere*.

℞. *Herb. matricar.*
pulegij ana m. j.
sabin. m. ij.
baccar. laur.
iuniper. ana ℥j.
pom. colocynthid. ℥ß.

Incidantur grosso modo, dentur ad chartam.

Hæ species ebulliant in ∇ communi, cuius vapor feruidus excipiatur per infundibulum insella vndique clausa, idque ita aliquandiu continuando, & crebrius repetendo, sin citius deferueat liquor iniectione silicum candescentium, vel chalybis igniti intensissimè denuò calefieri potest. Possunt quoque ex his speciebus sacculi parari, & regioni hypogastricæ applicari.

§. 20. Empyrica sunt ex plurium Authorum scrinijs compilata. *Horatius Augenius* testiculos equorum in furno exsiccatos ad ℥j. exhibitos maximè commendat.

Dauid Herlicius pro arcano venditat secundinam ouis vel capræ exsiccatam, & pulverisatam in vino propinatam, vel cum vnguento aliquo collum vteri illinatur. Idem laudat caput caponis vsti, & pulverisati, cum cereuisia calida exhibitum.

Iac. Primerosius Secretum esse ait quorundam, succum cæpæ deglutire, & vinum calidum superbibere.

Riuerius sequentem decoctionem miris extollit laudibus.

℞. *Acet. ros.* ℔viij. *vel ex*
fol. lauri & baccis eius ana m. iij.
placent. rosar. ex aqua destillata relict. & in frustra dissect. ℥j.

Bulliant in lebete, & eo decocto lauentur diu coxæ & tibiæ calidæ à inguinibus ad pedes vsque.

Ioh. Andreas Smitzius dicit mirabile esse secundinam deturbandam, menses suppressos, vteri suffocationem, fœtum mortuum molam, foliorum scil. leuistici succum expressum, & cum vino propinatum.

Ioh. Schroeder. Ventric. mustelæ piscis summè commendat ad secundinas pellendas.

Daniel Sennertus dictamnum Creticum, oleum heraclinum, & secundinam præparatam.

Arnold. Vuitkardus commendat nervum, qui in halece reperitur, in iure piscorum sumptum. Sic & Elleb. parum & hyppopomanis contund. M. & pura lana inuoluta, simulque tenui linteo obducta collo matricis inserantur.

§. 21. Superest vt etiam paucis curationem *torminum* à partu videamus.

Veteres Galenici torminum à partu curationem eò dirigẽdam esse dicunt, vt vasa vteri laxentur, sanguinis crassities attenuetur, & acrimonia temperetur. In quem finem varia emollientia, tum externa, tum interna commendant.

Hinc *Foresius* decoctum florum chamomillæ in cereuisia & decoctum artemisiæ laudat. Sequentem pulverem magnificat *Riuerius* statim à partu exhibendum:

℞. *Rad. consolid. maior.* ℥j.
nucl. perficor.
nucis moschat. ana ℈j. *succin.* ℥ß.

ambræ gr. ß. M. f. pulvis.

De quo capiat puerpera ʒj. cum vino albo, & si febris adfuerit, cum iusculo: & pro potu ordinario vtatur ægra decocto radic. petroselini, aut artemisiæ & cinnamomi. Si à biliosis humoribus dolores orti sunt, curantur eodem modo, ac dolor colicus.

§. 22. *Sylvius* pro causæ varietate etiam curam variandam esse ait. Si ergo dolores adsunt lancinantes, ac per inter valla repetentes, grauius afficientes ab acido, & salso in sanguine redundante, & ad vterum delato ortos, statim corrigendi veniunt hi dolores, & quidem antacidis volatilibus, aromaticis, &c. Si autem vterus excoriatus sit, is consolidandus, & leniendus, in quem finem Author commendat omnia vulneraria vulgò ita dicta. Quando simul vrget lochiorum fluxus auctus, seligenda sunt subastringentia. Cui scopo inseruire ait mixturam in omnibus hæmorrhagijs celebrem & notissimam: quibus vulnerarijs iungenda esse narcotica & anodyna inquit, vt sunt diascordium, theriaca, requies Nicolai, philonium, laudanum opiatum, &c. Vsurpanda quoque sunt externa, decocta nempe vulneraria cum syringa vtero committenda. Si sanguis lochiorum serosior & acrior existit, anodynis quoque emulsionum forma præsertim vsurpandis temperãdus est, addendo subinde opium. Et si puerperæ non existant debiles blandum hydragogum ad serum euacuandum exhibendum, postmodum sudorifera ex adstringentibus parata, è radicibus puta caryophyllatæ, tormentillæ, &c.

Quoties verò idem sanguis, mora, vel stagnatione in vtero facta, redditus est acrior, toties, quoniam quæ hic producitur acrimonia est acida, vsurpãda sunt medicamenta notatam acrimoniam temperantia, sed ita vt sanguinis fluxum non augeant. In quem finem Author seligenda vult aromatica blandiora, & simul vulneraria, & adstringentia, vt sunt betonica, scordium, virga aurea, pimpinella, verbena, tanacetum, mille folium, &c. Quibus addi possunt varia vterina, vel maiorana, calamintha montana, pulegium, rosmarinus, ruta hortensis, saluia, &c.

Quòd si verò dolores hi ex suppressis à frigore externo lochijs ortum habeant, toties ad mentem Authoris vsurpanda erunt medicamenta lochiorum suppressionem tollentia.

Quòd si permanentibus lochijs dolores permaneant, tunc proficua erunt sudorifera, nec multùm aromatica, nec multùm adstringentia, ne lochiorum fluxus vel nimium augeatur, vel sistatur; additis opiatis dolores sedantibus, sudoriferorumque vim promouentibus.

Quod si ex suppressione lochiorum in vtero inchoata fuerit *inflammatio*, excitatusque dolor cum ardore & pulsatione, eò annitendum est, vt quantocyus curetur ista inflammatio. In quem finem Author laudat Enemata emollientia, & carminatiua, itè sudorifera ex oculis cancri, antimonio diaphoretico, additis opiatis. Nec negligendos vult fotus emollientes, & aromaticos, ex plantis emollientibus & aromaticis, cum aq. decoctione paratos, qui totus possunt vel cum spongiâ, vel cum linteis, vel vesica bubula applicati. Hoc in casu etiam non contemnit venæsectionem vel in brachio, vel in pede pro renata instituendam. Et si inflammatio hisce non cedat remedijs, eam ad suppurationem promouendam esse aut varijs emollientibus, additis liliorum alborum bulbis, cæpisq; priùs assis, & contusis, & vbi æstus magnus adsit decoqui possunt in lacte ebutyrato, quòd si verò dolores magis vrgeant in lacte dulci. Vnguenta etiam emollientia prædictis possunt admisceri cataplasmatibus. Quoties flatus ex pituita glutinosa in tenui præsertim intestino geniti ansam hisce dant doloribus, qui iam geniti discutiendi, & eorundem productio noua impedienda. Cui scopo satisfaciendo *Sylvius* laudat Enemata Carminantia dicta, additis semper emollientibus, & præsertim laudat Enemata ex vrina puerorum parata, quippe quæ flatus potenter discutiunt, educuntq; propter salem volatilẽ in vrina existentẽ. Et iuxta *Ipsũ* hic quoque conducent decocta ex similibus carminantibus, emollientibusque parata, & subinde ʒiiij. vsurpata. Mixturas quoque commẽdat ex oleo anisi, succini, maceris, cort. aurap-

aurantiarum, carui, cumini, fœniculi, iuniperi, &c. non neglecto opio. Fluxuum nouam generationem impediri ait per medicamenta pituitam glutinosam alterantia, ac educentia, non omissis quoque quoties & bilis peccat copiosa, vel acris, cholagogis & ipsam temperantibus subacidis, ac in primis spir. nitr. de quibus sat abunde egimus ex Authoris scrinio, vbi fluxuum curationem deduximus. Quod si verò ab humoribus acribus, vel causa externa aliqua producti fuerint dolores attrociſſimi à partu, tunc humores isti corrigendi, & si peccent copia, educendi.

§. 23. Ex nostro iudicio dolores à partu (*Machmeben*) curari debent causarum amotione, symptomatum mitigatione, spiritus plastici, & spirituum animalium corroboratione & restitutione. Si itaque à subsistentia lochiorum oriantur, seu producantur hi dolores, exhibenda sunt lochiorum fluxum procurantia, ne sanguis stagnans extrauasatus, putrescat, vbi excellunt myrrhata, Elixyr propriet. simplic. Venæsectio quoque in saphæna institui potest, de quibus vide inferius, vbi ex professo de his agemus remedijs. Si à sanguine lochiorum grumoso, vel acri seroso, tunc conuenientibus medicamentis corrigendus. In quem finem omne ferunt punctum opiata cum absorbentibus mixta. Esto formula:

℞. *Pulu. ocul. cancr.*
sanguin. hirc. ana ʒj.
antimonij diaphoretic. ℈j.
laudan. opiat. vel
theriac. cœlest gr. ij.
M. diuid. in tres partes æquales.

Si à nimia & vehementiori exulceratione partium, tunc conueniunt præter varia vulneraria succus chærefolij, vel eius decoctum. Dolor hic etiam optimè lenitur theriaca, mithridatio, diascordio vtroque, requie Nicolai, vel pilul. de cynogloſſa, de styrace; vel etiam varijs emollientibus, ol. rapar. amygdalar. d. & similibus; vel emulsione aliqua, vel hac, similiue mixtura:

℞. *Pulegij fœnicul. à* ʒij.
theriacal. s. ʒvj.
ocul. cancr. ℈j.
laudan. opiati gr. iij.
trochisc. de myrrh. ℈j.
sirup. de arthemis. ʒvj. *M.*

Vel: ℞. *Essent. myrrh.* ʒij.
castor. anodyn. ana ʒj.
M. Dosis xx. *guttæ.*

Vel: ℞. *Croc.* ℈ß.
macis ℈j.
tryphera magn. ʒß.
M. Detur bis in vino calido.

Conueniunt quoque varia aromatica, sic solo puluere zedoariæ ad ʒß. exhibito hos dolores aliquoties compescuimus. Conducunt & iuscula galli veteris, vel caponum iuniorum, idque in primis tribus diebus exibere solent. Externè satis faciunt varia mitigantia, & emollientia, Nostræ mulierculæ laudant chartam cœruleam axungia cerui, vel oleo lini illitam, & abdomini impositam. In quem finem & conducunt sacculi, fomenta ex carminantibus, & emollientibus, anodynis, & discutientibus parata. Sequens non inconueniens erit:

℞. *Semin. milij solis. cumin.*
sal commun. ana miß.

Torrefacta in sartagine includantur duobus sacculis, qui hypogastrio applicari debent. Seq. quoque conducet:

℞. *Baccar. lauri* ʒiß.
rad. althææ ʒj.
calam. aromatic. ʒij.
Coq. in s. q. ▽ *fontan. add.*
pinguedin. capon.
anser. M. f. cataplasma.

Vel: ℞. *Axung. castor.* ʒj.
ol. still. spicæ ℈ß.
succini, cumin. angelic. ã gutt. vj. *M.*

Si inflammatio adsit vteri, & hinc dolores existunt atrociores, tunc ea conuenient, quæ superius ex mente *Syluij* reuelauimus.

Si à flatibus, præter Enemata, etiam conducent varia carminatiua, hinc indè reuelata. Magna ventri imponatur.

Iob. Crato sequens habet Emplastr. quod sedat dolorem post partum:

℞. 3. vel 4. *cæpas parum coctas, concluſ. adde*
Cumin. pulu. m. j.
flor. chamomill. contus. tantundem.
farin. hordei q. s.

Extendatur linteo, & vmbilico applicetur. Addi etiam potest farina seminis lini.

Quidam hoc in casu valde laudant v. fl. chamomill. ad ℥j. exhibitam: & folia parietariæ cum oleo rutæ frixa, & ventri sæpius admota.

Daniel Sennertus in his doloribus post partum commendat species diacymin. & diagalang.

Forestus vtitur decocto florum chamomillæ in cereuisia.

§. 24. Curationem lochiorum suppressorum quod attinet, *Galenici* eam instituunt remedijs pellentibus, & vteri vasa aperientibus. In quem finem primò applicant clysteres emollientes, laxantes, & aperientes. Instituunt etiam frictiones in cruribus deorsum versus, ligaturas dolorificas digitorum pedumque admouent cucurbitulas inguinibus, & coxis: celebrant quoque venæ sectionem in poplite. Internè exhibent decocta aperitiua cum cinnam. & cicer. Sequens habet *Riuerius*.

℞. *Rad. aper ana* ℥ij.
fol. betonic. endiu.
capil. & is ana m. j.
schœnanth. p. j.
isem anis. fœnicul. ana ℈j.
cicer. rubr. coctbl. j.
Coq. ad ℔ß. *colaturæ add.*
▽ *cinnamom.* ℥j.
syrup. de 5. radicib. ℥ij.
M. detur ℥iv. *bis in die.*

Antequam febris augeatur exhibet aliquam trochiscos de myrrha ad ℥j. cum vino albo, vel aqua fœniculi. Purgationem quoque conuenire ait VII. vel IX. diebus à partu ex infus. rhabarb. agarici, vt sennæ, vel cum iusculo laxante ex herbis ac radicibus aperientibus cum senna parato, vel cum mannæ calabrinæ ℥ß. in iusculo dissoluat.

§. 25. *Syluius* curat nullũ, vel suppressum, lochiorum fluxum à frigore externo factum, exhibendo quantocyus medicamenta pituitam, vel sanguinem in vteri orificijs coagulatum soluentia, qualia sunt aromatica omnia, & volatilia, inprimis vterina dicta, & simul sudorifera ijs adiungit, vt citius feliciusque rem peragant. In quem finem omnia, quæ menses promouent commendat, vt sunt ruta hortensis, artemisia, maiorana, pulegium, sabina, &c. Ex quibus decocta possunt parari, & satis calentia vsurpari, quò facilius sudor erumpat, & potentius ad locum affectum vis medicamento deferatur. Quamprimum verò excita est propter deficientem lochiorum fluxum febris, sedulò monet, ne illis aromaticis nimis insistamus, & augeamus febrilem istum æstum, sed potioribus istis addenda esse acida suadet, acetum sc. stillatitium, aqua Amstelodamensis, alexi-pharmaca, vel prophylactica, Spir. sal. vitriol. &c. in primis si mixturis addantur oculi cancr. antimonium diaphoreticum, & similia, quæ coagulatum quoque dissoluunt sanguinem.

Si verò per aliquot dies iam subsiterit iste fluxus tunc succedet curatio difficilius. In quem scopum venæsectionem præcipit Author; Enemata quoque injicienda esse monet, quæ non tantum alui excrementa indurata diluant, educantque, verum blando suo fotu contentum circa vterum sanguinem concrescentem dissoluunt, vel pituitam coagulatam incidant. Cui rei inseruire ait fomenta, linimenta temperatiora abdominis regioni inuncta.

§. 26. *Nos* instituimus suppressionis lochiorum curam secundum tres has indicationes, vt I. causæ fluxus impediti remoueantur, vasa verò aperiantur, II. vt symptomata mitiatur, III. vt spiritus plasticus cum viribus conseruetur. Si itaque hic affectus ortus sit à defectu sanguinis, curabitur is alimentis potissimum anapleticis. Si verò à sanguine concreto, aut grumoso ab acido ità coagulato producatur hic affectus, pro quo acido compescendo, & temperando, tollendoque sanguinis coagulo, facilitandoque fluxu ordinario non intonueniens erit vsus spermatis ceti absorbentibus mixti:

℞. *Spermat. ceti* ℥j.
ocul. cancr. ℥ß.
succin. alb. ℈j.
castorei. ℈ß.

M. f. pulvis pro duabus vicibus in vehiculo idoneo exhibendus.

Sequens mixtura etiam hoc in casu valde erit proficua, vbi scil. à frigore externo fuerit nata sanguinis congrumatio, &

per

per consequens suppressio lochiorum, qua mixtura sequente *Dn. Ettmuller* plures restituit.

℞. ▽ *Carminatiu.*
birundin. c. castor.
meliss ana ℥j.
antimon. diaphoretic. ℥ß.
spermat. ceti ℥j.
syrup de cinnamom. ℥ß. M.

Capiat puerpera subinde cochlearia duo vel tria.

Salia volatilia oleosa hic quoque multum faciunt, quatenus sunt acidorum temperatiua, & blandis, suauibusque, suis particulis demulcent spiritus plastici, & spirituum animalium domicilia partes membranosas, & fibrosas sensiles læuigant.

Hic etiam conducunt omnia, quæ diximus de mensium suppressione.

Si à doloribus nimijs lochiorum suppressio fuerit producta, tunc conueniunt opiata cum myrrhatis, alijsque absorbentibus, imprimis ocul. ☜ iuncta. Horum enim vsu spiritus iterum in ordinem restituuntur, vt sic purgamentorum fluxus iterum auspicatò redire possint. Sic & conueniunt præsertim in *ἀταξία* spirituum animalium Cinnabarina opiatis maritata.

Si à sanguine viscoso vasa obstruente, oriatur hic affectus, tunc conferunt aromatica, & sali volatili prædita, aliaque blandiora aperientia. Ex. gr.

℞. ▽ *Matricar.*
card. bened. ana ℥iß.
essent. myrrh. ℥iij.
borrac. Venet. ℥j.
sal. volatil.
C. C. gr. ix.
syrup. artemis. ℥vj.

Capiat de hac mixtura ægra sæpe cochlearia duo vel tria, & se componat ad sudorem. Sudorifera enim, quatenus incidunt viscosum, & simul corrigunt acidum, hic magnopere conducunt.

In viscido sanguine incidendo sequens quoque conducet mixtura cochleatim propinanda:

℞. ▽ *Chærefol.*
matricar. ā ℥iß.
acet. vini acerrim. ℥vj.
ocul. cancr. præp. ℥j.
antimonij diaphoret. ℈j.
syrupi de artemis. ℥ß.
M.
℞. *Spir. secundin* ℥iij.
▽ *hæmagog.* ℥iij.
syrup. de cinnamom. ℥vj.
M. de cochleatim.

Conuenit etiam essentia myrrhæ cum spiritu vino tartarisato parata. Item Tinctura antimonij ex scorijs.

Decoctum florum chamomillæ, corticum aurantiarum, cum cereuisia paratum, sæpe iuuamen vel ad minimum leuamen affert.

Si vteri purificatio non obsequitur, egregium medicamentum est decoctum cicerum rubrorum cum cinnamomo, confortat enim spirit. plasticum, & impuritates retentas expellit.

Si à compressione fæcum & tumorum illa, excitatum fuerit malum, auferenda sunt, & fæces enematibus eluendæ.

Si affectus à nimia plethora, & indè facta obstructione, oriatur, tunc venam saphænam aperire potes.

Inter externa laudamus sequentia hypogastricæ parti illinenda & applicanda:

℞. *Ol. Cheirin.* ℥ß.
stillat. cumin.
iuniperi ā ℥j.
succini ℥ß. *M. D.*
℞. *Herb. absynth.*
flor. chamomill. ana m. iij.
matricariæ m. ij.
rad. angelic. ℥ß.
sem. 4. calid. m. j.
bacc. iunip. ℥ij.
M. pro sacculo.

Conducet etiam emplastrum de baccis lauri hypogastrio impositum. Et cum facilè lochia excerni prohibita in sanguinis massam restagnent, ipsamque veluti miasmate virulento inficiant, particulæ enim à re cadaueroſa discedentes sanguinem maximè inficere queunt, hinc sæpe, febris oritur periculosa, imò maligna, ea propter cautè incedas, & lochia iterum fluere facias, & adijcias putredini resistentia, & alexipharmaca balsamica, de quibus tractatum de Febribus videas.

§. 27. Inter *Empyrica Mizaldus* recenset succum borraginis, pomorum,

& petroſelini cum vino, & oleo amygdalar. d. puerperæ exhibitum.

§. 28. Curatio lochiorum fluxus immodici conſiſtit ad mentem *Galenicorum* in eius cohibitione, ſed ſedulo monent ne nimis adſtringendo grauiſſimos alios conciliemus morbos, hinc à leuioribus incipiendum eſſe monent. Cibus ergo ſit incraſſans, dein potus, aqua ferrata, vel in qua aurum extinctum fuerit, poſt ſuadent ſanguinem ad partes ſuperiores reuellentia, vt ſunt frictiones, ligaturæ partium ſuperiorum, cucurbitulæ etiam mammis, & vtrique hypochondrio admotæ.

Ventrem quoque faſcia conſtringendum eſſe aiunt, quia hoc modo comprimuntur vaſa, & fluxus immodicus ſiſtitur, lumbis quoque admouenda præcipiunt lintea oxycrato madefacta.

Si verò fluxus valde immodicus ſit, viresq; deijciat, vt vitæ periculum immineat, ad fortiora, & quidem opiata confugiunt & varios pulueres, electuaria, iulepos, apozemata, emulſiones, præſcribunt, quorum formulas in alijs hæmorrhagijs videre poteris. Exteriùs varia applicant cataplaſmata, & vnguenta, Ex. gr.

Vnguent. comitiſſ ℥ij.
ſucc. plantagin. ℥j. *M.*

Iniectio quoque in vterum ſucci plantaginis à *Galeno* laudatur.

Sequens à *Riuerio* commendatur:

℞. *Fuligin. camin. puriſſ.* ℥viij.

Subigatur cum acet. fortiſſimo, & fiat cataplaſma renibus applicandum.

His & alijs remedijs opiatis non conferentibus ad venæſectionem in cubito, tanquam ad anchoram ſacram confugiunt, quod remedium dicunt præſentaneum eſſe.

§. 29. *Paracelſus*, *Helmont.* *Williſius* hoc in caſu ſuadent varia adſtringentia, & ſpecifica ſuperiùs in alijs hæmorrhagijs propinata.

§. 30. *Syluius* in lochiorum fluxu immodico, propter placentam vi cum ſecundis ab obſtetricibus imperitis, ac temerarijs, aut nimium feſtinantibus, auulſam, orto, ſuadet varia vulneraria, blandè adſtringentia, vt ſunt tormentilla, biſtorta, conſolida quæuis, myrrhus, hypericum, corallia, terra ſigillata, bolus quæuis, ſanguis draconis, lapis hæmatites, &c. Ex quibus ad mentem Authoris parari poſſunt decocta, aquæ, miſturæ, condita, electuaria, pilulæ, pulueres, &c.

Sequentem magnificit mixturam, in omnibus hæmorrhagijs conuenientem, & ſuperiùs iam communicatam:

℞. *Plantagin.* ℥iß.
antiepilept. Amſtelod.
✚. *ſtillatit. ana* ℥ß.
lapid. hæmatit. ℈ß.
corall. rubr. præp. ℈j.
laudani opiatigr. ij.
ſyrup. myrtin. ℥j. *M. D.*

De hac miſtura agitata accipiat ſubinde puerpera cochleare vnum.

Vel vtatur ſequenti decocto Authoris:

℞. *Radic. tormentill. biſtortæ ana* ℥ij.
fol. conſolid. maior. ſaniculæ, pyrolæ, ſummitat. hyperici ana mj.
coq. ex ▽ *ferrat. in colaturæ* ℥xx.
diſſolu. ſirup. de ſymphyto Fernelij ℥iij.
▽ *antepilepticæ; vel hyſteric. Amſtelod.* ℥vj. *M. D.*

De hoc decocto capiat ægra bis, terue in die hauſtulum ad ℥iij. donec ſiſtatur ſanguis copioſiùs ex vtero fluens.

Vtiliter etiam admiſceri vult his medicamentis opiata. His verò nihil iuuantibus, venæ ſectionem in brachio ad auertendum ſanguinem ad vterum ruentem, inſtituendam vult. Externa etiam varia adſtringentia, & conſolidantia, inprimis abdominis parti inferiori, aliquando lumbari quoque regioni applicanda laudat, vt ſunt Vnguentum Martiatum, populeum, adſtringens Fernelij aureum, refrigerans Galeni, Emplaſtrum ad rupturam, oleum hyperici, nymphæ, roſarum, maſtichinum, &c.

Hic lochiorum fluxus nimius ob laxitatem vaſorum ortus, ad mentem Authoris curabitur per eadem adſtringentia, additis aromaticis plandioribus.

Ob ſanguinem verò fluidiorem, & multo ſero dilutum, productus, ſanabitur tum per hydragoga, tum per ſudorifera blandiora.

Si ſit verò hic fluxus ab alimento, vel medicamento, aut potiùs veneno, vel ſpir. vini redditus fluidior, & acrior,

toties

toties idem temperandus est medicamentis austeriusculis, & aqueis, & emulsionibus gratioribus, ex hordeo præsertim, & amygdalis d. ritè paratis, additis anodynis, & quandoque opiatis. In quem finem sequens laudat decoctum:

℞. *Herb. malu. semperuiu. maior. solan. ana mj. semin. plantagin. acetos. ana* ʒij.
aquileg. ʒiij.
papauer. alb. ʒij.

Coq. ex ▽. pura, in colaturæ ʒxx. dissolu.

Syrup. de portulac. ʒijß.
spir. salis gutt. x. M.

Huius decocti ʒiij. aliquoties in die assumat ægra.

Nigricare solent lochiæ ait Author ab acido acri copiosiùs ipsi admisto, & à mora in vtero facta, indeque fœtente, tunc conueniunt aromatica, & sale volatili abundantia. Pallescit verò sanguis ob admistum ipsi serum multum pituitamue copiosam.

§. 31. *Curatio* lochiorum fluxus immodici nostro iudicio parum vel nihil differt à curatione nimij mensium fluxus, quę proinde ex Capite illo desumi potest, hic vel semper respiciendum est ad spiritum plasticum, qui semper confortandus est, pauca igitur hic addamus.

Si ergo est à plethora, venæsectionem instituimus.

Si à sanguinis nimia tenuitate, & acrimonia, illam corrigimus sequenti vel simili mixtura:

℞. ▽ *tenell. C. C.* ʒiij.
succ. cydonior. ʒj.
corall. rubr. præp. ʒj.
lapid. hæmat. præp. ʒß.
laudan. opiati gr. ij. l. i.
sirup. rubi idæi. ʒvj. *M.*

De qua mixtura capiat puerpera singulis horis vnum, vel duo cochlearia, mire enim placat *spiritum plasticum*. Vel in forma pulueris:

℞. *C. C. vsti* ʒj.
terræ sigillat.
lapid. hæmat. ana ʒß.
laud. opiat. gr. j.
M. F. puluis pro duabus vicibus.

Vel in forma electuarij:

℞. *Conserv. rosar. antiq.* ʒj.
diacydon sine spec. ʒß.
trochisc. de carab.
terra sigillat. C. C. vsti ana ʒij.
sirup. cydonior. q. s. M. F. Electuarium.

Si placentæ fructum remanserit, & sanguinis fluxu inde producatur, tunc conueniet sequens:

℞. *Radic. bistort.* ʒij. *fol. maioran. pulegij ana mj. Coq. in* ▽ *& vin. alb. q. s. colaturæ* ʒxx.
adde simp. artemis. ʒij.
▽ *cinnamomi* ʒß. *M.*

De hoc decocto capiat ægra bis vel ter de die ʒiij. Et detur sequens puluis:

℞. *C. C. vsti* ʒij. *lapid. hæmat. cinnamomi croci borrac. ana* ʒj.
M. F. puluis pro duabus vicibus.

Si fluxus hic sit productus à dilaceratione nimia vasorum vterinorum tunc conueniunt varia vulneraria blandè adstringentia, quorum catalogus alibi traditus est.

Externè in quouis nimio fluxu conducet inprimis Cataplasma ex fuligine, & aceto regioni lumbari applicatum.

Vel sequens fotus applicetur regioni hypogastricæ:

℞. *Flor. sambuc. chamomill rosar. rubr. papau. err. primul. ver. ana* p. j.
Herb. pentaphyll. miß. rad. bistort. tormentill. ana ʒiij.

D. incisa & contusa coq. in vino rubello & pudendis applicetur, & sæpius repetatur.

Conueniunt etiam reliqua linimenta, vnguenta, emplastra adstringentia alibi dicta. Linteum quoque in aq. sperm. ranar. intinctum regioni pubis imponi potest, & inungatur regio lumb. vnguento santal. rosac. infrig. Galeni, &c.

Inter *Empirica Iob. Agricola* oleum vini cum tinctura corallorum vera in lochijs superfluis commendat. *Louyse Bourgois*, exhibet hoc in casu vitellum oui cum vino rubro. *Iob. Hartmannus* ex folijs hellebori nigri recentibus parùm conquassatis cingulum parat & nudo alligat corpori. *Vallerioſa* exhibet Philonij Persici ʒj. cum succo plantaginis, quo remedio nullum potentius inuenit. Externè idem laudat Vnguentum Comitissæ cum succo plantag. *Arnoldus Vveikardus* Trochiscorum de succino cum opio

para-

paratorum vires deprædicat. *Godfrid. in lib. obstetric.* sequentia communicat: Conserv. flor. Lysimachiæ, vel pulvis ex floribus ℥j. in iusculo exhibitus excellens dicitur remedium ad omnes fluxus sistendos. *Id. pag.* 508. Fiant pessaria ex lana bombycina imbuta succo equiseti, & plantaginis. Exteriùs eadem aspergantur bolo armeno, vel pulvere flor. lysimachiæ, indantur vulvæ, & ad tempus retineantur.

§. 32. Curatio *Febris lacteæ* vt plurimùm naturæ committitur, & quamdiu lochia se ritè habent, absque medicamentis Febris hæc lactea feliciter secedit, & sudore copioso vt plurimum soluitur. Itaque in his febribus à lacte oriundis conueniunt diaphoretica, quæ sæpe omnem implent paginam, inprimis si sit ab obstructione ductuum lactiferorum, hinc si mammæ nimis turgidæ ac tumidæ existant, & quidem à congrumato lacte, in hoc casu sequentia externa conducent aromatica & spirituosa:

℞. ▽ *Vin. opt.* ℥j.
salis * *ci* ℥j.
aq. flor. sambuc. ℥iij. M.
cum linteis mundis applicentur.

In his casibus proficuum erit Empl. de sperm. ceti, de cicuta, & vbi lac planè in ablactatione infantis sit consumendum, tunc conuenit sequens:

℞. *Apij sem. cumini, coriandr. ana* ℥ß. *Coq. in s. q. aceti destill. & aq. menth. colat. detur.*

Lac quoque primis diebus exsugatur à nutrice vel catulo iuniore, vel ope vitri angustioris, aut emulgeatur in carbones ardentes vel ferrum ignitum, ad mentem *Helmontij*, dicentis; Mulier ablactura infantem, quò citiùs vbera sibi sterilescant, in prunas lac emulget, & vbera flaccescunt; Vel mammis imponatur chærefolium in butyro frixum, item Emplastrum ex cera & bolo confectum.

§. 33. Veteres his in febribus præscribunt mitigantia, & si vires ferant, leuiora purgantia, vt sunt cassia, manna, tamarindi, & si plethora adsit, venam quoque talarem incidunt. In victus ratione cremorem ptisanæ, aut aq. hordei, in qua cinnamomum & tamarindi cocta fuerint, admittunt. Spinam dorsi & epatis regionem inungunt varijs linimentis, & vnguentis refrigerantibus, quæ in *Tract. nostro de febrib.* videri possunt, vbi & aliorum Auctorum inuenientur opiniones.

Quoad reliquos lactis affectus, cùm in his *Sylvius* omnem absoluerit paginam, illum tantum loco omnium videbimus, eiusque ambages breui citerno comprehendemus.

§. 34. In glandularum mammillarum duritie, & inde defectu lactis in puerperis, corrigitur ad mentem Authoris, inprimis si orta sit à succo austero & mœrore, tum internè tum externè adhibitis medicamentis volatili sale abundantibus & aromaticis spirituosis. Inter interna Author laudat aquas ex aromaticis plantis cum spiritu vini destillatas, quæ debent iungi cum aqua menthæ, fœniculi, melissæ, additis syrupis conuenientibus & salibus volatilibus, oleis aromaticis, & quandoque ipsi laudano opiato. In quem finem & externè eædem aquæ aromaticæ cum sale volatili iunctæ forinsecus mammis cum linteis applicatæ conducent. Sic & conueniunt vnguenta & olea aromatica. Commodum quoque erit iuxta Authorem nostrum blandè mammas fricare. Quæ medicamenta humorem austerum corrigunt, glandularum substantiam compingentem ac incrassantem, quem paulatim reddent magis volatilem spirituosum ac dulcem, sint salia volatilia.

Vbi verò vasa nimis exilia sunt, quæ ad mammas tendunt, vix vel lentè curatur & emendatur frictione frequenti blandaque loci, per quem ad mammas tendunt vasa sanguinea, additis vnguentis & oleis emollientibus, vt sunt vnguentum altheæ, mucaginum, neruin. & ol. lil. alb. amygdal. dul. pinguedo hum. & aliorum animalium.

Si quoque existat iners fermentum in glandulis mammarum, tunc curabitur prædictis aromaticis, & spirituosis sale volatili abundantibus.

Si à frigore nimio sit parcio productio lactis defectus, conducet Venæsectio.

Si verò lactis defectus oriatur à sanguinis quacunq; iactura, eam quamprimum corrigendam & inhibendam esse præcipit.

§. 35.

§. 35. In copiosiore verò prouentu lactis, à quo sæpius grauantur puerperæ, inprimis si ortum habeat à sanguine tenuiore laudabili ac fluidiore, tunc ei visciditas concilianda est, & abstinendum ab vsu alimentorum maximè spirituosorum, & ab omni sale volatili, quorum loco vsurpanda erunt, quæ succum crassum ac glutinosum producunt, qualia sunt vegetabilia valdè succulenta, plantago, portulaca, beccabunga, pyra, cydonia, mespila, &c.

Si lactis vberras sit à fermento lactifero copioso & spirituoso, eum in finem vsurpanda esse ait, quæ acidum in nobis obtundere ac figere possunt, qualia sunt pinguia & glutinosa, acerba, aquea, & salsa lixiuia fixa.

Deprauari quoque lactis generationem dicit Author, quoties illud ratione coloris, saporis, consistentiæ, aliusque qualitatis producitur vitiosum.

Lac flaueſcens à bilis tinctura in sanguine abundante producta corrigitur educta per interualla bile, ac inprimis præcipitata, correctaq; ipsius excellente tinctura. Bilem hanc euacuant cholagoga, eius excedentem tincturam corrigunt vitriolum, & inprimis ex Marte paratum, ciusque sulphur anodynum.

Lac verò impensè albens à pituita in sanguine exuperante curatur pituitæ correctione ac eductione per aromatica, & salia volatilia, & dein phlegmagoga.

Amaricans lac à bile productum corrigetur diminutione bilis vniuersali per cholagoga blanda.

Salsum verò lac corrigetur diminutione seri salsi in sanguine redundantis per hydragoga.

Crassius lac incidetur per aromatica & salia volatilia.

Tenius lac incrassabitur prudenti, ac diutino vsu austeriorum blandorum alimentis iunctorum.

§. 36. In coagulatoine lactis ab acido curabitur abstinendo ab vsu vlteriore acidorum, & dein vsurpando salia volatilia quæuis.

Animi quoq; terror & mœror causantur, & si frigus febrile vrgeat, & lac coagulare faciat, in quem finem Author præcipit medicamenta non tantùm sale volatili abundantia, sed inprimis aromatica, tum spirituosa, tum oleosa, qualia sunt aqua vitæ Matthioli, theriacalis simpl. & præ omnibus hoc in casu laudat oleum caryophyllorum stillatitium.

Externè quoque ad acidum illud corrigendum imponantur varia aromatica ex mentha, maiorana, ruta, absinth. vel in forma fotus, vel cataplasmatis, vel emplastri, vel linimenti.

Sic & conueniunt ex serinio Authoris aromatica spirituosa.

Inter gummata præalijs laudat emplastrum ex spermate ceti mammæ impositum, quod omne dissoluit coagulum.

Quoties verò lac in mammis subsistens ipsasque distendens dolorem pariat, ac inflammationem, hinc & secuturam suppurationem minetur, toties Author vsurpanda vult cum laudata aromatica, tum spirituosa, tum sale volatili abundantia.

Vbi autem obseruat ex dolore pungente ac cum calore in mammis perseuerante suppurationem esse inchoatam, tunc aromaticis iungenda sunt emollientia, eademque in cataplasmatis formam redacta dolentibus induratis mammis applicanda, inter alia cæpas commendat cataplasmatibus iungendas. Inter emollientia laudat rad. lil. alb. altheæ, vt & maluæ folia, farina lini, fœnugr. &c. Repellentia hoc in casu, ne gangræna ingruat. Quamprimùm igitur in pus mutatum lac, quod ex doloris, duritiei, ardorisque diminutione cognoscitur, nisi sponte aperiatur Apostema, mox lanceola idem aperiendum.

Sin verò delicatulæ fœminæ apertionem ferre nolunt, in parte illa, vbi facienda est apertio, imponatur aliquid de vnguento basiliconis, ficus assa, vel aliquando cauteria potentialia, vbi pus hæret profundius.

Vbi iam facta est apostematis apertio, & pus fluere cœpit, Author aliquid balsami sulphuris eius orificio indit, atque empl. diapalm. imponit, vel aliud cataplasma.

Inflammatio tum in papillis ipsis, tum in parte mammarum ipsis vicina, ortum habens à sanguine extra vasa sua effuso, curabitur ad mentem *Sylvij* cataplasmatibus

bus

bus emollientibus adiunctis salibus volatilibus superiùs dictis.

Æstus papillarum & inde facta earundem excoriatio sanabitur aqua rosar. plantag. &c. mucagine sem. cydon. & gum. tragacanth. cum dictis aquis parata. Lactis cremori addatur aliquid cretæ albæ puluerisatæ.

In papillarum exulceratione laudat balsamum sulphuris quemuis, inprimis anisatum, & balsamum Peruuianum.

In *Erypsipelate* conducit ex scrinio Authoris lactis cremor cum creta mixtus, vt & aqua calcis viuæ cum Merc. dulci decocta. Laudat quoque aquam sambuci.

Si fit excoriatio ab lacte effluente & papilla erodente, tum suadet lixiuium calcis viuæ.

Ad papillarum fissuras commendat balsamum Peruianum, vt & oleum ceræ.

Reliqua de lactatione latè apud ipsum Authorem videre licet, ne te diutius detineam.

§. 37. Ad lactis tum matris, tum nutricis acescentiam, hincque grumosam coagulationem præcauendam commendamus nutricibus semen anisi, vel fœniculi post quemlibet pastũ assumendum. Aromatica enim sua volatili oleosa natura & lactis acescentiam, eiusque præmaturam coagulationem prohibent, simul hinc inde nata tormina & flatus discutiunt hæc & alia semina carminatiua.

In lactis coagulatione conuenit etiam internè Spir. Sal. Armon. ad guttas xl. in aq. chærefol. assumtus, vel sequens puluis.

℞. *Oc.* ℔.
C. C. f. V. ana gr. xv. *M.*

Externè confert sacculus ex oryza & milio calidè mammis applicatus. Vel Emplastrum de galbano, croco, gum. Ammon. in aceto soluto. Vel illinantur mammæ sequenti vel simili spiritu:

℞. *Spir. sal. Armon. cum calc. viu.* ℥iß.
Essent. croci ℥ij.
M. cum penna illinendæ sunt mammæ.

Optimum etiam est sequens:

℞. *Mucilag. fol. lil. alb.*
bi sinalu. cum lil. alb.
incoct. & ceræ modicum præ
Sparadrappo.

Et si matri infanté lactare miuis commodum aut vsitatum fuerit, aut si ob abortum factum, vel ob mortem infantis mater haud opus habet lacte, in hunc finem ne grumescat aut coaguletur lac in mammis, præter iam dicta conuenit & cataplasma ex mica panis secà lini bene fermentati, & cum puluere menthæ, sale & aceto rosaceo commixtum, & si iam nimis crassum & coagulatum existat lac, conuenit petroselinum, alsine, & chærefolium. Vel geranium, vel flores sambuci in butyro tosta vel tantùm calefacta mammis imposita. Vel inungantur ter in die sequenti linimento:

℞. *Pingu. gallin.*
Vnguent. rosat. ana ℥j.
Ol. violar. ℥ß. *M.*

Vel cum butyro recenti cum Spir. sal. Armoniaci mixto. Vel parari potest emplastrum ex minimo, cera & ol. rosac. M. Simul propinetur internè sperma ceti cum momento myrrhæ & ocul. Cancr.

In lactis defectu conueniunt sequentia:

℞. *flor. sambuc. miß.*
lact. mensus, j. coq.

Decoctum fœniculi etiam conuenit, vt & florum sambuci. Vel detur puluis diacrystall. Mynsi. vel propinetur sequens:

℞. *Lact. Lunæ.*
Crystal. pp. ana ℥j.
Ol. still. anis.
fœnic. anagt. vj.
M. f. puluis in vi. *dos. diuidend.*

Si ex inopinato terrore concussa, vel ira percita nutrix lactis grauiorem alterationem sentiat, lac statim emulgeatur, & nutrix assumat sequentem puluerem cum hausta aquæ chærefol. vel card. bened.

℞. *Ȝij diaphoret.* ℥j.
sperm. ceti ℥ß.
ocul. ℔. *gr.* vj.
M. f. puluis pro vna dosi, ad blandum sudorem excitandum.

Si obstructæ fuerit vel glandulæ, vel ductus lactiferi, conueniunt omnia diaphoretica, incidentia aromatica, spirituosa. Esto formula,

℞. *Aq. puleg. meliss. fœnic. ana* ℥i.

Spir.

spir. sal. armon. gt. xv.
ol. mac. still. succini ana gt. iij.
syr. fœnic. ʒij. M. D:

Si verò sit ab acido & austero ductus conuulsiuè constringente, sequens conducet puluis sæpe de die vsurpandus:

℞. *sem. anis. fœnic. ana ʒij.*
coriand. ʒj.
cort. cinamom.
corall. rub. pp. cinab. nat.
lumbric. terr. ana ℈j.
sacchar. albiss. ad pondus omnium.
M. f. Puluis. Dosis ʒj.

Inter externa conueniunt varia aromatica linteis mammis applicanda, item iuuant hoc in casu sectiones.

Quoties verò falsus generetur lac & inde producatur excoriatio papillarum, toties iuuant acrimoniam salsam corrigentia & opiata, vt sunt pilulæ de cynogloss. Externè verò exhibemus sequens epithema:

℞. *Aq. flor. sambuc.*
scabios. ana ʒj.
Merc. dulc.
sacchar. Saturn. ana ʒj. M.

Hæc mixtura calidè pustulis hisce applicetur.

Quando lac induit prauas vires & cadauerescere incipit, tunc conueniunt sudorifera. Esto formula:

℞. *Aq. sambuc. ʒij.*
theriac. camphor. ʒj.
oc. ℔. ʒß.
sal. volat. C. C. gt. vj.
syr. card. bened. M.

Si inflammatio, seu Erysipelas in mammis exoriatur cum horrore, febrili calore, ac rubedine in mammis & dolore pungitiuo, in quem finem itidem diaphoretica exhibenda sunt. Ex. gr.

℞. *Aq. card. bened.*
flor. sambuc. ana ʒj.
mandibul. lucij.
℥ij diaphoret. ana ʒß.
syr. papau. err. ʒvj. M.

Inter externa vulgus laudat Medianum corticem sambuci cũ farina calidè mammis applicatum, vel flor. chamomill. cum furfuribus. Melius verò est theriaca cum aqua sambuci sæpius applicata. Humida enim non nocent, vti vulgus existimat, modò calidè applicentur. Qui ab humidis abhorrent, possunt tantùm flores sambuci cum spiritu vini irroratas imponere, vel sequens emplastrum:

℞. *Theriac. ʒiß.*
sal. absynth. ʒiß. M.
℞. *Pulu. erysipel. Mynsi. irroretur probe spiritu vini.*

In inflammatione imponatur papyrus gryseus cura melle virgineo illitus, vel cataplasma ex farina fabarum in oxycato cocta.

In inflammatione cum dolore mammarum insigni, sequens proderit:

℞. *Rad. althææ, petrosel. ana ʒj.*
fol. bismalu. lupul.
atleth. hyssopi ana mß.
flor. sambuci, hyperic. ana p. ij.
ol. rapar. per express. (vel sicca contundantur subtiliss.)
Coq. in s. q. lact. ebutylat.

F. cataplasma affectæ mammæ calidè imponendum, sæpiusque iterandum, nisi ægra vsum pinguium non ferre possit.

In tumore scirrhoso conuenit emplastrum diacyl. magnum, gummi Ammoniacum in aceto solutum. Emplastrum de ranis cum Merc. optimum hoc in casu erit.

Si tumor, dolor & durities mammis superuenit cum inflammationis metu, sequentem exhibe puluerem nostra experientia hactenus comprobatum:

℞. *C. C. s. ▽ pp. ℈j.*
Antim. diaphoret. ℈ß.
sal. volat. viper gr. v.

M. capiat nutrix in aqua flor. sambuci q. s.

Si papillæ mammarum sint incisæ & fissuras habeant, vt exinde serum exstillet acre, sequens proderit:

℞. *Herb. beton. veron.*
origan. virid. ana p. v.
butyri insulsi. q. s.
vini Rhenani parum.

Coq. ad consumtionem succorum, dein per linteum cola.

In his fissuris conducet sequens linimentum.

℞. *Axung. gall.*
terebinth. ana ʒij.
gum. tragacanth. ʒß.
gallar. ʒiij.

ceræ

ceræ parum.

Cum ol. ros. q. s. F. Linimentum.

Curatur difficillimè Abscessus, reliqua habet *Sylvius* vsu comperta, quæ & hic commendare volumus.

Inter empirica sequentia habe:

Cunrad Kunrath Medull. destill.

ad lactis exsiccationem commendat sequens Emplastrum:

℞. *Panis siliginei p. j.*

salis p. ß.

Coq. in aq. ad formam cataplasmatis, quod calidè mammis imponi debet sæpius repetendo.

In lactis redundantia *Hier. Mercurialis* iubet abluere mammas cum aceto. Idem apponere suadet brodium & acetum, cui cuminum incoctum est.

Vel: ℞. *Sem. psyll. agni castiana* ℥ij.

cumin. ℥ ß.

alum. scis. ℈ij.

brodii ℔ j.

Bulliant ad quartas, semper miscendo cum spatula.

Ludouicus Mercatus vtilissimum semper est expertus illud, quod pari portione butyri fec. & terebinth. vino & aqua rosac. lota conficitur. Oleum quoque in quo raphanus minutim incisus diu incoctus fuerit, maximi momenti esse dicit, *Puluerinus* commendat emplastrum ex ouis tribus integris, Croc. ℈j. Ceræ q. s. paratum. *Varignana* habet hoc secretum, si capita mammarum liniantur succo plantaginis.

In coagulatione lactis *Actius* sequens laudat:

℞. *Ceræ* ℥j.

portulac. ℥ ß.

ol. sesami ℥j. *M.*

Rodericus à Castro mirificè ait facere, apium hortense tritum & mammis impositum. Alius commendat mentham crispam contusam mammis applicatam & sæpius renouatam. *Dodonæus* coagulum leporinum, præsertim si cum pauco aceto, butyro aut aliquo oleo illinatur, externè impositum ad in grumos conuersum lac dissoluendum summoperè commendat. *Henr. ab Heer* coagulum vitali & salem aceto, & aqua tepida solutum exhibet. *Ios. Quercet.* rutam cum aceto contusam, & mammis impositam laudat. *Lazar. Riuer.* omnibus alijs irritis commendat puluerem mille-pedum præp. ad ℥j. in iusculo sumendum per duos dies vsurpandum.

In defectu lactis *Aetius tetrabil.* 1 *s.* 1. *c.* 6. sex aut septem commendat lumbricos terrestres cum palmulis coctos & in zythi cyatho mulieri tribus post balneum horis propinat. *Iob. Agricola* liquorem silicum ad defectum lactis dicit approbatum remedium. *Petr. Forestus* laudat lac decoctum cum hordeo excorticato, quo cibo in defectu lactis ipsius vxor cum commodo vsa est. *Philip Grulingius* in lactis defectu sequens commendat:

℞. *Sem. trifol. pratens.*

anis. sesam.

fœnic. papau. ana ℥ß.

M. f. puluis. Dosis ℥j. *manè cum vino, vel decocto cicerum rubr.*

Herlicius magnificè in lactis defectu conf. sem. carui; vehementer enim, vt dicit, lac allicit. Ex *Franc. Ivelis* præscripto sequens laudatur:

℞. *Sem. fœnic. anisi*

pastinac. ana ℥ß.

lini ℥j.

cinnamom. ℥ij.

sacchar cand. ℥ ß.

M. f. puluis. Dosis ℥ß. *manè & vespere cum vino.*

Ioh. Stoterus flores tiliæ in lacte coctos mirè laudibus extollit. A *Thurnhausero* oleum ex radice dauci Cretici à mulieribus assumtum commendatur. *Varignana* mirabile inuenit, lactucas coctas in aqua hordei. *Marc. Anton. Zimara* vaccarum vngulas ex prioribus pedibus exutas crematas & puluerisatas, & in iure vel vino sæpe ad ℥j. datas magnipendit.

CAPVT IX.

De Chlorosi, seu Pallido virginum coloribus.

§. 1. MOrbus hic dicitur *Chlorosis* à χλωρὸς, colore albo & subuiridi, hinc etiam recentioribus vocatur *Febris alba*, & quia virginibus vtplurimum solennis est, dicitur *Virgineus, pallidi virginum colores*, à nonnullis ob analogiam

logiam *ictterus albus* appellatur. Species Leucophlegmatiæ est. Vulgò describitur, quòd sit vitiosus corporis habitus, ab obstructione venarum hepatis, lienis ac mesenterij, & præcipuè illarum, quæ sunt circa vterum ortus, cum grauitate membrorum, palpitatione cordis, difficultate respirandi, rerum absurdarum appetitu &c.

DESCRIPTIO

Melius nostro calculo potest describi, quòd sit affectus vterinus à spiritus plastici oppressione & sanguinis crassitie ac aciditate vasa vteri capillaria obstruente & spirituum animalium torpitudine productus.

Hic affectus maximè cum leucophlegmatia, cachexia, mensium obstructione, pica & malacia conuenit, & ferè eandem agnoscit causam & curam.

PARS AFFECTA.

§. 2. Vnanimi Authorum voto pro subiecto statuitur *Vterus*, cum reliquis visceribus ferè omnibus, vbi obstructiones fieri possunt.

DIAGNOSIS.

§. 3. Qui verò hostis spiritum plasticum inuadens possit cognosci, nunc ostendendum. Primò sese offert faciei, & totius corporis color pallidus & subalbidus, interdum verò plumbeus, liuidus ac virescens. Hunc affectum comitari solent tumor & inflatio hypochondriorum, lassitudo totius corporis spontanea, crura quoque & pedes præcipuè circa malleolos intumescunt & ob seroforum humorum abundantiam corpus laxum & molle cernitur, miseræ hoc affectu vexatæ, si scalam ascendunt, vel alio modò se mouent, statim de respiratione conqueruntur difficili, semper ferè percipiunt palpitationem cordis cum pulsatione in arterijs temporum, pulsus aliquando obseruatur celer, vt febricitare videantur, hinc etiam dicitur à vulgo *febris alba*; dolor adest capitis grauans, ac diuturnus, somnus ipsas affligit, ac sunt ad omnia torpidæ, & ob acidum illud deprauatum in ventriculo, adest aliquando cibi fastidium atque rerum absurdarum appetitus, & quum laborarant pica, menses ipsis vtplurimùm sunt obstructi. Parum sitiunt, quæ hoc morbo corripiuntur, frequentes patiuntur ructus, abdomen à pastu intumescit, borborygmos sentiunt & rugitus, nauseabundæ sunt, atque alijs plerumque segniores. Excreta, quæ à quacunque via excernuntur, cruda sunt & pituitosa. Ordinariò frigent, nisi quando phlogosi laborant, quæ ipsis frequens est, quibus omnibus signis præsentibus, omninò de hoc morbo dubitare nullus debet.

CAVSÆ.

§. 4. Transeundum nunc ad id, quod vel palmarium est in hoc morbo, nimirum ad *causam*, ex cuius accurata cognitione *cura* proculdubio dependet:

Veteres Galenici obstructionem hic omnium venarum, præsertim verò vasorum circa vterum existentium culpant, causæ verè obstructionum harum ipsis sunt humores crassi, viscidi & crudi, ex praua plerumque victus ratione producti.

Reliquorum Authorum opiniones in Capite de Leucophlegmatia & Cachexia videri possunt.

§. 5. Nostro iudicio hic affectus oritur aliquando à pituita tantillo acidiore & viscidiore, sæpè verò à liquore ex glandulis vteri vaginalibus prodeunte vitioso & corrupto massæ sanguineæ crasin perturbante & spiritum plasticum opprimente & quasi obruente, hinc tota massa sanguinea ad fermentationem concipiendam iners redditur, aliquando verò acris, vti facilè ex symptomatibus morbum hunc concomitantibus demonstrari potest, cùm miserè hæ cadauerum instar pallescant. Tumor & inflatio hypochondriorum hoc in affectu frequens oriuntur à flatibus à vitioso Gas excitatis, cauitatem abdominis distendentibus, qui sursum premendo diaphragma, difficilem faciunt eius motum deorsum, hinc est difficilis respiratio, quæ ab exercitijs augetur, quia tunc humores magis incalescunt & dilatantur, sic quoque vapores in abdomine concluſi magis rarefacti, maius spatium occupare debent, hinc magis distendunt abdomen & fortius premunt ipsum diaphragma, hinc difficilis respiratio augetur ab exercitio & motu corporis.

Lassitudo totius corporis spontanea oritur à spiritus plastici torpore ac eius spiri-

spirituum animalium paucitate & visciditate, qui sæpe in vteri luto hærent, nec se extricare valent, quapropter non sufficiunt ad multa exercitia. Sic enim oriri potest hæc spontanea lassitudo à multis tubulis musculorum, vbiuis in toto corpore obstructis, adeò vt spiritus animales possint tantùm in pauciores musculorum tubulos influere, hinc difficulter possunt retrahere & flectere membra mouenda, & insuper etiam hi spiritus animales hic sunt segniores & minùs agiles. Si adsit vellicatio, vti sæpe adesse solet, oportet sanguini crassiori aliqua coniuncta sit acrimonia fibrillas arteriarum vellicans & spasmodicè vibrans.

Dolor ventriculi & appetitus depravatus est ab acido viscido, & sæpe à ponderе & scabritie insueta alimentorum absurdorum. Virgines frequentissimè rugitibus intestinorum vexantur, quia se nimium vestibus arctis stringunt, & ita compressione nimis forti poros corporis occludendo flatuum viam impediunt.

§. 6. Paucis causas externas tangamus. Externæ verò causæ sunt tum totius corporis, tum præcipuè manuum pedumque refrigeratio, aquarum ingurgitatio, intemperantia in cibo, vitiosa & absurda alimenta assumpta, vt sunt creta, oryza, crudi cespites, oculi Cancr. frusta panum exsiccata indurataque, nuces moschatæ, acetum, succus limonum, mala limonia, aurantia, fructus æstiui, quæ omnia fermentum ventriculi aliarumque partium eneruant ac corrumpunt. Symbolum suum addunt somnus nimius & intempestiuus, quies nimia & torpor. Animi affectus frigidiores inprimis tristitia & mœror, excretiones variæ suppressæ, aluus segnior, suppressio mensium eorundemque diminutio, & deniq; hæreditas, siquidem hic affectus etiam per hæreditatem contrahitur.

PROGNOSIS.

§. 7. Euentus huic morbo non admodum difficilis, saltem non admodum periculosus est, maximè quando nondum altas egit radices, inueteratus enim plurimorum grauiorum morborum, & quandoque etiam quorundam periculosorum, vt hydropum, sterilitatis, oppressio scil. totaliter spiritu plastico, & similium aliorum causa esse potest. Huc spectat aphorismus *Hippocratis* Sect. 5. 36. Mulieri menses decolores, nec eodem semper modo & tempore prodeuntes purgationem indicant esse necessariam. Magna enim salutis spes elucet, quando menses statas suas periodos repetunt, & debita quantitate & qualitate prodeunt. Quando à venarum vteri obstructionibus, tunc in virginibus iuuenculis coniugio feliciter curatur, inprimis si spiritus plasticus adhuc sit vegetus.

CVRA PHARMACEVTICA.

§. 8. Pergamus nunc ex lege methodi nostræ ad *Curam*, ex Pharmaceutica desumptam, & quidem ad mentem *Veterum Galenicorum*, qui eò annituntur, vt obstructiones factæ referentur, quod obtinent per pituitæ incisionem & eductionem, viscerumque roborationem. Quæ obstructiones referant ex eorum opinione, superius in aliorum viscerum obstructionibus iam dicta sunt. Primò ergò hoc in casu exhibent purgans ex benigniotibus compositum, vt primam tantum eluant regionem, idque præmisso enemate. Postea venam secant, si affectus sit adhuc recens, & virgo aliquomodo sanguinea, & quidem venam brachij sinistri, si lien sit obstructum, dextri si hepar aperiendum, ridiculè censent. Dein exhibent varia apozemata aperientia, & purgantia, quorum formulis abundant eorum libri, peracta solenni purgatione ad balneum tanquam ad anchoram sacram confugiunt. Deinde viscera roboranda esse aiunt corroborantibus & varijs specificis visceri labefactato debitis, quæ suo loco peti possunt, vti & reliquorum Authorum indicationes.

§. 9. Nostrum si rogites votum in curatione, hoc tale erit. Omni opera & studio annitendū erit, vt spiritus plasticus à torpore excitetur, spiritus animales è luto suo extricentur, & acidi viscidi humores corrigantur & correcti educantur, & simul ventriculi habenda ratio.

Vt itaque ordine incedas, 1. quidem prima regio expurganda est, vnde prima mali labes est, & si saburra illa acida in ventriculo lateat, tutò vomitorium lene exhibere poteris, vel si à vomitorijs abhorres, potes dare pilulas catharcticas,

& im-

& imprimis ex gummatis paratas, additis croco, vitriolo, salibus fixis, Merc. dulci, &c.

Ego sequenti vino medica feliciter vsus sum:

℞. *Herb. meliss. roris mar. puleg. nepeth. ana* mß.
rad. helen. ariſtol rot.
angel. bryon. ana ℥ij.
fol. sen. ſ. ſt. ℥j.
rad helleb. nigr. opt. ℥ij.
agar. alb. ℥ß.
cort. aurant.
ſem. cardamom.
dauci cret. ana ℥j.
limatur. chalyb. in nodulo ligat. ℥j.
caſſ. lign. ver ℥ij.

Contuſa & confracta dentur in nodulo, cui affunde vini albi Rhenani Menſ 1. *Doſis* ℥iij. *pro re nata in die.*

Conueniunt hic omnia quæ in Menſium defectu, diximus, inprimis martialia, quæ valde ſpiritum plaſticum recreant, & liquorem ſeminalem corruptum emendant, eiuſque aciditatem corrigunt, ſolo enim vino martiali ſequenti curauimus morborum hunc virgineam:

℞. *Eſſent. Mart. ſeu extr. Mart.* ℥j.
Caſſ. lign. ℥j.
Cinnamom. el. ℥ ß.
Caryophyllor. ℥j.
Vini Rhenan. vel maluatici ℔ij.

Stent in digeſtione loco calido per biduum, poſtea colatur per manicam Hipp. Doſis ℥j.

Mars quoque optimè extrahitur, cum ſucco fumar. & pomor. Borsdorff.

Si in morbo quodam, certè in hoc diuinam afferunt opem acidulæ martiales, vt ſunt Schualbacenſes, & in noſtra vicinia Vuildungenſes & Pyremontanæ.

Sequens etiam Electuarium laudatur à *Cratone* trium Imperatorum Archiatro:

℞. *Limat. ferr. cum acet. parat.* ℥vj.
cinnamom. nuciſt. condit ā ℥iij.
rhabar. ℥j.
ſpec. aromat. roſat. ℥ij.
mell. ſacchar. ana ℔j.
M. f. Electuarium.

Zacutus Luſitanus habet ſyrupum ex ſero & chalybe eximium.

Sic *Laz. Riuerius* beneficio pulueris cachectici innumeras virgines & mulieres choloroſi laborantes curauit. Sic & *Sennertus* teſtatur inter omnia medicamenta eſſe chalybem optimum.

§. 10. Hoc in morbo aliquandiu continuandum eſt in incidentibus, attenuantibus & deobſtruentibus, inprimis conuenient ſalia volatilia (quamuis in genere ſpirituoſa vſurpari poſſint) & fixa, olea aromatica, pulueres minerales, additis ſtomachicis atque vterinis. Propinetur ergo ſequens, vel ſimilis mixtura, cochleatim:

℞. *Aq. menth. Cort aurant. aut roriſmar. aut maioran ana* ℥ij.
Vitæ Matthiol. aut Spir. carminat. Sylu. ℥j.
℥ ij *diaphoret* ℥ß.
ſpir. * *ci gt* xx.
Olei alicuius aromatici, vel carminatiui gt. vj.
ſyr. menth. ℥j. *M.*

In fugandis pallidis, & ſedis virginum coloribus commendat *Pet. Iob. Faber* quintam eſſentiam nepethæ.

Omnia quoque amara conducunt, vt ſunt Tinct. abſinth. centaur. min. cochlear. vel eupator. aquat. Elixir. propr. ſ. & Pat. Hic etiam conducunt ea, quæ viſcidum illud acidum abſorbent & edulcorant ſimulque corroborant ſpiritum plaſticum. Sequens puluis eum in finem erit proficuus:

℞. *Acid. tartar. Mynſ. ocul.* ℔. *croc. mart. ana* ℈j.
ol. caryophylor. gr. iv.
M. pro 3. *doſib. manè & veſperi ſingulas exhibendo.*

Dum itaque humores emendati & ex parte euacuati ſunt, porrò reliquiæ per ſudores eliminandę ſunt, ſiue decocto aliquo ex lignis, ſiue mixturis diaphoreticis, ſiue pulueribus, ſiue alijs quæ ſudores promouent. Internis non proficientibus vlterius promoueri poſſunt aut laconicis, aut inſeſſibus, aut frictionibus & ſimilibus alijs. Si poſſunt haberi thermæ naturales, eò melius res ſuccedet.

Interea dum hæc aguntur, ſymptomata etiam præcauenda ſunt, aut mitiganda, ſed quoniam illa varia ſunt, eorundem

cura aliunde petenda est hisce autem rectè succedentibus, viscera, & præcipuè ventriculis, roboranda sunt internis externisque stomachicis, spleneticis & hepaticis vulgò ita dictis, antea in earundem partium intemperie & imbecillitate præscriptis.

Si hic affectus ortuum suum habeat à vasis vterinis nimis exilibus, & virgines sint Venereæ, tunc coniugum suadendum est.

Laud. Mercatus in febre alba ab obstructione lienis linimentum commendat ex adipe struthiocameli; Idem fœminis melancholicis suadet lapidem Bezoar, & experimento comprobatum habet, radicem scorzoneræ per noctem maceratam & manè sumtam plurimas ab hoc malò liberasse.

Iob. Varandæus sequentes laudat pilulas:

℞. *Succ mercurial.*
mell despumat. ā ℥j.
Coq. ad suff. consist. Adde
sem. nigell. Rom. pulu. ℥iij.
F. massa cuius ℥j. *f. pilulæ* vi. *Capiat* 2. *in ingressu lecti per tres dies.*

CAPVT X.

De Furore vterino & melancholia Mulierum.

§. 1. INter alia admiranda nonnunquam symptomata, quæ miserum sexum fœmineum aggrediuntur, non infimum obtinet locum *Furor vterinus*, qui (vt synonyma tangam & optimè vocatur *Nymphomania*, item *Priapismus fœminarum.* Alijs etiam dicitur *Melancholia mulierum*. Affectus enim hi tantum secundum magis & minus differunt. *Vteri deliramentum*, spiritus plastici furor, excandescentia &c.

DESCRIPTIO.

Describitur hic affectus vulgò, quod sit immoderata veneris appetitio, fœminas ad insaniam ferè redigens, à seminis copia & acrimonia & peculiari qualitate producta. Describitur verò nostro iudicio, quod sit *delirium cum ferocia subinde & audacia ac præsertim appetitu Veneris p. n. spirituum animalium ad partes Venereis actionibus dicatas cum impetu ruentium turgescentiæ, spiritum plasticum ad furorem concitante, obortus.*

PARS AFFECTA.

§. 2. Laborant itaque in his affectibus cerebrum & spiritus animales & quidem ex consensu partium genitalium & vteri, quod patet ex sequentibus. Nam quod ita delirant est, quod perpetuo pruriunt & irritantur circa vterum partes genitales, inprimis spiritus plasticus. Nam vt naturalis pruritus & titillatio cupidinem faciunt Veneris & desiderium, ita continua & immodica irritatio continuum faciunt desiderium, & cui præ magnitudine causæ resisti non potest. Vt enim titillationi minus assuetæ resistere nequeunt, quin in nescio quos gestus inimicos & ludicros impellantur, sic & ijs accidit, quæ hoc affectu corripiuntur, vt scil continuò irritatæ & titillatæ, vel prurientes nihil nisi de Venere & cogitent & loquantur, manente eadem affectione, imò verò crescente, in furorem adiguntur & delirium. Huic affectui potissimum obnoxiæ sunt aut viduæ iuniores aut virgines temperamenti tantillo aut calidioris, aut melancholici.

DIAGNOSIS.

§. 3. Quamuis hic affectus inueteratus signis non indigeat, vtpuote, qui ex furore, delirio, colliquiis & similibus alijs venenum referentibus facile cognosci potest, incipiens verè in paulo honestioribus sæpe latet, & nonnisi prudenti coniectura cognosci potest. Cognosces tamen ex tristitia, mœrore, taciturnitate, lachrymis, pulsu paruo, debili, & subinde tardiore, subinde verò frequentiore prout scil. sermo inciderit de amore, aut Venere, aut iunone aliquo amabili. Appositè enim inquit Poeta ille:

Hir rogo num furor est, non est hæc mentula demens!

Sic etiam hariolari poteris ex oculis demissis, tumentibus, volubilibus & acriter splendentibus, ex subita mutatione, tristitiæ, si mentio fiat rei venereæ aut coitus, risuque subsequente immodico, ex faciei rubore pallorem subsequente, crescente verò malo vix abstinere possunt à sermonibus Venereis, à gestibus impudicis & frictione partium genitalium, multa loquuntur inconcinnè

deli-

delirantes de personis quas amant, saltant & tripudiant, & quod intus vrit, gestibus ostendunt, viros adoriuntur, suauia cum suauijs commutant, oscula oculis excipiunt, impudenter se gerunt & instar melancholicorum varia sibi imaginantur.

CAVSA.

§.4. Nunc causa huius affectus breuiter rimabimur, *Veteres Galenici* dicunt semen hoc in affectu putrescere & malignam qualitatem induere, vnde grauia hæc symptomata ortum habeant.

Alij ex ipsorum grege culpant seminis copiam ac acrimoniam, adeoque feruore naturæ leges excedens, in vasis seminalibus immodicè turgens, genitaliaque excitans ad Veneris appetitum eaque veluti inflammans. Vapores enim inde ad cerebrum mitti putant, qui rationem perturbant, eamque è sede sua deijciunt. Externas verò causas varias afferũt, inprimis omnia quæ libidini & Veri dicata sunt.

Aliorum Auctorum causas Mania ab vtero producta videre poteris.

§.5. Nos existimamus, quemadmodum in Mania *Microcosmetor* est quasi incendiarius sic hoc in furore est spiritus plasticus, vnde & spiritus animales furibundi redduntur, atque inflammabiles, inprimis ipsi, qui ideas exprimunt de Venere, hinc isti spiritus circa partes genitales existentes cerebro talem plicaturam faciunt & eosdem poros cerebri aperiunt, vt ferè nullæ aliæ ideæ fiant, quam de libidine. Causæ verò quę spiritum plasticum, & spiritus irritant & stimulant præter ætatem iuuenilem, temperamentum bilioſum, Veneris experimentum, potissimum sunt liquoris genitalis muliebris ex glandulis ceruicalibus prouenientis abundantia & acrimonia, eaque salsa vel acida, spirituumque copia, propter quam illæ quidem magis vel minus ad Venerem incitantur, maioremque aut minorem ex coitu percipiunt voluptatem, & denique causæ externæ, vt sunt aer calidus siccusque & serenus, propter quam causam mulieres æstate magis quam hyeme aut alio tempore ad Venerem irritantur, alimenta quoque calida, acria, salita, acida, aromatica, leniterque diuretica & menagoga symbolum suum addunt; Venus enim vt sale prognata creditur, ita salsis acidisque & aromaticis valdè accenditur. Vigiliæ quoque protractiores hic contribuunt, & vita otiosa, nam.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus, qui etiam pereunt nimijs laboribus. Varij ex memoria aut recensione rei Venereæ affectus animi, & denique excretiones quædam vel suppressæ, vel auctiores, vt menses suppressi, aluus segnior, liquoris ex vtero copiosum profluuium, quibus accedunt blanditiæ amantium, chorcæ, amores ficti, & similia alia.

PROGNOSIS.

§.6. Miserabilis autem hic est affectus, tum quod lentè tantum & sensim curari potest, tum quod macula est honestioribus familijs, neque enim facilè illi titillationi resistere possunt (imò tanta aliquando eius vis est ingraueſcente morbo, vt tandem viros palam & coram omnibus ad coitum inuitent, rem veneream proprio & vernaculo nomine inculcantes, tum denique quod hic affectus in maniam cephalicam degeneret.

CVRA.

§.7. Veteres *Galenici* eò dirigendam esse *Curam* censet, vt calida intemperies tum viscerum, tum vteri præsertim, tum sanguinis & seminis corrigatur & euacuetur, in quem finem V. S. sæpe celebrare iubent, dein purgationes instituunt ex benignioribus bilem & melancholiam educentibus, purgationi supperaddunt lulepos præparantes humorem peccantem, refrigerantes &c. & leniter aperientes, postmodum & validas suadent purgationes, quas descripsimus *lib. 2. cap. de Mania*.

Tandem accedunt ad vterum & vniuersum corpus refrigerantia & humoris feruorem temperantia, inter quæ præ alijs commendant balnea ex refrigerantibus parata vt sunt fol. portulacæ, lactucæ, nymphææ, salicis, flor. rosar. violar. &c. Summam enim curationis in eo consistere aiunt, vt vterus valdè refrigeretur, in quem finem etiam ad tempus setum lactis suadent.

Quibus omnibus addunt illa, quæ specifica quadam pollent virtute semen extinguendi ac refrigerandi. Cui vsui conferunt omnia refrigerantia.

Riuerius seque ns laudat destillatum:

℞. *Fol. nymph.*
salic.
vitic. ana m.ij.
lactuc.
portulac.
vmbilic. Vener. ana m.j.
sem. vi. frig. m.j.
lactuc.
papau. alb. ana ʒß.

Contundantur omnia recentia & irrorentur succo limoniorum. Destillentur in B.M. ac singulis aquæ libris adde camphor. ʒj. Capiat ægra ʒj.

Ex his seminibus iv. frig. parari solent emulsiones maioris efficaciæ.

Præscribuntur varia opiata.

Clysteres & iniectiones in vterum haud negligunt.

Inter externa magnificiunt omnia linimenta refrigerantia, lumbis, pubi & perinæo admouenda, & laminam plumbeam supra renes continuò gestandam esse præcipiunt.

Iniectio in vuluam fiat ex sero lactis, vel decocto hordei cum pauco succo solani, semperuiui aut cicutæ.

Omnia denique quæ in mania prosunt, hic quoque prodesse non dubitant, cerebri enim rationem habendam esse aiunt.

§.8. Nostro iudicio curatio inchoanda est à regimine *verum non naturalium*, adeoque, aer est eligendus vel faciendus frigidus humidusque, alimenta verò ad tempus vsurpanda sunt aquea, insipida, potusque dandus tenuior, somnus imperandus aut procurandus est, quiesque imperanda, sic tamen ne leges naturæ excedat. Excretiones verò promouendæ, animusque, quantum possibile est, auocandus ab affectibus, à Venere, rebusque Venereis oriundis, colloquijs & facetijs impudicis, multis è contra rationibus persuadendus, vt intra honestatis limites se contineat.

Diæta sic præscripta, porrò vel sanguis si peccet copia minuendus est V.S. vel liquores acres genitales spiritum plasticum ad libidinem incitantes & spiritus animales accedentes temperandi & educendi sunt. Ad temperandos hos humores acres quoscunque circa partes genitales existentes prosunt aquea, oleosa, terrea, & narcotica, Emulsiones puta, iulapia, electuaria, opiata, conseruæ. Ex. gr.

℞. *Sem. cannab. ʒj.*
lactuc.
portulac. ana ʒj.
iv. frig. mai. ā ʒj.
Cum s. q. aq. nymph.
F. Emulsio edulcoranda saccbar. ros.
Vel: ℞. *Aq. lactuc.*
flor. nymph.
borrag. aut bugloss. ana ʒvj.
sal. prun. ʒij.
M. f. Iulapium.
Vel: ℞. *Flor. nymph.*
rosar. ana m.j.
fol. lactuc.
portulac. ana m.ij.
sem. viticis,
plantagin. ana ʒiij.
Coq. ex aq. postea Colat. ʒxx.
addendo aq. cinnamomi. ʒvj.
spir. nitri gt. xviij.
spir. nymph. ʒij.
M. F. Apozema, de qua capiat ægra bis vel ter de die ʒiij.

Essentia castitatis egregium est remedium, vt saccharum Saturn. & camphora. Ex. gr.

℞. *Aq. castitat. ʒv.*
saccbar Saturn. crystall. ʒj.
syr. nymph. ʒj.
M. d. ad vitrum.
Detur cochleatim sæpe per diem.

Hic etiam conueniunt ad liquorem genitalem in glandulis vteri vitiosum corrigendum & glandulas corroborandas omnia balsamica catarrhalia, vt sunt myrrha, mastix, thus, camphora, succinum, &c.

Ad euacuandos humores, qui vt plurimum existunt serosi, conducunt hydragoga mitiora, vt Ialappium, aliquando pro humoris abundantis copia & cholagoga. Ex. gr.

℞. *Aq. nymph. ʒß.*
pulu. Cathol. purg ʒj.
syr. nymph. ʒij.
M. D.
Vel: ℞. *M. pil. de fumar. ʒj.*
resin. ialapp. gr. iv.
saccbar. saturn. gr. iv.
M. F. pilulæ.

Opti-

Optimè enim hoc in affectu purgantibus adduntur refrigerantia dicta, vt nitrum, aut sal prunellæ.

Interea dum illa vsurpantur, sub vesperam etiam anodyna & narcotica præscribi possunt è theriaca, mithridatio, diascord. pil. de styrace, laud. op. & alijs.

Vterus etiam sæpe eluendus est iniectionibus refrigerantibus & leniter adstringentibus, vt glandulę constringantur, & quidem ex fol. malu. bismalu. nymph. sabin. lactuc. portulac. semperuiu. mai. vitis, &c.

Balnea etiã aq. frig. conducunt. Item vulua sæpius eluatur aqua frigida, in qua lap. prunell. & sacch. Saturn. fuerint soluta.

Lumbi etiam inungendi sunt Vnguento & ol. rosac. additis succis refrigerantibus & tantillo camphoræ.

℞. *Ol. nymph.* ℥j.
rutæ ℥iij.
sacch. Saturn. ℈j. *M.*

Quo linimento inungantur renes & genitalia.

Empl. de cicuta q. s. malax. cum ol. nymph. induc. super alutam & obduc. sindone rubro, in form. vsitat. vterin.

Quibus omnibus nihil proficientibus, matrimonium si fieri potest, suaderi debet, idque cum iuuene aut viro robusto, & qui strenuè desiderio & fami venero satisfacere valet, nam quod de viris rectè Poeta, idem etiam de fœminis hoc affectũ laborantibus dico:

Vteris, vxorem ducas, non expedit vti.
Coniugis in gremio mortificanda caro est.

Plura alia, quæ specifica proprietate hoc in affectu pollent, vt de cicuta, camphora alijsque dicunt, studio relinquo, vtpote quorum optima seges apud Authores veteres reperitur, qui proinde hac de re videri possunt. Atque hęc de furore vterino, quantum possibile fuit, breuiter dicta sunto.

FINIS LIBRI V.

LIBER SEXTVS

De Infantum & Puerorum Morbis.

CAPVT I.

DE IIS, QVI PRIMIS PVERPERII DIEBVS, & postea de dieta & educatione considerandæ sunt.

TOtus homo est morbus & huic omnis ætas sexusque omnis subijcitur & eius iugum ferre cogitur; Nec est vt operosè adducam morborum, adultis negotium qui faciessunt Myriades, eorumque fatalem sæpè connexum, ac quomodo vnus alteri lampada tradat, plenius dicam, cum hæc quislibet propria affirmet experientia. Latere neminem poterit calamitarum infantum, à prima natiuitate ipsos vexantium farrago, horumque promptissimum pernitiosum tamen connubium, quo nulla ferè sine comitibus in scœnam prodit.

Si quis alius, certè *Diuinus Noster Cous Hippocr.* de tenera infantum valetudine sollicitus est, inquiens, *diuersis aphorismis, in ætatibus talia contingunt paruis & nostri natis puerulis, oris vlcera (quæ aphtæ vocantur) vomitus, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.* In progressu verò cum iam dentire incipiunt, *gingiuarum pruritus, febres, conuulsiones, alui profluia & maximè cum caninos edunt dentes & ijs præsertim pueris qui crassissimi sunt aluum duram habent.*

Cum verò magis adoleuerint, *tonsillæ & vertebræ in occipitio, ad interiora luxurationes, crebri anhelitus quos Asthma vocant, calculi, lumbrici, ascarides, verrucæ, strumæ & alia tubercula sed præcipuè antedicta.* Grandioribus autem ad pubertatem accedentibus, *plurima ex his & febres diuturnæ magis & ex naribus profluuia sanguinis, plurimæ autem passiones puerulis iudicantur.* Nonnullæ quidem in xl. diebus, nonnullæ in septem mensibus, nonnullæ verò in annis VII. quasdam verò iam ad pubem accedentibus, quæ verò permanserunt non in pubertate finierint, puerulis aut fœmellis cum menstrua erumpunt, consenescere consuerunt. Nec minus sollicitus est *Naturæ Consultus Helmontius*, dum nutritionem eorum solum ad vitam sanam, quin potius ad *vitam longam* noxa paradoxaque ratione instituendam docet.

§. 2. Superius dictis affectibus *Senex* noster innumeros alios addere potuisset, illos sc. sæpè ictero, ventris torminibus, singultu, nausea, atrophia hectica è lactis aut diætæ vitio, corripi, iam nihil dicam de variolarum, & morbillorum contagioso insultu, musteum tenellorum sanguinem quam paulò adultiorum magis febrili turgescentia & tantum non efferuescentia turbante; cum verò infantibus præ alijs sit instabilis conditio quod, nos docet *fera libitina dignus Ettmullerus in Valetudinario infantuli tractatu vere Apollinis bibliotheca non indigno*, cuius verba ab initio nostra facimus. Si quidem mutabilis ista & inflabilis vitæ nostræ conditio, vt communis sit omnibus, inprimis tamen infantibus propria magis esse videtur, quatenus sub tenera eorum constitutione minusque valida viscerum structura & fermentorum speciatim istius, quod primæ ceu fundamentali inseruit digestioni nondum sufficienter exaltatæ vigore, quoscunque sub nutritione commissos errores grauiter luunt indeque fœcunda morborum suscipiunt semina, quæ per totum subinde vitæ cursum pernitiosus fructus germinare solent. Tenera ergo eorum conditio eorumque minus valida viscerum structura Regum, spirituumque debilitas faciunt vt quoscunque sub nutritione errores com-

commissos grauiter persentiscant miselli. Vnde fœcunda illa morborum seges, huc partim ex charactere hæreditario parentum & peruersa puerorum nutritione ex quibus tanquam ex equo Troiano prosilit illas morborum; seminale enim primordium in sanguinis parte sulphurea ceu principio actiuo latere cum *Etmullero* extra omnem dubitationis aleam ponimus. Infantes ergò plurimis obnoxios esse morbis norunt omnes sacræ Medicinæ dicantes, causam verò nurunt pauci, quia relatione ad cognoscendum destituimur, facileque in errorem duci possimus priusquam veram exspecamur causam.

§. 3. Initium ergo sumamus, quomodo sc. infas in nutritione cũ lacte lædi possit; Fœtus etenim humanus in hanc lucem editus, abluũtur & ipsi ligatur funiculus vmbilicalis & sic lecto committitur, dein ipsi præbetur mamma, ex qua sugit lac, adeo vt primis post partum mensibus omnibus bihorijs, post 3. vel 4. menses sexies postmodum bis teruè de die lactari debent infantes, hoc lactis potu alitus per anni vnius curriculum vel vltra & sic vltimis diebus assuefieri debet potui vsitato, donec à lactis vsu remouetur, & sic ablactatur; plures verò fœminæ lactant suos per biennium, aliæ, quod rarius, per triennium. Tempore lactationis quoque pulte ex farina vt plurimum triticea ex lacte vel aqua parata, quam saliua humectata bis teruè in die nutrices exhibent, nutriuntur. Hæc sunto de naturali lactatione, ex qua plurimi germinant affectus, vt asserendum sit cum sapienti Solone, *Homo est putredo in exortu, Bulla in omni vita, Esca vermium in morte.* Antequam ad lactis vitia & errata pultis accedamus, prius videamus & alia quæ statim infanti à partu accidunt; de *vmbilici* puta *ligatura*, ne illegitimo instituatur modo cum pro longitudine sua vel breuitate quàm ex ligatura acquirit, varient partes genitales infantis, & secundo de *balneatione*, de quibus superius diximus, in morbis mulierum de officio obstetricis, egimus, nunc vero restat, vt pauca addamus de recrementis sub formatione & nutritione in vtero, collectis, ab alijs *Meconium*, dictis, quæ in tenellis intestinis recondita latent, & nisi hoc excrementum nigrum & ex viridi nigrescens maturius ejiciatur, plures inde nascuntur affectus, tenellis, sæpè funesti. Excrementum hoc in corpore eliminandum esse, iam dudum agnouit *senex Diuinus de victu acutorum* dicens, illud quod primum natis exit, excrementum denotat.

CAVSA.

§. 4. Non dubitamus ergo excrementum hoc originem ducere à nutritione fœtus imprimis peros, quam vltimis accipit diebus, & cum diutius quam par est, detineatur magis acescit, hinc existit Author plurium atrocium torminum imo Epilepsiæ, aliquando lcteri, hinc *D. Etmullerus* inquin Meconium nihil aliud est, quam crudior caseus à reliqua nutritiua substantia, sequestratus & quasi præcipitatus, cum enim oriatur ex nutrimento fœtus in vtero quasi lacteo, qui ipse acorem à stomacho semel conceptum plus minus retinere solet, indeque occurrendo bili in intestinis cum eadem in obscurum ex nigro virideſcentem colorem coit, & pedetentim sub mora in intestinorum cellulis diuturniori coagulatur firmius; hinc Medici naturæ Ministri (cum natura ipsa ordinaria lege breui, in partu aliquando, hæc excrementa eliminet per secessum vel vomitum) optimè & cum successu, antequam lac vel pulticula præbetur, exhibent oleum amygdalarum dulcium vel cum manna alijsque laxantibus permixtum, vel syrup. d. cichoreo c. rhab. vel syr. de spinâ ceruina cum melle confect. additis ocul. ☌ quod summoperè laudat *D. Etmuller*, quo Meconij vel sordium aliarum accescentia & congrumescentia futuro lactis fluctui vàldè nociuo euacuari, & corrigi queat. Nostræ mulierculæ hic exhibent & quidem non malè Marchionis puluerem vel cephalicum *D. Michaelis*, quia puluercs hi absorbente & præcipitanti vi præditi sunt. Et quia sæpè deficiunt medicamenta, hinc Natura mater illa prouida matri suppedita lac serosum, alimentum certè medicamentosum (colostrum) quod ratione suæ serosæ salsitatis ab infante primis diebus fluctum purgat; malè ergò suis consulunt infantibus matres, quæ

ſuos alijs tradunt lactandos, inprimis illis quibus lac ſpiſſum & nimis veruſtum eſt, ſi ergò negligantur, medicamenta prædicta purgantia & abſorbentia, & non ex corpore infantis hæc excrementa eliminentur ſed vitioſa diutius retineantur & ſimul primo lacte priuentur miſelli, vnde non poteſt non fieri, quin deſtructa tota machina tenella, animam exhalent infantes.

§. 5. Nunc ergò paucis *lactis vitia* videamus, ſuperius enim de lactatione naturali pauca diximus, nunc verò reſtat aliquid addere de eius *ſtatu præternaturali*. Diximus inter omnia lac ad alendum infantem eſſe ſaluberrimum naturæque infantis accomodatiſſimum inprimis lac maternum, vt pote ad quod infans in vtero ipſo iam dudum eſt aſſuefactus. Vinum aut Sacharata, quia acidum in ſinu gerunt nulli conducunt infanti pro ordinario potu, quod verò non cunctis infantibus lac conueniat, matrum & diſpoſitionis lactis culpa eſt, quod ſæpè corruptum acceſcens eſt, inde enim excitantur ceu ex ſacharo degenerato, tormina, Epilepſia, atrophia, aſthma & ſexcenta alia; lac ergò probè excoctum craſſius & pinguius non ſemper eſt optimum, quod patet ex exemplis à *Hofmanno* tractat. *de vſu & abuſu chym.* allegatis. Vbi plures filiæ ex nimia lactis materni licet præditum fuerit butyroſitate & pinguedine, epilepſia defunctæ ſunt. Lac ergo optimum eſt colore candiſſimum, ſapore dulciſſimum, odore iucundum, conſiſtentia mediocre; contra vitioſum eſt, ſi degeneret in aciditatem & grumoſitates, perinde vt vinum in vaſe aliquando aceſcit & muceſcit; ſi ergò adſint color flauus & ſimul amareſcat, bilem arguit; ſubnigrum verò cœruleum acidum notat, ſic & vitioſum eſt acre, ſalſum à ſero tali ortũ, ſed & plura ſunt inſenſibilia vitia, quæ lactis corrumpunt miſcelam, hinc non tantum morboſæ proprietates naturales à nutricibus infantibus communicantur, ſed & morales, notante nobiſcum *Etmullero*, addente cum & brutales proprietates & mores cum lacte in infantem penetrent ac in vita perſeuerent, vt in pueris à ceruæ item à capræ lacte obſeruatum fuit *vid. Ries. Camp. Elyſ.* q. 47. Vitioſum enim lac ventriculum tenellis fibris munitum facile lædit perturbatque, tormina excitat ventris aluum concitat & alia infert mala: ex lacte ſeroſo acquirunt imprimis alui fluxum & omne genus ſcabiei, ex caſeoſo alui obſtructione, apetitum proſtratum & vomitum, ex flauo & aeri lacte choleram & puſtulas.

CVRA.

§. 6. Quibus remedijs autem & lactis in mammis penuria reſtituenda & eius conſtitutio vitioſa corrigenda ſit, ſupra inter mammarum morborum curationes, notauimus. Infantem per annum ad ſummum per biennium lactaſſe, ſufficit, & nutricibus vel matribus non adhibendi ſunt, ſi mater denuo concepit, ſed ablactandi & ad ſolidiora alimenta infantes aſſuefaciendi. Si mater infantem nutrire nequit, eligenda eſt nutrix, ſi vero mater perfecta ſeu mediocri ſanitate fruitur melius eſt, matrem ipſam proprium infantem lactare & nutrire. Nutrix autem debet eſſe habitus inculpati, ætatis mediocris, floridi coloris, moribus honeſta & ab omni voracitate & ebrietate aliena, quæ ad minimum bis peperit & liberos ſuos educauit: maturè ergo fœtus in hanc lucem editus tradatur tali nutrici, etenim videmus, toto die, quod plurimæ matres cacochymicæ & ſcorbuticæ citra vitæ periculum ſuos infantes lactare haud poſſint, vnde ſi illos conſeruare velint, nutrici tradere debent, & ſi hæc negligunt vel ob ſumptus impendendos vel ob mariti ſeueritatem tunc infantes plorando ſuperuenientibus torminibus ac epilepticis inſultibus ad plures abeunt. In nutrimento lacteo matris & quidem ad coagulum apto, plurima morborum ſemina, latere poſſe, probatur per Lithiaſin per nutricem in puerum deriuatam, quod notauit *Helmontius*; item binas puellas per matres Lue venerea inquinatas, obſeruauit *D. Etmullerus*. Scorbutum hodie infantibus per lac communicari quis dubitat? ego noui exemplum quod epilepſia per nutricem infanti fuerit communicata, quæ nutrix ſuum occultauit malum, per infantem vero cheu reuelatum. Illico ergo fœtus

à mam-

à mammis matris valetudinariæ abigatur & alij tradatur; quo temperato lacte, opprimuntur facilè morbosa semina, inprimis salino scorbutica & corriguntur sanguinis discrasiæ, quo constans ac firma oriatur sanitas. Quas paruuli etiam sæpius pœnas luunt nutricum & matrum ob malam diætam (quam nec in quantitate, nec in qualitate, nec in modo & tempore legitimo obseruant) exemplis, proh dolor! innumeris esset demonstrandum, si tempus & paginæ permitterent. Caueant ergo sedulò nutrices à purgantibus & acidis, quæ infantum tenellas fibras stomachicas valde vellicant & conuellunt, hincque tormina grauissima & aliquando conuulsiones totius excitant corporis; nocent quoque nutricibus Vinum aliaque spirituosa potulenta, in se enim habent acidum absconditum, Authorem acutorum torminum infantilium; Nutrix porro omnem vitet aerem inclementiorem, immoderatas vigilias, quietem vt & somnum longiorem. Cibi sint Euchimi & Eupepti, si nutrices sint rusticæ, cibi haud sint delicatiores, alias ipsis existunt peiores & in earum stomacho facilè corrumpuntur, quia non sunt consuetæ eiusmodi delicatis cibis, hinc in cibi fastidium aliaque incommoda ruunt. Abstineat à caseo, ex quo lac ad grumescentiam in mammis disponitur, item nimis à salsis & aromaticis, leguminibus, piscibus salsis inprimis vero aceto & acidis, in quibus sæpe latet Faber epilepsiæ, prout obseruauit *Syluius*, item cereuisia non probè cocta aut fermentata, vtpote ex qua fermentum ventriculi afficitur & diarrhœæ seu tormina excitantur. Omnia quoque grauiora animi paremata fugiat, quia spiritus animales totum genus neruosum & his mediantibus massam sanguineam & reliqua corporis contenta liquida commouendo maximè alterant hacque ratione lac corrumpunt, inprimis verò terrorem & iracundiam, propterea à domestici nulla præbeatur occasio. Terror enim ex spirituum animalium impetu & ἔκπληξις lactis coagulum producit, in quem finem notabile recenset exemplum *D. Etmullerus*, dicens: Euenit casu vt grauiter perterrefiat puerpera inde repente ad se cum redditset animus, catellum mammas exugere permittit, ne alteratum lac fœtui noceret; quo facto breui post graui epilepsia corripiebatur catellus, quæ vero theriaca & insequente graui sopore demum euanuit, noui eiusmodi tria exempla. Sic etiam nocet ira, quæ ea propter parua epilepsia dici meretur, tetror enim & ira turbat digestionis primæ opus, & iræ furor facit sanguinem ebullire & excitat febrilem efferuescentiam cum bilis orgasmo; malè imo pessimè etiam nutrices suis consulunt infantibus mammas nimis superfluè & inordinatè præbentes; tunc nimis alendo sæpe necant, & dum lactant, mactant, prout loquitur sæpè laudatus Etmullerus, hinc illa eruditas acida & liquamina putrida tot morborum authores, præstat hic peccare in defectu quàm in excessu, cum repletiones ad extremum productę, graues esse solent *teste Diuino Coo s. 1. aph. 4.* & impura corpora quo magis nutriueris eo magis læseris *itid. test. Senn. n. 1. 2. aphor. 10.* Quoad excreta & retenta omnia se legitimo habeant modo, menses enim supprimentur lactantibus ac in grauidis; quoties ergò mensium contingit excretio, toties animaduertitur in tenellis alteratio, qua languidi, lachrymabundi ac imbecilles fiunt, donec sedato hoc fluxu, dicti languores remittunt. Insignior quoque lacti imprimitur alteratio per fœcundum coitum nutricis, inde lac corruptum generatur & horridam acquirit impressionem fœtui valde nociuam. Lac ita deprauatum & corruptum ab infante suctum, degenerat in eius ventriculo in vitiosum caesi coagulum, tenello infantis stomacho infestum, adeo vt exinde eidem stigma per totam vitam durabile imprimatur, inde caesi auersionem tam multis solemnem deducit D. Etmuller, Schockius, & Dygby. Optimè ergo faciunt mulieres lactantes vt à coitu abstineant, propter insignia nocumenta, quàm libidinem miselli sæpe corpore luere debent.

§. 7. Nunc etiam quædam de pulte, alimento infantis, monenda restant. Nostræ mulierculæ statim primis mensibus parant pulmentum ex farina, lacte, adiecto sacharo inseruntque ori infantis, quod

quod pulmentum cum *Etmullero* Gluten viscosum & Bibliopegis pro glutinandis chartis magis aptum quàm nutrimentum appello, loco enim huius nutrimenti miserorum stomachus aggrauatur pappa tenaci cruda ac viscida, vnde non potest non fieri quin prima digestio vitietur, & consequenter etiam secunda & tertia, hinc *Clar. Hildanus cent. 6. obs. 3.* periculosissimam pylori à tali pappa viscida notat obstructionem, plures itidem Cachexias & obstructiones ex panis non ritè fermentati & cocti esu, tali pappæ non multum dissimili, in adultis nouimus, quare melius primis præsertim mensibus quatuor, solummodo lacte materno infantes contenti sint, postea verò omni varia iusculæ præberi possunt ex pane triticeo cum iure carnis coct. & sic res melius succedit; malæ & consulunt infantibus nutrices, cum pulmentum in ore teneant & saliuæ commixtione ipsi fluiditatem conciliant, ex qua fermentatiua *commixtione* ingestioneq; plurima morbosa contagia miserrimis communicantur, sic & per hanc saliuam infantibus morbi lactantium infundi possunt, ceu monumenta Medicorum abundè passim testantur. Ex acido & viscido ergo tot affectus infantibus propullulant. *Galenici* culpant pituitam crassam ac acidam. *Paracelsistæ* sal. acid. seu tartar. Nobis verò nuncupare libet *acid. viscidum*; hinc omnia medicamenta hoc corrigentia infantum morbis sunt proficua, ceu sunt omnia alkalia tam volatiliam quàm fixa, item aromatica salina volatilia & etiam oleosa, imprimis volatilia oleosa ♎ * aromatizatus, anisatus aut caryophyllatus, liquor. c. cerui succinatus, quæ tum nutrici tum infanti in vehiculo conuenienti puta aq. menthæ, fœnicul. item lacte materna à gutt. 1. 2. ad 3. dari possunt. Idem acidum mirè etiam destruitur per salia acria aromat. volat. vt sunt semen anisi castor. &c. quod elegans temperans est acidum austerum, sic & myrrha & succinum & cinnabaris natiua eundem absorbent acorem. Ex fixis & paulo terrestrioribus sunt oc. cancr. corall. margarit. bezoar. ebur. vnicorn. toffile, *pulu. Polychrest. Etmulleri*, de qua re vide instar omnium *Etmulleri* tract. de infant. valetudin. in quo ingeniosè non minus quàm verè omnia ex acido infantum mala, demonstrantur. Lac quoque & alia incommoda produci posse, nulli dubitamus. Hæc sunt generalia, nunc ergo ad specialiora accedamus.

CAPVT II.

De Ictero.

§. 1. INfantes non duntaxat iam nati, sed & in ipso vtero adhuc existentes ictero inficiuntur, plerisque tamen mox à partu solet superuenire hic affectus ac per aliquot dies durare, & dein iterum recedere, qui se prodit per colorem totius cutis flauum instar croci, quo non tantum vniuersi corporis superficies cum albugine oculorum, sed & pinguedo & partes carnosæ, & membranosa ipsaque parenchymata tinguntur. Quod malum aliquando cognosci potest ex vrinis flauescentibus, & linteamina tingentibus, & per alui fæces aliquando albicantes.

§. 2. *Syluius* existimat in his infantibus Ictericum sæpè fieri posse absque ductus bilarij obstructione à bilis scil. spirituositate & ideo ad effervescendum, ineptitudine.

CAVSA.

Nos huius affectus *causam* deducimus à bile vel particulis sulphureis in massa sanguinea nimis scatentibus, vnde ex matribus, rebus spirituosioribus atque volatilioribus ♎ vini, puta vino Hispanico, & similibus indulgentibus nati statum à partu Ictero corripiuntur. Bilem itaque ergo in Ictericis esse sæpè volatilem & acrem, & producere posse hunc affectum, extra omnem aleæ dubitationem ponimus, hunc affectum in tenellis his etiam oriri posse ab obstructione ductus bilarij facta, à Meconij aliusque viscidi humoris præsentia, nulli dubitamus.

CVRA.

§. 3. Quoad *Curationem*, illa facilè oleosis salibus lixiuiosis internè & externè vsurpatis, curatur. Aluus si strictior sit, commodè solicitanda Syr. de spina cerui na addit. rasur. ebor. pulucre, vel syr. de cichor.

cichor. cum rhabarb. vel rhabarbarum, aliaq; conuenientia potui ordinario nutricis indantur. Postea exhibeantur varia incidentia aperientiaque ductum cholidochum, inprimis singulis diebus de Tinctura croci gutt. aliquot dentur, vel croci gr. j. in substantia exhibeatur, omnia enim hic conducunt crocata. Item sudorifera, hinc *Syluius* bezoartici mineralis granum vnicum commendat.

Externè varia conueniunt, quæ in Capite de Ictero lib. 3. diximus, exinde alia remedia hic congruentia peti possunt.

§. 4. Infantes in lucem editi & quidem circa quartum diem à partu efflorescentia mitiori purpura affici & inficiolent, conspicitur enim rubedo totius cutis cum pruritu, & aliquali subsequenti excoriatione.

§. 5. *Causa* est, quod sanguis paruulorum in vtero materno sæpè à sanguine matris scorbutico inficiatur, qui accedente aere externo ex respiratione hausto nimis efferuescat, & hinc magis agitetur, à quo motu interno salia illa minus symbolizantia, & immiscibilia ad peripheriam præsertim ad glandulas intercutaneas miliares deponuntur, vbi se cum pruritu produnt.

§. 6. *Curatio* huius affectus consistit potissimum in procuranda transpiratione, hinc mulierculæ corpus abluunt vino calido, qua blanda frictione aperiuntur poruli cutis, per quos dein salia ista heterogenea, & semina morbosa excludi possunt, & sic quoque simul viscositates poros obstruentes, & in vtero materno acquisitæ abluuntur, in quem finem & non malè nonnulli, aquæ saponem vel lixiuij modicum addunt vt melius detergantur hæc de *præseruatione* dicta sint; si verò iam vrget affectus varia sudorifera alkalia sunt exhibenda; Item hoc in casu conducunt salia volatilia ad gr. j. exhibenda, & antimonium diaphoreticum itidem ad gr. j. propinandum.

CAPVT III.

De Torminibus Infantum.

§. 1. *Tormina* infantes torquentia malum nuper natis est ferè inuitabile & valdè familiare, quod ipsis non tantum à nutricum lactis coagulo & esu acidorum accidit, sed vtplurimum videmus hoc malum, vel à flatibus, vel humoribus acrimonia acida peccantibus ortum. Flatuum indicia sunt, quando in talibus abdomen valdè distenditur & excretis flatibus leuamen persentiant miselli. Acidi verò intestinorum interiores rodentis, mordentis ac lancinantis indicia sunt præter eiulatum excrementa alui vel viridia ab acido tincta & corrupta, vel flaua & deinde paulò post virideſcentia & acidum spirantia, quem colorem Authores à bile & succo acido corrupto deducunt, siue is sit pancreaticus siue lymphaticus, perinde est, quod *Cl. Grafius de succ. pancreatico f.* 195. comprobat experimento, dicit cum ex bilis flauæ cum spir. vitrioli, vel alius miscela atrouirescentem produci colorem, ex acido hoc inprimis vijs existente lac in tenellorum stomacho in grumos caseosos adigitur, hinc excrementa sæpius apparent grumosa.

CAVSA.

§. 2. Hæc tormina nuper natis valde familiaria itidem à praua dieta matrum & nutricum in infantes deriuantur, cum nempè illæ alimentis nimium viscidis ac glutinosis, viscido ac glutinoso acido generandæ ansam præbentibus, nimis indulgent, vel sale & aromatibus conditis bilis acrimoniam multum augentibus, vel acetarijs acido humori generando aptis abutuntur grauidæ vel lactantes, ex pasta nempe acida viscida in intestinis latente, concurrente simul, vitioso acore & alkalino bilis stimulo Gas tale flatuosum generatur; Vt enim teneri arborum flores quauis aura vel pluma facilius quam iam grandiores marcescunt, & decutiuntur, ita etiam fœtus teneri facilius quam matres, vel leuissimo in dieta delicto, offenduntur.

CVRA.

§. 3. Præmissis hisce & prælibatis facilè curatio instituitur potest quæ consistit in flatuum discussione, & causæ eorum correctione ac eductione.

Inter flatus discutientia carminantia dicta merito magnifacio aquam carminat. Mynsicht. zedoar. anisat. menthæ, fœniculi

niculi addita guttula vna aut altera spirit. anticol. ex nitro. D. Michaelis vel spir. nitri dulcis. Ex. gr. detur seq. mixtura cochleatim:

℞. *Aqu. carminatiu. fœnicul. menthæ ana* ℥j.
spir. nitri dulcif. gutt. vj.
theriac. cœlest. gr. iij.
Essent. citri saccharin. Zuuel. q. s. M.

Si autem aliquis loco spirit. nitri, spir. * volat. Vel alius spir. volatilis aromatizati aliquot guttulas adderet, ille non errabit.

Vbi simul materia tenax, ac glutinosa simulque acris existit, semper respiciendum est simul ad flatus, qui etiam discuti debent clysteribus carminantibus. *Nobilis. Ettmullerus* hoc in casu exhibet puluerem anisi cum dimidio corall. vel Elæosaccharum anisi vel spirit. * volat. anis. Dolores quoque à flatibus orti sedantur ab opiatis. Ex. gr. syrup. papau. simpl. vel laudan. opiato pro re nata mixturis carminatiuis adiectis. Externè verò hoc in casu conueniunt olea linimenta & vnguenta, vt sunt olea distillata chamomillæ, fœniculi, carui, anisi, cort. aurant. cum oleis coctis anethi, lumbricorum, castorei mixta, item ol. carminatiuum Mynsi. Inter emplastra magnificio Empl. de baccis lauri toti abdomini impositum, quo filiolum meum restitui, cuius abdomen non solum, sed & scrotum à flatibus distenta erant; nec sacculi ex carminatiuis repleti & abdomini imponendi, negligantur.

Quando verò flatus non sed pasta illa viscida nimis tenax, & glutinosa existens vrgeat, tunc conueniunt pituitam glutinosam incidentia, quæ sunt vtplurimum iam dicta carminatiua hisce præmissis dein vt pro virium ratione illud tenax educatur, Author sum, quod syrup. de manna, de cichoreo cum rhabarbaro, florum Persicorum rosat. solutiu. cum senna aliquot granis ialappę resinosæ puluere acuatis, perfici potest.

Verum vbi infantes ob debilitatem vel etiam nauseam (quod sæpius fieri solet) laxatiua talia perferre nequeunt, antedicta maiori dosi nutricibus propinanda esunt, sic vis cathartica medicamentorum cum lacte in infantes deriuatur, à qua blandè & citra omne periculum postmodum purgantur tenelli. Si vero hypochondria à flatibus valdè sint distenta simulque concurrat ex pasta illa tenaci aluus adstrictior, satius erit purgantibus per os assumendis præmittere clysmata ex aperientibus, emollientibus & carminatiuis, simul additis blandæ purgantibus. Externè etiam ad mucum illum viscidum authorem horum torminum dissoluendum conducet vnguentum sequens:

℞. *Gumm. ammoniac* ℥ß.
terebinthinæ ℥iij.
aloes, myrrhæ ana ℥j.
fell. tauri ℈j.
M. cum seuo ceruino f. vnguentum debitæ consistentiæ.

Quoties verò acrimonia acida coniungatur notatis flatibus, aut seorsim peccet, toties horum torminum curatio consistet, 1. in amotione omnium causarum externarum. 2. in correctione acidi vel in matre, vel nutrice. 3. in acidi quoque in ipso infante peccanti, emendatione.

Externæ causæ ergo remoueantur, vt sunt alimenta, condimenta, medicamenta, vel à matre vel à nutrice immodicè ingesta; animi quoque pathemata fugiantur inprimis mœror, metus & ira si enim tale quid contingat, prius exfugatur lac è mammis, antequam præbeatur infanti.

Acidum in nutrice peccans existens optime demulceri potest, per spirituosa & oleosa, idemque acidum concentrant & emendant salia tam fixa quam volatilia & manifesta & latentia in corallis, margaritis, oculis cancr. &c.

Ad acidum illud in corpore eliminandum quando temperatum & correctum est, conducunt diuretica aromatica; Idem acidum corrigitur & expellitur per sudorem, hinc conducunt diaphoretica aromatica & resinosa ex lign. guaiaci, sassafras, iuniperi, buxi, quercus, &c.

Ad acidum in ipso infante existens, & ipsorum intestina rodens temperandum, ac corrigendum præ alijs laudamus absorbentia, & præcipitantia, in quem finem commendamus sequentem puluerem ad imitationem puluris *specifici Ettmulleri* hoc in casu rarò fallentem:

℞. *Ocul.*

℞. *Ocul. cancr. præp.* ʒß.
corn. cerui sine ▽. *præp.* ℈j.
corall. r. præp. ℈ß.
myrrhæ rubr. castor. ana gr. v.
theriacæ cœlest. gr. vj.
M. fiat pulvis subtilis dos. a. ℈ß. *ad* ℈j.

Si verò ex his torminibus vti fieri solet Epilepsiæ vel conuulsiones metuendæ sint, tunc salia volatilia salina conducunt. Detur sequens vel similis mixtura cochleatim:

℞. *Aq. florum tiliæ.*
fœnicul. ana ʒj.
spiritus sal. armon. anisat. ʒß.
ocul. cancr. præp. ℈j.
cinnab. natiu. ℈ß.
theriac. cœlest. gr. iij.
syr. d. menthæ ʒß. *M. D.*
Vel detur dosis seq. pulu.
℞. *Pulu. Marchion* ℈j.
auri fulminant. gr. iij.
nitr. depurati gr. ij.

M. fiat pulvis diuidendus in IV. partes æq.

Vel: ℞. *Pulu. absorbent. VVedelli* ℈j.
cinnab. antimon. gr. vij.
castorei præp. gr. vj.
theriac. cœlest. gr. ij.
M. D. à ℈ß. *ad gr.* xv.

In hoc affectu magno cum successu exhibui puluerem absorbentem *Ludouici & VVedelij*, opiata quandoque sola sufficiunt. Indi possunt & vmbilico inprimis theriaca cœlestis vel mithridatium cum Gossipio imponatur.

Externè prædicta conueniunt olea carminatiua & aromatica.

Hæc prælaudata medicamenta etiam exhibenda sunt in alui deiectionibus viridiscentibus, acidumque redolentibus ab acido p. naturali oriundis.

CAPVT IV.

De ructibus, singultu, nausea, cardialgia, ac Vomitu ac præsertim lactis coagulatione.

§. 1. NVper natis non tantum tormina & alui deiectiones virides accidunt, sed & eorum stomachus sæpè afficitur malè, & hic Ructus, Singultus, Nausea, Cardialgia & Vomitus multiuarij oriuntur, & tenellos afficiunt. Non mirum est, si copiosior acidior imo tenacior mucus, qui facilè ex lacte corrupto generari potest, ventriculo negotium faceſſat, & eius acore fermentatiuo & tenaciore muco intumescente inque flatus faceſſente, ructus & flatus per os erumpentes producantur, & si saburra ista non resoluatur in flatus, sed pertinacius adhæreat orificio superiori ventriculi non potest non fieri, quin acrimonia sua neruosas illas partes vellicando & rodendo inducant cardialgiam aliasque cordis anxietates. Et si mucus ista totum occupat ventriculum & transitus per pylorum denegatur; necessariò inde appetitus fermentum delendo, prosterni debet, si ab hac acrimonia (bilis enim ad acrimoniam augēdam sæpius se associat acidorum familiæ) irritetur ventriculus & spasmodicè contrahitur, non potest non vomitus inde produci, quæ quandoque infantibus salutaris est, si nempe mucus ille tenacior eijcitur, qua sarcina liberatus ventriculus melius se habet, inprimis si mucus aliaque virideſcentia eijciantur excrementa.

§. 2. *Singultus* etiam fit ex lacte corrupto & ab acido coagulato, inprimis si acidior & viscosior mucus superiori orificio maximè ob neruos sensibiles, pertinacius adhæreat. Inde propter firmissimam diaphragmatis connexionem hæc conuulsiua fit contractio, *Singultus dictus*.

CAVSA.

§. 3. Vtplurimum ergo est *acrimonia acida*, quæ acida vel salsa materia vtplurimum orificium ventriculi superius mordicat & irritat, & simul diaphragma in consensum trahit, maximeque membraneum illius centrum per interualla afficiendo atque ad sui contractionem incitando, siue sub specie vaporis, flatus, vel liquoris ad illud defertur, siue etiam in cauitate thoracis vel abdominis aliquando hæret.

§. 4. Cum verò ructus, vomitus, singultus, nausea, cardialgia parum in causa differant, eandem etiam ferè curationem mutatis mutandis desiderant, quę flatus discutiunt, etiam ructus tollunt, quod

quod præstant carminatiua superiori Capite iam proposita.

In cardialgia ab acri viscido humore tenacius orificio ventriculi adhærente orta, conducunt omnia acrimoniam istam viscidam corrigentia; inprimis Essentia Carminatiua *Vvedelij* cum essent. castorei, opij, internis ac externis carminatiuis & roborantibus neruinis permixta. Puluerem sequentem sæpè cum effectu exhibui in aqua menthæ; etenim mentha & eius aqua *Syluio* specificum est in singultu:

℞. *Pulu. nuc. mosch.* ʒß.
coral. cancr. præp. ℈j.
castorei ℈ß.
corall. rub. præp.
caryophyll. ana ℈j.
ol. menth. dest. gr. ij.
Theriac. cœlest. gr. iij.
M. f. pulu. subtilissimus. dos. ℈ß.

Adultioribus detur cochleatim de sequente mixtura.

℞. *Aq. menth.* ʒ j.
cinnamom ʒj.
tinct. succini ℈j.
essent. anodina ʒß.
syr. de mentha ʒ j. *M. D.*

Si maior adsit ventriculi contractio, & metuenda sit Epilepsia, tunc ad cinnabarina & opiata confugiendum est, in quo casu celebris est sequens puluis:

℞. *Cinab. antimonij gr. ij.*
℔ *fulminant.*
theriac. cœlest. ana gr. j.
M. D. pro dosi. Vel detur ad pisi magnitudinem mitridatij, vel theriacæ Andromachi.

Syluius in nausea & vomitu præprimis commendat tenellis spiritum nitri dulcem & opiata, sic etiam in adultioribus in singultu *vomitus* conducit ad acres istas sordes euellendas, post quam exhibeatur puluis *Ioelis* in omni singultu ab ipso *Ettmullero* æstimatus. Constat autem ex C. C. vst. & coral. præp. admistis vna vel altera guttula ol. cinnamom. vel anisi dest.

Sic & prælaudatus Vir hoc in casu laudat anisum, singultui adultorum appropriatum externè pariter ac internè vsurpandum remedium; non minus æstimat castoreum. Si verò vomitus vrgeat per essentiam, & simul nausea & stertor anhelando vrgeat, non sistendus est, vsque acris latex vel tenax ista saburra eliminata fuerit, quin potius promouendus est cum iusculis pinguioribus, dein si euacuata fuerit materia peccans stomachus confortandus est, & quidem sequenti mixtura balsamica:

℞. *Aq. cinnamom.* ʒjß.
spir. mastichin. ʒj.
essent. terræ Iapon. ℈j.
syr. cinnamom. ʒß.
M. detur cochlear. per vices.

Cl. D. Ettmullerus sequentem habet puluerem:

℞. *Nuc. moschat.* ʒj.
corall. rubr. caryophyll. ana ʒß.
M. D. parum per vices.

Nec theriaces vsum tum internum quàm externum negligendum esse, vult; qui & magnificat in ablactatis decocta caryophyllorum ad ʒß. & mastich. ℈ij. in vino.

In omnibus ferè his affectibus tãquam polychrestum medicamentum æstimo, sequentem puluerem:

℞. *Pulu. bezoart.* ʒj.
lap. cancr. præp.
cinnab. antim. ana ℈j.
castorei ℈ß.
theriacæ cœlest. gr. iv.
ol. cinnamom. dest.
menth. dest. ana gutt. j.
M. dosis à gr. v. ad x.

In anorexia & appetitu deprauato præmisso vomitorio, sal. volatile cinnamomisatum cum essentia balsami Peruuiani magnifacio, vel terram Catech. adiectis guttulis ol. cinnamom. vel menthæ vel macis, vel alius aromatici destillati olei.

In omnibus hisce affectibus nec externa negligenda sunt, quia infantum stamina veruosa sunt adhuc valdè tenera, & hinc illa effectum suum melius præstare possunt. Conducunt ergo varia linimenta, olea, emplastra, cerata, item spirituosa stomacho & abdomini illinenda.

Hic mixtura mea balsamica externa ex succolad. conf. alkermes, ol. nuc. moschat. balsam. Peruuiano, cinnam. cum vino Maluatico parata, egregium in his casibus præstat officium. Oleum stomach. Croton. aliaque stomachi, oleum men-

menthæ, macer. cinnamom. &c. item ceratum ex ladano, tacamahaca proficua ſunt. Item ſpirituoſa vt ſunt ſpiritus mentæ, maſtichin. lil. conuall. theriacal. camphorat. &c. nec ſua laude fraudenda ſunt. Externè conducet fruſtulum panis vino Maluatico imbutum aut aliquot gutt. ol. macer. cinam conſperſum, ac ventriculo impoſitum, quia Gaſteronacem & ſpir. in ventriculo exiſtentes his ſpirituoſis & oleoſis valdè recreantur. In vomitu & vmbilico indenda ſunt varia opiata, vt ſunt theriac. cœleſt. vel imponendum emplaſtrum ex theriaca Andromachi. Si varegata excrementa eijciantur tunc conueniunt enemata, quæ multum leuaminis afferunt. Rubrum noſtrum emplaſtrum vmbilico imponendum, egregiam præſtat opem in omnibus prædictis affectibus, quod ſequens eſt:

℞. *Gumm. tacamahac.* ℥iß.
myrrhæ ℥vj.
maſtich. ℥j.
pulu. ſantal. rubr. ℥iß.
roſar. rubr. ℥ß.
ol. nuc. moſch. expr. ℥ij.
maſtich. abſynt. ana q. ſuff.
ceræ q. ſ. coque ad conſiſtent. emplaſtr.

Emplaſtrum de cruſta panis cum oleo maſtichino malaxetur, item prodeſt cataplaſma ex fermento acerrimo cum pulvere mentæ, roſ. rubr. thur. maſtich. c. aceto roſaceo; vel ſacculus ex herbis appropriatis, reliqua ex Cap. 1. lib. 3. peti poſſunt.

CAPVT V.

De alui fluxu & adſtrictione.

§. 1. NOn tantum inteſtina *Infantum* malè afficiuntur per tormina, ſed eorundem ventriculus & inteſtina afficiuntur per alui fluxum, qui pluribus lethalis exiſtit, & alui adſtrictionem nimiam. Maximè verò circa dentitionem hoc malo infeſtantur pueri, qui fluxus ſi in dyſenteriam degenerat, vtplurimum perniciem affert.

CAVSA.

§. 2. Oritur autem alui fluxus, aut ex vitio lactis, aut alimenti corruptione, aut ex colluuie acri in inteſtinis collecta. Alui adſtrictio ſæpè oritur à producta tenaci ſaburra ſimulque auſtera inteſtina contrahente.

CVRA.

§. 3. *Curatio* alui fluxus conſiſtit in ſupradictis ſtomachicis. Ab initio proſunt abſtergentia ex decoct. hord. ſimpl. cum ſyrup. roſ. ſol. dein adſtringentia balſamica tum foris tum intus adhibenda ſunt. Conueniunt hic omnia carminatiua, theriacalia, abſorbentia, bezoartica, opiata, &c. ad dolores & inteſtinorum conuulſiones tollendas, & alui fluxum ſedandum & acrimoniam delendam, egregium facit officium ſequens:

℞. *Eſſent. theriac.* ℥j.
Anodin. ℈ß.
balſ. Peruuian. ℈j.
M. D. ad vitr. doſ. guttæ.

aliquot pro ratione ætatis & vrgentium ſymptomatum.

Magiſterium coralliorum, ſucco citri, ebor. ſin. ▽ præp. nuc. moſchat. maſtich. &c. item aqu. cinnamomi cydoniata Syr. corallorum de roſis ſiccis, ſpiritus maſtiches, theriac. Andromach. & cœleſt. item laudanum opiatum cydoniatum *Hoffmanni* egregia ſunt medicamenta: Ex. gr.

℞. *Aq. plantag.* ℥j.
cinnamom. cydoniat. ℥ß.
ſyr. corallorum ℥j.
ſpir. maſtich. ℥j. *M.*
℞. *Magiſt. corallor. cum ſucco citri,*
ebor. ſine ▽ *præp. ana* ℥j.
terræ catech. ℈j.
M. pro aliquot vicibus.

Externè conuenit ol. cydoniorum, maſtich. myrtillorum, nuc. moſch. expr. Vnguentum Comitiſſæ & ſuperius dicta cataplaſmata & emplaſtra aliaque.

§. 4. *Aluus adſtricta* infantibus contingit vel ob ſenſus obtuſionem à paſta tenaci, quia bilis non fluit ad inteſtina, quæ ſtimulus eſſe debet, aut ob copioſius auſterum, ſiue reperiatur in ſucco pancreatico ſiue in bile ſi ſcil. inſtar amurcæ in folliculo ſuo ſtagnet.

§. 5. *Curatur alui obſtructio* in Infantibus remedijs aluum lenientibus, quæ tum nutrici, tum infanti ſunt adhibenda. Nutrici iuſculum in quo folia ſennæ c. ſemine aniſi coctum, exhibendum;

In-

Infanti enemata ex lacte dulci cum therebinthina in vitell. oui dissol. applicentur, si obstructiones sunt pertinaces aliquid aq. benedict. addere soleo; deinde detur manna in iusculo vel brodium passularum laxatiu. si adsit materia viscida in paulo adultioribus addere soleo grana aliquot pulueris ialappæ & vtplurimum quot annos habet, tot grana huius pulueris syrupo admiscere soleo, vel detur vna pilula angelic. s. aloetica vel ad mentem *Etmulleri* syr. de spina ceruina vel solum, vel cum syrupo de fumaria mistus & subinde exhibitus.

In ablactatis *prælaudatus Vir* aliquot grana Merc. dulcis suadet, qui mucum resoluit & verminationi resistit, commendat quoque miscendum ad gran. j. & plura cum lacte vel pulte exhibendum. Mihi solemne est sequentem potionem parare & pro ætatis & morbi ratione cochlear. 1. vel 11. ad tria exhibere:

℞. *Fol. sen. S. S.* ℥ij ß.
sem. anisi. fœnic. ana ℥j.
acidi Tartari. ℥ß.
infund. per noctem in aq. maluæ & Mercurial. ana q. s. mane coq. lento igne in col. ℥iij. *dissolue mannæ Calabrin.* ℥ ß. *iterum col. & adde syr. d. cichorio c. rhabarb.* ℥vj. *pulu. ialappæ* ℈ß. *Misc.*

Externè venter & vmbilicus inungantur oleo calido chamomillæ in quo parũ colocinthid. coctum est, aut inungatur vmbilicus vnguento d. arthanita, quod mihi præsentaneam sæpe præstitit opem. Pinguedo anserina & gallina cum corticibus nuc. iugland. applicata de optime confert, vel fiant suppositoria ex melle cum speciebus hier. pic. vel ficus filo alligata intrudatur intestino recto: si linimentum expetis, en tale aut simile parari potest:

℞. *Vng. d. arthanita* ℥ij.
Fell. tauri inspiss. ℥j.
aloes ℥ß.
ol. colcynthid. ℈ß.
M. fiat linimentum.

CAPVT VI.

De aphtis.

DESCRIPTIO.

§. 1. APhtæ quæ vulgò sed perperam vlcuscula iudicantur, sunt Escharæ quædam sed leuiusculæ quæ in summitate pustularum quarundam in ore oriuntur, decidunt & renascuntur varij coloris, variorumque aliorum accidentium.

DIFFERENTIA.

Inprimis infantibus est affectus haud infrequens, magna enim in his diuersitas est ratione loci, nempe totam oris superficiem occupare solent, aliquando verò solum in lingua, quandoq; in solis faucibus, quandoq; verò & in palato & in labijs & in gingiuis, imo & œsophago, ventriculo, intestinis & aspera arteria producuntur. Ratione coloris diuersitas est, quandoque albent, quandoq; flauent, subinde liuent, interdum nigricant, aliquando verò alterius sunt coloris, quorum colorum causas reddit *Sylvius in cap. de aphtis p. m.* 604. & deducit ab acido bili diuersimode iuncto; Aliæ molles sunt aliæ humidæ, quædam verò asperæ & siccæ, quædam leniter partibus adhærent, facileque decidunt aliæ verò firmius & quasi ex ipsis partibus propullantes, difficulter remouẽtur, aliæ & sunt quasi confluentes, aliæ quasi discretæ.

DIAGNOSIS.

§. 2. Oculis ordinario à Medico cognosci possunt, easque adesse referunt adstantes, instar crustæ aliquando vnicum constituunt quasi vlcus, cuticulam infestans & corrumpens non item vt cætera vlcera consumens carnesque exedens. Incipere solent à gingiuis, postea à lingua ad palatum totumq; os serpunt ac fauces & œsophagum descendunt ob continuitatem tunicæ ventriculi & œsophagi cum ore. Infantibus aphtæ fiunt elactis corruptione & inde orta acrimonia & acescentia; acre enim acidum est excorians prædictarum partium membranas. Alij culpant lympham acescentem & humores circulantes vitiosos, alij dicunt esse acrimoniam saliuæ cum pulte commix-

tæ,

tæ, iniectam; Fons peccantis acidi potissimum quærendus est in ventriculo ex corruptela lactis & pultis nimiaque acescentia. Confert sis *Dn. Etmullerum*, qui existimat hunc acorem aliquando exhalare ex ipso stomacho, qui vapores acres dum aut partibus ijs adhærent aut saliuæ admiscentur, sua acrimonia pustulas excitant, & ijs vt arte Escharas, quomodo tum in infantibus à corrupta lacte materno in ventriculo, tum etiam in febribus siue intermittentibus (quod tamen etsi rarum est ego tamen aliquoties obseruaui) siue continuis, quod frequentius, & in alijs vbi tantum latent cruditates recrementosæ & porraceæ in stomacho.

PROGNOSIS.

§.3. Euentum verò quod attinet, is varius est, pro varietate ipsarum aphtarum & causarum à quibus producuntur, & quidem aphtæ acres symptomaticæ malæ sunt, criticæ verò mitiores; In specie autem bonæ sunt quæ statim ab initio prodeunt & minus spatium occupant, si hinc inde tantum dispersæ sunt; quæ albent, quæ molles sunt & humidæ, quæ facilè abluendo decidunt, vt aliquoties regenerentur, quæ nulla grauia habent symptomata coniuncta aut morbos; quæ vel morbos minuunt, quæ comitem habent saliuationem, secedunt enim vt plurimum cum saliuatione. E contrario verò malæ quæ aut liuidæ sunt, aut flauæ, aut nigricantes, aut siccæ, & quæ nullum afferunt leuamen, quæ in vnam coeunt crustam, & quibus præsentibus morbus augetur. Mulierculæ nostræ somniant, cum dicunt aphtas per IX. dies incrementum sumere & per reliquos IX. dies iterum decrescere.

CVRA.

§.4. Præmissis his supereſt vt aphtarum curationem nunc addamus, quæ consistit in acidi acriores correctione, in nouæ generationis impeditione, illarum maturatione, inundatione ac consolidatione. Acidum aphtarum mire corrigit vitellum ouorum cum aq. rosarum & sachar. cand. permixtum. Acrimoniam istam acidam etiam temperat succus raparum quocunque modo paratus & expressus aphtis illitus cui vel momentum mellis vel sachari addendum. Succus cantorum fluuiatil. item veronicæ ad os eluendum suum præstant officium; sequens raro me fefellit, quo singulis diebus bis vel ter instrumento linteo obducto euerraturos.

℞. *Vitell. ouor. N°. j.*
mell. despumat. ℥ij.
suc. veronic.
rapar. ana ℥ß.
croci gr. vj.
macer. ℈ß.
cum aq. veronic. & rosar. q. s. D.

Ad os eluendum cereuisia recens, serum lactis, cereuisia sicubus & liquiritia alterata; syr. de luiubis, &c. proderunt; decoctum veronicæ oleosa & mucilaginosa vt sunt psillij cydon. aliquando interponenda cum melle vel aqua, qua chalybs extincta est & saluia cum melle ebullierit.

Cauendum verò ab omnibus acribus inprimis acidis & salsis ♎ vitrioli, sulph. salis, nitri, &c. vtpote quæ maximum aphtis detrimentum afferunt. Non debemus in hoc affectu procliues esse ad purgandum, quia facilè diarrhæa sequeretur, quæ pessima est, aluus potius soluenda suppositorio è sicu præparato, vt fæces emolliantur. Tunc sudoriferum lene pro tenera ætate adhibeatur sequens;

℞. *Bezoard. min. à gr. j. vel v.*
lapid bezoar. á gr. iij. ad vij.
croci à gr. ij. ad vj.
M. F. puluis.

In adultioribus aliter curandus est, inprimis si affectus post luem veneream oritur tum proderunt potius acria, de quibus alio loco iam dictum est.

In adultioribus ablui possunt acrioribus quæ tamen non in tenellis ceu diximus applicanda sunt. Ex. gr. sequenti.

℞. *Mell. despumat. ℥ß.*
spir. vitrioli,
salis ana g. x.
M.

Inprimis si vlcera maligna sint & vlterius serpunt, inspergi possunt pulueres ex lap. ♋ mag. Saturni &c. potest & in hoc casu instituī suffitus ex myrrha rubra, cinabar. ♂ nij ana p. æq. infundibulo vitreo ore excepto. Gargarismata &

 ctus

ctus ceu dictum est, alibi proposuimus, nunc ergo hæc non repetamus.

CAPVT VII.

De insultibus epilepticis, conuulsionibus, pauoribus, seu somnijs terriferis.

§. 1. EPilepsia *adultorum* magnam affinitatem habet cum epilepsia infantum cum hoc tamen discrimine, quod hæc infantum ordinario sit sympathica tomitemque habeat vel in ventriculo vel in intestinis. Et in ventriculo quidem vel lac corruptum acidumque fermentatione redditum & hac sua acrimonia non tantum ventriculi fibras rodens vellicansque, sed & ibidem existentes Gasteronacem spiritusque ita aggrediens, vt à solio suo regio reuocati impetuosius irruant in tenellorum corpuscula & ita totam tenellam machinam concutiunt. In intestinis idem latet acidum vel sub saburra viscida vel bile occultatum, quod testantur excrementa æruginosa porracea vel atra, in adultioribus vermes, in alijs ob dentionem, in multis ob variolarum & morbillorum eruptionem, insultus isti oboriuntur epileptici, quos ferè semper præcedunt pauores & somnia terrifica aliquando cõuulsiones eundum fomitem agnoscentes; differunt duntaxat secundum magis & minus.

PROGNOSIS.

§. 2. Quando in infantibus frequentes oscitationes, pandiculationes *frequentes* oculorum & palpebrarum leues motus, manuum commotiones, brachiorum extensiones, pauores & tremores, vigilias nimias obseruamus, epilepsia timenda est, quia sunt prodromi. Cæterum si epilepsia grauis sit adultis, proculdubio grauior infantibus & pueris erit, quibus in ipso paroxysmo copiosa circa os saliua aut spuma obseruatur & qui conuulsi valdè clamant; item quibus ob motus conuulsiuos respiratio impeditur, aut qui excrementa aut vrinam inuiti excernunt, & denique qui post epilepticum insultum valde mutãtur moriuntur. Magis verò quibus illa non conueniunt aut accidiunt, & qui febre corripiunt decrescente epilepsia, tunc malum periculosius est, nam præstat conuulsioni febrem superuenire, quam febri conuulsionem, qui aphorismus tamen aliquando me fefellit & non ità pridem in charissimo meo filiolo Paulo eheu hoc morbo defuncto, quamuis febris conuulsionibus superuenerit.

CVRA.

Curatio epilepsiæ puerorum potissimum in sequentibus consistit; primo vt omnium rerum non naturalium sed inprimis cibi potusque habeatur exacta ratio, & haud facile danda sunt alimenta facile corrumpentia & coagulabilia quemadmodum lacticinia, pultes ex lacte aut lac maternum, præsertim, si quod in eo vitium esse, cognoscitur.

Contra cibi sint boni succis, euchimi, magis ergò conducunt pultes ex iusculis cum pane coct. remota pinguedine salque. Potus sit aq. hord. cum semine anisi & liquiritia alijsque.

Si acidum sub pasta acida tectum lateat, tunc conuenit blandum cathartico & lene vomitorium, vel sæpè injiciatur enema vel applicetur suppositoriũ ex sero lactis addito melle, vel suppositorijs lenioribus ex candela, sapone Veneto, fructo betæ rubr. rad. petroselin. &c.

Posthæc omnia acidum absorbentia conducunt ex. gr. vnicorn. fossil. & marinum bezoar, puluis marchionis corn. ceru. cran. hum. corall. vngul. alcis, mag. lunæ & sexcenta alia, quæ acidum neruosas fibrillas vellicans rodensque ad spasmodicosq; motus inuitans, ibibunt & hac intentione hoc malum sæpius abigunt; Insigni quoque laude digna sunt omnibusque palmam præripiunt cinabarina exaltata laudano opiato vel theriaca cœlesti alioque anodyno aut præcipitantibus iuncta V. gr. conchis matr. perlarum, Antim. diaphoret. ocul. ♋. C. C. sine ▽. præcipuè sequens puluis laudem meretur:

℞. *Cinnab. Antim.* ij.
cranij human. ppt.
vngul. alc. ppt. ana ℥ß.
pulu. cord. & pulmon. talp. ℈ij.
bezoard. Lun.

sma-

smaragd. ana ℈j.
croci ℈ß.
ambr. gr. ij.
M. Dos.

pro arcano in hoc affectu etiam habetur cinab. Antim. probè clysso ex Antim. & sulphure parata, ibura.

Clar. Etmullerus magnisacit in epilepsia puerorum farinam Lycopodio insidentem, quia sulphureæ est naturæ & flammam facilè concipit & instar pulueris pyrii strepitum edit, detur à ℈ß. similem farinam sulphuream in iulis coryli reperibilem æstimat; dentur & nostra experientia comprobati lumbrici terrestres exsiccati & pulueriſati ad ℈ß. in vehiculo conuenienti aut ciner. talpar. ex quibus certe sæpè egregium obseruaui effectum vel detur talis aut similis puluis:

℞. *Pulu. secundin. hum.*
corall. rubr. ppt.
cran. hum. ppt. ad gr. iij.
ol. succin. gt. j.
M. D. in vehiculo appropriato.

Plures laudibus etiam extollunt, Aurum fulminans & nitrum, nec minus laudari merentur, spiritus flor. thiliæ, ceraſorum nigror. flor. pœoniæ, lil. conuall. flor. ☉. stœchad. florum aurantiarum & similium post fermentationem eliciti, quemadmodum & Ambra & Moschus. Omnia quoque medicamenta quæ ex castoreo tanquam acidi strenuo domitore desumuntur egregia sint, vt & theriacalia & opiata pro re nata exhibita, inprimis laudantur volatilia balsamica vt ex ijs multis experimentis comprobatus liquor c. cerui succinatus.

Vel in lactantibus in forma pulueris.

℞. *ocul.* ♋. *ppt. gr.* xij.
cinnab. Antim. gr. iiij.
M. F. pulu. in xv. *partes diuidend.*

§. 5. Externè etiam vt acidum illud corrigatur, partim cerebro partim ventriculo partim abdomini applicamus empl. ex theriaca additis oleo succini, ambra, moscho, vel emplastrum ex galbano ijsdem additis, vel linimentum ex oleo nuc. moschat. aut mac. expressis oleoq; succini castorei, additis ambra & moscho quo & scrobiculum cordis & totum abdomen illinendum, vel theriaca aut oleum succini, ruthæ naribus illita prosunt, vel spir. *. aliusque volatilis oleosus naribus admotus.

Partium trictiones inferiorum non negligendæ, item vesicatoria post aures aut pulsibus manuum applicata vel cauteria capiti inusta, quæ tamen nunquam ob crudelitatem & dolorem in vsum vocare volui.

Vt caput, ventriculus & intestina roborentur spirituſque in his partibus existentes pacatiores detineantur, sequentia prosunt, caput roborari debet cucuphis; emplastro epileptico Craton. Mynſ. quæ capitis vertici imposita diesq; noctesque geruntur. Si emplast. epilept. Mynsichti non in procinctu esset, loco illius sequens conducet. V. gr.

℞. *Empl. de betonic.* ℥j.
balsam. peruu. ℥ß.
ol. cran. human.
corn. ceru.
tartar. fœtid. ana ℈ß.
sal. volat. C. C. ℈j.
M. F. Emplastr. malaxetur & applicetur.

Suffitus ex thure, mastiche, ambra, succino, &c. non intermittendi. Ventriculus & intestina externis ac internis sunt muniendi. Creduntur & prodesse appens. pœoniæ radix, dens lupi, vngul. alcis, corall. smaragd.

Si verò à dentitione laboriosa vel à vermibus oriatur, tunc ea remedia conueniunt, hisce affectibus contraria, de quibus suo loco dicemus.

CAPVT VIII.

de dentitione difficili.

§. 1. SI vnquam infantes doloribus afficiantur, certè hoc dentitionis tempore accidit, quippe licet ferè omnium morborum primis mensibus mortiferas plagas euaserint, vnica restat dentitio omnibus necessariò substinenda, vbi plerumq; tanta symptomatum ingruit syndrome, omniaque diuerso alias tempore inuadunt, hic v. vno ictu atque actu tenetiora inuadunt corpora, & qui hos calamitatum scopulos nondum sustinuere, parentes de vita longa sperare non possunt.

Quamuis plurimi cum dentibus naſcantur, vt teſtantur, hiſtoriæ vid. *Theatr. vitæ human. Zuingeri & Schott. Phyſ. curioſa.* Inter rarò tamen contingentia hæc recenſenda, vt plurimum verò circa menſem octauum dentes erumpere ſolent canini ac inciſores, tardant etiam in quibuſdam, aliquando ad annum primum rarò ad ſecundum rariſſimè ad tertium quartumvè. Datur dentitio alia vera, alia notha ſeu ſpuria, dentitio notha iam conſtat & nihil aliud eſt quam tumores gingiuarum poſteriori parte, qui dentes enaſci debent, in acumen protuberantes & infantes è lactis ſuctu impedientes, ab humorum acriorum affluxu ortum trahentes denteſque erupturos mentiẽtes.

Germen dentium in maxillis eſt inſtar albuminis oui mucoſi & tenuis in cellulis eorum contenti, quod de die in diem durius redditur, vſque illa materia indurata gingiuam perrumpat. In hac perruptione miſeri tenelli plurimis affliguntur ſymptomatibus, adſunt enim comites gingiuarum pruritus, ſuperflua caro, veſiculæ, fungi, maxillarum inflammationes, terrores, inſomnia, vigiliæ, ſaliuatio, vomitus, epilepſia, vapores, diarhææ, febres, conuulſiones, gingiuarum tubercula, dein abſceſſus & non rarò mors ipſa, quorum ſymptomatum præcipua in vnum quaſi faſciculum collegit *Diu. Couſ. 3. aph.* 25. inquiens: Cum dentire cœperint, gingiuarum moleſti pruritus, febres, conuulſiones, diarrhæa oriuntur, maximeque cum caninos edunt dentes & qui inter pueros craſſiſſimi ſunt aluoque adſtricta, vera indicia quibus dentitio cognoſci poteſt, deſumuntur à tempore (quod valde variat) huic adiungimus circa os occurrentia ſi nempe accedat digitorum aliorumque rerum in os immiſſio, papillarum nutricum morſus, calor oris internus & rubor genarum & ſi gingiua albicat. Pruritus & dolor inde oriuntur, quia fibræ neruea propter dentes gingiuas perforantes vellicantur, inde accurſus ſpirituum animalium, & dolor, vbi verò ſpina acutior dolorem acutiorem producit; ſic quoque dentes quo ſunt acutiores eundem præſtare queunt affectum; quamobrem ab *Hippoc.* dentes canini vt acutiores omnium ſymptomatum præ reliquis atrociorum accuſantur Authores, hinc enim dependet gingiuarum moleſtus ille pruritus, dum ſc. dentes dicto modo inſurgentes membranas nerueas quaquaverſum prima inuaſione non tantum diſtendunt, ſed & dilacerant plenariamque continui ſolutionem faciunt.

Horum dolorum cauſę ſuppetias ferunt humorum acrium inprimis lymphę affluxus à dolore præcedaneo facilè concitabilis, quo non ſolum gingiuis antea laceſſitis noua ſuccedit afflictio, verum quoque ipſi dentes huius moleſtiæ redduntur participes, dum ſalina humorum ſpicula illarum partibus, vt plurimum circa radices tenerioribus atque ſenſibilibus fibrillis præditas infiguntur, & hinc ob inęqualitatem ſuam ſenſum moleſtum ipſis inferunt, non ſecus ac in Odontalgia adultorũ continget. Dicta in continui gingiuarum ſolutio, hancque inſequens pediſequus dolor acutus, inſtar mali corui, mala producit oua, ſic ſæpè inflammatio, tumores, preſſo ſequuntur pedes, hortum habentes à ſuffflaminato his in partibus conſueto ſanguinis circuitu; qui verò dolor acutus ſanguinem in motu ſuo ſuffflaminare queat, notum iuxta *Syluium*, fit, dum dicta gingiuarũ contingit perruptio, haud rarò vaſa ſanguifera ibidem ſatis copioſa ſimul dilacerantur, hinc ſanguis effluit nullumque exitum inueniens, ſiſtitur in earum ſubſtantia poſtea verò dum non mouetur, capit vitium, vti aqua, atque in grumos in abit hincque tumorem infert, quo poſtea ſanguinis motus tum propter vaſorum compreſſionem tum obſtructionem inhibetur. *Vuillifius* hunc ſuffflaminatum ſanguinis motum aliter explicat, ex cuius mente ſanguinis motus ſuffflaminatur, quando gingiuarum membranæ atque fibræ diſtenduntur, hinc ſpaſmus in neruis alicubi productus, nerui corrugati & contracti arterias ceu frequentes ſocias comprimunt, atque conuellunt, vt hinc etiam ſanguis motus, circa has inhibeatur partes, qua ſubſiſtente aliquantiſper inflammatione ac tumore, ſanguis iſte extrauaſatus particulis roſcidis atque balſamicis exſpirantibus in ſuppurationem abit, inde interdum abſceſſus alia que oriri ſolent mala.

Sali-

Saliuatio crebrior, à dolore, spirituum commotione, lymphæque acrimonia & fluxilitate pende; ex dolore enim vasa glandularum inprimis saliualium, illas cingentes membranæ vellicari ac crispari solent simulque vberior hoc ipso saliuæ in os contingit effusio; Commotio spirituum facilè efficere potest vt vberior seri copia ad has glandulas amandetur; humorum vel lymphæ denique acrimonia, quæ in saliua copiosius mouenda efficiat citra plurimas rationes abunde testantur scorbutici & hypochondriaci, quorum latex salius scatet spiculis, hi enim molestissimo crebrius vexantur ptialismo.

Saliua quoque ordinariò & continuò ad ventriculum tendit alluitque fauces. Si verò saliua sit blandior & naturalis, defluxio illa fit sine noxa & molestia; cum verò copiosius & spicula salina habeat & sic descendat, tunc excitantur faucium irritationes, rosiones, tussisque molesta plerumque sicca. Et si ad ventriculum delata sit saliua tunc ipsũ spasmodicè afficit à consensu partim neruorum partim membranæ faucium ipsi quoque comunis lacte corrupto, aliisque humoribus, quos ipse in sinu souet, vomitus frequentes, anorexias aliaque sexcenta concitat mala. Sic ad intestina deriuata saliua tyrannidem suam amplius exercet & humorum bilioforum ibidem stagnantium ferociam strenuè adiuuat, glandulas miliares ibidem copiosissimas continuò stimulandos, vt maiori copia humores fundant & transcolent. Præterea intestinorum fibras molesta atque continua afficit irritatione ac vellicatione, vt hunc spasmum excretorium præternaturalem atque frequentem concipiat, hincq; diarrhæa dentitioni superueniens ortum habeat.

Quomodo verò epilepsia, pauores aliaque symptomata oriantur facilè ex dictis hauriri possunt, ob spirituum animalium in fibris membraneis vt plurimum ataxias & impetus.

PROGNOSIS.

§. 2. Nunc paucis *prognosin* videamus, quam optimè tradit *Hippocr. lib. de dentit.* exinde commodè peti potest. Cum enim morbus hic infãtibus est congener, proinde per se minus periculosus est. Non tamen omni vacat periculo, lethalem enim dentitionem notat *Syluius* in propria filiola.

Qui cum tussicula dentiunt difficilius & tardius hoc absoluunt negotium *teste Hippocr.* Salus prædici potest si dens citò erumpit, infans nullam præuiam fouet diathesin morbosam, symptomata sint remissiora inprimis, spasmodica absint & symptomata omnia ceu face exstincta vel exempta sponte euanescant. Si verò eruptio varijs de causis retardatur & symptomata de die in diem excrescant imo noua prioribus ablatis, accedant, naturæ robur imminuitur & debilitatur sic tandem infãtum tenella corpuscula hoc oneri ferẽdo imparia redduntur & morbus hic in mortem terminari solet, & diem vltimum obire coguntur miselli.

CVRA.

§. 3. Omnis intentio ad curandum hunc affectum 1. eo vertetur, vt dentium exitus quantocius promoueatur, illumque remorantia obstacula remoueantur & symptomatum vrgentium mitigatio procuretur. Inprimis verò cò incumbendum vt aluus sit libera, quæ si obstructa relaxetur vel per clysteres vel mannam vel syr. de cichor. c. rhabarbaro vel puluerem ialappæ, emolliendæ ergo sunt gingiuæ pinguibus; oleosis & mucilaginosis, illinantur ergo gingiuæ cum butyro maiali, puluere liquiritiæ misto; conueniunt quoque pinguedo anserum, gallinarum, anatum, coturnicis, leporis cui multa tribuuntur, eiusq; cerebrum, laudant quoque cerebrum vituli, agni ex pinguibus & oleosis suum addunt symbolum ol. lil. albarum, amygdalarum dulc. c. chamomill. Item cremor lactis, mel rosatum mucilag. sem. psillij, lini, succus ex cancris viuis c. aq. florum ciani. His in locis exhibent infantibus & quidem non ineptè frustulum lardi, optimè quoque radix altheæ vel irid. florent. semper infantibus in ore masticanda dentur.

Leporis verò cerebrum crudum cum melle in vino rubro coctum ad dentium eruptionem promouendam à quibusdam impense laudatur, vt & pinguendo leporina absceſſibus durioribus rumpendis, spi-

culis carni infixis extrahendis alias accomodatissima in specie vetustior.

Alij verò extollunt ficus recentes in medio scissas gingiuis applicatas, hæ enim non duntaxat dentibus resistentes, rumpunt gingiuas sed & præsentaneum adferunt leuamen. Cui sint etiam *Hartmannus*, *Timæus* & alij vnam alteramque guttam sanguinis adhuc calentis ex incisione cristæ galli per vires gingiuis successu temporis haud contemnendam afflictam laudant.

Melius verò cum *Ettmullero nostro* commendamus maxillæ & regioni temporum loci dolentis pro spasmo doloroso dictorum leniendo illinatur medulla crurum vituli, ol. amygd. dulc. vel imponatur sacculus ex herbis & flor. emollientibus vel ex solis floribus chamomillæ vel imponatur emplast. ex theriaca, sic fibrillæ non tam facilè vellicari ac irritari possunt. Mulierculæ verò in hunc finem varia infantibus appendunt duriora, quorum agmen ducit dens lupi, crystallus iaspis canal argenteo inclusus, chalybs septies vel vltra candefactus & in lacte caprino vel muliebri extinctus aliaque instrumenta ex ebore, similibusque durioribus læuitate simul conspicuis parata, quæ dum de collo dependent, infantes arripiunt & vi intrudunt gingiuis interponunt & commandunt. Sed his & similibus magis duriorem reddunt, gingiuam & alueolus dentium potius occludunt ac obturant, quàm aperiunt. Quamaximè horum duriorum instrumentorum vsum improbamus, & eorum loco molliora & mucilaginosiora commendamus, vt sunt radix altheæ aut lapathi acuti. Multo minus periapta & amuleta, vt sunt dens hominis, dens equi primum natus, pellis lupi, rad. Colocynth. sylueftr. radix martag. chelidon. maj. dens viperiæ masculæ, glossopetræ Melitenses, lana agnina, laspis viridis, lapides gammarorum & alia vppensa, tanquam fabulosa, non viribus sed persuasionibus & imaginatione hæc iuuare credo.

Sic quandoque cum *Paræo* & alijs in desperatis casibus ad ferrum accedendum est, & gingiuæ, ea parte, vbi tumesit; scalpelli incidendæ, vel pollicæ sunt fortiter premendæ gingiuæ, vt eo felicius perrumpere possint dentes. Item emplastra epispastica pone aures applicata leuamen afferunt.

Hoc in casu & sæpe ob copiam lymphæ ad has partes solum emanantis, fonticulos nuchæ applicandos suademus, quibus conuulsiuæ dispositiones furia quasi expelluntur. Itidem vesicatoria suum addunt symbolum; quatenus serum acre conuulsiorum motuum authorem euacuant; item hirudines laudantur. Hanc præsidiorum trigam *Vuillisius* infantibus paucorum dierum applicatam egregijs extollit laudibus, qua lethiferas alias conuulsiones feliciter profligauit.

Febris, conuulsiones, vigiliæ, diarrhœa, vomitus, ptyalismus, tussis sicca, faucium exulcerationes, aphthæ, aliaque pertinacius inhærentia symptomata debitis remedij, alijsque in suis Capitibus abundè dictis profligari poterunt: præsertim si dolor & vigiliæ vrgant. Hypnotica veluti syrupus de Meconio ℥j. vel ij. exhiberi potest.

CAPVT IX.

De tussi & asthmate infantum.

§. 1. INter affectus infantibus præsertim molestos sunt *Tussis Asthma*, quæ vtplurimum à materia acida mucilaginosa in cauo ventriculi fluctuante exoriuntur, vnde musculi pectorales exspirationi inseruientes simul conuelluntur, nec dubium est, ab eodem acido & viscido muco branchia quoque occupari & fibræ eorum lacessiri, vnde tussis & stertor produci solet.

Consueto quoque more saliua continuo, p. n. verò etiam humiditas abundans (infantes enim humidi) è glandulis cerebri ad ventriculi penetralia tendit faciumque alluit isthmum. Quamuis verò horum liquorum vel humorum blandiorum in statu naturali præterlapsus etiam nobis inscijs & sine vlla fit molestia, hoc tamen tempore, cum partim abundantius, partim spicula salina comites habentes descendant, cum intima facium irritatione, rosione, tussique molesta plerumque sicca, hoc suum iter perficit. Insuper ad bronchia delata ali-

aliquando ita firmiter impacta manet hæc acida viscida saburra, vt necessariò asthma producere debeat.

CAVSA.

§. 2. Diximus ergò quod sæpissimè in causa sit materia acida mucilaginosa & tenax in ventriculo hospitans & probatus per id, quod ab ista mucilaginosa materia per vomitum ejecta leuamen percipiant paruulis, hoc etiam iam diu nouit *Aetius*, dum inquit: *Stertit infans ex pituita in ventriculo collecta ob crassius alimentum*.

Sæpissimè tamen videtur causa ferox aduenire & nil aliud esse, quàm sal quoddam mediante aere corporibus tenellulis communicatum lymphamque coagulãs, à qua acriori & stagnante vel præterfluente larynx afficitur, vnde tussis illa oritur conuulsiua. Frequentissimè infantibus accidunt catharri cum sternore in pectore, à quo malo plures intereunt, febricitant enim & suffocantur, quare muniendi sunt infantes ab aere frigido, si enim ventis frigidis exponantur ex incuria nutricum vel matrum, facilè in hunc morbum incidunt & dein difficulter burantur. Morbi enim pectorales vt senibus, sic & infantibus valdè sunt funesti.

PROGNOSIS.

§. 3. Vomitus verò & sternutatio si superueniant, bonum est, si verò conuulsiones aliaque peiora accedant symptomata, actum est de eorum salute.

CVRA.

§. 4. *Curatio* in eo consistit, vt materia acida viscosa in ventriculo vel alibi latens quantocyus educatur, in quem conducit vomitorium, præsens namque leuamen & iuuamen affert. Ad resoluendas verò reliquias materiæ acidæ mucilaginosæ conducunt varia incidentia, appropriata tamen. Sequens vel similis Mixtura haud inconueniens erit:

℞. *Aq. Hysop.*
menth.
fœnic. ana ℥j.
Tinct. propr. ℨß.
syr. de nicotian. ℨß.
M. D. Cochleatim,
℞. *Oxymel. scyllit.*
syrup. tussilag. ana ℥j.
rhaphan. è succ. ℨß.
balsam. sulp. anisat. gt. v.
M. D. lambendum.

Vel detur succus raphanicus saccharo paratus per se & per vices.

Vel detur aliquid de sequente puluere in lacte vel iusculo vel pulte inprimis præsente Asthmate:

℞. *Spec. diaireos, fœcul. aron. ana* ℨj.
cran. hum.
succin. catarrh. ã ℈j. *M. D.*

Et si simul aluus sit obstructa & asthma vrgeat, sequentem in pulte per vices exhibe:

℞. *Mechoac. alb.* ℥iß.
fœnicul bryon. ℈ij.
succin. catarrh. ℈j. *M.*

Si tussis sit à lympha acriore laryngem infestante & ab aere inclementiore & instar catharri ad partes ruat, & tussim excitet siccam, cui fini suadeo vsum spermatis ceti à ℈ß. ad ℈j. & sequens Mixtura non negligenda pueris perquam salutaris:

℞. *Aq. menth.*
fœnicul. ana ℥j.
cort. aurant. ℨß.
spir. sal. armoniac. anisat. gt. xij.
ol. d. menth. gt j.
syrup. tussilag. ℥vj.
M. d. cochleatim.

Potest & huic mixturæ admiscerì granum vnum vel alterum theriacæ cœlestis.

Nutrici detur decoctum pectorale.

In adultioribus vbi asthma cum sibilo vrget decoctum sperneticum Mynsichti egregium est, si ad leges medicas assumatur, simulque instituta V. S.

Omne sæpe fert punctum liq. C. C. succinatus, & cinnabaris natiua.

Iusculum decoctionis raparum cum saccharo sæpius infantibus exhibitum tanquam specificum hoc in casu à *Cratone* & *Etmullero* laudatur.

In pueris v. vi. vii. & plurium annorum in asthmate magnifacio venæ sectionem, qua non ita pridem puerum hic Casselis ex orci faucibus eripui: quibus adultioribus & detur decoctum Helenij cum passul. de quorum cura vide superius *cap. de Tussi & Asthm. lib.* II.

Inter *Externa* præcipua sunt sequentia. Capiti imponantur cum lino pulu-

masticches, vel oliban. vel succini, vel vertici imponatur ceratum pro bregmate vsitat. Tacamahac. ana q. s. Malax. c. ol. mastich. & induc superalatam.

Si à glandularum cerebri nimia dilatatione conducit suffumigium ex gum. iunip. succin. thur. mastich. benzoes, flor. ros. rubr. paratum, & cum gossipio sæpius excipiatur fumus & vertici applicetur.

Pectori verò illinenda sunt varia Vnguenta pectorantia, ol. amygd. dulc. irinum. Ex. gr.

℞ *Vng. pectoral.* ℥ß.
resumtiu. ℥ij.
ol. amygd. dul. ℥ij.
sperm. ceti ℥ß.
ol. lil. alb.
irin. ana ℈j.
croci ℈j.
M.

Soleæ illinantur etiam pinguedine lucij piscis, vel seuo hircino.

CAPVT X.

De vermibus, vel lumbricis.

§. 1. NVlli sexui aut ætati parcunt *Vermes*, sed tamen vt plurimum his vexantur infantes & pueri, nec ipse fœtus in vtero ab ijs liber est, quemadmodum mihi videre licuit in fœtu mortuo statim à partu exspirante & à me exenterato, in quo glomum vermium inueni.

DESCRIPTIO.

§. 2. Sunt verò *Lumbrici* animalcula viua, oblonga, in corpore nostro partibusque eius genita; nam vt calculus, sic etiam lumbrici variis in partibus generari possunt, in capite, fauce, naso & genis, sub lingua, in hepate, vtero, renibus, in vulneribus & vlceribus (quæ propterea verminosa appellantur) in pleriſque nostri corporis partibus, sed præcipuè tamen in ventriculo & intestinis, & sunt trium ferè generum, nam vel sunt *Lumbrici vulgares* teretes satis illi, oblongi & magni, *die Epulmurme*, vel *Ascarides* tenues & oblongi, & tenues, & parui, quales in caseo recenti & subpingui, vel in carnibus putrescentibus reperiuntur, vel *Lumbricus latus*, qui ordinariè in intestinis crassis, & præcipuè quidem colo reperitur.

SIGNA.

§. 3. *Signa* verminationis in infantibus & pueris manifestiora, in adultis verò obscura sunt, adeò vt in illis curari facilius quam cognosci possint. At ratione constitutionis corporum diuersis in locis miros agunt ludos. In intestinis distentiones cum borborygmis, ac varijs doloribus sæpius lancinantibus oriuntur. Appetitus variè læditur, & est modò auctus, vt cibis sufficienter expleri non possit, modò valdè prostratus & deprauatus. Sitis est subinde nulla aut pauca, subinde auctior, plerumque deprauata. Difficilis vt plurimum vermes hos comitatur respiratio, adest fœtor oris vel odor subacidos, tussicula sicca adest. Pruritus narium, terrores in somnis & inquietudines insequuntur, ipsis facies est pallida & liuida, & cachectica, oculi plumbei, tumor & liuor sub palpebra inferiore, oculi simul sunt collapsi & cœruleo quasi annulo circumducti, adest sæpe macilentia tanta, quam tabe dixeris; tandem accedunt palpitationes cordis & frequens animi deliquium, motus conuulsiui & epilepsia.

OBSERVATIO.

§. 4. Sequentem Obseruationem, de motu scil., inuoluntario vehementi totius corporis in puella XII. circiter annorum à vermibus excitato mihi transmisit Cl. *Dn. Valentinus Schad, M. D. ac Physicus Hombergensis*.

Febrem intensam ac inordinatam, delirium, dolorem colicum, caninam appetentiam, Atrophiam, Epilepsiam, Aphoniam, imò Cardialgiam & Syncopen, aliorumque symptomatum à vermibus excitatorum exempla non solum apud *Rhodium*, sed & passim alios apud authores fide dignos leguntur; Nullibi autem inuenire potui, vermes tantam exercuisse tragœdiam, qualem in puella duodecim circiter annorum in pago Rochshausen diœcesios Arcis Falkenburgensis aliquot ante septimanas vidi. Hæc etenim cum morbilis anno 1683. mense Martio epidemicè hisce locis grassantibus laborasset ac sanitati pristinæ restituta,

de

de tremore totius subitaneo sed interpolato conqueritur, quem sequenti die tam vehemens vniuersi corporis excepit motus, omnes in medio & infimo ventre, contentas, partes quasi diuulsurus, singulis diebus ter vel quater affligens, sed absque notabili dolore, ratione salua & illæsa manente. Durante paroxysmo, qui per duas horas cum adstantium commiseratione se extendebat, decumbebat cum horrenda hinc illinc que iactatione, nec interrogata responsionem dabat, omnia tamen bene intelligebat, quæ ad interrogationem nutu capitis vel negabat, vel affirmabat, cessante verò paroxysmo surgebat, bene comedebat & bibebat, vrina erat liuida, & tenuis. Interroganti mihi, vbi seu qua in parte motum primariò perciperet, respondet, illum primò in abdomine cum frigoris sensu sentire. Parentes de hoc insolito symptomate, quod pro veneficio habebant, perterriti & anxij remedium à me postulabant. Ego examinatis omnibus antecedentibus circumstantijs & causis, etsi suspicionem non leuem de vermibus ex signis eruditatis in vrina apparentibus atque appetitu vegeto concipiebam, credere tamen non poteram, vermes tanti motus causam existere, potius verò pro spasmodico affectu scorbutico, Germanis *die Rirbei Rancfheit* à Drauuizio in tractatu suo Germanico *vom schmertzmacheuden Echorbuck* descripto, habebam. Præmissis itaque vniuersalibus antiscorbutica cum neruinis permixta, præsertim Medicorum Marpurgensium Electuarium contra hunc affectum approbatum, præscripsi. Hisce autem nihil efficientibus, nec notis manifestis scorbuti apparentibus, suspicionem meam de vermibus paroxysmus puellam ieiuno magis, quam repleto ventriculo, affligens adauxit, sola ergò theriaca Andromachi aliquot diebus præmissa, infusum sequens purgans manè ieiuno ventriculo assumere iussi.

℞. *Rad. allij, gentian. ana* ℥j.
gramin. ℥ij.
rhabarb. ℥iß.
fol. senn. ℥j.
zedoar.
zinziber. ana ℥j.
sal. absynth. scordij tanacet. ā gr. v.
Stent per noctem infusa, mane coq. lento igne & Colat. ℥iß. *add.*
spec. diaturb. cum rhab. pulu. ialap. ana gr. x.
syr. flor. persic. ℥vj. *M.*

Ægra hoc cum regimine diætæ epoto primò lumbricos, dein ascarides tam viuos, quàm mortuos magna excreuit, copia, citraque omnem spem parentum statim leuamen persensit, & ab hoc horrendo symptomate liberata, Dei beneficio hilariter viuit. An verò motus hic vehemens à vellicatione membranarum intestinorum & mesenterij per consensum totum genus neruosum in consensum trahente; an ex vermibus putrefactis sub specie vaporis ascendentibus spiritusque animales in confusionem adigentibus proueniat? alijs doctioribus iudicandum reliquo; mihi si licet ita sentire, posteriorum amplectar sententiam, hac suffultus ratione, quod motus absque notabili dolore fuerit. Hactenus ille.

CAVSA.

§. 4. De horum animalculorum generatione & *causis* variæ sunt Authorum opiniones, siue causam materialem, siue efficientem consideres; nam quod materiam attinet, veteres *Galenici* modò calorem putredinosum, modò natiuum, modo vtrumque tanquam causam efficientem culpam. *Causam* verò *materialem* dicunt esse pituitam dulcem putredinem concipientem, cuius putredini ope eam acquirere dispositionem, vt in lumbricos transmutetur, existimantque ex cibis istis immodicè ingestis immediatè vermes hos generari posse, & probant per id, quod in caseo, prunis, cerasis, alijsque fructibus vermes per putredinem producantur, ingesta enim in pueris alijsque ingluuiei deditis, qui plerumque alimentis viscidis sese ingurgitant sæpeque noua assumunt, putredinem in ventriculo intestinisque concipiunt, ex qua dein lumbrici, producuntur, quod itidem probant per id, quod pueri lactantes quibus carnes exhibentur, à lumbricis maximè vexentur, & quidem ea propter, quod tenelli eorum ventriculi solidum illud alimentum, concoquere nequeunt, ideò corrumpitur & in lumbricos transit. Contendunt quoque plures veterum ex

lacte

lacte solo nunquam in lactantibus lumbricos generari. Inter causas materiales lumbricorum dulcia primo loco ponunt, quia facilè in pituitam conuertuntur, quæ ita cruda & semicocta facilè putrescunt, ac lumbricis generandis materiam idoneam præbent.

§. 7. *Helmontius* existimat lumbricos non generari in duodeno, neque in stomacho, sed generari ex *alimento semidigesto*, inde mel cum pane secalino lumbricos gignere ait.

§. 8. *Syluius* vermes ortum suum habere statuit à nimio ciborum ac præsertim carnium fructuumq; horariorum ingurgitatione, quia minùs possunt fermentari, ac proinde crudiores diutiùs hærent in tenui intestino, atque paulatim corrupti vermium generationi præbent ansam: ex qua crudiorum alimentorum corruptione, Author ait, halitus acres produci, qui quaquauersum propulsi pungant primò intestina, mox & ventriculum, quin per œsophagum assurgentes nares, inde enim ipse narium deducit pruritum. Halitus quoque istos per vasa lactea ad cor deferri posse non dubitat, indeque febris ortum deducit, & si ad cerebrum penetrent, oriuntur ad mentem Authoris Epilepsia & Couulsiones.

§. 9. Perspectis de his aliorum sententijs, & nostram propinemus. Nos existimamus vermes à putredine non oriri, sed quòd in intestinis reperiantur exinde est, quoniam cum cibis sepe assumuntur oua, quæ à muscis in alimenta deposita sunt, vel iam in ipsis existunt alimentis, quæ in debiliori stomacho, id est, in ijs, qui debilem habent calorem, vt infantibus & pueris, non destruuntur, hinc diminuta fit fermentatio, (*Helmontius* lumbricos ex vitali excremento esse statuit,) & excluduntur, sicque vermes ex alimentis his producuntur; prout autem diuersarum muscarum oua assumpta sunt, vel calor est imbecillior, eatenus diuersa producuntur vermium genera, qui in intestinis nutrimentum inuenientes, ibi remanent, & multum chyli absumunt, deficiente verò chylo arrodunt ipsa intestina, adeoque non solùm vellicando ipsorum fibras, dolores excitant sæpe ità atroces, vt febris inde producatur, sed & ipsa intestina inde perforata vidi.

Febris verò à doloribus excitatur, quatenus in dolore maximo concutiuntur, vel tremunt omnes corporis partes, à qua concussione sanguinis mixtura turbari facilè potest.

§. 10. Vellicatio quoque fibrarum potest etiam pruritum narium efficere, quia in superficie interna ventriculorum cerebri pori neruorum ad intestina euntium non multum distant à poris neruorum ad nares transeuntium, dum igitur fibræ intestinorum vellicantur, & spiritus influunt intestinorum, contingit vt spiritus animales simul etiam influant in poros neruorum narium, ità vt cùm nerui intestinorum vellicentur, anima eundem motum percipiat, qui à neruis narium vellicatis prouenichat.

Signum autem pruritus narium non est vniuersale verum de vermibus in intestinis existentibus, narium enim pruritus sæpe quoque produci potest à vera causa intra nares hærente, scil. à particulis acribus. Vermes quoque illi in intestinis existentes sua excernunt excrementa, quæ diuersa cùm sint excrementis nostris, hinc fermentationem quandam ineunt cum fæcibus nostris, inde eleuantur particulæ subtilissimæ aeres, quæ non adeò bene respondent poris intestinorum, adeoque illis inclusi distendunt, aut per eorum poros penetrantes sæpe per poros abdominis penetrare non possunt, vnde in abdomine inclusi & hoc distendunt & inflationem ventris excitant.

Fames, si adsit, oritur, quia lumbrici multum chyli deuorant, & propterea minus chyli ad sanguinem defertur, quapropter sanguis continuo sub motu, & auolatu spirituum, acrior redditur, vt & fermentum in ventriculo ab eo separatur, propter quam sanguinis acrimoniam fermentum separatum ijs, qui vermibus laborant. Nausea vero hic producitur ab humoribus pituitosis, qui stabulari solent in istis corporibus, quæ vermibus affliguntur.

PROGNOSIS.

§. 11. Verminatio tempestiuè cognita non est admodum periculosa, siquidem vermes facilè necari & expelli possunt.

Diu-

Diuturnus sæpè est hic affectus, qui inanimaduersus præteritur, vel parum afficiens negligitur; at multi eorum cura neglecta, lumbricorum præsertim, ab ipsis exesi perierunt; pro symptomatum quoque frequentia ac grauitate periculosus vel non, ægri status est iudicandus. Deteriores censentur maiores minoribus, plures paucis, viuentes mortuis, albis rubri, versicolores verò lumbrici omnium pessimi sunt, minùs autem periculosæ ascarides. Lumbrici in febribus reiecti plerumque malum significant, quod in proprio filio meo, heu! tristis expertus sum. Si verò criticè & sponte excernuntur sine magno incommodo, bonum est, teste enim *Villisio* quidam in febre acuta syncope crebra correptus, postquam lumbricum vomitu reiecerat, immunis ab vlteriori malo euasit. Sæpe tamen verminatio latens, & occulta grauium quorundam malorum aliorum causa, vt Epilepsiæ, Syncopes, Apoplexiæ, &c. & nonnunquam mortis. Paucis de curatione huius affectus videamus aliorum serinia.

CVRA.

§. 12. Veteres varia hic commendant purgantia, & anthelmintica interna, & externa, inprimis amara, & specifica qualitate donata. *Lazar. Riuer.* ex sola hiera picra cataplasma ventri impositum commendat.

§. 13. Chymici contra lumbricos mercurij vitæ vsum dicunt esse insignem, commendantes quoque spir. vitrioli viridem, △ vitrioli rubrum, item sal. antimonij, tinct. sulphuris, tartar. vitriolat. acetum ex antimon. aliaque ex mercurio desumpta & parata. Alij quintam essentiam centaur. min. alij limaturam chalybis à gr. iv. datam laudant.

§. 14. *Ioh. Bapt. ab Helmont.* aquam communem bullitam cum argento viuo pauco & innoxio potu omnes ait, interimere vermes in intestinis & alibi in vlceribus, si aqua sc. ista assumeretur.

§. 15. *Syluius* omnia commendat, quæ pituitam corrigunt ac emendant, vt sunt omnia aromatica & amaricantia, vt & sal. volatil. ad eam minuendam laudat phlegmagoga blandiora, sennam, agaricum, sed inprimis mercurium dulcem, lumbricis æquè ac ipsorum materiæ aduersum.

Inter lumbricos necantia recensct Ipse omnia amaricantia, inter quæ facilè ad mentem Ipsius primas tenet semen zedoariæ, quod saccharo potest obduci, & sic comedi aut in puluerem redigi, atque ad ℈ß. exhiberi, aut puppulæ inclusum hydromeliti indi, exhibendo indies vnum, vel duo hydromelitis cochlearia. Inter lumbricos expellentia præ alijs laudat mercurium dulcem modo laudatum, si ad pauca grana ex syr. rosar. solut. simpl. aut cum senna, alteriusue tantilla exhibeatur infantibus.

Ad necandos istos lumbricos & acida, vt sunt spir. vitrioli, sulphuris & simil. exhibet Author in potu ordinario ad guttas aliquot, sed nisi vrgeat sitis, illa non esse exhibenda inculcat, sed potiùs amat propinare salia volatilia, & amaricantes plantas.

§. 16. Ab otiosa hac vermium prole sexcenta incommoda afferente vt liberetur æger, inprimis verò pueri & infantes, sedulò, nostra ex sententia, danda est opera, vermes productos vt necemus, dein, si non necatos, tamen viuos expellamus, atque pituitam incidamus & euacuemus fermentationemque impeditam vrgeamus amaricantibus alijsque, & diæta obseruetur exacta.

Vermes necantia præcipua sunt rad. graminis, acetosæ, zedoariæ, acori, gentianæ, tanacetum, acorus, corallin. angelic. summitates absynth. centau. min. scord. sem. hyperici, zedoariæ, santonici, mercurius, C. C. antimon. vitriolata, succus limonum, spir. acidi, salia fixa, cinabarina, myrrhata, aloetica.

Inter specifica vermes expellentia, experientia firmatus, iunioribus Medicis communicare libet, in prima ergo acie stet noster *Puluis aureus*, ex cinabar. natiui, mercurio dulc. & auro paratus, qui aliquoties exhibitus neminem vix effectu suo frustrabit. Vel sequens:

℞. *Myrr.*
Zedoar.
cort. citri ana ℥ß.
cinnab. antimonij ℈j.
camphor. ℈ß.
ol. succini, rutæ anagutt. j.

M. f.

M. f. puluis. Dosis à ℈ß. ad ℈j. in aq. zedoar. vel vehiculo domestico.

Vel: ℞. *C. C. vst.*
corallin. ana ʒj.
rad. gentian. ℈ij.
myrrh. ℈ß.
ol. eiusd. gutt. iij.
tanacet. dest. gutt. v.
sacch. alb. ʒj.
M. f. puluis. Dosis ℈j.

Sic & his anti-thelminticis interponenda sunt purgantia specifica, cui scopo inseruiunt inprimis spiritualia & aloetica, quæ priora in forma aquæ Hermeticæ, vel solo mercurio incoquendo aquæ, vel in forma pulueris, si nempe, prout vult *Clar. Ettmuller*, cum sacchar o continuata tritura in puluerem redactus propinetur. Sequentes rotulæ egregij sunt vsus, & ab infantibus puerisque facilè assumuntur.

℞. *Rad. gentian.* ʒß.
agaric. albiss.
sem. zedoar.
tanaceti ana ℈j.
C. C. vsti.
mercurij dulc. ana ʒß.
sacchar. in aq. gentian. solut. q. s.
F. Morsuli vel Rotulæ.

Tabellæ diacarthami etiam à pluribus æstimantur, & si multum pituitæ simul lateat in intestinis puerorum, tunc purgantia paulo fortiora conducunt, in quem finem superiùs dicta potiuncula *D. Schadij* adhiberi poterit, vel fiat Nodulus sequens.

℞. *Fol. sen. s. st.* ʒvj.
rhabarb. opt. ʒij.
cinnamom. ʒj.
sem. zedoar.
apij, cinæ ana ʒß.
summit. hyperici, tanaceti ana vj.

Dentur incisa ad nodulum cereuisiæ indendum.

Vel: ℞. *Syrup. flor. persic. aq. hyperic. portulac. ana* ʒß.
pulu. corallin. ℈j. *M.*

Conuenit quoque puluis ex mercurio Schroderi, qui debet exhiberi in cochleari ligneo, aut pulte. Dosis à ℈ß. ad ℈j.

Sed cùm hæc amara in tali præscripta forma non bene infantibus puerisque propinari possint, ea propter sæpe in cruram salutis ordinario eorum potui instillare solemus, vel liq. C. C. succin. ad aliquot gutt. vel in delicatioribus indi potest potui rasura C. C.

Sequens etiã vermibus necandis & corruptioni humorum impediendæ, aluoque leniter lubricandæ idoneum est, dosis à gr. vj. ad ʒ. in cochlear. aq. gentian. vel alius, vel in vehiculo domestico, vel ad meliùs decipiendos in vehiculo dulci.

℞. *Elix. vitrioli* ʒj.
Essent. absinth. ʒß.
M. detur ad vitrum. Dosis vt antea.

Nec Puluis Comit. de Vvauuich, vel puluis contra vermes *Augustanor.* vel *Morelli* in *Tr. suo de febrib.* præscriptas sua laude carent.

Decoctũ ex vermibus terrestribus cum vino lotis & exsiccat. flor. hyperic. persicor. paratum, est eximiæ efficaciæ in lumbricis pellendis.

Clysteres etiam in ijs, qui alia interna medicamenta abhorrent, applicari possunt, & quidem priùs ex lacte vaccino paratum enema injiciatur, dein sequens:

℞. *Summitat. absinth. tanacet. abrotan. ana* p. j.
colocynth. in pet. ligat. ʒß.
Coq. in aq.
colat. ℥iij. *vel* vij. *add. confect. Hamech. q. v. mell. rosat. ol. cocti absinth.*
M.

Possunt & ano indi varia suppositoria, ex intrusa ficu sæpe vermes obseruaui elicitos.

Inter externa & vnguenta vel linimenta ad vsum vocari possunt, sequens non est contemnendis vsus:

℞. *Vnguent. contra vermes Aug.*
fell. tauri insp. ʒj.
ol. dest. absinth.
tanacet. ana gr. vj. M.

Vel: ℞. *ol. diacolocynth. Quer.* ʒiij.
dest. absinth. gt. viij. *M.*

Vel: ℞. *fell. tauri, ol. absinth. mentb. ana* ℥ß.
amygd. amar. ʒvj.
pulu. flor. persic. ʒij.
aloes epat. ʒvj.
ceræ ʒß.
M. F. Vnguentum.

Vel ℞. *Sulphuris vitii,*
Fulig. ana ʒij.
rad. enul. ʒiß.

Cum

Cum butyro majal. super ignem calefact. & umbilico illitum, omnem sæpe implet paginam.

Sic & vnguentum de arthanita vmbilico applicatum vermes necare dicitur.

Vel ℞. *Fol. perfic. contus. q. v.*
add. fel bouis, F. cataplasma umbilico imponendum.

Vnguentum ex Mercur. & axungia paratum si prodici illinatur præ omnibus ad vermes Ascarides delendos efficacissimum est remedium.

Empirica sunt ad vermes necandos:

Vaccinus talus in cinerem redactus & cum vino potus vulgò laudatur.

Osuu. Crollius Basil. Chym. tr. de signatur. laudat albos vermiculos in interna cauitate rosæ siluestris reperibiles.

Olei ex ligno auellanar. exsiccat. destill. per descensum vires deprædicat *Tob. Dorncrellius*, ad gr. j. cum mica panis exhibiti.

Fird. Hoffmannus succo nasturtij & vino vinique eu nullum dicit dari præstantius remedium ad necandos vermes.

Ath. Kircherus lumbricos siccos & pulueriſatos oleo subactos Emplastri modo stomacho appositos commendat.

Guilb. Varignana dicit omnes lumbricos expelli posse decoctione stœchados cum lentibus propinata in potu. Idem commendat succum radicis enulæ cum vino datum.

Arnoldus VVeikardus laudat secalis & lupulorum florum decoctum in lacte & bibitum.

Cæpas conscinde & proijce in aquam, stet per noctem, de hac aqua da pueris, est experimentum *Iob. VVittichij*.

C. C. vsto cum aceto soluto & pueris dato vix præstantius datur remedium.

Iob. Zapatha sequens commendat:
℞. *Aq. font. vel alterius appropr.* ℔j.
ol. sulphuris gt. xv. *vel* xx.

De hac aqua propinetur sæpe hauſtus præsertim nocte, si sitis vrget.

CAPVT XI.

De phthiriasi, seu morbo pediculari, tinea, fauis, achoribus, crusta lactea.

§. 1. AFfectibus infantes ac iuuenes præsertim, frequentiùs affligentibus annumeratur meritò *morbus pediculuris*, quamuis aliquando isto affectu quoque, rariùs licet, laborent adultiores. Multi enim Reges alijque Magnates hoc malo extincti sunt, prout testantur historiarum monumenta. In pueris verò sæpissime accidit hic morbus, & dicitur à Practicis quoque *Pediculatio capitis*, significatque fœda illa capitis cutisque animalia.

CAVSA.

§. 2. Si vnquam habeamus, cur mentis nostræ deploremus caliginem, certæ in huius affectus causarum cognitione tali quid occurrit, vt non immeritò felicem illum prędicemus, qui huius morbi potuit cognoscere causas.

De huius enim affectus causis diuersi Authores diuersa opinantur, libabimus tantùm breuitatis ergo præcipuorum sententias.

Quidam autem ex sordibus tertiæ concoctionis hæc insecta generati existimant.

Nonnulli ex terrestri portione lymphæ pediculos ex carne ortum habere contendunt.

Alij putrescentem culpant sanguinem, & id probant per experimentum apud *Borellum*, qui scribit, se nosse Chymicos nonnullos, qui ex sanguine humano & spermate muscas & pediculos producere possunt.

Ex Neotericis *Haruæus Redi* alijque plures viri fama celebres dicunt seminia in cadauera deportari, & à viuentibus non obseruata deglutiri, ita vt deinceps productum animalculum non sit nisi excluſus fœtus ex deportato seminio.

Confer *Ath. Kircherum in Mundo suo subterraneo l.* 12. *f.* 2. *c.* 17. sequenti modo discurrentem.

Dico igitur pediculos nasci ex spiritibus seminalibus in alimento latentibus, ex homine enim, vt & cæteris animalibus

libus constat, exspirare spiritus animales & sensitiuos per continuam corporum transpirationem, secum etiam deferre partes aliquas crassiores & sordidas, inter cutim & carnem hærentes, & hoc pacto vis in spiritibus latens format pro crassitudine aut subtilitate materiæ aut pediculum ex sordido phlegmate, aut pulicem ex subtiliori sanguinis putrescentis porriuncula ex venis capillaribus in sudorem versa, aut cimicem ex eiusdem crassioris inæquali sanguinis, quod phlegmatici miscetur, halitu producit Author.

§. 3. Ast quorsum hæc? Certè Ariadnes filo nobis huic opus esset, quo possemus ex hoc controuersiarum labyrintho nos explicare, vt ergò ex his mæandris pateat exitus, verbis *Kircheri*, qui præ alijs optimè causas huius affectus explicat, sequentia adhuc melioris cognitionis gratia addere libet.

Existimamus ergò milleformia insectorum latere seminia in lacte, alijsque alimentis, quæ non tantùm in ventriculo non rectè alterantur, sed & vitiosum subministrant nutrimentum, vnde serum redditur crassius, quo dein diutiùs stagnante, & per insensibilem transpirationem haud foras emisso necessariò corrumpitur, & sic occultata ante & oppressa penitus principia seminalia in sero latentia sui iuris facta in viua transeunt animalcula.

Serum hic peccare, patet ex sequentibus, quia plerumque vel semper phthiriasin comitantur, præsertim in pueris, glandularum colli tumores, in pluribus certè oui columbini magnitudinē æmulantes, & lippis tonsoribusque notum est, glandulas præparare ac distribuere serum per omnes corporis partes; cum ergò stagnet lympha, necessariò corrumpi debet, ex qua corruptione, accedente fermento quodam subtili acido, vel spiritibus, vel calore, facilè, animalcula hæc produci possunt. Lympham esse causam horum affectuum, facta scil. metastasi ipsius peccantis ad alias glandulas, testantur diarrhææ, saliuationes, &c. Quin lympha hæc acido acris sæpius tussim, diarrhœam, imò ipsam Epilepsiam & mortem inferre valet. Acrem etiam esse lympham nonnunquam patet ex comitante tumore & rubore partium adiacentium, quod serum sæpe in pus abit, & per cuticulam erosam pus in squamulas & furfures prodit.

§. 4. Serpente item successiuè malo, vlteriùs inquinat partes, & acore suo proximam adiacentem substantiam inficit, prout videmus in fauis, tinea, crustaque lactea, item furunculis infantum obuiū, cuius scabiei causam *Syluius* esse dicit humorem acrem simulque glutinosum, præsertim verò adesse acrimoniam acidam probat.

Cùm ergò hę Capitis desœdationes pustulosæ, crustosæ, vlcerosæ, quæ crustæ lacteæ, achorum, & tineæ nomine veniunt, sunt veluti maculæ lacteæ propter materiam sanioſam expulsam ad exteriora conspicuæ, ab euaporatione corporis exortæ, parùm in causa differant, eas pediculari huic morbo adijcere libet. Ex lymphæ enim nimis seu p. n. acidæ, seu salsæ nitrosæ, plus minus simul viscidæ vitio, originem ducere hæc omnia, extra omnem dubitationis ponimus aleam. Coniuncti enim & his sunt tumores glandularum colli, item parotides, qui vel præcedunt, vel comitantur, vel subsequuntur. Acidum etiam hic peccare facilè ex coniunctis symptomatibus deduci posset, adsunt enim pruritus, pustulæ rubræ, successiuè in pus abeuntes, squamæ furfureæ, quibus superueniunt cutis & cuticulæ erosiones, quæ omnia de aciditate agente causæ peccantis manifesta sunt indicia. Quatenus ergò serum est acrius acidiusque, eò vlcuscula manantia copiosam & acrem fundunt humiditatem, quatenus verò illud minùs acre existat, sed potiùs densum ac viscidum, eò est crusta densior & compactior, quæ tamen facilè decidit.

Ex Meconio p. n. remanente serum inficì & tales affectus produci posse quis dubitat.

Vitia quoque cutanea oriuntur instar fontium in Macrocosmo, quatenus ob voracitatem infantum plurimæ particulæ heterogeneæ & vitiosæ in corpore colliguntur, quæ ordinario per transpirationem excludi debent.

PRO-

PROGNOSIS.

§. 4. Salutares esse infantibus tales desœdationes vulgo fertur, quatenus præseruet eos à maioribus malis, quod quidem negari haud potest quatenus sunt bonum quidem signum, sed malæ causæ, meliùs enim conduceret, si abessent, prout annotat *Cl. Etmullerus*. Eiusmodi enim pustularum suppressionem, quocunque modo obtingat, retrocedentibus ab externis ad interiora & nobiliora viscera ichoribus vitiosis acribus & venenosis, nunquam non pessimum extitisse atque pernitiosum.

Morbus pedicularis sæpe malum est tædiosum, subinde contagiosum vti scabies, sæpe etiam lethale, multi enim phthiriasi mortui sunt.

Achores & Tineæ cùm sæpius pueros, & infantes à grauioribus morbis liberent, non sunt valde periculosa mala: ab ipsis tamen aliquando cranium corroditur, acido sc. facto planè corrosiuo prout hæc tristis vidi in puella rustica; degenerant sæpiùs hi affectus in alopeciam, ophiasin, magnaque vlcera continuo manantia.

CVRA.

§. 5. Præcauentur animalcula hæc tædiosa proba victus ratione, munditiei, corporis blanda purgatione, vitatis omnibus cacochymicis alimentis, inprimis abstineant à ficubus pueri, cum experientia constet, has plurima in se continere horum animalculorum seminia, vt & carnes.

Corpus ergo à superfluo sero liberetur, in quem finem pro puero annorum v. vel vj. conuenit sequens purgans:

℞. *Pulu. ialapp. gr.* vij.
☿ *ij dulc. gr.* iij.
♀ *diaphor. gr.* ij.
Syr. rosar. solut. simpl. q. v. M.

Conducit quoque sæpe exhibere pilulam vnam atque alteram aloeticam, omnia enim hic conducunt ceu in vermibus aloetica, Antimonialia, Mercurialia, item acria, acida, ponderosa & amara.

Adhibenda simul sunt, quæ vim habent discutiendi, vt sacharum *Saturn.* cum aq. flor. tiliæ, sambuci, & tabaci.

Allium propter sulphur suum his animalculis tanquam specificum opponitur, vnde Iudæi, quia illud sæpius deuorant, & hircorum instar fœtent, non facilè à pediculis, vtvt squalidis vestibus vtantur, vexantur, herb. colch. eundem præstat effectum.

Conducunt etiam decocta ex lignis ad corrigendum serum pro potu ordinario.

Inter externa magni æstimantur vnguenta & decocta ☿ ij viui, vel aqua hermetica, vel pannus, quo aurifabri vasa deaurata extergunt capiti imposita & vario modo applicata. Cautè tamen incedendum est hisce mercurialibus in tenellis, inde enim sæpe noxam obseruaui. Commodius ergo hoc malum curatur, si caput rasum abluatur aqua aloetica, & dein illi imponatur emplastrum allij. Vel lauetur caput cum spiritu vini, in quo semel staphid. agr. & baccæ lauri infusa fuere, vel lauetur aqua lauendulæ spirituosa. Vel coculos Indiæ M. cum succo Nicotianæ ac adipe suillo excipe, & illine. Vel solo succo tabaci expresso caput illinatur vel succo colch.

Commendatur etiam sequens vnguentum à *Laur. Fouberto*:

℞. *Ciner. hirud. seu sanguisug.* ℥j.
styrac. liquid. ℥ß. *sang. suill.*
ceræ ana q. s. M. F. Vnguentum.
Pro amuleto inseruit camphora & zibethum.

§. 6. Ad Achores sauosque sanandos conueniunt varia cathartica, præsertim hydragoga, ad superfluum serum vitiosum è corpore exterminandum, in quem finem superius commendata purgantia è Ialappio & mercur. dulci conducent, euacuato hoc sero, eius acrimonia acida & viscida corrigatur, in quem finem conferunt omnia alcalica volatilia, quibus solis *Sylvius* hos curat affectus felicissimè, in specie viperina æstimo, mirum quantum enim hic iuuat axungia viperina ad grana aliquot cum conserua veronicæ exhibita, serum enim hoc acidum & putridum simul è corpore per sudorem eliminat. Ad insensibilem hanc transpirationem promouendam conuenit tinctura antimonij, aliaque antimoniata. Ex. gr.

℞. *C. C. s.* ▽ *parat.*
antim. diaphoret.

ocul.

ocul. ℈ ana ℥j.
myrrh. ℥ß. M.

Detur huius pulueris ℥j. & per vices repetatur.

Pro potu ordinario fit decoctum ex lignis guaiac. saſſafras, rad. enul. saponar. lapath. &c.

Sic & conuenit Eſſent. fumar. saſſafras, aliaque ſerum corrigentia, vt ſunt Syr. de fumar. ſeu aq. betulæ; quæ valde expellit, Syrupus helenij. Ex. gr.

℞. *Aq. fumar.*
ſcabioſ. ana ℥ß.
ſyr. de fumar. ſimpl. ℥vj.
eſſent. fumar. ℥j. M.

Poteſt & cereuiſiæ infundi raſura C. C. cum flor. fumar. aquileg. ſcabioſ.

Si oritur à vitio nutricis, dentur illi pilulæ de fumar. ſerum lactis cum ſucco, ſeu eſſent. fumar. Lotiones & inunctiones non ſtatim adhibeantur, ſed datis aliquandiu purgantibus & expellentibus, poſtea dentur externa.

Inter externa ſequens conducit linimentum:

℞. *Vnguent. enulat. ℥j.*
ſacchar. ſaturn.
camphor. ſulphur. ana ℥j.
ſal. tartar. ℥ß. M.
℞. *Axung. porci ℥ij*
ſulphur. viui ℥ß.
ſucci limon. ℥j. M.

Puſtulæ his illitæ exareſcunt, & poſtea decidunt.

Herba Geranij frixetur cum butyro, & per linteum colatur, quo vnguento illinatur totum caput, noſtra experientia eſt comprobatum medicamentum.

Si vlcuſcula ſunt maligna & ſerpentia, ex acriori acido orta, ſequens conducet linimentum:

℞. *Lap. calaminar. ℥ij.*
farin. cum aceto vel vino ſubact. reſin. q. ſ. M. f. inſtar. linimenti.

Quo linimento aliquoties inungantur Achores.

Si vlcuſcula hæc ſaniem emittant tenuem & acrem, optimè, præmiſſis præmittendis, lauentur aqua ſpermatis ranarum, inſperganturque pulueres acidum imbibentia, viſcidum modicè reſoluentia, exſiccantia & detergentia, vt ſunt creta, ſuccinum, C. C. vſt. lap. calaminar. ceruſſ. myrrh. flor. Sulph. vel Crocus Martis, &c.

Ad promouendam conſolidationem, in fine curationis poteſt exhiberi eſſentia traumatica, cum eſſent. lignor. item puluis è cranio humano præp. cum ocul. ℈. præp.

Si puſtulæ fixiores egerint radices, prodeſt oleum Sulphur. per deliquium factum & cum oleo amygd. d. mixtum, quo illinantur hæ puſtulæ. Pro diſcuſſione, grandium tumorum glandularum circa collum conducunt Emplaſt. melilot. cum emplaſt. de galbano mixtum, vel crocat. Mynſ. quæ aliquandiu applicentur, vel fricentur ſpiritu formicar. camphor. ſal. perſicar.

In Achoribus caput abluatur cum decocto ſalicis, parietar. virid. bliti alb. & lentium, poſtea inunge ſequenti vnguento, à *Bayro* magni æſtimato:

℞. *Sulphuris, ſem. parietar. ana ℥ß.*
ſapon. ℥j.
M. cum ſucco parietar. & f. Vnguentum.

Aliud à Ioh. Cekkio magnipenditur:

℞. *Pulu. bryon. roſ. fimi columbini, virid. ſulphur. ana ℥ij.*
ſang. teſtud.
ſucc. betæ ana ℥j.
crocigr. viij.
ol. iunip. laurin. ana ℥ß.
M. in mortario plumbeo.
℞. *Litharg yr. ℔j.*
acet. acris q. ſ.
Coq. in vaſ. orichalc. horis 2. Colat. infund. in cucurbitam vitream capacem affunde paulatim ol. tartari per deliq. q. v. puluis qui præcipitatur Achoribus inſpergatur.

CAPVT XII.

De Atrophia Infantum.

QVum itaque hæc moriendi ſors omni ætati, quàm frequentiſſimè tamen infantibus contingit, *tabido corrumpi morbo*. *Atrophia* hæc dicitur etiam *Macies puerorum*, *Tabes dorſalis*, *Febris hæctica*, & quandoque *Phthiſis*.

DESCRIPTIO.

Deſcribitur quod ſit extenuatio p. n. corporis tum totius, tum partium, ob fru-

frustratã nutrionem in infantibus & pueris, vtplurimum à muco acido & viscoso oscula ductusque lacteos obstruente, & glandulas meseraicas consequenter infarciente, rarò à visceribus malè corruptis sæpissimè à comedonibus oborta. Comitatur sæpissimè hunc affectum tumor abdominis, quot enim hoc affectu exinctos aperij, in iis glandulas mesenterij tumidas & abstructas reperi, denegato enim sic nutrimenti transitu, necessariò partes nectare suo rorido priuantur, ita vt adiposæ, carnosæ, dein tendinosæ, ligamentosæ & membranosæ partes alimentari destituuntur madore, accedente simul acrimonià sanguinis, exsiccentur, corrugentur & imminuantur. Quod si enim chylus nimis viscidus, vel vitioso acore inquinatus distribuatur pro sanguinis augmento & partibus corporis nutriendis, necessariò deprauatur massa sanguinea, imò ipsi spiritus animales ob vehementiorem pabuli dissipationem & absumptionem dissipantur, Reges quoque ob interceptum commeatum, redduntur ad regendum inepti & lassi, satis enim exinde liquet, quòd præter habitus concidentiam summam quoque virum prostrationem simul persentiant miselli.

Multum hìc facit dyscrasia lactis aleni in infantibus, & in pueris nutrimentum deprauatum. Vbi enim ab indole suà genuinà dulci in naturam heterogeneam, hoc est, acrimoniam, aciditatem, salsedinem, amaritiem, aliamque nutritione ineptam facessit naturam, inde enim necessariò massæ sanguineæ crasis insigniter vitiari & corrumpi debet. Requiritur enim ad nutritionem, prout *Clariß. VVedelius in Physiol.* egregiè differit, nutrimentum omnis qualitatis heterogeneæ expers adeoque blandum, mite, substantia lentescens, apponi aptum omnibus partibus æquè commune, quodque in vniuerso corpore partibus omnibus appellere possit.

Particulæ ergò quæ sunt acriores & salinæ eo ineptiores sunt nutritioni, quæ sanguinem vi sua corrosiua nõ ratò instar menstrui chymici soluunt, fundunt, ac balsamicas particulas destruunt, qua vnione soluta particulæ plures tam insensibiliter, quam sensibiliter per cutis poros aliaque emunctoria eliminantur, prout testantur sudores colliquatiui, vrinæ oleaginosæ & pingues, alui fluxus, vnde non potest non fieri, his obortis, quin partes debita sua frustrentur nutritione. Hinc plures infantes sunt, qui tabescunt à solo sanguinis sale vitioso, sine pulmonum aliorumque viscerum corruptione. Atrophiæ sæpè adiunctus est tumor abdominis, qui oritur ex obstructione pororum musculorum abdominis hinc vapores inclusi abdomen distendunt, in quem finem etiam conducunt volatilia vt liq. CC. succin. Quum autem pulmones propter tenuissimam substantiam inprimis in infantibus, motumque sanguinis in ipsis celeriorem fermè primi sint, qui salium istorum sæuitiam persentiunt, hic fit, vt plerique eorum pulmones sortiantur corruptos, anhelent, tussiant, atque tandem tabe pulmonali pereant.

Infantibus etiam nostris præterea ob peculiarem nutrimenti prauitatem & corruptionem susi cute aliquando vermiculi, quos *Crinones*, *& Dracunculos* seu *Comedones*, Germanicè Miteſſer vocant, nascuntur, quorum causa est impedit transpiratio, & inde facta seri stagnatio & corruptio, hinc occultatorum seminum productio, quo in casu simul adest maxima seri, seu lymphæ acrimonia & visciditas, hinc quoque redditur nutritio inepta, & infantes sub continuis eiulationibus & vigiliis instat ligni marcescunt. Multi sunt Medici, qui existimant hæc animalcula, non esse vera & viua animalcula, sed tantùm excrementa viscosa & tenacia, quæ præ se ferunt formam viuorum animalculorum, ope tamen microscopiorum hodie patet, prout etiam mecum obseruauit *Clariß. & fide dignus D. Ettmuller*, esse vera & viua animalcula coloris cinericei, cornibus, seu potius antennis binis longè prominentibus instructa oculis rotundis grandiusculis, cau-

da oblonga in fine villosa, aspectu horrida, prout illos descripsit prælaudatus *D. Ettmuller.*

SIGNA.

§. 2. Infantes hoc malo detenti alimenta voracius & largius appetunt assumuntque, exinde tamen haud desideratum persentiunt fructum, qui crinones animati producunt pruritum, & lacessunt plus minus membranas, vnde infantes continuo eiulatu, inquietudine, vigiliis, suum exprimunt dolorem, tandem incipiunt emarcescere &c. succesiuè in tabem proruunt.

PROGNOSIS.

§. 3. Quod prognosin *Atrophiæ* infantum concernit, cum isti habeant viscera teneriora, inde etiam debiliora, ob Regum quoq; imbecillitatem tabifico huic morbo minus resistere valent, & magis cum periculo extenuantur, quam illi, quibus fortiores sunt Reges & spiritus. Menbranosæ & ligamentosæ partes exsiccatæ, vt & facies Hippocratica opi Medicę haud cedunt.

Inflammationes quoque, tumores & exulcerationes sunt periculosæ, & inde tabes natæ difficiliores sunt curatu. Sic & tabificæ mesenterii obstructiones à primordiis ita formatæ omnem excludunt opem Medicam. Ille verò quæ ab humoribus viscidis, acidis tenacibus factæ, omninò aptis remediis obediunt. Pulmones verò aliaque viscera exulcerata & corrupta ob substantiæ tenuitatem partim ob celeriorem sanguinis motum & atrophiam inducentia nullam admittunt curationem.

Conuulsiones & spasmi infantum tabidorum certissimi mortis sunt prodromi.

Somnus qnoque inquietus magis consumens quam reficiens hecticam incurabile subesse significat, teste *Hipp. sect. 2. Aph.* 1. dicente *in quo morbo somnus laborem facit, mortale: si vero somnus prosit, non letbale.*

Subdores col liquatiui, diarrhææ, alui fluxus pingues, & vrina oleaginosa peioris notæ sunt signa.

Si à comedonibus atrophia oritur, hæc facilem admittit curam, nisi malum sit nimis radicatum.

CVRA.

§. 4. His præmissis ad *curationem* accedamus, & quidem contractis velis, plura enim in Capite de Atrophia videri possunt. Curatio ergo nititur sequentibus indicationibus: Vt viæ occlusæ materiæ nutritiuæ transitum denegantes recludantur, quod facilè obtinere possumus, si hæ sint obstructæ à viscida tenacique materia, per volatilia aliaque aperitiua, hæc enim visciditatem humorum incidunt ac corrigunt, cui scopo etiam inseruiunt ad eam viscidam amurcam euacuandam lenientia, & blandè purgantia, nam fortiora roridum liquorem simul educunt, & sic malum tum augent.

In vsum ergò trahantur rhabarbarum, manna, pruna Damascena, præsertim ex his, additis aperientibus, parata decocta & infusa. Sic syr. ros. sol. infantibus lactationis tempore exhiberi potest; post ablactationem verò lactantes mucida aliaque ferre non possunt, hinc & ab iis abstinendum est. Meliùs conduceret Tartarus vitriolatus *Tachenianio* more paratus, vt & arcanum duplicatum. Mynsicht. Dosis est tot grana, quot habent annos pueri. Item conduci Tinctur. Martis vitriolat. in singulos ætatis annos guttæ 2.

Si verò simul acidum peccet & austerum vasa ista constringentia, vt nihil nutrimenti ad partes externas mittant, prosunt oculi ☋ aliaque cadauera terrea & insipida, quæ salium heterogeneorum acrimoniam acidam obtundunt. Sequenti mixturà plures ablactatos cutatos noui:

℞. *Aq. primul. vere cancris cent. min. antihect. St broud.* ana ℥ j. *vasur. ebor. C. C. ppt.*

&c.

oc. ♋ ppt. ana ℈ j.
corall. rubr. ppt. ʒ ſ.
tartari vitriolat. ℈ j. ℥
Iulep. roſat. ʒ v. vel ʒ j.
M. Dentur ſingulis diebus cochlearia duo bis de die.

Itidem magnifacio ſequentes rotulas, quia facilè à paruulis aſſumi poſſunt:

℞. *Sal, cachect. Martis ſecundum Schrod.*
oc. ♋ ana ℈ ß.
Tartari vitriolat. gr. xv.
lap. prunell. gr. vj.
ſpec. diarhod. Abb. ℈ ß.
ſacch. alb. ʒ j. vel ʒ ij.
F. l. a. Rotulæ.

Alii mires laudibus extollunt antihecticum Poterii, ſaccharum ſaturni, myrrhata, antimoniata, aliaque.

Nuper filiolum tali colliquatione laborantem ſequenti mixturâ feliciter reſtitui, poſt paſtum ſemper aderat tuſſis:

℞. *Aq. mentb.* ʒ j.
cort. citr. ʒ ß.
♏* *cit gt.* x.
ſal. abſinth. gr. v.
ol. mentb. gt. j.
ſyr. ſœnic. ʒ vj.
M. detur cochleatim per vices.

In paulò adultioribus inſtituì poteſt cura lactis, aliaque vſurpanda, quæ peti poſſunt ex *lib. 3. cap. de Hectica.*

Egregium quoque eſt atrophiam puerorum tollendam aq. heder. arbor. vt & puluis eius ad ℈ ß. in aquâ eiusdem aliquoties exhibitus. Venter quoq; manè & veſperi cum axung. caponis illinatur.

Inter externa pro humectanda & edulcoranda maſſa ſanguinea proſunt balnea & fotus ex lacte & decocto capitis & pedum veruecis, quæ in aqua ſimplici tamdiu coquenda ſunt, donec conſum. ptis omnibus carnibus oſſicula ſola poſſunt eximi, & adijciantur aliquando herbæ & flores emollientes rad. alth. herb. eiusd. in primis heder. arbor. & filicis, malu. violar. portulac. hyperic. bugloſs. cum rad. flor. chamomill.

Ad reſoluendam ſpiſſiorem mucilaginem, vbi ſimul adeſt tumor abdominis, conuenit Vnguentum *Syluij*, *ex* vnguento Martiat. alth. & ol. Philoſ. parat. Item.

℞. *Ol. de cappar.*
abſinth. ℥
ſambuc. ana ʒ j.
Vng. de ſucc. aperitiu. ʒ j ß.
Gumm. Ammon. in accet. ſolut. ʒ ß.
F. linimentum.

Emplaſtrum de meliloto hypochondriacis applicetur.

Confert etiam axungia quæ reperitur circa verticem ferreum rotæ molaris extra illita. Item ſi butyrum recens cum apide ſuilla & veruecina liquefiat addito pauco oleo ceræ infans eo inungatur.

Si adſint ſudores colliquatiui Tinctura antiphthiſica & omnia ſaturnina & aluminoſa leuamen afferunt.

CVRA.

§. 5. Ad *Crinones* ſeu *Comedones* expellendos & enecandos & inde factam ſæpe dorſalem tabem curandam omne ferunt punctum, quæ habet Cl. *Ettmuller* in *Valetudinario* ſuo *infantili*, qui poſt Tincturam Antim. balnei vſum præſeruatiuè pariter ac curatiuè laudat, Ad illos eliciendos balneum aquæ dulcis ſuadet, cui parum mellis addatur, inde facilè vermiculi hàc dulcedine decepti per poros cutis capitibus ſuis prominent, qui dein vel vnguibus, vel cultro, vel nouacula extrahi queunt. Vel ad mulierc ularum noſtratum mentem infantum dorſum melle illinatur & poſtea cultro raſorio capita vermium ità allectorum abſcindantur.

Ad illos enecandos *Timæus* laudat aquam aloeticam externè quotidiè dorſo illitam. Proſunt & frictiones cum aquâ mellis & farinâ, quod dein abradatur cultro à cute, quia inde apertis poris corpuſcula vermium eliminari poſſunt.

Tabem dorſalem infantilem feliciter curauit *Zacut. Luſitanus* exhibendo ter ℈ j. caſtorei, nam caſtoreum fœtore ſuo vermes ſtrenuè necat.

Cl. D. Iob. Step. Stobelberg.] sequentem habet curam. Ex cinere quercini ligni fiat lixiuium, cui imponatur per noctem sacculus pennis pullorum gallinaceorum repletus, sequenti die deducatur in sudatorium infans, ibique insideat dicto lixiuio calefacto vsque ad collum per semihoram, quo facto detineatur per aliam semihoram, extra lixiuium & probe sudet, toto corpore priùs melle peruncto, sudore peracto deradatur cutis cultro rasorio. Hoc per septimanam ter repetat, & restituuntur infantuli. Idem eodem planè affectu Zedoaria in lixiuio querno decoqui potest, quo infans ante & post rasuram in sudatorio diligenter abluatur.

Sed nos experientia edocti cum *Ettmullero* aquam Hermeticam, seu decoctum Mercurij viui, vti scabiei & lumbricis optimè conferre solet, etiam hic conducere affirmare possumus, in balneo enim hac aqua ablui possunt infantes & sic citra vllum periculum dictos comedones necare & tollere poteris, non omissis antihecticis & antelminthicis superiùs iam reuelatis.

CAPVT XIII.

De Rachitide Anglorum.

§. 1. CVm plures Medici hunc affectum solis infantibus familiarem iam præter propter ante XL. annos in Anglia primò innotum, ad Tabem referant, ea propter eum huic subiungere placet.

DESCRIPTIO.

Hunc affectum Nobiliss. *Glißonius*, *Mayouu*, alijque Angli descripsere, quia in oris Anglicis magis, quàm in nostris familiaris & quasi endemius existit, vbi infantes vt plurimum à texto mense suæ ætatis, ad finem vsque secundi anni cum dimidio frequentissimè infestantur. Bigæ infantum hoc morbo laborantium hisce in regionibus Medicinam feci. Describi potest hic affectus, quòd sit affectus ex inæquali succi nutritii distributione ortus, ob cuius defectum vel superabundantiam partes aliæ nutrimento priuatæ marcescunt ac emaciantur, aliæ verò plus satis nutritæ in molem iusto maiorem augentur.

SIGNA.

§. 2. Phænomena huius affectus sunt caput valdè magnum, & hinc inde in eius superficie pro tuberantiæ magnæ & variæ obseruantur, ingenium pro ætate plus solito felicius, abdominis sæpe adest intumescentia pectoris angustia, cartilaginis ensiformis prominentia, spina & ossa plerumque incuruata, & quæ circa articulos sunt prominentia & nodosa, item torpor quidam & laboris exercitijque impatientia; neque enim pueruli nisi sedentes ludere possunt, vix enim pedibus insistere valent & tandem in morbi progressu à debili spina dorsi sustineri potest capitis onus. Respiratio est difficilis, alui fluxus sæpè hunc comitatur affectum, his accedit partium ferè omnium eneruatio. Hectici aliquando fiunt, ventres semper habet inflatos, tumentes ac duros, sæpe etiam tussis aliaque tabidorum symptomata subnascuntur, quæ *Rachitidem* ferè semper comitari solent, in quibusdam verò pauciora sunt phænomena, in alijs plura.

Datur & aliud malum huic non multum absimile, licet in lue Gallica non infrequens, Παιδοβροκάκη dictum, qui morbus sæpe suas extra Luem Gallicam natales inuenit, de quo raro affectu plura videre poteris in *Encyclopædiâ Chirurgicâ nostrâ*, vt & de spina nodosa, alioque affectu quem Batani *vberfogenheut* vocant, addiphagiam lacteam, & est subluxatio vertebrarum colli atlantis & dentis.

CAV-

CAVSÆ.

§. 3. Nunc ad ipsas causas considerandas nos conferamus & videamus in quo specifica corruptio huius mali consistat. Alii confugiunt ad primas qualitates *Aristotelis*, alii ad intemperiem *Galeni*, nonnulli ad τὸ θεῖον *Hippocr.* occultarum asylum, & centum eiusmodi alia vel non Entia, multi ad salium corrosiuorum ac heterogeneorum degenerationem, plures ad fermentorum immutationes, quorum opinionem si quis legere amat, adeat Clar. Dom. *Mayom*, & legat Tract. quintum *de Rachitide*, qui huius causam semotis aliorum opinionibus quærit in obstructione spinalis medullæ & neruorum, & inde dependente influxus neruosi defectu, hincque deducit ferè omnium horum symptomatum rationes & causas.

Nos verò vt omnia contractis propónamus velis, huius affectus causam scrutamur in Nutritione inæquali & impeditâ Microcosmetoris & satellitum suorum, spirituum puta animalium, irradiatione. Certum enim est, sanguinem arteriosum, lympham & chylum contribuere multum ad nutritionem partium, ni verò simul accedat hæc irradiatio per neruos, omnia frustrà partibus agglutinantur, hinc Angli existimant quia à præciso neruo sæpe pars fuerit emaciata, per neruos succum nutritium ad partes deuehi; cùm tamen sola illa irradiatio sufficiat. Ex omnibus ergò phænomenis abundè patet, causam huius mali quærendam esse in spinali medulla, eiusque tubulorum nerueorum inde prodeuntium aliquali cum totali obstructione à pituita viscida tenacique impediente quò minùs *Microcosmetoris* & spirituum animalium fiat irradiatio, & per consequens humorum circulantium agglutinatio, sicque nutritio æqualis frustretur. Constat enim prouentum spirituum animalium satis largum in cerebro tamque publicâ totius corporis officinâ generari, medullam autem spinalem aliàs cerebrum prolongatum, veluti viam regiam ab emporio illo exeuntem à crassis & glutinosis, viscidisque in hoc affectu obrui & impediri, ità vt nutrimentum haud ritè agglutinari possit.

Serum etiam hoc in affectu vitiari & corrumpi, vel stagnare, patet ex mesenterii glandulis maioribus strumosis & inde abdomine tumido reddito post exenterationem defunctorum ità repertis. Reliqua huius affectus phænomena secundùm hanc hypothesim facilè explicari possunt, vt ex sequentibus manifestum erit.

In hoc morbo contingit, vt caput in molem præter rationem augeatur, quod quidem ex nostra suppositione ità fieri debet. Lympha enim sanguis & spiritus animales, qui alias naturaliter in spinalem medullam ex magnâ parte influunt, intercluso verò aditu isto remanere coguntur; hinc cùm caput liberaliorem nutrimenti prouentum sortiatur, necesse est, vt in molem iusto maiorem accrescat. Ob horum spirituum animalium copiam in capite restantium ingenium acutius & sagax deducimus.

Solent etiam hoc in affectu omnia flaccida esse, simul ægri ob debilitatem pedibus insistere, & in morbi progressu capitis onus sustinere nequeunt, quæ symptomata dependent à *Microcosmetoris* & turpitudine & spirituum animalium defectu dictas neruorum obstructiones necessariò consequente. Irradiatio enim hæc non tantum ad nutritionem, sed etiam ad motum omninò requiritur.

Signum pathognomicum huius affectus habentur ossa incuruata, præsertim tibiæ & cubiti, sæpe & ipsius spinæ, aliorumque articulorum protuberantiæ; quorum rationes breuiter dicamus. Plures hanc incuruitatem ossium ab eorum flexibilitate & instar ceræ mollitie procedere contendunt. Hæc verò fieri à depraua & inæquali nutritione nulli dubitamus. Sed vt benè hæc intelligantur, supponimus partes neruosas & musculosas ob nutritionis defectum haud excrescere,

quarum musculosarum & tendinum extenuatio & constrictio in causa est, quod hæc ossa ità inflectantur, quia à neruis tendinibusque detineantur tanquam à chordà ità vt non possint ritè extendi, sed necessariò debent incuruari vti arcus chordà detentus, prout hoc simili vtitur Cl. *Mayoun.* si enim arbori crescenti corda superiùs & inferius alligetur, ità tamen vt eadem à chordà non tendatur, certum est, arbor dicta sensim crescendo incuruabitur. Rectè etiam inquit prædictus Cl. Vir *Mayoun* spina etiam variè inflectitur, partim introrsum, partim extrorsum, quod à varià musculorum in diuersis spinæ partibus positione oritur; nempe spina in superiori parte à musculis psoas internis annexis præpollentibus extrorsum incuruatur.

Reliqua phenomena scil. os cruris, humerique minus cur incuruentur, cur pectus acumnatum fiat, aliaque apud prædictum videas Authorem, qui more soliito optimè omnia hæc explicat. Nunc breuiter *prognosin* tradamus.

PROGNOSIS.

§. 4. Rarò affectus hic ex se lethalis est, ingraueſcentibus verò symptomatibus in plures morbos lethales degenerare solet, V. g. in phthisin, tabem, hydropem pulmonum, ascitem, &c. Quo enim maiora & difficiliora sunt symptomata, & quo citiùs affectus à partu inuadit, eo malum infantibus peius, & periculosius est. Quicunque ante annum quintum non sanantur, postea per totum vitæ curriculum valetudinarii sunt. Vbi coniuncta sunt superiora symptomata grauia malum existit incurabile. Quo verò longiùs hic affectus à partu miseros affligat, & post febres ingruat, & simul scabies superueniat, & symptomata minuantur, non est quòd de eorum salute desperemus. Si pulmones, quibus ob pectoris angustiam se dilatandi spatium non conceditur, purulenti sunt & asthma & spirandi difficultas oboriuntur, malum vix curari potest. Adulti hoc non corripiuntur malo, quia caput & ossa metam crescendi iam adepta sunt.

CVRA.

§. 5. Postquam de affectus huius causis, signis tum diagnosticis tum prognosticis disquisiuimus, restat vt ad eius præseruationem & *Curationem* deueniamus.

Cùm ergò morbi huius causa in aliquali non verò omnimodà oastructione spinalis medullæ neruorumque inde oriundorum à materià viscida tenacique posuerimus, annitendum est, vt obstructiones tollantur, dein Microcosmetoris spirituumque animalium irradiatio promoueatur. Priori scopo, ad materiam scil. tenacem euacuandam, satisfaciunt purgantia, aperientia, diuretica & diaphoretica. Curatio autem à catharsi semper incipienda est, hinc etiam quam plurimos infantes verà Rachitide laborantes sequenti methodo felicissimè curauit celeberrimus *Practicus Anglus Tho. Sydenham* Sequentem parat potionem cathartica.

℞. *Tamarind.* ℥ ß.
fol. sen, ʒ ij.
Rabarb. ʒ j ß.
Coq. f. q. aq. In Colat. ℥ iii.
diß olue manna &
Syr. ros. solut. ana ʒ j.
M. F. Potio.

Huius capiat infantulus cochl. 1. vel 11. plus minus pro ætate, manè per 1x. dies, vno atque altero die, si opus fuerit, intermisso. Interim verò purgatio ita moderari debet ac regi, dosin vel augendo, vel minuendo, vt vltra v. vel vi. sed singulis diebus non procedat. Prælaudatus vir dein post hanc catharsin sequens commendat vnguentum aperitiuum ad totum ventrem inungendum & continuandum per aliquot dies:

℞. *Ol. lil. alb.* ℥
tamarisc. ana ʒ ij.
succ. rad. bryon.

apii

apii ana ℥ j.

Bulliant ad succorum consumptionem, eddendo vnguent. de althæa & butyri insulsi ana ℥ j.

gum. Ammon. in acet. solut. ℥ ß.

ceræ flauæ q. s.

M. F. linimentum.

Nos sæpe hàc methodo instructi nonnullos feliciter curauimus, & paulò proiectioribus pulu. Ialapp. à gr. i. ad VII. syr. cuidam adiecimus, & sic feliciter per vices purgauimus, dein intus dedimus nostrum vnguentum de osmundà, & simul extra tum dorso tum artubus iunximus, & sic Deo sit laus plures pristinæ restituimus sanitati, sed cùm non semper his auscultet armis *Racchitis*, plura, vbi scil. refractaria est, adijcere placet. In alijs etiam, inprimis delicatulis, applicari possunt enemata. Sequens laudant Angli:

℞. *Mileped. cum vino lotor. No. xx. vel quibus contusis affunde seri lactis ex vino alb parat.* ℥ v. *in exprel. solue sacch. rub.* ℥ i ß. *M.*

Seq. quoque ad mucum acidum viscidumque in intestinis hærentem resoluendum conducit clyster ex sali tartari alioque lixiuiali acuatur.

Inter alterantia specifica ab Anglis aliisque habentur omnia ligna & eorum cortices, inprimis radix & herba osmundæ regalis, fl. spicæ, rad. omnem aperientes, & omnes herbæ cephalicæ, inprimis thee, omnia antiscorbutica & sale volatili prægnantia, vt sunt millepedes, lumbrici terrestres, &c. quorum catalogum videre poteris apud *Glissonium* & *Maiouu.*

Inter Dymica celebratissimum est ab illustri D. Boyle inuentum, cui nomen est *Ens veneris*, quod conficitur è sale Armoniaco & colchotare edulcorato bis aut ter simul sublimatis, dosis est à gr. iij. ad vj. cum appropriato liquore tempore somni. Omnia hic conducunt armoniacalia, vt pote quæ ob summam partium suarum tenuitatem ad obstructiones affectum hunc efficientes tollendos maximè idonea sunt. Hinc conueniunt spiritus & flores salis Armoniaci. Sequens sal artificiale indolis Armonicalis magnipendit sæpiùs laudatus *Mayouu.*

℞. *Sal. volat. C. C.*

sang. aut vrinæ f. q.

quibus phialæ oblongæ immissis spiritus salis rectif. aut etiam sulph. p. c. rectific. guttatim affundatur, quousque ebullitio non amplius excitabitur.

Sal hic resolutus per filtrum traijciatur & leni calore ad siccitatem salis abstrahatur. Dosis gr. iij. ad gr. vj. primo manè aut tempore somni in vechiculo conuenienti exhibenda. Hic ferè omnia conueniunt antiscorbutica.

In paulò adultioribus chalybeata, vitriolata, visceribus adhuc firmis & integris, item tartarisata, castorina, cinabarina sæpe omnem implenet paginam. Sic & omnia cephalica & antiepileptica hic conueniunt, quatenus obstructiones tollunt, *Microcosmetorem* & spiritus animales eliciunt & vigorant. Conueniunt ergo spir. sang. hum. C. C. liquor. C. C. succinatus, Balsamus neruinus D. Schefferi, ex quibus composita varia formari possunt. In iuniorum gratiam vnam atque alteram adponamus formulam.

℞. *Rad. osmund. Regal.* ℥ i ß.

pæon. mar.

lign. santal. citrin,

sem. nasturt. aq. ana ℥ j.

flau. aurant. condit. ℥ iij.

saccar. q. s. in aq. osmund. regal. solut.

F. l. Rotulæ x vel Tabulæ pouder. ℥ j.

Accipiat infans ℥ ß. vel ℥ j. bis in die, superbibendo aquam sequentem à *Mayou.* descriptam:

℞. *Rad. ari.*

pæon. mar.

osmund. regal. vel filic. mar. ana ℥ iiij.

fol. sals.

beton.

nasturt. aq.

beccabung.

veronic. mar.

hepat.

summit.abietis ana m.iij.
iugland.virid. ℔ ß
millep.lot. ʒ. iij.
castor. ℥ j.

Incisa & contusa affund.seri lactis ex vino alb.parat. ℔ vj. *destillentur communi destillatorio, liquor totus misceatur Dosis.* ʒ j. *ad* ʒ ij. *bis in die.*

Nostrum vnguentum intus & extus vsurpandum sequens est, quo non ita pridem hic Cassellis curauimus puerum 3. annorum:

℞. *Fol.osmund.regal.virent.* m.vj
saluiæ rubr.
anagalid.ana m.j.
lauri, maioran.
rorismarin.
ana m.j ß
succi herb.
cardiac.
beccabung.
nasturt.aq.
trifol.fibrin.ana ℥ j.
bacc.iunipet. ʒ j.

Concisa omnia minutim contundantur optime in mortario ligneo vel marmoreo cum ℔ vj. *butyri maialis non salsi, dein macerentur dies* xiv. *tum paulatim liquefcant in B.M. & cum fermentescere incipiat, F. expressio & vnguentum quod seruetur ad vsum.*

Potus sit vel decoctum rad. osmund. regal. vel rad. silic. mar. vel potus thèe, vel flor. salu. vel sol. beton. quibus vasi idoneo impositis super fundatur aqua, quæ aliquamdiu ferbuerit, dein edulcoretur sacch. cand. & pro libitu bibatur, sic etiam in aulis bibunt Thèe. Loco eius fiat decoctum Chinæ, vel cort. sassafr. vel cort. pini, &c. assumere possint.

Remedia Chirurgica sunt V. S. quam Angeli admittunt in plethora, item per scarificationem in concha aurium factam sanguinem parua quantitate detrahere solent. Quam operationem cultello obtusiore peragunt, idque bis aut ter interpositis septem diebus repetunt. Item hirudines, fonticulos, setacea vesicatoria, cucurbitulas applicanda hoc in affectu suadent.

Inter Chirurgica referimus etiam frictiones è pannis laneis calefactis instituenda, inprimis spina & partes musculosæ & ossium concaue, non verò prominentes fricentur. Si vires ferant, obambulatio crebra in vsu sit, sic enim eliciantur spiritus ad musculosas partes. Hic & conuenit in planè debilitatis gestatio ex vlnis nutricum & cunarum iactatio. Contractentur hypochondria, instituantur aliquando ligaturæ ad sanguinis partem versus partes extenuatas deducendam.

Vt spina erecta sistatur, ossaque prominentia reprimantur, confici possunt ex ossibus ceti, vel melius ex ferro thoraces, qui corporibus infantum ita adaptentur, in quem finem videbis nonnulla instrumenta in Chirurgicis nostris.

Neque hic prætereunda est artificialis corporis suspensio ope instrumenti cuiusdam penduli ex fasciis ita formati, vt pectus sub axillis complectatur, caputque sub mento alia fascina circumdetur manusque binis ansis excipiat, quo ita corporis onus sustentetur, donec in decentem restituatur formam, qua artificiali opera hic vsus est, quidam qui plura inde lucratus est.

Fomentationes ptæ alijs conducunt institutæ vel cum vino, vel aqua vitæ, aliisque spirituosis spinæ præsertim, aliisque debilitatis partibus applicata. Sequens decoctum laudatur.

℞. *Rad.osmund.regal.aut fil.*
mar. ℥ iij.
fol.beton. salu.
rorismar.
maior.
nasturt.aquat.ana m.j
flor.Chamomill.
melilot.
sambuc.ana p.j
baccar.lauri,
iunip.ana ℥ ß
Coq.in aq.font.s. q. ad ℔.ij)
Adde vini albi vel aquæ vitæ vulg. ℔ j.
Colatura vsui seruatur.

Et cum Cl. Maiouu vnguentum pro par-

partibus debilitatis & noſtro vſu comprobatum ſit, ſimul hic addere libet:

℞. *Flor ſambuc.*
lauri,
maioran.
ſalu.
roriſmar.
beton.
ſummit. lauendul.
ana m. ij.
bac. iunip. ℥
lauri, ana ℥ j. *M.*

Inciſa & contuſa vaſi idoneo indantur cum butyr. maial. vel recent. non ſaliti libr. iij. & aq. vitæ lib. ſem. Coq. lentè ad aquæ vitæ conſumptionem expreſſioni adhuc calidæ adde

Ol. nuc. myriſt. per expreſſ. ℥ ß
Balſ. peruu. ℥ j
M. f. vnguentum.

Loco butyri maialis ſubſtitui poteſt medull. bouin. vel ſeu ceruin. & ol. lumbricor. vel vulpin. ana lib. j. ß.

Hiſce nihil iuuantibus ad balneum vel naturale, vt ſunt hiſce in locis thermæ VVisbadenſes & Emſenſes, confugiendum eſt, vel artificialia ex herbis cephalicis, Tartaro & Vitriolo parata ex vſu eſſe poſſunt.

Symptomatum quoque hic occurrentium ratio habenda eſt, ex quibus maximè frequens eſt alui fluxus, qui optimè curatur catharticis lenioribus, infuſo ſc. rhabarb. & demum adhibitis variis ſtomachicis modicè adſtringentibus, ſuperiùs, vbi de alui fluxu ex profeſſo egimus, abundè dicti.

Ad ſudores colliquatiuos diſcutiendos conueniunt itidem varia aperientia & digeſtiones iuuantia.

Si pulmones aliaque viſcera humoribus viſcidis infarcti, hincque Aſthma aliaque pectoris mala producta ſint, tunc conueniunt pectoralia balſamica, inprimis verò balſamus ſulphuris ad gt. III. vel IV. in conuenienti & appropriato vehiculo ſæpiùs exhibitus item pectus inungatur ſequenti linimento:

℞. *Vngu. pectoral.* ℥ *nuc.* j.
ol. nuc. myriſt. per expreſſ. ℥ j. *M.*

Aliaque huic morbo appropriata in vſum trahi poſſunt, adiectis & ſpecificis *antirachiticis.*

Abdomini tumido applicentur varia reſoluentia ſuperiùs iam dicta.

Spinæ inprimis applicanda ſunt varia neruina, tum emplaſtra, tum linimenta, tum olea, tum fotus quæ alibi ad nauſeam recenſuimus. Atque hæc breuiter de affectus huius infantilis cura.

CAPVT XIV.

DE INTERTRIGINE.

DESCRIPTIO.

INter effectus externos frequenter infantes affligentes non poſtremum locum tenent Intertrigine, ſuntque vlcera cutanea, ſeu, excoriationes inter femora, ex acrimonia ſalina exorta.

DIAGNOSIS.

Haud difficulter cognoſcitur hoc malum, quia partes affectæ rubent & dolent, præprimis ſi tangantur & lauentur, tum ſuum dolorem e iulatu exprimunt infantes.

CAVSA.

Vt plurimum hæ intertrigine oriuntur ex acrimonia ſalſa vndecunque contracta externè quoque aduenienti. Sic etiam ab linteis immundis, vel ſi à continua humectatione vrinæ partes haud præſeruentur ſed negligantur, inde enim tenerrima epidermis ita emollitur & relaxatur, vt ſenſim penitus eroſa ſeparari ſoleat.

Si infantes nimis ſunt obeſi & ſæpiùs exponantur aeri frigidiori, ſicque impeditur tranſpiratio inſenſibilis, hinc cumulatur ſerum acre, quod ſimbolum ſuum addere poteſt.

PROGNOSIS.

In vlcera peiora, ſi negligatur, hoc malum degenerare poteſt.

CVRA.

In Curatione mūditiei maximè ſtudendum eſt, panni mundi & leues ſint minimè aſperi, ſed potiùs lana ſuccifa partibus ex-

baſ. Card. bened. abſinth. centaur. min. &c. vel tandem arcanum duplic. Mynſichti cum oculis ♋ iuncta omne ferunt punctum. De collo etiam ſuſpendenda eſt camphora. Externa etiam topica non negligenda ſunt. Emplaſtrum febrifugum carpis mannum applicandum, vel raphanus ſoleis pedum impo nendum aliaque.

Quod continuas concernit & ſimul lentas ab acido viſcido productas, in his conducunt prædicta laxatiua & enemata, poſt quæ ſpiritus Salis * ci omnem impleat paginam, inprimis in catarrhalibus ex limpha acida ortis, ſpiritus Salis * ci aniſat. & liq. C. C. ſuccinat. In his catarrhalibus Tinctur. Myrrhæ aliis febrifugis præferimus; abſorbentia quoque haud negligenda ſunt, inter quæ aliis facilè palmam præripit Puluis febrilis Ludouicianus, vel ſequens &c.

℞. *Puluer. ocul.* ♋ *gr.* xij.
Cinaba. Antim. gr. iiij.
M. F. p. diuidendus in IV. *partes. aq.*

In ablactaris Liquor Tartari, item ſalis * ci cum ocul. canc. iuncti præ aliis conueniunt.

Si verò febres ſint ſimul ardentes, & calore ſitique intenſa vexent miſellos, in quem finem ab initio vomitus excitandos, aut ad aluum laxandam, & ſaburram viſcidam ex primis viis eliminandam lene detur purgans, quo facto, dein ſæpius exhibeatur ſequens vel ſimilis Mixtura cochleatim:

℞. *Aq. Card. bened.*
Scorzoner. ana ℥ i ß.
Antim. diaphoret. ☉ j.
C. C. ſ. Aqua pp. ℥ ß.
Saccar. Cand. q. ſ. M.

Pro potu ordinario detur vel Decoctum C. C. vel eius gelatinæ, Cel. *Etmuller* commendat ſtercus equinum in no dulo potui ordinario immiſſum.

In paulo adultioribus conueniunt nitrum antimoniatum, arcanũ duplicatum, item variĩ Iulepi acidulati Ex. gr.

℞. *Aq. acetoſ.*
Scorzoner. ana ℥ ij.
Tinctur. corroborant. vel flor. Cordial. vel bellid. ℥ j.
Syrup. acetoſ. cur. q. ſ. ad grat. M.

Concedi poſſunt acidulæ in robuſtioribus, inprimis nitroſæ, vt ſunt Doningeſteinenſes, vel ſerum lactis cum lap. prunellę. Si ſimul malignitas timenda & mixtura ſanguinis magis ſit turbata, tunc conueniunt præter dicta Miſturæ ex bezoarticis & theriacalibus parata, Ex. gr. ex Diaſcordio, theriaca cœleſti & El. de ouo, aliisque concinnatæ, quæ peti poſſunt ſuperius in *libro* noſtro *de Febribus*.

DEO LAVS.

IN-

INDEX

Rerum memorabilium in Encyclopædia hac occurrentium absolutissimus,

In quo Numerus Paginam, *Literæ* Columnam *denotant*; (*a*) *quidem* priorem, (*b*) *verò* posteriorem.

A

Abortus, 657. eius Diagnosis, 658. *a* causa, 659. *a* Prognosis, 662. *a* Cura Diætetica, 663. *a* Pharmaceutica, 663. *b*

Absinthii Essentia laudatur in febre continua quotidiana, 525. *a* intermittente, 586. *a* Sal prodest in vomitu à bile, 211. *a* nausea & anorexia, 290. *b* Vinum in ructu, & rugitu, 290. *b*

Absorbentia prosunt in ardore stomachi, 290. *b* singultu, 297. *b*

Acerbi humores quibus constent particulis, 122

Acetaria intempestiuè assumpta nocent pleuritide, 206. *a*

Acetum squilliticum confert in asthmate à nimia obesitate, 196 *b*

Achores, 729. *b* eorum curatio, 370. *b*

Acida neruis inimica, 348. *b* nocent in colica, 344. *a* scorbuto, 406. *b* nephritide, 454. *b* phthisi, 221 *a* à narcoticorum impressione præseruant, 119. *a* volatilia prosunt in melancholia, 39. *b* in peruigilio, & cur, 67. *a*

Acidi humores prius temperandi, quam purgandi, 290 *a* sapores & odores interdum altiùs penetralia corporis nostri subeunt, 289. *b*

Acidorum particulæ quibus interdum assimilentur, 39. *a* varietas vix determinari potest, 298. *a*

Acidulæ prosunt in Incubo, 153. *b* cephalalgia, 12. *a* intempestiuè vsurpatæ choleram excitant, 313. *a* Doningiteinenses laudantur in mania, 46 *b* epilepsia, 503. *b* vertigine, 86. *a* ferratæ prosunt in melancholia, 37. *a* quomodo parari possint, 49. *a* minerales à *Willisio* commendantur in colica, 348. *a* item calidæ ab Autore, 351. *b* Selterenses probantur in scorbuto, 405. *b* quæ plures in eo laudentur, 423. *a* in nephritide, 455. *b* in phthisi, 228. *b* Spadenses prosunt in vertigine, 86. *a* Svvalbacenses conducunt in melancholia, 41. *a* in vertigine, 86. *a* in epilepsia, 103. *b* in feb e quartana intermittente. 609. *b* iis Microcosmetor blandè excitatur, 34. *a* aliæ earum virtutes, 41. *a* nocent in phthisi, 228. *b*

Acidum concentratur, & infringitur aromaticis, 38. *b* accusatur in pure, 237. *b* peccat in cholera, 312. *a* in productione tremorum quomodo sit dispositum, 157. *b* bonitatis suæ sphæræ obliuiscens cerebri potentias hebetat, 70. *b* vitiosum in ventriculo quomodo absorbeatur, 291. *b* acre causa mediata proximior singultus, 295. *a* viscidum Microcosmetorem reddit tristem, 39. *a*

Acidum & Alkali in sanguine, 238. *a*

Æolius partus, 658. *a*

Aer vera, & adæquata respirationis causa, 185. *a* prima totius cordis & pulmonum motus origo, 186. *a* ei vis elastica non est deneganda, ib. vnius loci magis noxius, quàm alterius, 567. *b* Cassellanus nocet in arthritide, 470. *b* peregrinis corpusculis contaminatus febrim causat, 502. *b* vitiosus vt plurimum pleuritidis & peripneumoniæ prophasis, 204. *b* nimis calidus bilem auget, volatiliorem & acriorem reddit, acidum lacerat, atque ventriculum, eiusque fermentum dissoluit ac deiicit, 313. *a* frigidus nocet in pleuritide, 205. *a* phthisi, 220. *b* borealis & hybernus in spasmo vitandus, 159. *a* nebulosus & pluuiosus Microcosme torem valdè ad soporem disponit, 56. *b* nocet in podagra, 470. *b*

Aeris mutatio conducit in phthisi, 220. *a*

Æstas omnes humores reddit acriores, 315. *b*

Affe-

Affectus animi concitatiores in epilepsia vitandi, 94. b
Agrimoniæ, decoctum prodest in mania, 51. a
Alcalia fixa & terrea acidum peregrinum arcent, 39. a sunt in conuulsione, 162. a præsta t volatilibus in apoplexia, 114. a volatilia & terrea prosunt in epilepsia, 100. a præstant fixis in corrigendo acido melancholi. 39. a
Alcis cranii sal volatile confert in asthmate conuulsio 197. b vngula vtilis in epilepsia 104 b
Alexandro Macedonię Regi intempestiua nocuit natatio, 162. b
Alla Anglorum conducit in peruigilio, 67. b
Allium nocet in phthisi, 220. b
Aloes balsamum à *Paracelso* laudatur in lethargo, 57. b
Aloetica in paralysi aliis purgantibus præferuntur, 119. b
Altolizoi Helmontii quid. 447
Alui fluxus æstate frequentiores, quàm hyeme 113. b in phthisi unde. 215. a infantum a, eius causa, ibid. Curatio.
Alui suppressio arthritidem causare potest, 474. b infantum. 715. b eius causa, ib. Curatio, ibid.
Aluminosa conducunt in febre tertiana intermittente, 594 b
Amara conducunt in visciditate ventriculi. 790. b ictero nigro, b maximè febrilia fermenta exturbant, 604. b nocent in phthisi, 221. a
Amati Lusitani experimentum ad tussim inueteratam, 179. b
Amuleta in epilepsia, 104. b ex radice verbasci in catarrhis, 166. b in peste quę conueniant, 536. b eorum operatio in dubium vocatur, ibid. in febre quartana intermittente, 606. a
Anagallidis decoctum *Willisio* specificum habetur in mania, 38. a
Anasarca, 364. b eius Diagnosis, 366. a Causa, 366. b à Prognosis, 371. b Cura, 372. b
Anastomosis quid, 155. b
Anchusæ radix ab Hermeticis laudatur in ictero, 357. b
Anemius partus, 658. a
Angelica laudatur in peste, 557. a
Angli cur scorbuto maximè sint obnoxii, 416. a
Anguillæ epilepsiam excitant 94. a in cholera nocent, 314. a
Anima infantibus eadem ac senibus, 31. a immutabilis est, 31. a
Anima corporea iuxta Varronem quid, 186 a
Animalium ventribus membra resoluta imponenda, 133. a
Animi commotiones validiores raro exemplo profuerunt in paralysi, 125. b
Animi deliquium quid? [illegible] eius differentię, ibid. pars affecta, ibid. b Diagnosis, 263. a Causa, ibid. Prognosis, 268. b Cura Diætetica, ibid. Pharmaceutica, 270. a
Animi tranquillitas in quo consistat, 36. a
Animus fortis, & pacatus optimum in peste prçseruatiuum, 556. b item in variolis, 569. b
Anisi semen continuò masticatum prodest in singultu flatuoso, 299. a *Helmontius* illud magnifacit in colica, 346. a
Anodyna ad diarrhçam à *Cartesianis* adhibentur, 305. b curant diabetem, 447. a
Anorexia, 277. a eius causa, 380. b Cura 283. b tabidis mala, 219. a
Anseres epilepsiam excitant, 94 a
Anserina specificè prodest in febribus 94. a item eius sal 509. a
Anthras, 542. a vnde oriatur, 545. a quo citiùs erumpit, eo melius 594. b
Antisebrile *Vvedellii*. 594. b
Antihecticum *Poterii* laudatur in phthisi, 228. b quare iuuet in hectica, 534. b
Antimonialia vomitoria reliquis palmam prçripiunt, 38. b quare prçaliis in melancholia commendentur, 40 a
Antimoniata conuulsiones excitare possunt, 157. b
Antimonii Balsamus à *Paracelso* laudatur in Paralysi, *Autoris* prçstans in peruigilio, 69 a Cinnabaris prçstant in epilepsia 100. b *Glauberi* in conuulsione. 172. a Essentia lethargum specificè tollit iuxta *Paracelsum* 57. b Flores *Eidem* arcanum in melancholia, 35. b conuulsione, 160. b Sapa vtile vomitorium in peruigilio, 68. a Sulphur vtile in epilepsia, 309. a auratum præcipitatum confert in conuulsione, 362. b Tinctura vtilis in cephalalgia, 9. a
Antimonio specifica vis contra melancholiam, 40. a
Antimonium diaphoreticum cum tempore suos reacquirit aculeos, 166. a

cum Antiquis nonnumquam re conuenimus & verbis maximè ab inuicem distamus, 467. b
Aphthæ infantum, 716. b earum Diagnosis ibid. Prognosis, ibid. curatio, ibid. b
Apophlegmatismi à *Willisio* in conuulsione suadentur, 161. a prosunt in incubo, 157. b
Apoplexia quid. 104. b cur vocetur morbus attonitus, 105. a eius differentia, ibid. b vel sanguinea, vel pituitosa, ibid. a pars affecta, ibid. a Diagnosis, 105. b causæ, 107. a Prognosis, 109. a cura Diætetica, 110. b Pharmaceutica, 111. b aliquando est recidiua, eiusque causa, 110. a
Apositia, 271. b
Apozema in arthritide, 448. a ictero Autoris, 360. a Stranguria, 445. a Syluii, 360. a melancholia, 445. a Villisii, 37. a mictu cruento, 436. a scorbuto, 420. a singulti, 401. b
Aqua antiscorbutica. 422 b
Aqua benedicta *Rulandi* in clysteribus adhibita prodest in colica, 348. b
Aqua benedicta serpylli *Mynsichti* laudatur in catarrhis, 165. b
Aqua cinamomi præstans in incubo, 152. b
Aqua cystica, 364. a
Aqua ex cerebris passerum & vituli destillata prodest in vertigine, 86. a contra epilepsiam Scorbuticam, 102. a
Aqua expulsiua in variolis, 572. b
Aqua frigida choleram causat. 313. a subitò in faciem iniecta vomitum quandoque sistit, 314. b, ab *Archigene* in maximo æstu ventriculo applicata fuit, & de hoc cautela, ibid
Aqua intercus, 364. a
Aqua magnanimitatis laudatur in conuulsione, 162. b
Aqua Tettuciana à *Gremsio* laudatur in singultu, 296. a
Aqua theriacalis laudatur in colica, 350. a
Aqua vitę in paralysi noxia, 127. a in phthisi aqua mortis, 221. b
Aquæ effusio partum præcedere debet. 674. b
Aquæ Hollandiæ valetudini nocent, 150. b
Aquæ potus nocet in incubo, 150. b eius incommoda, ibid. b
Aquea humorem austerum emendant. 38. a
Aranei oua in panno nigro ligata & sinistro brachio alligata febrem quartanam sanare dicuntur, 607. a
Arcanis singultus curari vult *Helmontius*, 296. a
Arcanis singultum euitari vult *Helmontius*, 296. a
Arcanum antieptilepticum *Bartholini*, 102. a
Arcanum corallinum *Paracelsi* quid, 473. b 474. b absque eo podagram curari non posse ipse statuit, ibid.
Arcanum duplicatum *Minsichti* laudatur in febre continua tertiana, 527. b item i. in intermittente, 594. b
Ardor stomachi, 276. b eius signa, 277. a causæ, 278. a Cura Diætetica, 287. b in eo absorbentia *Syluio* commendantur, 286. b
Aridura, 528. a
Armoniaci salis spiritus laudatur in catarris, 165. a febre quartana intermittente, 604. a ictero, 362. a incubo, 152. b paralysi, 130. a extrene naribus applicandus in apoplexia, 112 b epilepsia, 104 a cum Elixire antiscorbutico in epilepsia scorbutica, 102. a super corticibus aurantiorum cohobatus laudatur in ischuria, 458. a stranguria, 460. b cum spiritu salis Tartari, & oleo macis in acido ventriculi vitioso, 291. b cum succino, vel coralliis imprægnatus vtilis in cephalalgia. 30. a
Aromatica omnia temperant humorem acidiorem, 38. a cibis indenda sunt in apoplexia. 110. a sulphure suaui volatili pollentia & spirituosa prosunt in ventriculi debilitatibus, 291. b eorum in cœnando abusus noctem reddit insomnem. 64. b Aromatum afflatu salubri spiritus nostri hilarescunt. 150. b
Aroph *Paracelsi* quid? 447. b laudatur in calculo, 446. a
Arquatus morbus, *vid.* ictherus.
Arteriotomia confert in epilepsia, 100. a vertigine, 86. a circa tempora vtilis in melancholia, 452. b
Arthritis quid? 462. b eius differentiæ, 463. a pars affecta, ibid. a Diagnosis, ib. b Causa, 464. b Prognosis, 469. a cura Dięteti. a, 470. b Pharmaceutica, 471. b est morbus contagiosus, & hæreditarius, 463. a rato fatuos insipidosque inuadit, 469. a ea cur Monachi, & Canonici vexentur? 472. b vt lues venerea curari debet, 478. b Vaga Scorbutica, 463. a
Arthritici à febribus continuò immunes sunt, 470. a cur tam frequenter spasmis ve-

vexentur, 157.b
Arthritici dolores in scorbuto quomodo curandi, 426.a
Aselepiades quia quicquid ægris gratum erat & optatum concedendo, mentes ciuium Rom. mirabili artificio adstraxit. 503.a
Ascites, 364.b
Aselli laudantur in calculo. 449.a in Conuulsione. 162.b eorum sal volatile in ictero. 361.b spiritus in asthmate à materia viscida oborto, 195.b Conuulsione, 145.a Paralysi. 132. b
Asitia. 277.a
Assa potius, quam elixa conducunt in Diarrhœa. 304 a spasmo. 159 a
Asthma quid. 180. b eius differentiæ, ibid. *Helmontij*, 181. a 182. b Pars affecta. 181.a Casus. ibid. b Diagnosis. 181. b Causa, 182. a Prognosis 189.a Cura Diætetica. ibid. b Pharmaceutica. 190.b quandoque periodicè secundum lunæ morum ægros afficit. 188. a Helmontius caducum pulmonis dicitur: 182.b Conuulsiuum 188.a 197. a infantum 722.b eius diagnosis. ib. Causa 723.a Prognosis. Curatio. ib. nocturnum 145. a vterinum 624.a
Astrorum influxus inferiora, eorumque qualitates occultæ tanquam res vana reiiciuntur 545.a ei num peculiaris 100.b quædam vis attribuenda. 124.
Atrophia pessimum in paralysi signum 124 b infantum 732.b Diagnosis 733.a Prognosis 734.a Cura. ibid.
Aurantiorum cortices, eorumque aqua & decocto prosunt in ructu, & rugitu. 289. b
Aurigo. vid. Icterus.
Austerus humor quibus constet particulis. 122.a vt plurimum peccat in melancholia. 37. a
in Auro Chemici summum quæritur confortatiuum in dysenteria. 323. b eius Tinctura Clauderi præstans in apopl. 114.a
Aurum fulminans laudatur in colica 248.a potabile verum Paracelso habetur Specificum antimoniacum 48.a vitæ à *Villisio* magnifit in mania 48. b
Autumno & hyeme cur facilius Diarrhœa accidat quam æstate 303.b

B

Bacchо cornua appinxerit vetustas 82. a in longam noctem litantes quæ incommoda sibi inducant 123.b
Balneæ prosunt in conuulsione 117. b Hectica 534. a Paralysi, 132. b vertigine 86.9 nocent in hæmoptysi 240. a frigida catarrhosis vitanda, 162.a
Balneum in nephritide 455. b conuenit in ischuria, 459. b incontingentia vrinæ, 461.b aquæ dulcis prodest in colica 351.b melancholia 38. a ex exhidrelæo *Zacuto Lusitano* in hectica laudatur, 534. a
Balsamica in vomitu maximè conueniũt, 289. a stomachica à *Cartesianis* ad lienteriam & cœliacam præscribuntur 306. b à balsamicis aromaticis stomachus & intestina egregia percipiunt solamina 208.a
Balsamus Angelicus ex terebinthina laudatur in phthisi 227. b antiloimicus 559. a apoplecticus externus 115.b seq. nervinus *Schefferi* ex quibus paratur. 130. b prodest in conuulsione 163. a epilepsia 98.b remedium palmarium in vertigine 83. b Peruuianus laudatur in pleuritide purulenta, 223. b pneumonicus *Autoris* in phthisi præstans 227.b
Balsamus sulphuris laudatur in dysuria, 452.a pleuritide purulenta 212.b vlcere renum & vesicæ 452.a in phthisi quando conueniat 228.a eius vsus externus in cephalalgia 13. a gutta optimè additur clysteribus in dysenteria 326.b anisati virtus in affectibus ventriculi 287.a asthmate à materia viscida 195.b
Barbi pisces ova choleram excitant 315. a
Bellis parentesis laudatur in phthisi 231.a
Betulæ succus seu liquor laudatur in calculo 448.b 455. a item cum semine dauci destillatus, 454.b convenit quoque in scorbuto, 424.b ex eo cerevisia paratur in diabete, & calculo præstans, 442 b
Bezoar. tanquam probatissimus laudatur in colica 438. b
Bezoartica quid prosint in dysenteria, 327. a in peste quæ eligenda 557. a
Bibonum tria flagella, 373. a
Bilis ex quibus constet 322.b sæpe furoris causa 47. b item vigiliarum, 63. b per se vix epilepsiam producit & quare, 102 b pura nunquam obstructionem facit 71. b

sola num colicam excitet. 123. *a* venenata aliqua acredine in diarrhæa affecta quomodo corrigenda 309. *a* & succus pancreaticus duo pugiles. 310. *a* in intestino confluunt. ib. eius acrimoniam salinam corrigentia à *Syluio* in diarrhæa biliosa suadentur. 306. *a*

Bithnimalca. 308, in Cholera perturbatur. 309. *b*

Blandiendo ægro nobis damnum facimus 206. *b*

Bolus Armena in ardore stomachi prodest. 290. *b*

Bolus contra ardorem stamachi in extremo casu conducens 290 *b* in incubo. 152 *b* purgans in asthmate 191. *a* Diarrhæa serosa, 307. *a* epilepsia 182. *a* stranguria 460. *a*

Bombardarum crebriores explosiones vtiles in peste. 548. *b*

Branchos. 54. *a*

Brassicæ capitatæ esus excitat choleram. 313. *b* Diarrhœam, 304. *a* puerum in epilepsiam & mortem coniecit 93. *a*

Bruchorum sal volatile laudatur in ictero, 362. *a*

Bubones pestilentiales instar ferri candentis ægros excruciant, 539. *a* quando lethale signum præbeant, 548. *a* quomodo curandi, 559. *b*

Butyrum in cholera vitandum, 313. *b*.

C.

CAchinnus vitandus in hemoptysi, 240. *a*

Caducus morbus, 86. *b*.

Calculus quid? 426. *b*. in omnibus corporis locis generari potest, 438. *b*, est morbus hereditarius, 427. *b* eius pars affecta, ibid. Diagnosis. ibid vesicæ signa principalia, 428. *a* causa, 429. seq. Curatio 444. *a* plures per venæ sectionem emissi 435. *b* plures quam triginta in folliculo felis reperti. 438. *a* cum sulphure & nitro calcinatus & cum succo berberum depurato extractus maximum *Paracelsi* habetur r. medium ad omnes calculos conterendos & expellendos, 446. *a* infantum, 737. *b* eius Curatio, ibid. *b*

Caliendra conducunt in catharris. pag. 162. *a*

Campanarum sonitus vtilis in peste, pag. 548. *a*

Camphora conuenit in apoplexia, 112. *b* febre continua tertiana, 526. *b* putrida, 517. *a* in melancholia præstat opio, 42. *a* eius extractum inter specifica antimoniaca recensetur à *Paracelso* 48. eadem loco opii ab *Autore* 49. *b* commendatur, *b* liquor salinus volatilis essentiæ opii maritatus pestans in epilepsia, 103. oleum in peste, 557. *b*

Camphorata prosunt in febre quotidiana intermittente, 586. *a*

Cancri fluuiatile laudantur in hectica, 546. *a* eorum succus in cephalalgia. 12. *b*

Canis pinguedo destillata laudatur in ictero, 355 *b*

Cannabis decoctum à *Syluio* laudatur in ictero 360.

Cantharidum oleum prodest in paralysi, 132. *b*

Capillorum defluuium phthisicis mortem denunciat, 220. *a*

Capra remedia dat contra calculum, 446. *b* eius hepar epilepsiam excitat 93. *b* vesica in clibano exsiccata specificum in vrinæ incontinentia, 462. *a*

Cappares, max. prosunt in epilepsia 93. *b*

Caput sacrum æstimatum, 1. *a* ab eo principium capiendum, ibid. quas partes habeat. 1. *b* præ aliis corporis partibus dolori obnoxium, ibid. si alicui nunquam doluerit quale signum, ibid. eius dolores grauiores vnde, ibid. *b*

Caputia ex Luporum pellis.

Carbunculus, iuxta *VVilisium* quid? 541. *b* vnde, 545. *a* pestilentiales ægros instar ferri candentis excruciant, 539. *a* quomodo curandi, 559. *b*

Cardialgia quid. 276. *b* eius pars affecta, 277. *a* causæ. 277. *b* prognosis, 282. *a* Cura dietetica. 283. *a* Pharmaceutica, 284. *b* seq. infantum, 713. *b* eius causa? 713. *b* eius causa? 714. *a* curatio. 715. *a*

Cardimelech vbi sedem habeat, 167. *b* in pleuritide & peripneumonia in furorem concitatur. 203. *a* eius pabulum 232. *b* in cordis palpitatione maximè inquietatur, ibid. *b* in phthisi pulmones deserit, 217. *b* disita propugnacula in tussi non satis defendere potest, 171. *b*

Cardui benedicti Sal in vomitu à bile conuenit 288. *b* nausea, anorexia & dyspepsia 190. *b* Essentia in febre intermittente quotidiana 394. *b*

Caries Venerea quomodo curanda, 501. *a*

Carizę laudentur in Phthisi, 231. a
Carlinæ radices ab Helmontio magnifiunt in lethargo, 58. a
Carminatiua vtiliter in ructu & rugitu adhibentur 289. b in iliaca passione cautissimè sunt adhibenda, 336. a
Carnes salitę nocent in singultu 295. a suillæ nocent in cholera, 313. b
Carolina radix vnde nomen habeat, 557. a laudatur in peste, ibid.
Carotides arteriæ induratæ. 5. a
Carpiones male cocti colicam causant, 344. a
Carteſiani in conuulsionum causis cum veteribus consprirant. 156. b
Carus 52. a in quo differat à lethargo ibid. eius signa, 53. a est proximus ad apoplexiam gradus. 52. b & lethargus *Chymicis* morbi sulphuris narcotici reſoluti, 54. a
Casei auersio quomodo infantibus causetur. 709. b.
Caseus nocet in diabete. 442. b
Cassellis aqua est calce refertissima, 469. a
Cassia laudatur in stranguria. 460. a
Castoreum extrinsece confert in Cephalalgia, 13. b eius essentia laudatur in paralysi, 130. b 132 a variolis. 675. a Spiritus linguam restituit in apoplexia. 116. a
Castorina cum anodynis mixta laudantur in passione iliaca, 336. b
Catalepsis, 70. a eius differentiæ 70. b casus ibid. b. pars affecta. 71. a Signa ibid a causæ 71. b seq. prognosis 74. a cura, ibid. a est apoplexia inuersa, 77. b
Cataphora. 52. a
Cataplasma in diarrhæa, lienteria & celiaca, 305. a ischuria, 460 a pleuritide, 212. b gregium in vomitu 289. a *Michaelis* in singultu, 299. b *Paræi* in conuulsione, 161. a
Catarrhus 154. a eius definitio, ib. diuisio ib. pars affecta, ib. b Diagnosis, 155. a causæ 156. b seq. Prognosis, 160. b cura diætetica, 161. seq. Pharmaceutica 162. seq. rarissime absq; febre affligit. 156. a magnus quis 160. b
Catarrhus soffocatiuus quid & vnde oriatur. 159. b seq. species quædam apoplexiæ pulmonalis. 160. a semper præsens minatur vitæ periculum. 160. i eius cura. 167. a
Catechu tinctura laudatur in dysenteria, 337. a
Cartharctica in melancholia debent esse fortiora. 40. a
Catochus. 70. a
Catulus viuens abdomini impositus laudatur in iliaca passione. 338. a
Causa morbi cum effectu non debet confundi 417. a
Causus quid? 519. a eius differentiæ. ibid. pars affecta. 519. b Diagnosis, ibid causæ ib. prognosis. 522. b cura diætetica, ibid. pharmaceutica. 523. b
Cauteria prosunt in apoplexia 116. a catalepsi 77. b melancholia 41. b paralysi. 131. b vertigine, 86. b in mania desperata vbi applicanda 42 b tum actualia, tum potentialia in hac non contemnit *Willisius* 51. b nec *Autor*, ibid. num prosunt in epilepsia. 97. b
Cenotaphium *Paracelsi* quid? 491.
Centaurei minoris sal prodest in nausea, anorexia, aliisque ventriculi debilitatibus. 291. a febribus. 509. a
Cepæ choleram causant. 303. a nocent in phthisi 221. a
Cephalæa. 2. a
Cephalalgia quid? 2. a quid sub ea comprehendatur. ib. eius hospitium. ib. species ibid. pars affecta. ib. signa 2. b causa sæpe perquam obscura. 5. b prognosis. 5. b cura 10. 6. a Cephalalgia accidentalis, seu occasionalis & habitualis. 3. b à calculis in cerebro ortis non admittit curationem. 5. b ex ebrietate cura. 12. a hæreditaria. 4. a scorbuticæ cura. 424. a venereæ cura. 12. a ex vtero cura ibid.
Cerasa choleram excitare possunt. 312. b nigrorum spiritus vtilis in apoplexia. 114. b super vitriolum cohobatus Achilleum in ea medicament 115. b
Ceratum stomachale in fastidio conueniens 290. b
Cerebrum fibris sensibilibus est destitutum 2. a *Paracelsi* dicitur Luna intern[illegible]. 75. b eò quieto homo sapit. 46. b. i[illegible] eo plurima excrementa generantur. 4. b eius cortex spiritus neruis commuttit. 52. b memoriæ sedes. ib. pars medullaris emporium spirituum. 52. b substantia sphacelata deprehensa ex intempestiua oleorum cephalicorum vsu. 104. a lactis cremoris instar dissoluta & per faciem defluens in apoplectica. 109. Essentia *Paracelsi* remedium in epilepsia. 75. a arietinum quomodo parandum contra maniam. 51. b
Cerusia quę bona? 154. b aromatisata in para-

paralisi concedi potest. 123. *a* Cassellana nocet in arthritide. 471. *b* Crassa nocet in colica 344. *b* noua nocet in cholera, 313. *b* diabete & calculo. 442. *b*
Chærefolii succus & aqua specifica in vertigine. 86. *b*
Chalybeata conducunt in mania & quare? 49. *b* in scorbuto num exhibenda. 423. *a*
Chalybis assentia confert in melancholia 41. *a*
Carta bibula oleis stillatitiis made'acta & capiti calide imposita prodest in cephalalgia pituitosa. 13. *b*
China laudatur in febre intermittente quartana 604. *a* quotidiana. 586. *b* eius tinctura in febribus præstans. 509. *b*
Chiragra 462. *b*
Chirurgia infusoria quid conferat in melancholiâ 41. *a vid.* Transfusio.
Chlorosis quid ? 698. *b* eius pars affecta. ibid *b* Diagnosis ibid. Causa. 699. *a* Prognosis. 700. *a* Curatio. ibid. *b* & seq.
Cholera quid ? 309. *b* est morbus peracutus. 309. *a* Spasmus ventriculi & intestinorum. 311. *b* vehemens in ea deiectio per superiora & inferiora vnde ? 318. *b* eius diuisio. 309. *b* pars affecta. 309. *b* Casus. 310. *a* diagnosis. 310. *b* Causa. 311. seq. Prognosis, 317. *a* Cura diætetica 313. *b* Pharmaceutica. 310. *a*
Cordapsus, *vid.* Iliaca passio.
Chylificatio quomodo fiat? 276. *a*. 237. *a*
Chylus qualis, talis etiam sanguis. 34. *a* in cœliaco fluxu vna cum fæcibus aluinis per anum excernitur. 306. *b*
Cibi frixi vel assati in vigiliis vitandi. 64. *b* salitî & fumo indurati nocent in diarrhæa, 304. *a*
Cibus inordinatè ingestus nocet in phthisi, 221. *a* febri. 502. *b*
Cicerum rubrorum decoctum laudatur in diabete & calculo. 442. *a*
Cichorei radices cum passulis loco lactucæ in cœna laudantur in ictero. 362. *b* Sal prodest in ventriculi debilitatibus. 291. *a*
Ciconia medicamenta præbet contra pestem & quare? 558. *b* eius quinta essentia quibusdam laudatur in vertigine. 83. *b*
Cineres capillorum hominum cur prosint externè in lethargo. 61. *b*
Cinnabaris in omnibus febribus intermittentibus conducit 594. *a* antimonii & mineralis palmarum in apoplexia remedium. 115. *b* Solaris *Schefferi* in conuulsione. 169. *a* Cinnabarina conducunt in cephalalgia. 12. *a*
Cirsis *Auicennæ*. 14. *a*
Clysmata conducunt in epilepsia. 40. *b*.
Clyssus mineralis prodest in melancholia ibid.
Clyster in apoplexia. 119. *a* asthmate. 190. *b*. catarrho suffocatiuo. 167. *a* calculo 443. *a* 452. *b* 496. *a* cholera 314. *b* colica 349. *a* Diarrhæa 305. a dolore ventris in scorbuto 425. dysenteria. 326. *b* flatibus 290. *Siluii* in iliaca passione. 332. *b* singultu 298. *a* acres in lethargo laudantur. 61. *a* eorum formula. ibid. ex lacte dulci cum albumine oui & terebintina in diarrhœa cum torminibus laudantur à *Syluio* eorum vsum *Paracelsus* reijcit, & medicamentum vocat vilissimum, absurdissimum ac turpissimum. 334. *a* 334. *b*
Coagulum aluminis dulce in hectica præstans. 547. *b*
Coagulum leporis *Helmontio* furorem Archæi mitigat. 324. *a*
Cochleariæ spiritus sæpe epilepsiam fugauit. 98. *b* cum lacte ebutyrato, vel vino, vel sero lactis in scorbuto magni penditur. 543. *a*
Cochlearum testarum cinis laudatur in calculo. 457. *a* puluis in pleuritide. 114. *a*
Cœliaca quid? 300. *b* eius signa. 301. *a* causæ. 301. *b* cura. 308. *b* seq.
Cœrulea excrementa. 310. *b*
Coffee confert in apoplexia. 112. *b* lethargo. 56. *b*
Cogitationes intensæ in vigiliis vitandæ. 66. *b* earum distractio curat singultum. 300. *a*
Cognitione opus est accurata in morbis examinandis. 200. *a*
Coitus non conuenit muleribus lactentibus aut nutricibus 709. *b*
Colica quid ? 338. *a* causat paralysin. 122. *b* flatulenta 345. *b* humoralis quæ? 342. *a* hæreditaria in quo consistat. 334. *a* spasmodica quæ 338. *a* 337. *a* eius differentia 338. *b* pars affecta, ibid. diagnosis 339. *b* causa 340. *a* seq. prognosis, 343. *b* cura diætetica 344. *a* pharmaceutica 345. *a* seqq.
Colocynthis à *VVuillisio* laudatur in paralysi, 124. *b*

Colocynthis à *VVillisio* laudatur in Paralysi. 124.*b*
Color rubicundus scorbuticorum vrinæ 407.*a* viridis excrementorum vnde? 414.*b*
Coma vigil, 61.*b* eius pars affecta, ibid. diagnosis, 62.*a* prognosis, 64.*b* Cura, 65.*b* seq.
Comitialis morbus, 86.*a*
Conceptio quomodo fiat, 656.*a*
Concubitus descriptio, 183.*b*
Conditum in diarrhœa, 308.*a* inappetentia scorbutica, 291.*b* peste 552.*b*
Congelatio, 70, *a*
Contabescentia in hectica vnde 529.*b*
Contractura, 155.*b* ex calculo vnde, 432.*a*
Conuoluulus, *vid.* Iliaca passio.
Conuulsio quid, 133.*a* eius etymologia, ib. Synonymia, ibid. differentia, 133.*b* pars affecta, ibid. signa 134.*b* causa, ibid. seqq. prognosis, 158.*b* cura diætetica, 159.*a* pharmaceutica, 179.*b* conuulsiui motus loco tantum differunt, 158.*b*
Conuulsiones infantum, 718.*a* earum causa, ibid. prognosis, ibid. Curatio, 120.*a*
Cor primum viuens & vltimum moriens, 166.*b* ex plurimis musculis est compositum, 500.*a* quomodo moueatur 186.*a*
Corallarum dulce mercurii diaphoretici *Chymici* laudatur in phthisi 223.*a*
Coralla prosunt in conuulsione, 162.*b* dissenteria, 325.*b* eorum tinctura vtilis in cephalalgia, 9.*a* vrinæ incontinentia, 461.*b*
Cornu cerui vsum in ardore stomachi auxilium præstat, 290.*b* in singultu probatum 258.*a* eius liquor laudatur in catarrhis 165.*a* suffocatiuis, 166.*b* oleum in conuulsione, 163.*a* sal volatile in apoplexia 119.*a* 114.*a* asthmate à materia viscida 195.*b* paralysi 130.b Spiritus in calculo, 451.*b* conuulsione, 162.*b* febre ardente, 527.*a* incubo, 152.*b* succinatus in cephalalgia, 9.*a* conuulsione, 132.*b* paralysi, 131.*a* peruigilio, 69.*b* vertigine, 84.*b*
Corpulentia nimia periculosissima affert incommoda, 108.*b*
Coryza, 154.*a* in ea quomodo lympha excernatur, 155.*a* omnibus hominibus ferè communis, 159.*a* eius causa, 171.*b*
Cosmetorges, 17.*b* eius metropolis, 18.*a* calidis valde irascitur, 20.*a* somno placatus, 20.*b* aliquando à seipso vindictam poscit, 28.*a* in quibus affectibus valde afficiatur, 41.*b* eius furia in epilepsia vnde, 98.*a* quomodo se habeat in mania, 41.*b*
Costæ quandoque franguntur singultu, 293.*a*
Conturnices epilepsiam excitant, 93.*a*
Crampus, 133.*a* 155.*a*
Cranium gallinæ nigræ laudatur in epilepsia, 104.*a*
Cranium humanum cultro venatorio ità percussum fractumque, vt fragmenta eius cerebri substantiæ infligerentur, non tamen epilepsiam causauit, 88.*b* prodest in apoplexia, 114.*a* eius magisterium conducit in melancholia, 41.*a*
Crapula Microcosmetorem reddit furibundum & spiritus animales maxime rebelles, 79.*a* vitanda in arthritide, 47.*b* spasmo, 149.*b*
Crepitus cranii aliorumque ossium in scorbuticis, 414.*a*
Crocus eiusque oleum confert in conuulsione, 169.*a* Tinctura à *Syluio* laudatur in ictero, 360.*a*
Crocus martis adstringens laudatur in vrinæ incontinentia, 459.*a* aperitiuus arcanum in hectica, 536.*a* specificè laudatur in ictero, 362.*a*
Crocus metallorum eiusue infusum quandoque motus conuulsiuos excitat, 157.*b*
Crurum dolor in scorbuto quomodo curandus, 425.*a*
Crusta lactea infantum 728.*a* cura, 731.*a*
Crystalli soluti specificum antimoniacum *Paracelsi*, 50.*b* montani egregium habent vsum in cholera, 316.*b* in dysenteria cur commendentur, 429.*b*
Cucumeres nocent in cholera, 329.*b* diarrhæa, 314.*b*
Cucupha in apoplexia, 116.*b*
Cucurbitulæ scarificatæ prosunt in amentia iuxta *VVillisium*, 32.*a* epilepsia, 99.*b* phrenitide, 23.*b* homoplatis & cerui ci applicata in apoplexia, 112.*b* lenta flamma ventri imposita in singultu, 300.*a* quando prosunt in conuulsione, 145.*a* nocuæ in paralysi, 131.*b*
Cuminum prodest in cephalalgia, 13.*b*
Curæ vitandæ sunt in paralysi, 126.*a* vigiliis. 66.*b*
Cursus nocet in diarrhœa, 305, *a*
Cutis est rete mirabile, 158.*a* tota glandulosa, 159.*a* plus neruoso, quàm venoso generi in structura sua accepti m refert, 158.*a*

Cyclaminis pulvis laudatur in ictero, 361.a
Cynanthropia, 41.b

D

Dæmonium caninum, & lupinum, 41.b
Damarum pinguedo à quibusdam laudatur in vertigine, 80.b
Dauci semen laudatur in calculo, 147.b
Decoctum in arthritide, 478.a emolliens, & carminans, 343.b laxans in colica, 338.a ictero 381.a antiictericum Vvillisii, 358.b iliaca passione purgans, 334.a mania ordinarium, 50.a nauseæ & vomitu præstans loelii, 289.a phthisi, 226.a VVillisii, 221.b ad rancedinem, 179.b scorbuto, 418.a 420.a ad sputum promouendum in pleuritide 207.b vlcere renum & vesicæ, 443.a
Decoctum hordei cum passulis laudatur in phthisi, 221.b
Decoctum lignorum prodest in arthritide, 478.a incubo 152.b vrinæ incontinentia, 462.b ad diuersionem faciendam in ventriculo, 307.b
Decoctum pruni sylvestris laudatur in vrinæ incontinentia, 462.b
Decoctum tamarindorum laudatur in colica biliosa, 352.a
Decubitus supinus adeò facilè incubum excitet 151.a nocet in diabete, 442.b
Definitiones medicæ ad regulas Logicas non cogendæ 200.a
Deliria vnde? 218.a phthisicis mortem denunciant 220.b
Delphini iecur assum & esum febrem tertianam & quartanam expugnare dicitur 607.a
Demens idea Helmontij, 14.b
Dentitio difficilis, 719.b eius diagnosis, 720.a prognosis, 781.a curatio, 721.b
Dentium flacciditas in scorbuto quomodo curanda 224.b
Destillatum in arthritide, 479.a diabete, 450.b antiecticum, 536.a antiictericum, 363.b in spasmo scorbutico, 363.a variolis, 575.b
Diabetes, 427.a eius diagnosis, 427.b Causa 429.b seq. prognosis, 442.a Curatio, ibi seq.
Diabrosis, quid 235.a
Diacodium vtile in mania, 51.a
Diæresis quid? 235.a
Diapedesis quid? 235.a
Diaphoretica præaliis prosunt in scorbuto, 424.a
Diaphragma communem tunicam, & eosdem neruos cum ventriculo habet insertos, 299. anfr. pars affecta in singultu, ib.
Diarrhœa quid, 300.b eius signa, 301.a Causa, 301.a seq. prognosis, 302.b Cura diætetica, 302.a seq. pharmaceutica, 305.a seq. pars affecta, 300.b est affectus conuulsiuus intestinal 302.b ab acido vitriolico, 309.a
Digitum annularem carbunculo pestilentiali obsessum ancillæ sibi abscindens altero die satis concessit, 539.b
Diuretica prosunt in paralysi scorbutica, 131.b in febribus aliquando cum fructu adhibentur, 508.b
Dolor vbi, eo cruor accurrit, 205.b doloris omni sensu carere miserius est, quàm dolore, 327.a dolores quicunque in pervigilio è medio tollendi, 68.b humores in corpore exasperant, ibid.
Dolor capitis tensiuus, fixus, terebrans, pulsatiuus, punctorius, periodicus vnde? 3.a in febribus malignis, & pestevnde? 346.b eo cur maniaci corripiantur, 42.b
Dolores articulorum venerei quomodo curandi, 450.b
Dolores post partum, 682.a eorum causæ, 683.a prognosis, 685.b curatio, 686.a
Dracontigena, seu pulvis antieptilepticus, 102.b
Dropax vomitum sistere creditur, 314.b
Duelech quid 457.a quando propellendus, 448.b
Dulcia acrimoniam sanguinis exasperant, & acidum augent, 40.a nocent in dysenteria, 322.b scorbuto, cum acidum in iis latent corrosiuum, 416.b iis in phthisi non nimium fidendum, 221.a tusticulosos maximè lædunt, 179.a
Duumuiratus actio Helmontio cerebrum, & neruos in incubo turbare creditur 152
Dysenteria quid, 318.b eius gradus, ib. pars affecta, ibid. Casus 319.a diagnosis. 319.b Causa, 320.a prognosis 321.b Cura diætetica, 322.a pharmaceutica, 323. in initio non nimis adstringendum, 325.b semper aliquid malignitatis in ea suspicatur. Autor, 327.b
Dyspepsia vnde 280.a eius cura, 290.a
Dyspnœa, 180.b scorbutica quomodo curanda, 430.a
Dysuria, 427.b eius pars affecta 427.b diagnosis, ibid. causa, 429.b curatio, 431.a seq.

E

EBrietas insaniæ meditatio, 46. aliquando, causa lethargi, 356 *a* vitanda in diabete 443. *b* epilepsia maximè, 94. *a* spasmo 139 *b*

Eboris spiritus insigne encomium meretur in colica 351. *b*

Eclegma in tussi, 174. *b*

Efferuescentia in corde vnde, 85. *b* febrilis quomodo compescatur, 593. *b*

Efflorescentia purpurea infantum, 717. *a* eius causa, ib. curatio ib.

Eleosacchara in ructu, rugitu, & flatibus conuenienti, 289. *b*

Electuarium camphoratum *Kegleri* in peste. præstans 558. *a* in calculo, 451. *a* asthmate 191. *a* cholera, 316. *b* diarrhæa, 305. *b* hectica, 547. *a* ictero, 361. *a* melancholia, 35. *b* in eadem alterans V Villisii, 37. *a* phthisi, 24 *b* pleres archonticum *Sennerti* in incubo optimo cum successu exhibetur, 153. *b* præseruatiuum, & curatiuum in peste, 558. *a* *Syluij* purgans cholagogum est *Autoris* in peruigilio, 68. *a* in podagra *Sydenhamij*, 479. *a* raucedine, 179. *b* Scorbuto Autoris, 423. V Villisij, 418. *b* tussi, 419. *a* variolis, 572. *a*

Elixir alexipharmacum, 558. *b* polychreston Autoris vtile in melancholia, 39. *a* proprietatis *Paracelsi* à *Crollio* laudatur in vertigine, 80. *b* cum essentia castorei, & myrrha præstans in epilepsia, 100. *a* vitæ Quercetani laudatur in apoplexia, 112. *a*

Emeticum in catalepsi, 76. *b* melancholia, 40. *a* in ea debent esse fortiora, ibid vid. vomitoria

Emplastrum de betonica idoneum in epilepsia 104. *a* in catharris commissuræ coronati imponendum, ibid. 162. *b* in catarrho suffocatiuo, 197. *b* in eodem suspensiuum, ibid cephalalgia scorbutica, 424. *b* diarrhœa, lienteria & cœliaca, 309. *a* ex cera, & olea hyperici pulsibus applicatum conueniens in epilepsia, 104. *a* incubo pr. dest spirituosum vmbilico applicatum, 153. *b* febrifugum *Autoris*, 587. *b* *Crollii* 596. *a* in febribus malignis & peste cordi & carpis manuum applicandum, 559. *a* diasaponis à *Villisio* laudatur in hydrope, 376. *a* in phthisi thoraci imponendum aliud 231. *b* in singultu *Autoris*, 299. *a* stomachale *Autoris*, 292. *a* vomitum sanguinis probatum *Grembsij*, 286. *a* emplastra olea, & vnguenta externe stomacho applicata conueniunt in cardialgia, 284. *b* eorum species, 286 *b*

Emprostotonus, 133. *b*

Empyema, 232. *b* eius pars affecta, 233. *a* diagnosis. 233. *b* causa 234. *b* prognosis, 238. *a* cura, 239. *b*. seq.

Emulsio in calculo 452. *b* cephalalgia, 10. *b* colica Syluij, 341. dysenteria, 326. *b* pleuritide, 466. *a*

Emulsiones austerum humorem corrigunt 37. *b* conducunt in peruigilio, 68. *a* oleosæ in diarrhæa biliosa, 309. *b*

Enema vid. Clyster 133. *b*

Enulata conducunt in pelle, 425. *b*

Ephialtici cur de persona inuita delirent, 146. *b* iis cur phantasia turbetur, 147. *a* cur vox diminuatur & aliquando abolea-tur, ibid.

Epilepsia quid, 86. *b* eius synonyma, ib. differentiæ, 87. *a* pars affecta, 88. *a* signa, 89. *a* causa, ibid. prognosis, 92. *a* cura diætetica 93. *a* pharmaceutica, 92. *a* microcosmi terræmotus 87 *a* an sit à capite primario laborante, an à ventriculo, vel alia quadam corporis parte vnde dignoscatur, 87. *a* idiopathica periculosior, & curatu difficilior sympathica, 92 *a* inueterata, & hæreditaria incurabilis, ibid. post inunctionem mercurialem in scabie cur aliquando obtingat, 93. *b* in stupiditatem & melancholiam incurabilem transiit, ibid.

Epileptici filios simili vitiosa constitutione giguunt, 409. *b*

Epispastica circa suras & femora à V Villisio admouentur in conuulsione, 161. *a*

Epithema in cephalalgia, 9 *b* 12. *b*

Equi stercoris succus pro rusticis laudatur in ischuria & calculo 459. *a* *vid. etiam* Stercus. Eius, sed non luxuriantis, vngula *Helmontio* furorem mitigat Archæi. 324 *a*

Equitatio nocet in diarrhœa, 304. *b* hæmoptysi. 240. *a*

Erinacei ciuis specificum in vrinæ incontinentia. 462. *a*

Errhina prosunt in incubo. 153 *b*

Eruca nigra in maniaco sternutamento excussa, 45. *a*

Essentia absinthiaca purgans in febre tertiana intermittente præstans. 597. *a*

Essentia anodyna in colica laudata 350 *a*

an-

antinephritica Autoris, 454. *b* antiparalytica *ipsius*, 132. *b* in arthritide, 477. *b* asthmate conuulsiuo, 197. *b* catarrhalis 165. *a* contra singultum 298. *b* vertiginem. 85. *a*
Euphorbium potentissimè sternutationem mouet. 111. *b* eius oleum à *Paracelso* laudatur in conuulsione. 160.
Exercitia magis conferunt in podagra, quam quies. 472. *b*
Extabescentia in phthisi vnde. 218. *b*
Extractum calami aromatici laudatur in colica 346 *a* cephalicum 164. *b* diacitri confert in melancholia. 40. *b* corticum citri laudatur in colica 35. *b*
Exuuiæ serpentum tanquam specificum laudantur in ictero nigro 363.

F

FAbæ quando florent, crescit insania. 46. *a*
Faciei phlogosis & intumescentia in scorbuticis vnde. 414. *b*
Fascia ventri circumligata prodest in singultu. 300. *a*
Fastidium. *vid.* Nausea.
Fatui à podagra vt plurimum immunes. 470. *b*
Paui infantum. 718 *b* eorum curatio, 717 *a*
Faunorum ludibria *Plinii*, 145. *b*
Febris 493. *a* est morbus communissimus, ibid. Romanis Dea erolita, ibid. *b* vnde nomen habeat. ibid. quid. 494. *a* eius variæ species. 495. *b* pars affecta. 496. *a* diagnosis. 496. *b* causa 497. *a* prognosis. 502. *a* cura diætetica, ibid. *a* pharmaceutica. 504. *b* in phrenitide non producit delirium. 18. *b* in catarrhis quomodo producatur. 156 *a* in phthisi vnde 219. *a* in scorbuto quomodo curanda 426. *a* Febrilis materia vbi generetur. 577. *b*
Febris alba mulierum. Vid. Chlorosis algida. 607. *b* eius pars affecta. 608. *a* diagnosis. 608. *b* Causa. ibid. Cura 610. *a* seq. anhelosa. 617. *b* antimedica 538. *a* ardens 607. *b* arthritica 608. *a* asiodes seu fastidiosa. 519. *a* asthmatica. 607. *b* cacatoria 319. *a* 608. *a* cardiaca 607. *b* castrensis 538. catarrhalis 537. *a* colliquatiua 528. *b* 608. *a* continua quartana 519. *a* continua quotidiana 529. *b* continua tertiana 519. *b* elodes 519. *a* 608. *a* ephemera 510. *a* quid? ibid. epiala 607. *b* lancelica. 607. *b* hectica quid? 528. *a* eius gradus ibidem insana 608. *a* intermittens quæ? 577. *a* intermitens quartana. 597. *a b* intermittens quotidiana. 577. intermittens tertiana 587. *b* lactea 682. *a* leipyria 521. *b* lunetrian. 529. *b* maligna. 537. *b* Odontalgica. 608. pestilentialis. 537. *b* petechialis 538. *a* prefocans. 607. *b* purpura. 447. *a* sitticulosa. 607. *b* putatoria 608. *a* sudatoria. 528. *b* symptomatica 607. syncopalis. 607. *b* synochus putrida. 509. *a* synochus simplex. 510. *a* torminalis. 607. *b* tussiculosa 607. *b* venenata. 538. *a* vomitoria. 608. *a* vretica 607. *b*
Fel canis iunioris vtile in epilepsia. 104. *a*
Fel philomelę insomnes facere creditū 57. *b*
Felis vomitu ejecta. 281. *a*
Felliflua passio, 310. *a*
Fellis alkali in cholera intestina corrodit. 312. *b*
Fermentatio sanguinis quid? 237. *b*
Fermentum stomachale debet esse volatile. 276. *b* vitale cordis iam in oui puncto saliente radicatum est. 237. *b*
Festuca lignea conuulsiones & mortem causauit. 158. *a*
Fiberkueben 600. *a*
Fibrę nerueę equè sunt in intestinis, pancreate, folliculo fellis, ac in ventriculo 310. *a*
Fibrillæ nerueæ vbi spasmus exorti potest. 158. *a* earum dolore è commotarum crispaturę motus excitant conuulsiuos. 157. *a*
Flatus dissoluentia medicamenta 289. *b*
Floccorum carptio triste signum in morbis acutis 547. *b*
Fluor muliebris albus. 640. *a* mensium alborum nomine perperam & indigitatur, ibid. eius differentiæ. 640. *b* diagnosis ibid. causa 641. *a* prognosis, 643. cura diætetica 644. *a* pharmaceutica. ibid. *b*
Fluxiones dolorem quemuis irritare possunt, 310.
Fluxus hepaticus quid? 387. *b* eius pars affecta. 384. *a* diagnosis. 384. *a* causa. ibid. *b* prognosis 386. *b* cura diætetica. 387. *b* pharmaceutica. 388. *a*
Fœminæ omnem morbum bis patiuntur. 619. *b* rarius infestantur calculo vesicæ, quàm viri. 441. *a*
Fœmineus sexus lethargo magis expositus & quare? 56. *a* ob vitam sedentariam & arctiorem pectoris constrictionem sibi phthisin facilè accersit 222. *a*
Fœtus quando nutritionem per os accipiat mortuus quomodo cognoscatur. 672. *a*

eius causa. 673. *a* prognosis. 674. *b* cura. 675. *a* iam in lucem editus quomodo tractandus. 676. *a* octimestris vitalis esse potest. 672. *b* octo & viginti annos in vtero gestatus & in marmoream duritiem conuersus. 435. *a*

Folle inflare intestina in passione iliaca ab *Autore* non probatur 336. *a*

Fomentatio in arthritide. 476. *a* calculo, 349. *b* capitis a Galenicis imperatur in mania. 47. *b* qualis in paralysi conueniat 132. *b* in pleuritide. 213. *a* ventriculi in singultu. 299. *a*

Foris lapidificus. 436.

Fontanellæ laudatur in phthisi 226. *vid. seq.*

Fonticuli prosunt epilepsia 99. *b* præseruationis gratia laudantur in Peste, 558. *b*

Frictione conducunt in arthritide. 479. *b* incubo. 153. *b* mictu cruento 465. *b* paralysi, 129. *a* spasmo. 161. *b* vertigine. 86. *a* calidis & asperis linteis in catalepsi, 77. *b* extremarum validiores in apoplexia, 110. *a*

Frigida neruis inimica. 125. *a* conuulsiones & alia incommoda excitant, 129. *a*

Frigido lapidi insidentes, vel frigidum & humidum pauimentum calcantes diarrhœa corripiuntur. 303. *b*

Frigus nocet catarrhosis. 161. *a* in dysenteria, 322. febribus cur calori præcedat, 582 *a* lympham coagulat. 122 *b* remota paralyseos causa ibid.

Fructus austeri nocent in spasmo. 159. *a* horarii choleram inducunt, 314. *a* nocent in colica, 347. *a* diarrhœa, 304. *a* dysenteria 322. *b* singultu 29. *b*

Frutex sambuci in salice repertus amuletum in epilepsia, 104. *b*

Fuliginis virtus, 114. *a* sal volatile laudatur in attonito viscido, 195 *b* catarrho suffocatiuo, 167. *a* paralysi, 134. Spiritus in apoplexia, 112. *a* calculo, 428. perungilio, 71. *a* *Autoris* in catharrho suffocatiuo. 166. *b*

Fumaria præstans in melancholia 40. *b* diuturnam coctionem non sustinet ibid.

Fungi excitare possunt diarrhœam 304. *a* epilepsiam, 94. *a*

Furor vterinus 702. *a* eius pars affecta, ibid. diagnosis. 702. *b* causa, 703. prognosis ibid. Curatio ibid.

G

Galbanum suffitum vtile in apoplexia, 112. *b*

Galenus infidelis *Hippocratis* discipulus, 107 *a*

Galli ferè nullo in morbo à venæ sectione abstinent, 507. *b*

Gallina viua nigra in medio dissecta & raspiti imposita prodest in mania. 51. *b*

Gallinarum stomachus specificum in vrinæ incontinentia. 461. *b*

Galreda ex cranio humano Paracelso laudatur in epilepsia, 22. *b*

Gangræna à sellis alkali corrosiuo intestinis in cholera infertur. 312.

Gargarisma in variolis. 574. *b*

Gas sylueſtri spiritus inducti sunt in apoplexia 109. *b* lethargo. 55. *a*

Gasteranax. Rex ventriculi. 272. *a* maximam cum partibus habet confœderationem. 292. *a* peculiari artificio sal quoddam volatile elaborat & toti corpori necessarium elargitur. 294. *b* quibus placetur. 287. *b* affectus misero planctu totius machinæ catastrophen prænunciat. 292. *b* eius discordia & ignauia causat arthritidem. 467. *b* calculos. 437. *b* in diarrhœa valde inquiratur a externo hoste. 302. *b* in dysenteria excandescit, 319. *a* nec non admodum est infirmus. 321. *a*

Gaudio studendum in melancholia, 34. *a*

Gelatina in phthisi, 229. *a*

Gentiana à pleriſque in febribus æquip. C. de china. 509. *b*

Gilla *Paracelsi* contra maniam. 51. *b*

Gingibrachium, 409. *a*

Gingipedium, ibid.

Gingiuæ facilè sanginem emittentes non semper signum scorbuti 506. *b* vnde hoc? ib. earum caro luxurians & fungosa in scorbuto quid arguat. 405. *a* putredo in eodem quomodo curanda. 424. *b*

Glandula pinealis *Cartesiani* primarium subiectum in catalepsi. 71. *a*

Globuli plumbei in iliaca passione ab *Autore* improbantur. 337. *a*

Glossopetræ Melitensis laudatur in variolis & morbillis. 775. *a*

Gonagra. 462. *b*

Gonorrhœa. 484. *a* Virulenta ibid. *seq.*

Graminis decoctum laudatur in calculo, 45. *b*

Grando vesicæ *Paracelso* quid? 437. *a*

Grumescentia sanguinis est acoris indicium atque

effectus, 166. a
Gummi Ammoniacum prodest in catarho suffocatiuo, 167. b eius spiritus in asthmate à materia viscido inducto. 195. a
Gummosa conferunt in hectica. 534. b
Gutta, 453. b *Paracelso* quid? 54. a

H

HÆdorum carnes epilepsiam excitare creduntur. 94. a
Hæmatites, eiusque caput mortuum & flores laudantur in dysenteria 326. b
Hæmoptysi quid? 232. a autor pessimorum morborum. ibid. eius differentiæ. ibid. &c.
Hæmorrhoides prosunt in catalepsi, 74. a mania. 46. a melancholia. 41. b phrenitide. 54. b retenti nocent in epilepsia, 94. b occasionem præbent scorbutico? 416. b
Hæmorrhoidum fluxus nimius, 383. b eius differentiæ, ibid. &c.
Hæmorrhoidum suppressio. 383. b diagnosis 384. a &c.
Hæreditariæ dispositionis indicia in capitis dolore non negligenda. 4. b
Halecum vesiculæ exiccat laudantur in iscuria. 439. b
Halitus compressio in singultu leniori prodest. 300. a
Haustus incomparabilis in colica. 349. b
Hedera terrestris laudatur in phthisi, 231. a
Helleborus niger quomodo amentias subleuet iuxta *Helmontium*, 35. b eum in melancholia veteres cur præcripserint. 36. b eius extractum cum spiritu vitrioli correctum specificum in melancholia 35. a
Helmontius accuratus distillationum obseruator, 129. b summa rei publicæ Medicæ iactura defunctus. 56. a
Hemicrania, 2. a eius causa ibid.
Hemiplegia, 118. a
Herbæ antiscorbuticæ exsiccatæ rarò adhibendæ, 423. a floresque redolentes benignam cerebro animam halant. 86. b
Herculeus, seu Herculanus morbus, 87. a
Hermodactyli à *Vvilisio* laudantur in paralysi 128. b
Hilaritati in melancholia studendum, 34. a item in conuulsione, 160. a
Hercinum hepar epilepsiam excitare creditur, 94. a
Hirudo aurea bestia 96. b earum applicatio laudatur in Apoplexia, 114. b cephalalgia 13. b epilepsia. 96. b incubo, 149. a m ictu cruento, 463. a pherenitide, 236. b vertigine, 81. b
Hirundines viuæ discisse & capiti celentes impositæ laudantur in mania, 51. b arcanum in phrenitide, 25. b stomacho applicatæ sedant singultum, 299. b earum caput collo gestatum incubum arcere creditur, 153. b decoctum laudatur in mania, 51. a spiritus in conuulsione, 162. b
Homo iuxta *Salonem* quid? 707. a ex ouo fit, 651. a est microcosmus, 1. a in eo, duæ substantiæ realissimè distinctæ, 42. a
Horror communis febrium prænuncius, 320. b & rigor in phrenitide pessima signa, 19. b
Hyenæ fel empyricum remedium in ictero, 364. a
Hyacinthus *Helmontio* laudatur in bubone pestilentiali, 554. b eius confectio à *Syluio* ad diarrhœam adhibetur. 306. a
Hydragoga humorem acidiorem & austeriorem emendatum & adhuc redundantem imminuunt & euacuant. 38. a præcipiuntur in diarrhœa ab *Autore* 307. *Syluio* ibid.
Hydrocephalus, 364. b
Hydromel nocet in cholera, 313. b
Hydrops quid 364. b eius pars affecta. 364. b casus 365. b diagnosis, ibid. b 365. b prognosis 371. b cura dietetica 372. b pharmaceutica 373. a
Hydrops ad matulam. 427. a
Hydrops scorbutica quomodo curanda, 426. a
Hyoscyami quinta essentia *Paracelso* laudatur in mania. 48 a
Hypercatharsin cur aliquando spasmus superueniant, 154. b
Hyperici decoctum *Vvilisio* specificum in mania, 48. b Tinctura tum simplex tum composita Mynsichti prodest in eadem. 51. b
Hypersatcosis vrethræ Venerea quomodo curanda. 501. a
Hypnotica commendantur in calculo, 451. a
Hypochondriaca affectio, 27. a à melancholia gradibus tantùm differt, 30. b quid? 393. b eius diuisio, 394. a pars affecta. ib. diagnosis, 394. b causa. 397. a prognosis, 400. a cura dietetica, ibi. a pharmaceutica, 402. a

Hypo-

Hypochondriaci cur hora vna aut altera à pastu aut à motu corpora respirandi difficultatem patiantur 187 a
Hypochondriorum tensiones in scorbuto quomodo curanda 425. b
Hysterica passio, 624. a

I

Icterus quid, 359. b pars affecta, ibid. diagnosis, 353. a prognosis 356. sæpe læthalis, ib. cura diætetica, 356. a pharmaceutica, 356. b. antiictericum Golneri, 350. a
Icterus albus, vid. chlorosis.
Icterus infantum 710. b eius causa, ib. curatio, ibid.
Icterus niger, eiusque cura 380. b
Ieiunia non sentiunt maniaci, 42. b
Iliaca passio 328. b descriptio, ib. eius diuisio, ib. casus 329. b. pars affecta, ibid. diagnosis 330. a causa 330. b prognosis 332. b ibid. cura diætetica 333. a pharmaceutica, 334. a omnis hic morbus ad spiritus animales non rite dispositus referri debet, 335. b
Immersio capitis iuuat in cephalalgia, 9. a
Imperatoriæ radix laudatur in peste, 364. a collo appensa amuletum in epilepsia, 104. a eius oleum à Paracelso laudatur in conuulsione 160. b
Inanitio non est causa spasmi in hypercatarsi 157. b
Inappetentia 277. a
Incubus quid 145. b eius pars affecta 146. a diagnosis 146. a causa 147. à prognosis, 148. a cura diætetica, ibid. pharmaceutica 149. a à diætæ errore plerumque oboritur 159. a
Indusium ex aqua frigida madidum indutum laudatur in peruigilio 70. a
Inflammatio renum & vesicæ, 325. b vid. Nephritis
Infusiones ex foliis sennæ & agarico vtiles in cephalalgia, 11. b
Infusiones variorum medicamentorum in venas maniacorum probantur, 50. a ob calumniam vulgi aliquando omittenda, 61. a opiatorum laudantur in peruigilio, 63. b salium volatilium in catalepsi, 77. a opio incaute tentorum in epilepsia, 103.
Infusoria ars profuit in paralysi, 133. a
Infusum purgans in febre ardente, 526. b melancholia, 35. b paralysi 129. a
Ingluuies inducere potest letargum, 54. b
Icterum 356.
Insensibili traspiratione plus vna die euacuatur, quam per alnum quindecim dierum spatio 176. b
Insomnia melancholicorum turbulenta, vnde 27. b vitanda in diabete 443. a
Insultus epileptici infantum 718. a eorum causa, ib. curatio 718. b
Insusurratio verborum in aures curauit singultum, 300. b
Internotio rectæ curationis fundamentum 310. b
Intertrigo infantum, 739. b eius causa, ibid. curatio, 738. a
Intestina sphacelata diisenteria 321. b
Intestinorum motus peristalticus quomodo fiat 329. a
Inunctio, 145. a
Inuidia hecticam causat, 529. a
Ira neruos conuellit & humores exagitat, 295. b spiritus animales facit rebelles, 240. a ea nulla pestis humanæ vitæ peior 206. causat asthma, 190. b diarrhœa 305. b vertiginem, 86. a vitanda in cholera, 314. a colica, 344. b conuulsione, 159. b hæmoptysi, 446. a peruigilio, 66. a pleuritide, 206. b
Irati homines morsu aliquid venenati affricant, 46. a eorum vulnus immedicabile, & vigilias causat, 66. b
Irrigationis capitis à Galenicis laudantur in mania, 47. b
Ischia 463. a
Ischuria quid, 417. a eius pars affecta, 427. b diagnosis, ibid. vera & nota 430. b causa, 429. prognosis 441. a curatio, 442. a
Iudicium non laborat in phrenitide, 18. b quomodo in ea erret, ib.
Iuglandis vmbra in cephalalgiam inducit, 7. a
Iulapia refrigerantia adhuc continuata nocent in febre intermittente quotidiana, 586. a
Iulapium in asthmate VVillisii, 192. a diarrhœa eius 301. b melancholiæ, 37. a peruigilio 67. a
Iuniperi oleum prodest in conuulsione 163
Spiritus laudatur in calculo, 447. a
Iusculum vtile in melancholia VVillisii 37
Iuuenum Microcosmetor qualis, 19. b

L

LAc laudatur in phthisi, 228. b in podagricorum solatium, 470. in infantibus nutrimentum saluberrimum, 708.

708. a eius vltia quomodo corrigenda, 707. b quoduis laudatur in vlceribus renum, & vesicæ, 447. a vnde fiat, 684. a caput dolentibus non præbendum, 6. b in quo alium coctum prodest in colica, 348.

Lac asininum cur adeò prosit in phthisi, 229 a

Lac caprinum laudatur in phthisi, 229. a à quodam tamen ferri non potuit, ibid. b

Lac capræ nigræ laudatur in calculo, 446. b

Lac muliebre præ aliis laudatur in phthisi, 228. b

Lac perlarum *Helmontio* laudatur in phthisi, 223.

Lacerta viua collo appensa miraculose sistit motus epilepticos, 104. b Lacertæ centum vomitu reiectæ, 281. b

Lactatio puerorum 707. a

Lacticinia prosunt in scorbuto, 124. a diabete, 338. b paralysi, 125. b

Lactis coagulatio, 685. a eius causa, ibid. b Curatio 686. a seq. in infantibus 712 b eius causa, ibidem & seq. Curatio ibid. seqq.

Lactis defectus. 685. a eius causa ibid. curatio, 686. a seqq.

Lactis redundantia. 685. a eius causa 686. a curatio 696. a

Lactis rigor. 681. b

Lana succida puerorum vertices in epilepsia aduruntur 99. b

Lapis fulminaris tanquam specificum laudatur in ictero nigro. 363. a

Lapis microcosmi *Helmontio* dicitur Duelech. 436 a

Lapis prunellæ prodest in mania, 40. a in synochis putridis 518. b peculiarem vim habet microcosmetorem furibundum compescendi, 354. b

Lappæ maioris radix in clysiere prodest in lethargo 61. a

Laudanum opiatum choleram à fructibus horariis sistit. 315. b cydoniatum prodest in pernigilio, 68. b *Hoffmanni* vel aromaticum *Autoris* confert in nausea & vomitu spasmodico, 288 a liquidum cidoniatum à *Vvilisio* laudatur in diarrhœa, 306. a *Chymici* magnificiunt in colica. 346.

Laudanum perlatum *Chemicis* summum æstimatur confortatiuum in dysenteria, 323. b

Laudanum vrinarium D. Michaelis, 467. b

Lauendulæ oleum prodest in conuulsione, 263. a

Lazuli lapis secretum in febribus intermittentibus 509. a 594. a eius tinctura cerebrum confortat eiusque poros emendat. 39. a

Legumina vitanda in diarrhœa, 304. a vertigine. 81. b

Lentes epilepsiam excitare possunt. 94. a specifica quadam vi obsunt in pleuritide 206. a

Leporis cerebrum & renes laudantur in calculo. 444. a item eius fel, imò totius puluis, 457. a sanguis in eodem 446. b

Lepus marinus notet in phthisi, 221. a

Lethargus 52. a eius difinitio 52. a differentia. ib. pars affecta, ibid. a diagnosis, ibid. b causa, 53. b in eo cur ægri sint obliuiosi 53. a eius prognosis, 54. b cura. 56. a seqq. iuxta *Paracelsum* per mineralia curandus 57. b Specificum antilethargicum *Quercetanis*, 62. a

Leucophlegmatica. 364. b

Lienteria quid? 300. a eius signa. 301. a

Ligaturæ vtiles in epilepsia, 99. b lethargo, 61. a mictu cruento, 551. b

Lignorum essentia laudatur in apoplexia, 113. b sputatione nimia scorbutica. 425. b

Liliorum conuallium spiritus vtilis in apoplexia. 114 b

Linctus in asthmate. 191. a

Linimentum in asthmate conuulsiuo, 198. a calculo, 457. apoplexia. 116. cephalalgia. 14. a colica 351. b contractura & conuulsione *Paracelsi*, 161 a epilepsia, 104. b incontinentia vrinæ, 461. b incubo pro ventre illinendo, 153. b inflammatione renum & vesicæ. 458. a mictu cruento 460. b phrenitide, 26. a stranguria. 451. tremore, 145. à tussi pectorale 180. b ad plantas pedum in eadem ibid.

Lipothymia, 262. a in phthisi confirmata vnde? 215. b

Liquor extremus in arthritide, 475. a per syringam iniiciendus in calculo vesicæ, 629. a

Liquores sapphyri, smaragdi, muscі *Paracelsi* arcanas in catarrhis habere vires creduntur. 163. a.

Liquor stipticus vnde paretur, 327. b laudatur in mictu cruento. 461. b

Liquor stomachicus stipticus in licentia & cœliaca præstans, 308. b corroborans Autoris, ibid.

Liquor terræ foliatę valdè laudatur in hectica, 535. b

Loch is quid? 682. *a* eorum fluxus imminutus, ib. *a* diagnosis, ibid. causa, ibid. prognosis, 685. *b* curatio, 686. *a* seq. nimius, 682. *b*
Lolium in cereuisia vitandum, 6. *b*
Looch in pleuritide, 207. *a*
Lotiones ex aromaticis prosunt in paralysi, 132. *b*
Lotio pedum iuuat in cephalalgia, 13. *b*
Lucius piscis stomacho viuus impositus virus ictericium extinguit, 358. *a*
Lucubrationes nocent in scorbuto, 116. *b*
Ludus *Paracelsi* cur sic dicatur 417. *b*
Lues Venerea quid 483. *a* eius pars affecta, 484. *b* diagnosis, 485. *a* causa, 486. *b* prognosis, 490. *a* cura diætetica, 490. *b* pharmaceutica, 491. *b*
Lumbrici terrestres prosunt in arthritide, 478. *b* conuulsione, 162. *b* contra epilepsiam nobile exhibent remedium, 104. *a* eorum oleum confert in conuulsione, 144. *b* sal volatile conducit in ictero 362. *a*
Spiritus in asthmate à materia viscida orto, 196. *a* conuulsione, 141. *a* doloribus arthriticis scorbuticis, 425. *b* paralysi, 132. *b*
Luna *Paracelsi* cerebrum externum, 96. *a* eius in decrementum, 125. *a* phases in exhibitione remediorum antiepilepticorum cur attendendæ. 99. *b*
Lunæ liquor *Paracelso* specificum antimoniacum, 51. *a* laudatur in vertigine, 83. *b* oleum à *Paracelsistis* in catarrhis, 163. *a* confortat cerebrum 39. *b*
Lunaris morbus, 87. *a*
Lupi axungia prodest in incubo, 133. *b* pellis vsurpatur in apoplexia, 116. *b* quæ in extremis pedum digitis est, ex ea parata caputia prosunt catarrhosis, 166. sanguis laudatur in calculo, 446 *b*
Luxationes membrorum atrophiam inducunt. 133. *a*
Lycanthropia, 341. *b*
Lymphatica quid. 122. *b* ab aere inclementiore augetur, 159. *a* extrauasatæ vitia. ib.
Lymphatica vasa per totum corpus diffusa sunt, 159. *b* ab iis nulla corporis pars immunis, 155. *a*

M

MAculæ ephialticis nonnullis protuberant, 147 *b* liuidæ in brachiis, & cruribus præcipuum scorbuti signum, 413 *a* vnde oriantur, 414 *a* quæ peiores, 415. *b* quomodo curandæ, 426. *a*
Magisterium cordiale *Michaelis* 101. *a* epilepticum *eius* ibid. cranij humani, *vid.* Cranium humanum.
Magnetica cura in ictero, 362. *b*
Mammarum inflammatio, 682. *b* causa. 685. a prognosis ib. *b* curatio 686. seqq.
Mammarum suctio sensibilis, vt papillæ etiam inde intumuerint, viro chidam in somno contigit. 145. *b*
Mandragoræ quinta essentia *Paracelso* laudatur in mania. 48 *a*
Mania quid. 41. *b* eius differentia 41. *b* sæpe commutatur in melancholiam, ib. spiritibus animalibus a pertum ignem injicit. ibid. eius pars affecta, 42. *a* signa ibid. causa, 43. *a* prognosis, 43. *b* cura diætetica, 46. *a* seq. pharmaceutica, 47. *a* seq. ab eruca orta 41. *b* alijà muliere mortua communicata, ib. cur quandoque in stultitiam, & melancholiam transeat, 46. *a* hereditaria, vel morsu animalis rabidi communicata vix radicitus extirpatur, ib.
Maniaci nec sibi ipsis, nec alijs parcent, 42. *a* maniacum inter & brutum rapax nulla quandoque apparet differentia, ib. maniacorum omnium commune symptoma quod 41. *b* intentissimum frigus non sentiunt, 16 *b* nec verbera aut ieiunia, 44. cur toruos, & intrepidos habeant oculos ibid. vnde adeò robusti 43. *b*
Manna suspecta in cholera, 317 *a*
Marasmus senijs incurabilis est, 221. *b*
Margaritæ vid. Perlæ.
Mariscæ, 383. *a*.
Maritima incolentes quæ incommoda patiantur, 161. *a*
Martialia corrigunt acidum vitiosum sanguinis, 38. *b* laudantur in ictero nigro, 363. *b* scorbuto 515. *a* salibus volatilibus admiscenda in melancholia 40. *b*
Martis essentia vtilis in conuulsione 140. *b* Flores in dysenteria. 328. *b* limatura in conuulsione 102. *b* spiritus in ictero. 361. *b* *Paracelso* specificum in mania 48. *a*
Marũ sternutatorijs dat in catharris 163. *b*.
Masticata in peste nõ sunt deglutiẽda 557. *a*
Mastichinum lignum specificum in vrinæ incontinenti 462 *b*
Materia subtilis aere existente lucido maiori in copia influit. 33. *b* ab ea Microcosmetor nutritur, ib. ad respirationi actionem à Cartesianis præsupponitur. 184. modo maiori modo minori copia tetrum pertranslit. 544.

Me-

Mechoacanæ infusum opem tulit in singultu. 297. b
Meconium infantum 709. a retentum plurium malorum origo, 707. eius causa 707. b egestio quomodo promouenda, ibid.
Medicamenta scorbutica non diu vires suas retinent, 422. a
Medicus ad ægrum accedens non statim periculum maximum denunciet, 323. a non verbis, sed herbis sanat, 310. b
Medullæ spinalis distributio, 119. a
Medulla lapidis laudatur in vrinæ incontinentia, 462. b
Melancholia quid, 26. a eius species, 26. b pars affecta, ibid. b signa, 27. a causa, 28. b prognosis, 33. a cura diætetica. ib. b pharmaceutica, 34. b seq. quandoque transit in μόρωσιν 33. b quandoque in maniam, ib.
Melancholia mulierum 702. a eius pars affecta, ib. b diagnosis, 702. b Causa, 703. a prognosis, ib. b curatio, 703. b
Melancholicorum deliria quædam, 27. b omnia recenseri nequeunt, 28. b cur sibi mortem quandoque consciscant, 28. a cur semper de vno vt plurimum cogitent 33. b ex largiore Baccho facile fiunt maniaci, 33. b
Melones nocent in diarrhœa, 304. a cholera 313. a eorum esu tres Imperatores extincti, 206. a
Membra in catalepsi non flaccescunt, sed rigida redduntur, 73. a
Membranæ omnes in corpore ope spirituum animalium sentiunt, adeoque tactus sunt instrumentum, 463. b iis punctis, vel vulneratis insignes dolores & motus spasmodici oriuntur. 2 b
Memoria vbi sedem habeat secundum *VV. Illisium*, 52. in lethargo est abolita, 53. a
Mens internis nimis occupata externa minora non attendit, 42. b eius læsio, 14. a
Mensium fluxus ordinarius in causa est, vt mulieres præ viris minus calculo sint obnoxiæ, 445. a in catalepsi salutaris 71. a in mania prouocandus, 47. a cur tam exactam retineat periodum, 632. a
Mensium fluxus immodicus, 640. a eius diagnosis, 641. b Causa, ib. a prognosis. 642. b Cura diætetica, ibid. b pharmaceutica, 653. a
Mensium fluxus inordinatus, 632. a
Mensium imminutio, aut paucitas, 632. b eius pars affecta, b causa 541. b Prognosis, 637. b Cura. 636. a seq.
Mensium retentio, aut suppressio, 635. b eius pars affecta, 633. a Causa, 341. b prognosis, 634. a cura, 635. a in epilepsia noxia, 94. b occasionem præter scorbuta, 416. b
Menstruorum excretio legitima mulieri præsidium, & beneficium aduersus omnis generis morbos, 472. a
Mentagra, 483. b
Mercurialia *VVillisio* magnifiunt in mania, 48. b Mercurialia inunctio in mania in dubium vocatur à *VVillisio* 49. a
Mercurius in lue Gallica inunctus per sex annos in corpore delituit, tandem verò vires reassumens epilepsiam & mortem intulit 584. a quomodo dulcificetur, 424. a eius fumus laryngem præcludit, 178. b Spiritus inter specifica in mania recensetur à *Paracelso* 47. b dulcis egregium est diureticum, 444. b Solis à *Paracelso* laudatur contra Guttam, 112. a
Metus est fugiendus in catharris, & quare, 162. b causas conuulsionem, 160. a obstetrix pestilentiæ, & fomes contagionis, 547.
Miasmata impura, maligna, nonnunquam in aere volitant, 322. a ex quibus componantur, 547. a
Microcosmetor aliquando fit Cosmetorges 17. b in apoplexia quomodo se habeat, 198. b in catalepsi quomodo disproportionetur, 80. a à crapula redditur furibundus, 73. b in peruigilio est in continuo imperio & actione, 63. b in mania est quasi incendiariis, 44, b in melancholicis quandoque impias sibi imponit manus, 33. a in paralysi magna militum suorum parte priuatur, 163. b
Mictio inuoluntaria infantum, 738. a
Mictus cruentus, 429. a eius causa 429. prognosis 443. a curatio, 442. a
Milchfrost 622. a
Millepedum vsus in cephalalgia, 9. a
Mineralium quorumdam gas ex proprietate suffocat, 189. a
Miserere mei, *vid.* Iliaca Passio.
Mixtura aromatica *Siluij* singultum sedans 297. a
Mixtura balsamica Autoris prodest in singultu, 229. b
Mixtura in apoplexia, 115. b asthmate Authoris 191. b VVillisij, 192. b aliorum 195 b cardialgia Autoris, 288. b vt & vomitu

mitu, nauſea, ructu; *Syluii* 286. *b* capitis do ore & vigiliis interna, 9. *b* ſcorbutico, 10. *a* externæ, 12. *b* Cephalica *Cnoſelii* laudatur in conuulſione, 162. *b* Colica, *Autoris*, 347. *b* *Syluii* 346. *b* diarrhœa *Syluii*, 306. *b* Autoris. 308. *a* faſtidio, aliisque ventriculi debilitatibus, 292. antiſebrilis Syluii, 507. *a* in febribus malignis *Eiuſdem*, 554. *b* ad flatus in ructu & rugitu *eiuſdem*, 287. *a* in iſtero *Syluii* 361 V Villiſi, 552. *b* vbi lipothymia adeſt, 362. *b* nigro ibid. iliaca paſſione *Syluii*, 335. *b* incubo, 153. *a* nauſea, & vomitus 392. *a* paralyſi, 130. *a* phrenitide *Syluii*, 22. *b* opiata in eadem, 24. *b* pleuritide *Autoris* 211. *b* *Syluii*, 210. *a* *VViniſi*, 209. *a* ructu, rugitu & flatibus, 289. *b* ſomnifera *Autoris Patris* in peruigili præſtans, 69. *a* ſimplex in eodem, 69. *b* ſingultu, 296. *b* vomitu ſanguinis *Syluii* 286. *b*

Mœror excitat diarrhœam, 305. *a* hecticam, 533. *b* vitandus in cholera. 344. *a* colica 314. conuulſione, 160. *a* diabete & calculo. 443. *a* hydrope, 373. *a* melancholia. 34. *a* paralyſi. 126. *b* ſcorbuto, 416. *a* ſingultu 295. *a*

Mola quid? 657. *b* eius differentiæ. ibid. Pars affecta. ibid. diagnoſis, 658. *a* Cauſa, 659. *a* prognoſis, 662. *b* Cura diætetica, 669. *a* pharmaceutica, ibid. *b*

Morbi quomodo accurate explicandi, 1. *a*

Morbi cognitio, initium curationis, 143. *a*

Morbis in acutis incerta eſt prædictio ſalutis & mortis, 205. *a*

Morbilli, 560. *a* quid 560. *b* differentiæ. ibid. *b* eorum pars affecta, 561. *a* diagnoſis, ibid. *b* cauſa, 565. *a* prognoſis, 567. *b* cura diætetica, 569. *a* pharmaceutica, 569. *b*

Morbus virgineus, vid. chloroſis.

Morbus Vngaricus, 343. *b* eius diagnoſis, 549. *b*

Morſuli contra ardorem ſtomachi, 296. vertiginem, 85. *b*

Morſus venenatorum, vel ira furentium animalium conuulſiones excitat. 138. *a* morſu communicata mania. 45. *a*

Motacillæ carnes laudantur in vrinę ſuppreſſione & calculo, 159. *a* nec non earum cinis, 457. *a*

Motus ſit paulo liberior in diabete, 443. *a* nimius tamen in ea nocet, 473. *b* vt & in pleuritide, 206. *b* immoderatus diſſipat ſpiritus, 34. *a* exagitationem particularum heterogenearum promouet, 296. *a*

Moxæ vſus in apoplexia, 116. *a* aſthmate conuulſiuo, 198. *a* catalepſi præſentaneum remedium n. 77. *b* cephalalgia 13. *b* epilepſia, 100. *a* mania, 51. *b* vertigine. 86. *b* herba ex qua paratur nihil differt à noſtra artemiſia. 199 *a*

Mucus iuxta *Helmontium* quid? 157. *b*

Mulieres peſte cur rarius moriantur, 548. *a* podagra cur non laborent. 472. *a*

Mumia *Paracelſo* laudatur in epilepſia 96. *a*

Mus ſylueſtris in puluerem redactus *Paracelſo* primarium eſt in phthiſi remedium 223. *a*

Muſcę aliaque inſecta quibus arceantur, 557. *a*

Muſci liquor à *Paracelſo* in ſpecifica refertur in mania, 48. *a*

Muſculi proprium motionis inſtrumentum, 134. *a* quotuplicem habeant motum ibid. adæquatum ſubiectum in paralyſi, 129. *a*

Muſica confert in arthritide, 472. *a* melancholia, 34. *b* morſu tarantulæ & inde orto affectu. 51. *a*

Muſtela viua vomitu eiecta 281. *a*

Muſtum nocet in diarrhœa, 304. *b*

Myrrha acidum viſcidum mortificat, 39. *b*

Myrrhata laudantur in febre intermittente quartana, 605. *a* quotidiana, 585. *b* tuſſi à quacunque cauſa oborta variolis, 554. *a*

N

NArcotica facilè lethargum producere poſſunt, 55. *a* in vigiliis nimiis ſumma prudentia tractanda, ibid. ſpiritus animales flaccidas reddunt, 129. *a* eorum modica doſis exhibita cur hominem quandoque enecet, 55. *a*

Natatio piſcibus relinquenda, 163. in pleuritide maximè nocet 206. *b*

Natura quo vergit, ſequendum, 68. *a*

Nauſea, 276. *a* eius pars affecta, 277. *a* diagnoſis, ibid. cauſæ, ibid. *b*. Prognoſis 282. *a* cura diætetica, 289. *b* *ſeq.* pharmaceutica, 284. *b* *ſeqq.*

Nauſea grauidarum, 657. *a* &c.

Nauſea puerorum, 713. *a* cauſa, ib. Curatio ibid. & *ſeq.*

Nephritis quid, 427. *a* eius differentia, 427. *a* Pars affecta, ibid. ſigna, ibid. cauſa, 429. *a* prognoſis, 441. *a* curatio, 442. *a* *ſeqq.* Nephritici filios vitioſa ſimili conſtitutione gignunt, 409. *b*

Nerui ſpiritus primario deportant, 118.b non inflati ſpiritibus flacci ſubſidunt, 551.b neruo diſciſſo paralyſis ſequitur, b, puncto vel vulnerato inſignes dolores & motus ſpaſmodici oriuntur, 2.b vid. Punctura, Eorum origines in paralyſi præcipuè obſeruandæ 129.b
Neruina anodynis iuncta externè proſunt in colica 351.b
Neſſelſuchs, 537.a
Nitrum in febribus tertianis intermittentibus optima præbet remedia, 595. eius ſpiritus à *Syluio* omnibus carminatiuis præfertur, 287.a eius virtutes, ibid. laudatur in calculo 446.b 451.b
Nocturnæ tenebræ timoris terroriſque cauſæ 27.b
Nodulus in calculo, 458.a iſtero 360.a nigro Foreſti 362.b ſcorbuto, 422.b externus in lethargo 62.a vertigine 120.a
Nutricum diæta, 709.a
Nux moſchata confert in ardore ſtomachi, 290.b eius oleum in vomitu valde conducit 288.b

O

OBeſi vt plurimum vitæ ſunt breuioris, 109.a
Occultarum qualitatum anchora non ſtatim prehendenda. 123.b
Oculi cur ſæpe lachrimentur, 18.b in peſte quotidie inſpiciendi, 547.b
Oculi cancrorum laudantur in ardore ſtomachi, 290.b conuulſione 164.b
Odores plantarum actiuæ earum particulæ ſunt, 121.b
Olea nocent in cholera 314.a in clyſteribus in dyſenteria, 327.a
Olea aromatica ventriculo illita profunt in vomitu, 289.b internè acidum concentrant, 292.a
Olea deſtillata, 121.b
Oleo demptoflores nullam ſpirant fragrantiam, ibid.
Oleum antipeſtilentiale *Heimiſij* 598.a
Oleum ad diarrhœam, lienteriam & cęliacam, 309.a
Oleum ſmegmatis Veneti laudatur in colica 346.a
Oleum ſtomachale Cratonis ventriculum debilem roborat, 292.a
Omentum quales partes habeat, 339.a per illud potulenta ad renes perueniunt, 365.a eo carentia animalia nullam mingunt vrinam, ibid. 365.
Omphacium commẽdatur à *Syluio* ad diarrhœam, 306.a
Opiſthotonus, 133.b
Opiata ſpiritus efferos demulcent, 102.a ſenſum externum ſopiunt, 315.b ſtomachus, & inteſtina ab iis percipiunt ſolamina, 299.a conducunt in ardore ſtomachi, 290.b aſthmate conuulſiuo, 198.a bilioſo alui profluuio, 308.b catharrhos tenues in craſſando ſiſtunt, 178.b proſunt in conuulſionibus ab aſſumptis venenatis, 163.b ſine iis vix vlla dyſenteria vera commodè cura i poteſt, 124.a ſeq. proſunt in febre quotidiana intermittente, 586.a in mania in iis vnicum ſolatium, & quare, 30.a in ea quid præſtent, 49.b ex meconio quomodo in ea parandum opiatum, 50.b laudantur in peruigilio, 68.b caute tamen in eo exhibenda, ib. in phrenitide valdè conducunt, 24.b de iiſdem monela, ibid. phthiſici ab eorum vſu ſæpè benè ſenſerunt, 230.a proſunt in ſingultu cum epilepſia coniuncto, 298.b in vomitu ſcorbutico martialibus & aliis ſale volatili acriore & prægnante impręgnatis admixta, 289.a
Opium ſtrenuus ſpiritum animalium domitor, 289.a cum camphora combinatum ferocientes ſpiritus animales compeſcit, 103.b 163.b Opii Thebaici Scr. j. in clyſtere diſſolutus ægrum prius apoplecticum reddidit & poſtmodum extinxit, 327.a
Oris ariditas in phrenitide vnde. 19.a
Oris fœtor in ſcorbuto vnde, 414.b quomodo curandus, 426.a
Orthopnœa, 181.a
Oſcedo, 409.a
Oſſa humana conferunt in apoplexia, 114.a à *Paracelſo* purgantibus adduntur in paralyſi, 127.b
Oſſa porci capitis exhibentur in epilepſia, 104.a
Oſſium fragilitas & corroſio in ſcorbuticis vnde 414.a
Oſtrutium, *vid.* imperatoria.
Otioſa vita ſpaſmum producit & quare, 129.b
Ouа ſorbilia & tremula probantur in ſingultu, 295.a
Ouum in vrina ægri coctum, & aceruo formicarum inſertum, experimentum

Hartmanni in phthisi, 230. *b*
Oxyrrhodinum in lethargo, 61. *b* peruigilio, 69. *b* phrenitide 26. *a*

P

PAlpitatio cordis quid? 248. *a* eius differentia, ibid. casus, ibid. pars affecta, 248. *b* diagnosis, ibid. causę, 249. *a* prognosis 253. *a* cura diætetica, 254. *a* pharmaceutica, 255. *b seq.* scorbutica quomodo curanda 425.
Panacæa duplicata laudatur in febribus, intermittentibus, 509. *b*
Panis frustulum in vino Hispanico madefactum & manè assumptum conducit in vertigine ex ventriculo, 82. *a*
Papaueris quinta essentia *Paracelso* in mania laudatur 50. *b*
Papaueris rhœados tinctura laudatur in pleuritide, 212. *b*
Papillarum inflammatio, 695. *b*
Pappa, *vid.* Puis.
Paracentesis probatur in phthisi à plenitudine, 231. *b* in hydrope an instituenda, 383. *b*
Paralysis quid? 117. *a* eius etymologia, ib. synonyma, ibid. differentia, 117. *b* pars affecta, 118. *a* vera & spuria ibid. signa, 119. *a* apoplexiam, vt vmbra corpus sequitur ibid. sępè inaduertentibus ingruit, ibid. causa. 119. *b seqq.* prognosis, 123. *b* in senibus cur incurabilis, 124. *a* quibus affectibus superueniat, ibid. eius cura diætetica. 124. *b* pharmaceutica. 126. *a seqq.* à narcoticis orta quomodo curanda, 131. *b* scorbutica Authoribus quę? 124 *b* eius signa, 119. *a* cura. 131. *b*
Paraplegia, 118. *a*
Paroxysmi febriles si postponant melius est, quam si ante ponant, 99. *b*
Paruchem *vid.* Caliendra.
Partus difficilis 671. *a* cur ita dicatur, ibid. *b* eius pars affecta, ibid. diagnosis, ibid. causa, 672. *a* prognosis, 674. *b* pharmaceutica, 675. *b*
Paruuli sępe pœnam luunt matrum & nutricum ob errorem in dieta comissum. 709. *a*
Passerculus laudatur in calculo, 457. *a*
Passeres excitant epilepsiam, 95. *b*
Pauores in somno puerorum, 718. *a* eorum causa, ibid. curatio, 718. *b* seqq.
Pectinationes laudantur in catalepsi, 77. *b*
Pediculi in nonnullis phthisicis copiosè generantur, 215. *a* mortem denunciant, 220. *a*
Pepones choleram causant, 314. *a*
Peregrinatio suadetur in phthisi. 239. *b*
Peripneumonia, *vid.* Pleuripneumonia,
Perlarum oleum prę omnibus medicamentis microcosmetorem sedat, & spiritus animales figit, 51, *a* sal laudatur in vertigine 83. *b*
Peruigilium, 62. *a*
Pestis, 537. *b* quando ita nominanda, 538. *a* eius pars affecta, ibid. diagnosis, ibid. *b* eius prognosis. 547. a cura diętetica, 548. *a* pharmaceutica, 549. *a seqq.*
Petechię quę salutares, & quę lethales? 547. *a*
Pflug 537. *a*
Philtra symptomata melancholica producunt, 33. *a* quomodo eliminanda 41. *a*
Plogosis faciei aliarum partium in scorbuto quomodo curanda, 428. *a*
Phrenetici nunquam mentis compotes, 15. *b*
Phrenitis quid? 14. *a* Paracelso, 16. *a* eius diuisio. ibid. pars affecta. 14. *b* signa. ibid. causę, 15. *b* cura diętetica, 19. *b* pharmaceutica, 20. *b* seqq chirurgica. 23. *b*
Phthiriasis, 729. *b* eius causa. ib. *b* 731. *a* curatio, seqq.
Phthisis quid? 213. *a* eius species, ibid. pars affecta 214. *a* diagnosis, ibid. causa, 215. *b* prognosis, 219. *a* cura diętetica 220. *a* pharmaceutica, 222. *b* seqq.
Pica quid? 657. *a* pars affecta, ibid. *b* diagnosis. 658. *a* Causa, 559. prognosis, 662. *b* cura. 663. *a* seqq.
Pilę lusus nimius excitat diarrhœam, 304. *a* nocet in hęmoptysi, 220. *a*
Pilorum villicationes conducunt in catalepsi, 77. *b*
Pilulę in arthritide *Fonsecæ*, 475. *a* *Willisius*, ibid. astmate purgantes 152. *a* *Sylaii*, 194. *a* Bechicę *Autoris.* 178. *b* *Willisii*, 176. *b* in calculo, 477. *b* ibid. *b* catalepsi, 76. *b* catarrhis, 165. *a* pręseruatiuę, 168. *b* in cephalalgia prę aliis purgantibus eliguntur, 7. *a* earum formulę, 11. *b* colica, 348. b de cynoglossa laudantur in catarrho, 162. *b* 164. *b* phthisi, 226. *b* diascordii *Sylaii* laudantur in cholera, 317. *a* pilulę in epilepsia 102. *a* febrifugę, 603. *b*.
Francofurtenses aliquis tot assumsit, quo expectare voluit sedes, 304. *b* in hydrope pur-

purgantes, 378. *b* ictero, 359. *a* incubo, 158. *b* ischuria 460. *a* paralysi, 129. scabie vesicæ, 358. *a* scorbuto, 421. *b* singultu corrigentes, 297. *a* & simul purgantes, ibid.
Pinguia nocent in cholera, 314. *a* diarrhœa, 304. *a* pinguium inunctio in sene animi deliquium causavit, 243. *b*
Pini nucleus laudatur in hæmoptysi, 240. *a*
Piper vitandum in cholera, 314. *a*
Pisces ductus transsudatorios hominibus longe habent maiores, 162 *a* nocent in cholera, 314. *a* singultu 295.
Placenta ex pane tosto theriaca illita, & vino tincta ventriculo imposita à V Villisio laudatur in diarrhœa, 306. *a*
Plenilunium paralyticos & apoplexia ferax. 125. *a*
Pleuripneumonia, 198. *b* eius differentia, 199. *a* casus. ibid. pars affecta, 199. *a* diagnosis 200. causa, 201. *a* cura diætetica, 205. b pharmaceutica, 207. *a*
Pleuritis in qua nihil eiicitur, periculi plena, 205. quando terminatur, ib. in ea melius est alvum suppressam, quam laxam habere 207. *a*
vid. Pleripneumoniam.
Plicæ cerebro firmiter impressæ explicari nequeunt 45. *b*
Plicarum explicatio supra lectum triste signum in morbis malignis 547.
Pneumatica in motibus subtilibus præstat Hydraulica arte 70. b
Pneumopleuritis 198. b
Podagra 462. *b*
Pœoniæ radix & semen præstantia sunt in epilepsia remediis, 104. *b*
Politica cura in melancholia, 40. *a*
Pollex pedis sinistris causavit epilepsiam, 87. b
Pollutio nocturna, 484. *a* eius pars affecta, 484. b diagnosis, 485. *a* causa, 486. *b* prognosis, 490. cura diætetica, 489. *a* pharmaceutica, 490. *a*
Polypodium quercinum pro purgante sæpe sufficit in mania, 395. *a*
Pomorum infusio à V Villisio commendatur in mania à venenatorum aut rabidorum animalium, 38. *b*
Ponderosa quæcunque Cartesiani præscribunt in cholera 315. b
Popysmate blando quæ partes sensiles demulceantur, 11. *b*
Portum choleram excitare potest, 312. b nocet in phthisi, 221. *a*
Potio in arthritide, 478. *a* diarrhœa biliosa Authoris, 307. *a* hydrope, 379. b ischuria, 449. *b* somnifera in mania, 51. *a* purgans in phthisi Rulandi, pag. 226. *b*
Potiuncula asthmatica Brunneri, 196. *a* scorbuto, 416. *b* sudorifera in paralysi. 131. *a*
Potulenta fundum ventriculi petunt, & ex regione transsudant, qua omentosum iungitur 369. *a*
Potus in diabete non potest tam cito ad cor deferri, 440. ab eo quantum fieri potest in ea abstinendum, 443 *a* tabidos maximè reficit, 221. *b* à potu nimio vasa lymphatica turgescunt 159. *a*
Potus frigidus in corpus calens assumptus sanguinem coagulat & grumosum reddit 204. *a*
Præsagia magnam Medico apud ægros conciliant gratiam 343. *b*
Praxis specialis cui innitatur 298. *a*
Prehensio 70. *a*
Prognosis Delphicum Medicorum est oraculum 172. *b*
Pruna choleram inducunt, 312. *b*
Psittacus in pulverem redactus laudatur in ictero, 364. *a*
Ptyalismus variolis laborantibus sæpe funestus 474. *b* quomodo tractandus 574. *b*
Pudendagra 483. *b*
Pueri præ adultis sæpius incubo laborant. 153. *a* cur tam frequenter spasmis vexentur 157. *b*
Puerorum morbi qui 705. *a*
Pulmentum in cephalalgia 13. *b*
Pulmones non carent vasis lymphaticis, 159 *b* quomodo moveantur, 184. *b* eorum & cordis motus cum vita pari passu ambulant, 167. *a* absque eo sine vitæ periculo durare non possumus. 185. *b* substantia admodum apta ad inflammationem, 199. *a* ex meris vesiculis conflata 219. *a* 220. *b*
Pulmones agninos calentes sinciputi applicari vult V Villisius in mania 49. *a*
Pulsus parvus, crebrior, durus atque serratus in pleuritide mortem significat 205. *a*
Pultes quomodo præbeantur infantibus. 766. *a*
Puluis absorbens Authoris 40. *b* ad acidum vitiosum in ventriculo absorbendū 271. *b* in ea præstans Regius Authoris. ibid.

in arthritide. 477. *a* Anglorum è chelis cancrorum in pelle præstans descriptus, 555. antidisentericus purgãs officinarum Cassellanarum, 326. *a* antilethargiius specificus *Autoris*, 59. *b* antiepilepticus Draco figens *Authoris* dictus, 109. *b* antipleuriticus *Ludouici*, 211. *a* Antispasmodicus *Autoris*, 169. *a* apoplecticus *Autoris*, 111. *b* in æstate, 191. *a* *VVillisii*, 192. *b* conuulsiuo, 197. *b* ad casum à *VVillisio* laudatur in paralysi, 127. *b* in cardialgia ructu & vomitione, 288. *a* 285. *a* catarrhalis externus, 166. *b* Cephalicus epilepticus *Imperatoris Rudolphi*, 100. *a* cholera, 317. *a* in diarrhœa laxatiuus *Autoris*, 397. *a* bilio a, ibid. serosa, ibid. ad dolores & conuulsiones in ea tollendos, ibid. deliriis præstans, 25. *b* praynos *Autoris* ibid. Hydropem purgans, 375. *a b* ictero, 361. *b* nigro *Langii*, 368. *a* 368. *b* incontinentia vrinæ 462. *a* ischuria, 479 *b* *VVillisii* 352. *a* Martialis *VVillisii* præstãs in melancholia, 37. *b* Nephriticus *Authoris*, 455. *b* *Ludouici*, 544. *b* *Michaelis*, 427. *b* *Rolfincii* ibid. *VVedelii*. 454. *b* paralysi *VVillisii*, 137. *a* purgans in eidem. 129. *b* scorbutica, 131. *b* peste & febribus malignis, 555. *b* pleuritide, 212. *a* Prophylacticus *Autoris*, 558. *b* quartana intermittente contumaci, 604. *b* refrigerans, & tamen non obstruens, in æstu intenso phrenetico, 25. in scorbuto *Autoris* 419 *b* *VVillisii* 433. in singultu præstans *Autoris* Gasteronacal dictus, 298. *a* alius 299 stomachicus *Autoris*, 288. *a* stomachalis B. T. *a* *Guldenblee* in incubo præstant, 153. *a* stomachicus *Posterii* conueniens in vomitu spasmodico, 288. *b* corroborans ventriculum *Quercetani*, 285. *b* in stranguria, 460. *b* stypticus officinarum Cassellanarum, 327. *b* Sympatheticus *Dygbæi* prodest in dysenteria, 323. *a* in synocho putrida, 518. *b* conuulsiua infantum, 117. *a* variolis, 532. *b* contra vertiginem, 85. *a*

Punctiones cur homines excitent, 59. *b* prosunt in lethargo, ibid.

Punctura neruorum conuulsiones excitat, 157. *b*

Purgantium vis vnde dependeat, 311. *b* purgans in cephalalgia, 10. *a* melancholia optime infunduntur in serolactis eiusque aqua, 41. *a* in paralysi cum neruinis commiscenda, 129. *b* quando & quæ conueniant in phthisi, 226. *b* in febribus an conueniant, 538. *a* ab iis in arthritide planè abstinendum. 478. *b* nocent & improbantur in calculo, 456. *a* *Colica* in qua plus damni creant, quam emolumenti, 344. *b* 349. *b* ictero ab initio, 360. *a* pleuritide. 212. *b* mania, 49. *b* fortiora sanguinis dyscrasiam augent & spiritus prosternunt, 36. *a* sæpe dolorificas intestinorum vellicationes causam, cum præcordiorum anxietatibus, 421. *b* tanquam noxia vitanda & exulare debent in cholera, 313. *b* conuulsione, 159. *b* febre quartana intermittente, 604. *a* scorbuto, 421. *b* singultu 297. *a* venenata fortiori dosi propinata causant diarrhœam 304. *a*

Pustulæ Venereæ quomodo curandæ. pag. 493. *b*

Q

QVies nimia nocet in melancholia. 34. *a*

R

RAchammelca præses & Regina veteri. 620. *a* cum Gasteranace magnam habet correspondentiam.

Rachitis Anglorum eius 733. *b* diagnosis. ibid. Causa. 734. *a* prognosis 735. *a* Curatio. ibid.

Ranarum axungia vtilis in incubo 153. *b* hepata arcanum in epilepsia 109. *a* oleum confert in conuulsione. 71. *a*

Ratio in lethargo est abolita. 53. *a b* ei non vsui aut experientiæ in Medicina standum est. 382. *a*

Raucedo 154. *a* sæpe per annum & vltra durauit. 159. *a* eius causa 169. *a* seqq. semestralis à mensium deffectu causata, 172. *a* phthisicis mortes prænunciat. 220. *a*

Regius morbus, *vid.* Ictenus,

Reguli carnes & cineres laudantur in calculo 444. *Autori* tamen hoc medicamenti genus nunquam satisfecit. ibid.

Res non naturales maximi domini corporis nostri. 124.

Respiratio quid? 158. *a* iuxta *Autorem* quomodo fiat. 184. *a* in catalepsi manet illæsa. 71. *a*

Rhabarbarum tostum cum nuce moschata à *Sylvio* in omni diarrhœa commendatur. 306. *a*

Rheuma 154. a
Rinocerotis cranij sal volatile confert in asthmate conuulsiuo. 200. a
Rigores fibrarum cutanearum faciunt contracturam. 134. a
Risus Sardonius 133. b
Robur stupendum adest omnibus maniacis 42. a vnde dependeat. 43. b
Rosaliæ 560. b
Rotulę bechicæ *Autoris*, 178. b *Syluii*. 177. a contra catharrhos. 166. a hecticam, 535. b scorbutum. 423. b vertiginem, 85. a
Rubedo infantum. 721. a
Rub canini excrescentiæ capillosæ in pulnerem versæ laudantur in calculo. 446. b
Rubor malarum post pastum in phthisi vnde? 215. a
Ructus 277. a acidus & nidorosus. ib. eius signa ibid. causæ ib. prognosis. 282. a Cura, 283. seqq. iuxta *Helmontium* quotuplex 278. b infantum 713. b eius causa. ib. b. Curatio. ibid.
Rugitus 277. a eius signa ibid. causæ, ibid. b cura. 280. b seqq.
Ruta præstans est remedium in epilepsia. 101. b eius balsamus externè in eadem, 104. a

S

Sacharum non habet veram dulcedinem, 60. b dissoluit antimonium, ib. a Saccharata causant epilepsiam. 94. a nocent in arrhitide, 471. a cholera, 316. b colica 344. b tussi, 179. a
Saccharum rosatum nimium adhibitum nocet in phthisi, 226. b
Saccharum Saturni à *Cartesiani* laudatur in mania, 49. a egregii vsus in variolis & omnibus internis inflammationibus, 573. b
Sacculus in cephalalgia, 13. a
Sacer morbus, 86. b
Sagarum illusiones in somniis Ephialticorum similes, 147. a
Sal adeò copiosè non est addendum clysteri in nephritide, 455. a eius spiritus conducit in singultu, 309. b calculo, 446. b quoddam in aere est, 160. b ex capite mortuo vitrioli per iteratas cohobationes exaltatum laudatur in ictero, 362. a
ogertinus *Hermeticis* causa pleuripneumoniæ 201. a polychrestus in febre intermittente præstans. 109. b
Sal prunellæ laudatur in calculo, 447. a
Sal stomachicum *Autoris* palmarum in ructu, rugitu & flatibus medicamentum, 289. b
Sal Tartari volatilisatum laudatur in calculo, 457. b
Sal volatile quoddam omnibus partibus vtilissimum in stomacho elaboratur, 294. b quomodo à spiritibus animalibus perficiantur, 294. b
Sal volatile oleosum *Autoris* pastorale, 195. b in peruigilio præstans, 69. Syluio præstans in apoplexia, 114. b colica, 348. a iliaca, 337. a melancholia, 38. a vomitu, 289. a ex herbis in catalepsi excellentissimum, 75. b
Sal vrinæ ab Helmontio laudatur in ictero, 358. a
Salis marini spiritus laudatur in calculo, 447. a
Salamandræ cor ad cubitum ægrotantis suspensum febrem quartanam extinguere creditur, 447. a
Salia volatilia prosunt in scorbuto, 423. b acria in ictero nigro, 312. b volatilia in apoplexia. 114. a melancholicis magno sunt leuamini, 39. a aromatica prosunt in cephalalgia, 11. b melancholia, 38. b oleosa quæ 378. a in lathargo, 59. b sulphurea & aromatica in vomitu. 283. a vrinosa in paralysi, 130. b
Saliua quibus partibus constet, 276. a in peste non est deglutienda, 537. a
Saliuatio tanquam summum remedium à *VVillisio* commendatur in colica, 357. a abea insanos quosdam planè curatos vidit *Idem*, 48. b
Salsa nocent in paralysi, 126. a phthisi, 224. a singultu, 295. a
Salso lixiuiosorum in cœnando abusus nostram reddit insomnem 65. b
Saltatio nocet in diarrhœa. 304. b hæmoptysi. 249. a
Salutis potationes damnum inferunt valetudini. 82. a
Sambuci frutex in salice repertus magnarum est in epilepsia virium, 97. a
Sanguis innumeris constat particulis 409. b primus vitæ primus condus. 203. a spirituum origo 336. a absente spiritu non amplius sanguinis nomen meretur, sed la-

cunaest, 203. *b* in corpore effusus & moram nectens in fermentum abit acidiusculum 203. *a* quot modis effluat, ibid. extrauasatus, tragœdias infert pectorales. ibid. paralysis mater. 122. *a* eius coagulationes & stagnationes asthma producunt periculosum 188. *b* ab eius fermentatione status saluber & morbus dependet. 41. *a* eius penu confestim diminuto sanguificatio labascit. 418. *b*

Sanguis humanus laudatur in apoplexia 114. *a* eius essentia *Paracelso* magnarum æstimatur virium in epilepsia. 96. *a* Spiritus laudatur in conuulsione. 162. *b* spiritum reddit gratissimi odoris, antispasmodicum egregium, 102. *a* cius sal volatile laudatur in apoplexia, 112. *a* asthmate à materia viscida oriundo, 195. *b*

Sanguis asini post aures collectus prodest in epilepsia & quare? 103. *b* microcosmetocosmetorem mirè placat 50. *a* quomodo à D. Michaele fuit præscriptus 50. *a* capis leporis & hominis meticulosi similiter conferre creditur & quare? ibid.

Sanguis cerui prodest in apoplexia, 113. *a*

Sanguis draconis a *Syluio* laudatur in mictu cruento. 452. *a*

Sanguis felis nigri post autres extractus prodest in epilepsia 103. *b*

Sapo Hispanicus laudatur in calculo, 454

Venetus in sero lactis exhibitus prodest in passione iliaca, 336. *b* à *Syluio* laudatur in ictero, 359 *b*

Sapphyrus ab *Helmontio* imponitur bubonibus pestilentialibus, 551. *a* ei soli in peste non fidendum, 555. *a* eius liquor à *Paracelso* recensetur inter specifica antimoniaca 37. *b*

Saturni spiritus inter specifica contra maniam à *Paracelso* recensetur. 37. *b*

Scabies Venerea quomodo curanda, 499. *b* vesicæ & eius cura, 500. *a*

Scatabæi laudantur in arthritide 478. *b* eorum sal volatile laudatur in ictero. 362. *a* equinorum oleum præstans in conuulsione, 145. *a*

Scarificationes commendantur in incubo, 153 *b* vertigine 86. *b* reiiciuntur in peste. 557. *b*

Scelotyrbe 404. *a*

Scorbutus, 409. veteribus etiam fuit notissimus, ibid. eius descriptio, ibid. *b* diuisio, ibid. *b* hæreditarius, ibid. aduentitius, ibid. primigenius & ὑπερφυὴς ibid. recens vel inueteratus, ibid. eius pars affecta 410. *a* diagnosis 410. *a* signum præcipuum, ibid. *b* causa, 411. *a* *seq.* prognosis 417. *a* cura diætetica, 415. *b* pharmaceutica 417. *a*

Scoriæ tartareæ & sulphureæ causæ paralyseos, 122 *b*

Secundinę quid? 682. *a* Signa ib. *b* Causæ, ib. *seqq.* prognosis, 685. *b* Curatio, 686. *a* *seq.*

Secundinæ puluis prodest in melancholia, 40. *b* primi parœ in mania. 51. *b* spiritus excellens in conuulsione, 138. *b* epilepsia. 103. *b*

Semina antiscorbutica obtinent vires naturales, 415. *a*

Seminis retentio nocet in epilepsia 93. *b*

Senes qualem Microcosmetorem habeant, 19. *b* apoplexia maxime obnoxii. 109. *a* filios vitiosa constitutione gignunt, 409. *b*

Serpentum pinguedo à quibusdam laudatur in vertigine 83. *b* à serpente demorsus statim ictero afficitur, 354. *b*

Serpilli spiritus in apoplexia prodest externè 116. *a* *Paracelsistis* palmarium in exiccandis catarrhis remedium 163. *a*

Serum ex vnaque, corporis parte prorumpere potest. 154. *a* 158. *b* abundans quæ mala minetur? 160. *b* in lienteria & cœliaca an exeat quomodo dignoscendum. 308. *b* intra spinalem medullam subsidens paralysin causat, 122. *a* ab eius euacuatione nulla corporis pars libera. 161 *a* acre fontem mali in epilepsia continet 98. *a*

Serum lactis laudatur in colica. 348. *b* confert in fluxu alui bilioso. 310. *a* pro potu ordinario in mania commendatur à *Willisio*. 48. *b* qua ratione conducat in melancholia. 37. *a* agnini prodest in cholera 316. *a* chalybeatum laudatur in diabete. 462. *b* terebinthinatum in colica 348. *b*

Setacea prosunt in epilepsia. 99. *b* paralysi. 128. *b*

Sexus fœmineus longè miserrimus 105. *a*

Sibilus in asthmate vnde? 189. *a*,

Sideratio. 104. *b*

Signorum diagnosticorum summa necessitas atque vtilitas 310. *b*

Signum lethale in apoplexia. 109. *a*

Sinapi nocet in arthritide. 471. *a* cholera. 313. *b* phthisi. 221. *a*

Singultus quid; 291. *b* eius pars affecta, ibi. calus, 293. *a* diagnosis, ibid *a* causæ. ibi *b*

pro-

prognosis. 294. b cura diætetica 295. a pharmaceutica 292. b seq.
Sitis scorbuticorum vnde? 189. vid. b
Solis & Lunæ radii cauendi catharris obnoxiis, 161. b
Somnia terrifica infantum 718. a eorum causa. ibid. Curatio 718. b
Somniorum horrenda simulacra qui cibi menti offerant. 161. b
Somnus prodest in diarrhœa, 305. a optimum dysentericis remedium, 323. a in peruigilio omni opera inducendus 70. a ventriculo vacuo vix capi potest, 65. b nocet in diabete 443 a diurnus & diuturnus nocet in asthmate, 190. b meridianus conceditur in arthritide, 461. b nocet in hydrope, 373. b nimius spiritus reddit torpidos, 34. a statim a cibo sumtus & supinus nocet præsertim in incubo, 151. a tabidorum inquietus & magis deiiciens quàm reficiens phthisin incurabilem indicat, 298. b
Somnus membrorum, 117. b vnde oriatur? ibid.
Sonticus morbus. 87.
Sordidarum rerum aspectus vomitum causare potest. 281. a
Spasmus, 150. eo omnes corporis partes affligi possunt, 158. a quomodo curandus, 143 a à morsu venenatorum animalium quomodo curandus, 144. b punctura nerui, ibid.
Spasmus cynicus 134. a b
Spasmus grauidarum. 670. b
Spasmus scorbuticus. 163. a
Species cereuisiæ indendæ in variolis & morbillis. 569. b
Specifica antepileptica non semper conueniunt. 102. a
Specificum cephalicum *Michaelis*. pag. 101. a
Specificum stomachicum Poterii laudatur in phthisi, 228. a
Spermaceti laudatur in catharris. 166. a à *Castel.* summum æstimatur remedium in paroxysmo asthmatico. 194. b
Sphincteris ani & vesicæ resoluti signa. 119. b
Spirituosa conueniunt in apoplexia 114. a paralysi, 132. b eorum in cœnando abusus noctem reddit insomnem, 64. b
Spiritus animales quid? 121. a vbi hospitentur, 2. a quibus partibus constent iuxta *Syluium*, 89. b sunt diuinæ particulæ auræ. 121. a flos sanguinis 125. b subtiliter materiales, 121. b tales qualis sanguis, 34. a animæ vehiculum, 79. a rectores machinæ pneumaticæ, 56. a rota suprema alias rotas in corpore circumgyrans, 298. a omnis motus & vitæ in corporis œconomiæ primi Authores, ibid. in statu sano quales esse debeant, 26. b in cerebro in æquilibrio consistere debent, 45. a fluida sal volatile ventriculi elaborandum contribuunt, 294. b supersunt in corpore quamdiu homo viuit, 60. a eorum acrimonia ad motum conuulsiuum maximè contribuit 92. a rector in mania fit incendiarius, 42 b eius causa. 45. b in catalepsi fiunt rebelles, 72. a in melancholicis quo modo sint dispositi, 27. b
Spiritus antepilepticus *Hartmanni* laudatur in mania, 50. a
Spiritus antiscorbutici per fermentationem non sunt parandi, 422. b
Spir. aperitiuus *Penoti* specificè laudatur in ictero, 362. a
Spiritus apoplecticus *Mœbii*, 114. b
Spiritus ardentes nocent in scorbuto pag 416. a
Spiritus asthmaticus *Michaelis*, 195. b
Spiritus carminatiuus *Autoris*, pag. 349. a
Spiritus globorum cynosbati *Paracelso* laudatur in calculo, 446. a Lunaris in mania proficui descriptio 50. b oleosus *Autoris* 152. b salis simplex laudatur in ictero. 362. a stomachicus *Mynsichti* laudatur in suppressio fermento stomachali, 291 a vini spiritus animales fugat, 125. a ei acrimonia salsa inest, 373. a vitandus in catalepsi 75. a dysenteria, 320. b alcolisatus *Taehenii* quomodo conficiatur, 39. b tartarisatus quomodo parandus ad acidum viscidum corrigendum, ibid.
Spiritus vitalis quid? 224. b
Spiritus vitrioli philosophicus laudatur à Chymicis in cathalepsi 75. a *Paracelso* in lethargo, 58. a volatilis in colica, 350. a
Spiritus volatiles ardentes & salini volatiles, salibus volatilibus oleosis iuncti microcosmetorem & spiritus animales sopitos excitant 152. a b eorum formulæ. ibid.
Spuma largior circa rictum diffusa palmarium in fortiori epilepsia signum, 89.
Sputatio nimia in scorbuto quomodo curanda,

randa, 426. a
Sputum cœruleum tussi eiectum, 169. a in pleuripneumonia varium, 200. b omninò cruentum, vel flauum, aut nigrum in pleuritide malum 205. a quanto magis commistos habet humores, tanto est deterius ib. purulentum ęgroti linteo exceptum & in camino suspensum vbi semper fumus adscendit, experimentum in phthisi 230. a
Sputum sanguinis, 232. a
Stein Colik. 345. a
Stercora stercora pellunt, 333. b *Paracelso* laudantur in ictero, 357. b 363. a in stercoribus ciconiæ, pauonis, leonis & hominis singularis latet vis antepileptica, 103 a b stercus anserinum vernum laudatur in iliaca passione, 337. b equinum laudatur in variolis, 453. a polychresta medicina, 576. a ouillum in variolis & morbillis, 574. a
Sterilitas, 652 b eius pars affecta. ib. diagnosis ibid. causa, ibid. b prognosis, 652. b cura diætetica, ib. b pharmaceutica, ibid.
Sternutatio singultum sistit, 300. a
Sternutatoria conferunt in apoplexia, 115. b epilepsia, 98. a paralysi, 122. b in lethargo cur prosint, 59. a eorum formulæ, 61. a 61. b V Villisio commendatur in conuulsione, 161. a
Stertor nō sępe lethalis in apoplexiā, 110. a
Stomacace 409. a
Strabismus. 154. b
Stranguria quid 427. a Pars affecta. ibid. b eius diagnosis, 427. b causa, 429. b seqq. prognosis 441. b curatio, 442. a
Stratagema in febre tertiana intermittente aliisque, 694.
Struthionis ouū laudatur in calculo, 457
Stupor, 116. b vigilans. 70. a
Suaveolentibus paroxysmum epilepticus non tantùm augetur, sed & acceleratur, 99. b mulieres in extremam spirandi difficultatem proiectæ sunt 183. a
Subeth, 52. a
Submersio in aqua frigida ab Helmontio commendatur in mania, 38. a
Succi herbarum splenecticarum & antiscorbuticarum expressi & destillati vtiles in melancholia, 38. a in scorbuto non debent diu continuari, 422. a
Succinum confert in apoplexia, 114. a epilepsia. 104. a eius balsamus laudatur externe in epilepsia, ibid. oleum in conuulsione. 163. a liquor in epilepsia, 104. a Sal volatile in apoplexia, 112. a asthma viscidō, 193 b catarrho suffocatiuo 168. cephalalgia 11. b epilepsia, 104 a ischuria, 459. b paralysi, 130. b vertigine, 83. b tinctura cephalalgia, 11. b
Succus ex quo saccharum concrescit extractus intra breue temporis spatium acescit, 40. a
Sudor in hectica quomodo curetur, 535. b eius impedita exclusio arthritidem causare prodest, 472. b commendatur in alui fluxu. 302. a frigidus circa caput & fronte in affectibus lethargicis periculosus. 56. a
Sudorifera laudantur in febris. 517. b scorbuto, 421. a sudoriferum in phrenitide, 25. a
Suffitus ex aromaticis confert in paralysi, 132. b phthisi, 223. a eorum formula in eadem, 231. a
Suffocatio in asthmate vnde? 186. a nocturna, 145. b
Suffusio auriginosa *vid.* Ictérus.
Suilla caro nocet in diarrhœa, 304. a pudendum specificum in vrinæ incontinentia, 462. a renes laudantur in calculo, 539. a
Sulphuris arcanum à *Paracelso* laudantur in contracturis & paralysi, 127. b eius descriptio ib fumus pulmones adiuuat in tussi, 175. b oleum catarrhos exiccare creditur 163. b spiritus in catarrho suffocatiuo laudatur, 168. tinctura V Vilisio laudatur in asthmate, 193. a b vrinę incōtinētia, 462. a
Sulphur vitrioli summum arcanum *in* diarrhœa, 308. a chymicis laudatur in vertigine 83. b anodynum incantamenti instar dolores colicos sedat, 352. & venes magnam vim habent in mania, 48. b pacatinum *Syluius* in peruigilio aliis anodynis multis parasangis præfert 67. b philosophicum ab *Helmont.* laudatur in mania, 48. a
Sulphurum saliumque vix plura generea in Hermeticor. officinis, quam in scorbuticorum sanguine inueniuntur, 413. a
Superbia maniam causare prodest, 46. a
Suppositorium in apoplexia, 114. a
Suppressio nocturna. 145 b
Suppuratio quid? 205. a
Sympatheticæ curæ aliquando adhibentur in phthisi, 230. a earum mysterium quomodo aliquatenus intelligantur, ib. b
Syncope, 262. a cardiaca, 168. a
Synouia, 464. b quid? 465. b 264. a
Syrupi nō corrigūt acrim̄ peccās, sed acrius red-

reddunt 39.*b* de helenio Horatii Augentii in asthmate præstati descriptio, 193.*b*

T

Tabes eo fascino difficulter curatur, 219. *b*

Tabidi vere & autumno plerumque moriuntur, 220. *a*

Tabulæ bechicę *Vvilisii*, 176.

Talpæ puluis præstans in epilepsia pellenda, 109.*a* item eius cor. 104.*a* cinis in conuulsione. 192.*a*

Tartarea nocent in scorbuto, 478.*b*

Tartari in homine quingenta genera statuit *Paracelsus*. 426.*a*

Tartarus omnes salium species in se continet, 156.*b* eius sal volatile laudatur in ictero, 362. *a* spiritus dulcificatus catarrhos exciccare creditur. 163.*a* mira præstat in febre quotidiana intermittente, 589.*a* cõfert in paralisi scorbutica, 131 *b*

Tartarus vitriolatus confert in conuulsione 182.*b* ad dentes & gingiuas in scorbuto corruptas laudatur, 425.*a*

Taxi axũgia laudatur in iliaca passione. 328.

Temporis solius auaritia honesta, 35.*b* mutationis ac tempestatum tædiola præsagia, 157. *a*

Terebinthinæ oleum à *Syluio* laudatur in conuulsione, 161.*a*

Terræ sigillatæ spiritus laudatur in dysenteria, 328. *a* pingues atque sigillatæ à *Syluio* ad diarrhœam laudantur, 306.*a* cur in dysenteria prosint 326.*b*

Terrea conducunt in phrenitide, 24.*a* epilepsia. 99. *b*

Terror curat maniacos, 48. *a* micrecosmetorem aliquando interimit, 126. *a* facilè excitat choleram, 309. *a* conuulsionem, 159.*b* diarrhœam 305.*a* nocet in diabete, 493.*b* nutricibus, 709.*a* in paralysi, 126.*a* obstetrix pestiletię, fomes cõtagionis, incendiũ morbi, & sępe mortis prœco, 547.

Tassacea coducũt in diarrhœa biliosa. 308.*b*

Testudinis marinæ epar sanat ictericos, 364.*b* Tetanus 133.b

Thee potus proficuus in apoplexia, 112. *b* cephalalgia 11. *b* lethargo. 56.*a* paralysi, 125.*b*

Theriaca Andromachi laudatur in arthritide. 477.*b* mania, 50.*b* camphorata laudatur in pestę, 557.*a* cœlestis in cholera, 317. *b* colica, 345 *b* epilepsia. 98. *a* febre quotidiana intermittete, 589. *a* lienteria & cœliaca, 303.*b* 309.*a* mania 50.*b* peruigilio, 68.*a* pestę, 557. *a* smaragdina in cholera, 317. *b*

Thermæ commendantur in catalepsi & quare; 77.*a* incubo, 157.*b* diuinam nonnũ. quam effecerunt vim in colica, 344.*b* Em. senses & VVisbacenses in conuulsione, 144. *b* paralysi, 132.*b* sulphureæ ab *Authore*, & Syluio laudantur in conuulsione, 141. *b* 144. *b* paralysi, 138. *a*

Tiliæ primum ens seu liquor mira præsta in Epilepsia, 105.*a*

Timor diarrœam excitauit, 305. *a*

Tinca extrinsecus applicata icterum curat, 362. *a*

Tinctura anodyna Zuuelferi confert in mania. 59.*b* peruigilio, 68 *a* ante pileptica 101. *b* antiphthisica *Autoris*. 229. *VVedelii* ibid. antipleuritica *Autoris* 216.*a* bezoartica *Michaelis* confert in priuigilio, 69. *a* pestę, 559.*a* singultu, 295. *b* cum essenti anodyna mixta mira præstat in dysenteria, 348. *b* anticolica *Autboris*. 349. *b* coralliorum quomodo paranda contra epilepsiam, 103. *a* Febrifuga *Autoris*, 527.*b* Lunæ cur minus conuenire videatur *Authoris* in epilepsia, 103. *a* Lunæ & Martis, item smaragdi, saphyri & corallorum magnifiunt à *Paracelsistis* in melancholia, 35. *b* Martis quomodo ritè paretur, 39. *b* in venas rustici melancholici egregio cum successu fuit infusa ab *Authore* 41. *a* prodest in paralysii 28. *b* vrinæ incontinentia, 462. *a* anephritica *Autboris*, 467.*b* opii laudatur in colica, 349. *b* Salutis omnem corruptiuum acorem tollit 39.*a* scotomatica excellens, 85.*b* Solaris cum sale amoniaca parata laudatur in calculo, 451. *a* stomachica VVedelii 251. *a* styptica *Zuuelferi* prodest in vomitu sanguineo 285.*b* tartari simplex & antimoniata valde conducit in melancholia 57.*b* antimoniata in ictero, 361.*b* terræ foliatę laudatur in calculo, 452. *b* Iaponicæ arcanum in omnibus ventriculi affectibus 285. *b* vitæ *Autboris* prodest in acido ventriculi nimio & vitioso, 291. *b* *Mynsichti* optimum in pestę præseruans, 557. *b*

Tinea infantum, 727.*a* eius causa, ibid. Prognosis, 728. *a* Curatio, ibid. *b*

Tophi Venerei quomodo curandi 500.

Topica caute adhibenda in colica 346. *b* in paroxysmo arthritico totam aliquando implent paginam, 480. *b*

Tormina infantum, 711.b eorum causa, ibid.a Curatio, ibid.
Transfusio sanguinis in venas ægroti laudatur in epilepsia 104.a ictero, 364.a mania 50.a peruigilio & quare? 69.b phrenitide 23.b phthisi, 231.b pleuritide, 219.a scorbuto, 424.a
Transplantatio in bestias succedit in epilepsia, 104.b
Tremor vnde oriatur? 148.b eius remedium 162.b in phrenitide vnde; 19.a in effectibus lethargicis maximi est periculi, 56.a
Trepani vsus quandoque admitti potest in cephalalgia 13.b epilepsia 100.a in dubium vocatum in mania à *VVillisio*, 49.b
Trifolium fibrinum valde prodest in arthritide, 479.b eius decoctum in scorbutica, 425.b
Trismos, 139.b
Tristibus animi passionibus emaciti ensem proprio adaptant iugulo, 126.a
Tristitia fugienda in catarrhis & quare? 162.a colica, 343.b melancholia, 34.a paralysi, 126.a
Trochisci alhandal à *VVillisio* laudantur in in paralysi 128.b alkekengi laudantur in stranguria, 460.a bechici *VVillisij*, 176.b pro fumo Eiusdem in phthisi. 234.b Gordonii valent in mictu purulento, 461.a
Tubercula scorbutica quomodo curanda, 426.b
Tubulis subsidentibus nerui flaccidi redduntur, 271.a
Turbith à Syluio laudatur in paralysi, 128.b
Turpetum minerale egregium remedium in hydrope, 379.a
Tussis, 168.b quotuplex. 172.a eius pars affecta 168.b a diagnosis 169.a causa ibidem. a seq. prognosis 172.b cura diætetica, 173.a seq. pharmaceutica, ibidem. b seq.
Tussim & amorem dissimulari non posse prouerbium, & quare? 169.a cur senibus familiaris iuxta *Helmontium*, 170.a in phthisi vnde, 218.b in peste bonum signum. 548.a in vigiliis mali ominis, 65.a infantum, 722.a eius diagnosis, ibid. causa, ibid.b prognosis, ibid.b Curatio, ibid.
Tympanites 364.b quid? ibid. pars affecta ibid.b eius diagnosis, 365.b *Paracelso* quotuplex 367.b causa 369.a prognosis, 371. curatio, 372.b

V

Valeriana laudatur in peste, 558.b
Valetudinarii filios vitiosa constitutione gignunt 409.b
Valesij testimonium in singultu fallax. 294.b
Vapores ex carbonibus sæpe lethargum & lipotymiam inducunt, 51.b
Varices maniacis prosunt. 46.a
Variolæ, 559. quid? 560.b eius differentiæ ibid.b pars affecta, 561.a diagnosis; ibid. 306.a sine febre prouenire non possunt. 561.a causa?, 562.b cur in sanguineos grassentur: 567.b cura diætetica, 569.a pharmaceutica, 569.b seqq.
Vectio curuū nocet in hæmopthysi, 240.a
Vena aliqua inferior incisa prodest in melancholia, 39.a
Venæsectio laudatur in mania, 49.a in scorbuto, 421.a ad singultum in plethoricis, 300.a ob vulgi calumniam aliquando omittenda, 61.a in peruigilio circa vesperam instituenda, 69.b quando prosunt in epilepsia 99.b num conueniat in conuulsione, 145.a incubo. 153. paralysi, 131.a phthisi, 226.b eam tanquam maledictum remedium in pleuritide reiicit Helmontius. 208.b vitanda in febribus intermittentibus, 593.b malignis, 554.b peste. 557.b malè administrata brachii manusq; immobilitatem & stuporem causauit, 122.a
Venatus iuuat in melancholia, 34.a
Venena acria conuulsiones causant, 138.b item choleram, 112.a
Venenorum natura in quo consistat, 543.a
Ventis atrociter furētibus humores in corpore efferuescunt, 46.b eorum impetu in diuersum rapitur corporis status, 81.b
Ventosa laudantur in mictu cruento, 461.b vertigine, 86.b vmbilico appositæ inflatibus, 290.b inter ventriculum & vmbilicum in cholera, 314.b
Ventriculus est arx munitissima, 273.b per consensum cōpatitur in dysenteria, 328.a in cephalalgia deprehenditur lægius, 10.b eius affectus omnes vnde dependeant, 485.a
Ventris dolores in scorbuto quomodo curandi, 425.a
Venus immodica renum primigeniū balsamum depauperat & spiritus animales absumit;

sumit, 443. *b* producit arthritidem, 470. *b* hydropem, 373. *b* maximè nocet in diabete, 433. *b* spasmo, & conuulsionibus, 139. *b* vitanda in hæmoptisi. 240. *b* hectica, 534. *b*

Verbenæ in cephalalgia magna vis adscribitur, 13 *a*

Verbera maniaci non sentiunt, 42. *b* ijsdem curantur. 44. *a*

Vermes dolorem capitis excitare possunt, 5. *b* in dysenteria per os adscenderunt; 322. *a* ab iis brachiorum & pedum paralysis producta, 122. *b*

Vermes infantum, 724. *a* eorum diagnosis, ibidem. causa 725. *b* prognosis 726. *b* curatio, 727. *a*

Vermes maiales egregium dant diureticum; 436. *a* eorum tinctura insigniter diuretica 459. *a*

Vertigo quid 77. *b* eius differentia, 78. *a* causæ, 79. *a* subiectum, 78. *b* diagnosis, ibid. prognosis, 81. *a* cura diætetica, ibid. *b* pharmaceutica, 82. *b* seq. parua epilepsia, 80. *a* ex consensu ventriculi quomodo obueniat, 81. *a* tenèbricosa, vnde, 81. *a* ea & oculorum caligo epilepsiæ sunt aurora, 89. *a*

Vesicatoria laudantur in arthritide, 501. *b* in cholera, 318. *b* in conuulsione à V Villisio, 141. *a* epilepsia, 99. *b* febribus malignis, 534. *a* mania à Syluio, 49. *b* phrenitide 23. *b* vertigine, 86. *b* præseruationis gratia in peste 557. *b* quibus suspecta, ib. in omni amentia à V Villisio non contemnuntur, 49. *b* in letbargo vbi applicanda, 60. *a* reijciuntur ab Authore in conuulsione 145. *a*

Vesperi cur simus somnolenti, 54. *a* circa vesperam cur plurimi morbi ingrauescant, ibid.

Vespertilionis caput insomnes facere perhibetur, 57. *b*

Veteribus cur prioritas debeatur, 16. *a*

Veternus 52. *a*

Vigiliæ nimiæ spiritus fatigant & dissipant, 34. *a* commune omnium mania eorum symptomata, 40. *a* in senibus curatu difficiles, 65. *a* humores in corpore exasperant 68. *b* iis in singultu non conniuendum, 295. *b* noxiæ in diabete 443. *a* paralysi 125. *b*

Vina podagram inducentia qua parte noceant, 479. *a*

Vina medicata in cephalalgia, 11, *a* saluiata & roremarinisata in paralysi profi. cua, 125. *a*

Vinum quomodo bibendum, 46. *b* eius vis in microcosmetorem, 33. *b* vini meraci aura concepta vires recreantur, 130. *b* eius vtilitates, 150. *b* quale conueniat in colica. 242. *b* nocent in mania, 46. *b* nutricibus. 708. *a* febre synocha, 514. *b* peste & febribus malignis, 544. *b* pleuritide, 205. *a*

Vinum ardens seu adustum, nocet in arthritide, 471. *a* diarrhœa 304. *b*

Vinum Canariense præ aliis confert in arthritide, 471. *a* cancrinum excellens est in diabete, 442. *b* emeticum *Autoris*, 40. *a* Francorum nocet in arthritide, 471. *b* calculo 442. *b* diabete, ibid. scorbuto, 416. *a* Gallicum nocet in arthritide, 471. diabete & calculo, 443. *a* generosum prodest in marasmo senili, 222. *a* stranguria, 460. *a* choleram excitare potest 313. *a* dysenteriam, *b* nocet in catalepsi; 74. *b* paralysi, 125. *a* granatorum, vel cydoniatum specificè laudatur in diarrhœa. 304. *b* Hannouiense conceditur in diabete, & colica, 338. *b* Hirsteinense in iis laudatur, ibid. Hispanicum prodest in arthritide, 471. *a* externè applicatum in vomitu, 289. *a* nocet in asthmate, 190. *a* 322. Maluaticum appetitum restituit, 291. *a* maluaticum iuniperinum laudatur in diarrhœa, 303. medicatum Authoris in conuulsione, 240. *b* Michelbacense laudatur in arthritide, 442. *b* diabete, & calculo, 442. *b* Moselanum conducit in arthritide, 429. *a* diabete & calculo, 442. *b* Rhenanum nimiè sumptum tremores causat, 139. *a* Necarinum vtile in diabete & calculo, 442. *b* Vngaricum nocet in arthritide, 471. *a* diabete, & calculo, 442. *b*

Violarum semen secretum habetur in nephritide, & calculo 423. *a*

Viperina medicamenta prosunt in paralysi 131. *a* pinguedo destillata laudatur in ictero, 362. *b* à vipera demorsus statim ictero afficitur, 358. *b* earum sal volatile in peste fixatum præscribi debet, 555. *a* quomodo fixetur, ibid.

Vlcera officina fermenti, 333. *a*

Viscosa nocent in phthisi, 305 *b*

Vita sedentaria nocent in diabete, & calculo, 443. *a*

Vitriolica ferri præparata vtiliter exhibẽtur

tur in mania & vertigine, 37. *b*
Vitriolum album excellens sternutatorium in catal. 77. *a*
Vitriolum dulce laudatur in phthisi, 226. *a*
Vitriolum Martis acidum sanguinis vitiosum corrigit, 38. *b* prodest in conuulsione, 142. *b* paralysi scorbutica, 316.
Vitriolum Vngaricum commodum remedium præstat in cephalalgia, 12. *a* à *Paracelso* laudatur in paralysi, 127. *b* omitum sistit. 285. *a* spiritus laudatur in catharris. 169. *a* striatus in conuulsione, 142. *b*
Vitrum combustum & in cinerem redactum laudatur in calculo 457. *a* Muscouiticum egregium antifebrile in intermit. tentibus. 595. *a*
Vlcera in mania malum habent omen. 46. *a* renum & vesicæ 429. *a* causa. 429. *b* prognosis. 441. *b* curatio, 442 *a* scorbutica in tibiis quomodo curanda. 426. *a* in sinu muliebri Venerea quomodo curanda. 501. *a*
Vmbilici ligatura in infantibus quomodo instituenda. 676. *a*
Vndulatio spirituum cessat in lethargo. 54. *a*
Vnguentum in cephalalgia 9. *b* 13. *a* colica. 348. *b* iliaca passione. 337. *b* paralysi 132. *a* tussi 174. *b* Principis Ruberti laudatur in dysenteria, 328. *a* Sympatheticum *Paracelsi* in podagra. 474. *a*
Vngula alcis manui epileptici intruditur & quare? 98 *b*
Vnicornum fossile & marinum prosunt in epilepsia. 28. *b* peste 557. *b*
Vociferatio in phthisi noxia. 221. *b*
Voluulus, *vid.* Iliaca passio.
Vomica pulmonis, 232. *b* eius pars affecta 233. *a* diagnosis, ibidem. cura, 239. *b*
Vomitoria prosunt in asthmate præcordiali, 197. *a* cholera, 311. *b* conuulsione ab assumtis venenis 143. *a* epilepsia ex ventriculo, 99. *a* incubo, 153. *b* lethargo ab ebrietate, 58. *b* mania 49. *b* quæ in ea conueniant, 49. *b* melancholia, 36. *b* ad mucum in primis viis latentem exterminandum laudatur à *Cartesianis*, 38. *b* paralysi, 130. *a* singultu, 297. *b* ventriculi debilitatibus ab humoribus vitiatis & biliosis 291. *a* vertigine. 84. *b* à nauigatione, 85. *b*. fermentum febrile in tertiana intermittente optimè remouent, 592. *b* in apoplexia non conueniunt iuxta *Syluium* 112. *b* teste tamen experientia diuinam in eà vim afferunt, 113. *b* in phthisi quando conueniunt, 226. *b* fortiora plus damni quàm emolumenti creant in colica, 344. *b* damnatur in pleuritide, 209. *a* vomitorium *Vvilisii* in ictero 361. *a*
Vomitus quid? 276 *a* eius pars affecta, 277. *a* diagnosis, ibid. causæ ibid. *b* seqq. prognosis 282. *b* cura dietetica 283. pharmaceutica, 284. *seq.* Autoris 287. omnis non statim sistendus, 287. quandoque vomitu curandus, ib. enormes sæpe conuulsiones præcedunt, 138 *b* sanguinis prognosis 288 in scorbuto quomodo curandus, 425. *b*
Vomitus grauidarum, 657. *a* eius differentiæ, ibid. pars affecta, ibid. *b* diagnosis, 658. *a* causæ, 659. *a* prognosis, 664. *b* curatio, 663. *b*
Vomitus infantum, 713. *a* eius causa, ibid. *b* curatio, ib. seqq.
Vomitus nauigantium vnde 343. *a*
Vomitus stercoris, *vid.* Iliaca passio.
Vrina iuxta *Vvilisium* quid? 422. *b* turpida & nullam hypostasin habens, in febribus magnam sanguinis turbationem & confusionem denotat, 523. *a* quò rubicundior & tenuior, eo peior ibid. in cholera cur vix reddatur, 310. *b* qualis in paralysi 119. *a* eius spiritus laudatur in diabete, 449. *a* eo à contagio pestis se Pharmaceutica quidam studiosius præseruauit, 557. *b*
Vrinæ ardor vnde, 432. *a* ib. *b* 439. *b* *vid.* & Stranguria.
Vrinæ incontinentia, 427. *b* eius diagnosis, ibid. causa 429. seqq. prognosis, 441. *a* curatio, 442. *a* seqq.
Vrinæ incotinentia puerorum. 738. *a* eius curatio, ibid. *b*
Vrinæ obstructio in pueri, 738. *a* eius curatio, ibid. *b*
Vrinæ suppressionis causa, 433. *a* curatio, 444. *a* arthritidem causare potest 482. *a* vid. & Ischuria.
Vrorum cornua Germani in conuiuiis vsurpant, 82. *b*
Vrticationes conueniunt in apoplexia, 113. *b* paralysi, 131. *b*
Vsnea vesicæ Paracelso quid? 446. *a*
Veri hydrops, 620. *a* eius diagnosis, ibid. *b* causa, 621. *a* prognosis, ibid. *b* Curatio 662. *a*

Vteri inflatio, 624. eius differentia, ibid. diagnosis, ibid. *b* causa, 621. prognosis, 621. *b* curatio, 623. *a*

Vteri procidentia, 620. *b* est tantum vaginæ procidentia, ibid. *b* eius causa, 621. *a* diagnosis, 620. *b* prognosis, 621. *b* curatio, Curtio, 622. *a*

Vteri suffocatio, 624. *a* eius differentia, ibid. pars affecta, ibid. *a* diagnosis, ibid. causa, 625. *a* prognosis, 626. *a* cura diætetica, ibid. *b* pharmaceutica, ibid.

Vterius animalium similem motum habet cum intestinis, 329. *a* est quasi ζῶον ἐν ζώῳ 619. *b* ligamentis suis fortiter annectitur vt prolabi non possit, 620. *a*

Vuæ immaturę choleram excitare possunt, 312. *b*

Vulnera pulmonum curari possunt, pag. 229. *b*

Vulpium oleum prodest in conuulsione, 145. *a* sanguis laudatur in calculo, pag. 446. *b*

Z

ZEdoaria laudatur in peste, 537. *a*

Zingiber in cholera vitandum, pag. 313. *b*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff
Gg Hh Ii Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy
Zzz Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg
Hhhh Iiii Kkkk

Omnes Duerniones ſunt excepto Ii, quod vnicum folium eſt, & Kkkk, folium eſt cum dimidio, ac vbi apparet deficientia continuationis Alphabeticæ à folio Ii, vſque ad Qqq, hoc compoſitoris negligentia incurrere permiſit.